Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

FLORES THEOLOGICARVM QVÆSTIONVM, IN SECVNDVM librum Sententiarum, nunc primùm collecti, & in lucem editi.

Ab illustri admodum & reuerendissimo fratre Iosepho Angles Valentino, designato episcopo Bosanensi, ex ordine Minorum assumpto.

PARS PRIMA.

Ad Sanctissimum D. N. Sixtum Quintum, Pont. Optim. Max.

Cum priuilegio Pontificio, & Regio.

32805
Bibliotheca Facultatis Philosophiae Soc. Iesu Cast. Orient. S.I.

MADRITI
Ex officina Petri Madrigalis.
Anno M.D.LXXXVI.
Expensis Blasij de Robles Bibliopolæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TASSA.

YO LVCAS de Camargo, secretario del consejo de su Magestad, doy fe, que auiendose visto por los señores del consejo el libro intitulado Flores Theologicarum quæstionum in secundum librum Sententiarū, por fray Iosepho Angles, de la orden de señor san Francisco, electo obispo de Bosa, que con licentia y priuilegio de su Magestad se imprimio, se tassó el precio a que se ha de vender cada volumen en papel a tres maraudis y medio cada pliego. Y mandaron que esta tassa se imprima y põga en cada libro para que se sepa el precio a que se ha de vender, y no se venda sin ella. Y para que dello conste de mandamiento de los dichos señores del consejo, y pedimiento del dicho fray Iosepho Angles, di esta fe. En Madrid a treze dias del mes de Agosto, de mil y quinientos y ochenta y seys años.

Lucas de Camargo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Errata in primam partem.

Pag. 3. lin. 6. expotiones. expositionis. pag. 38. l. 4. astuitatis. actiuitatis. p. 33. l. 1. punctus. post sit. p. 73. l. 28. parialis. partialis. p. 75. l. 32. intelligitque. delequè, & dic omniaquè. p. 97. l. 16. euenit. venit. p. 99. l. 22. succesionum. successionem. p. 180. l. 31. pendere. pondere. p. 227. l. 10. euacuerit. euacuauerit. p. 300. l. vlt. in dict. iudicum. p. 304. l. 11. committebantur. comitabantur. p. 308. l. 12. tentantis. tentati. p. 319. l. 27. dæmó. dæmonis. p. 343. l. penult. se. sed. p. 384. l. vlt. accedere. accidere. p. 383. l. 22. boni. mali. p. 370. l. vlt. non ista. non sunt ista p. 397. l. 21. præcessissa. præcessisse. p. 427. l. 17. grossciē. grossitiem. p. 461. l. 29. descendum. descendunt. p. 471. l. 5. coloris. caloris. p. 510. l. 14. infornum. æternum. p. 549. l. inuestig. inuestitura. p. 511. l. 25. creaturarum. creatarum. p. 552. l. 5. perfestionem. perfectiorem.

Errata in secundam partem.

Pag. 3. lin. 17. consi. canone. p. 10. l. 10. mendijs. medijs. &. l. 14. essequendam. assequendam. &. l. 20. consulta. consultat. &. l. 33. & hic. Ethic. p. 16. l. 25. violentes. violenter. p. 37. l. 15. conuettere. conuerte. p. 32. l. 15. abtinetur. obtinetur. p. 40. l. vlt. aut. autem. p. 44. lin. habentibus. habitibus. p. 49. l. 19. æcri procus. reciprocus. p. 53. l. 6. proposcit. popoſcit. &. l. 26. 27. sanctores. sanctiores. pag. 54. linea. 29. gratia. grata. &. lin. 33. est è conuerso. pag. 57. l. 16. propositio. proposito. p. 59. l. 15. illis. lis. p. 60. l. vlt. erat, orat. p. 63. l. 22. 23. gratiam. gratia gratum. p. 97. l. 19. definit. desinit. p. 163. l. 18. ciuitatem. adde valē tem. p. 207. l. 1. peccato originalem. peccato originali. p. 215. l. 11. consta. Costa. p. 231. l. vlt. voluntas. voluptas. p. 262. l. 7. S. Tho. 21. S. Tho. 2. 2. p. 285. l. 2. suptum. sumptum. p. 287. l. 24. scripturam, scriptam. p. 290. l. 6. caloris. coloris. p. 307. l. 8. imperatam imparatam. p. 310. l. 8. pœna. pœnitētia. p. 342. l. pen. post. poreſt. &. l. vlt. eius tuus. p. 359. l. 7. perditionem. proditionem. p. 385. l. 1. infigitur. inflitur. p. 387. l. 3. cirta. circa. p. 402. l. 1. dictans. distans. 407. l. 14 sine. siue. pag. 412. l. 22. officio. officium. p. 415. l. 9. vsuras. vsuros. &. l. 14. idem. p. 426. l. 7. docet. decet.

Hunc librum vidi, qui, & fideliter est excusus, & in omnibus originali consonat exceptis à me assignatis mēdis. Dat. Compluti anno. 1586. die verò. xxv. Iulij.

L. Varez à Castro.

SANCTISSIMO D. N. Sixto V. Pont. Optim. Max. frater Ioſephus Angles, deſignatus epiſcopus Boſanenſis, ſuus obſequentiſſimus filius, & ſubditus, poſt humillimam ſanctorum pedum deoſculationem, vitæ diuturnitatem, perpetuamq; optat felicitatem.

ERSVTISSIMVS ille, & antiquiſſimus humani generis hoſtis, beatiſſime Pater, qui mille nocendi modos habet, dolēs ſatis, & erubeſcens charitatem, quam in cœlo nequiuit habere, homines ex lutea materia conſtātes in terra exiſtentes tenere, à principio ſuæ ruinæ vnitatem eccleſiæ reſcindere, charitatē vulnerare, ſanctorum operū dulcedinem inuidiæ ſuæ felle inficere, & omnibus modis humanum genus auertere, & perturbare conatur. Videnſq; præſertim multos per monachatus ſuſceptionem, & religionis ingreſſum, ſuos laqueos euaſiſſe, & æternam gloriam conſecutos fuiſſe, & tot ex religionibus tantoſq; martyres, & confeſſores, & doctores, & ſanctos prodyſſe, qui ſui ſanguinis effuſione, doctrina, & exemplis eius aſtutias, velut digito, indicauerūt, & multos ab eius poteſtate, diuina gratia adiuuante, liberauerunt; hoc vnum diligentiſſimè curauit, nempè, monachatui, & religionibus detrahere: vt, vel ſic ab illarum profeſſione homines auerteret.

Quod, vt præstare facilius posset, habuit ministros callidita-
te sua serpentina deceptos; vt illi in eandem damnationem
postea alios inducerent. Quorum primi fuerunt impij Vual
denses, qui in tantam proruperunt insaniam, vt mendican
tium religiones malorum dæmonum inuentionem fuisse do
cerent. Eodemq; fere tempore, aut parùm postea, quidam
Vuilhelmus de sancto Amatore scripsit librum, in quo per-
suadere conatus est, hominem in ordine mendicantium sal
uari haud posse. Quem librum Alexander Papa IIII. dam-
nauit; vt hæreticum, & præcepit, vt quicunq; illum haberet,
combureret. Hunc eundem errorem amplexus est Ioannes
Vuitcleph, qui non solùm monachos mendicantes; sed omnẽ
monachatum atrociter est insectatus. Quoniam dixit; nemi
nẽ in religione priuata posse saluari, & in illa existentẽ ad
obseruantiam mandatorum Dei ineptum, & inhabilem esse.
Qua propter errorem errori addens, affirmabat, omnes, qui
religiones instituerunt, videlicet, Benedictum, Franciscum,
Dominicum, & cæteros propter religionum institutionẽ, nisi
forte de hoc pœnituerint, fuisse damnatos. Hunc Vuitclephi
insanum, & impium errorem, iam sepultũ, ab inferis susci-
tauit, hoc nostro sæculo, impudẽtissimus Martinus Lutherus
affirmans, non esse licitum hominem ad aliquid agendũ vl
tra id, quod Dominus nobis præcepit, obligari: sed liberè cui
libet, & non sub lege humana esse viuendum. Quamobrem
liberam monachis; si volũt, exeundi a monasterio, & vxores
ducendi tribuit potestatem. Immò in multis Germaniæ oppi
dis monachi coacti sunt propria monasteria relinquere: quia
eis non permittebatur in illis habitare, nisi cucullã exuerẽt,
& vxores ducerent. Isti igitur sceleratissimi homines, volu-
ptuosi, illecebris, & omnium vitiorum generibus dediti mo
nachatui detraxerunt. Quoniam existimabant sua flagitia
latere, si alios suorum scelerum imitatores haberent, & tãtò
minùs

minùs notari credebant, quantò plures in suo crimine socij
fuissent: & tãtò contra magis pudore confundi timebant,
quantò plures virtutis cultores extitissent. Et non satis visũ
fuit dæmoni, Pater Beatissime, dictos nebulones fallere, ve
rũ etiã christicolas quosdam, qui se existimant stare, & vti
nam, vt vas electionis docet, non cadant; ita in odiũ religio 1. Cor. 10.
nũ excitauit, vt nihil illis magis odiosum, & exosum, quã
nomẽ monachi esse videatur. Eò quòd ĩ religionibus reperti
fuerint aliqui monachi populum scandalizãtes, & hæretici
nõnulli ex illis exierint. Tanquàm si aliquid de gloria ali-
cuius ordinis deperijsset, quòd ex eo sodalitio vn⁹, aut alter
hæreticus prodierit. Non certè magis, quàm ex illa sanctã
societate deperyt, de qua dicitur. 1. Ioann. 2. Ex nobis prodie 1. Ioann. 2.
runt; sed nõ erant ex nobis, &c. Nusquàm enim ecclesiæ ve
nustas diminuta est, aut color obfuscatus, eò quod tot ex ipsa
hæretici exierit. Verũ enimuerò Deus Pater Optim. vidẽs de
sede maiestatis suæ fidei turres, & ecclesiæ sãctæ catholicæ
Romanæ propugnacula, quæ ipse inexpugnabilia cõstruxe-
rat, religiones, scilicet, ab huius furfuris hominibus cõtẽni,
& vilipẽdi, odioq; haberi, et ĩpugnari (quæ sua est infinita
sapiẽtia, & bonitas) vt cõtẽptores isti apertissimè intelli-
gerẽt esse in religionibus innumeros viros vitæ sanctitate,
& doctrina sibi gratissimos, qui nõ curuauerũt genua sua
ante Baal, voluit ex præclaro prædicatorũ ordine, ys proxi-
mis annis, vicariũ sui vnigeniti filij Christi Iesu, Redẽpto-
ris nostri, Piũ, nẽpè quintũ perpetuæ memoriæ dignissimũ
cõstituere, & anno elapso ex ordine Minorũ te, Beatissime
Pater, eiusdẽ filij sui vicariũ creare. Gloria igitur Patri, &
Filio, & Spiritui sancto, qui suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ tã
tũ, ac talẽ pastorẽ pr. esse voluit, & hac sãctissima electioere
ligiões oẽs, pr. sertĩ minorũ à calũnijs maleuolorũ liberauit,
& illustrauit, & meũ ĩ eadẽ electione desiderium adimple-
uit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pleuit. Quid ergo retribuã domino pro hac sanctæ electione in gratiarũ actionẽ? nescio. Quid etiã faciã: vt animæ meæ, lætitiam declarem, & vestræ beatitudini sanctissimæ, supremam sedem congratuler? prorsus ignoro. Solum, præter me ipsum, hos habeo flores, quos, duobus ab hinc annis collegi; adiutus vt verum fatear, orationibus dominarum monialium Excalceatarum Madriti, quibus eram à sacris confessionibus. Bossq; beatitudini vestræ sanctissimæ consecro. Hi enim testes erunt meæ erga vestram beatitudinem sanctissimam gratitudinis. Tibi enim Pater Beatissime, multis nominibus, & titulis debẽtur. Nam prætermissis beneficijs quæ nouem ab hinc annis in me vestra Beatitudo Sanctissima contulit, quæ in his floribus tractantur, tibi soli præsertim debita sunt. Nam creare, quod solius Dei proprium est (ipsum enim cæli, & terræ creatorem confitemur) de te etiã suo modo prædicatur, vt ex historijs summorum Pontificũ cõstat, vbi legitur. Et creauit episcopos, & presbyteros, &c. Deinde, quæ de angelis traduntur, tibi quoq; debentur, qui à prima ætate vitam angelicam egisti, & nunc Christi Iesu, magni consilij angeli in terris vicem geris. Tum, quæ de dæmonibus in his Floribus explanãtur, tibi competunt, cur potestatem Christus contulit, tantam, ac talem, vt dæmones eijcere valeas, aduersus quam portæ inferi nunquam præualebunt. Præterea, quæ de ignorantia ibidem explicantur, tibi conueniunt, cur ex officio incumbit ignorantiam eorum, quæ ad animæ salutem pertinẽt, ab animis christianorum expellere. Ne ignorantia errorum, origo, ignorantiumq; multitudo malum pro bono eligat, & virtutes, eorumq; amatores, & cultores contemnat, & persequatur: præsertim ab ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus. Inter quos fit plerumque, vt imperitorum multitudo vincat, & viros literatos, virtutibusq; debitos opprimat, & veluti in situ, & puluere semisepultos habeat: ita vt vix caput erigere possint. Vnde factum videmus fuisse: vt dignitates, & prælaturas, & beneficia ignorantissimi homines obtinuerint, & viri litterati fame perierint. Cui malo sacrosanctum ac œcumenicum cõcilium Tridẽtinum obstitit, remediumq; adhibuit. Ad hæc, quæ de gratia, & libero arbitrio ibidẽ exponuntur, tua sunt, qui ita gratia tibi à domino collata, & libro arbitrio rectè vsus fuisti, vt supremam gratiam, quæ homini in hac vita contingere potest, nempè, Christi vicariatum fueris consecutus. Insuper, vestræ sanctitati, quæ de peccatis in ijsdem Floribus declarantur, adscribenda sunt. Tibi enim, vt beato Petro, cuius es legitimus successor data est à Christo ligandi, atq; soluendi potestas. Tandem, obedientia prælatis, & superioribus præstanda, de qua in vltimo loco Florũ cum Magistro tractatur, tibi præcipuè totius ecclesiæ capiti debetur. Tu enim pater principum, & regum, & rector omnium fidelium es, quod Thyara tribus coronis ornata, qua coronatus fuisti, apertissimè significat. Parcat mihi Vestra Beatitudo sanctissima, si longius, quàm par est, digressus fuerim; quia ex abundantia amoris, & lætitiæ, qua cor meum repletum est, os loquitur. Viuat diutissimè Beatitudo vestra sanctissima, & sanctam Eccl̃a essi Romanam felicissimè (vt nomen Felix antiquum præsagiebat) ita gubernet, & regat; vt post vitæ longitudinem cum sanctis omnibus in cælis triũphet.

Isaiæ. 9.

Matth. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Summa priuilegij Pontificij.

SAnctiſſimus D. N. Sixtus Papa quintus per ſuas in forma breuis literas ſub annulo piſcatoris, diei xiiij. Iulij M. D. LXXXVI. pontificatus ſui anno II. Romæ apud S. Petrum expeditas ſub excommunicationis, aliiſque pœnis, etiam pecuniarijs prohibuit, nomibus, & ſingulis, ac quibuſcunque vtriuſque ſexus perſonis, tam in Alma Vrbe, quàm in terris S. Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiectis, ne, durante decennio proximo, librum intitulatum Flores Theologicarum quæſtionum in ſecundum librum ſententiarum per fratrem Ioſephum Angles, Valentinum, Ordinis Minorum de Obſeruantia, magiſtrum in Theologia compoſitum ſine expreſſa dicti fratris Ioſephi voluntate, & licentia imprimere, ſeu ab ipſis, vel aliis præterquàm de eius voluntate vendere, ſeu venalem habere. Mandans vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis ac eorũ vicarijs, ac ipſius ſtatus eccleſiæ gubernatoribus: vt in præmiſſis eidem fratri Ioſepho aſsiſtant, & aliàs prout in eiſdem literis, quarum tranſumptis, etiam impreſsis ſanctitas ſua ſtari voluit, plenius continetur.

EL

EL REY.

POR Quanto por parte de vos fray Ioſephe Angles, de la orden del ſeñor ſan Franciſco, electo obiſpo de Boſa, ſe nos ha hecho relacion, diziendo, quæ vos auiades compueſto vn libro intitulado Flores Theologicarum quæſtionum in ſecundũ librum ſententiarum, de grande vtilidad y prouecho, y porque en el auiades trabajado mucho, y era muy bueno para theologos, canoniſtas y confeſſores. Suplicandonos os mandaſſemos dar licentia y facultad para que pudieſſedes imprimir el dicho libro, y priuilegio por veynte años, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligencia que la prematica por nos ſobre ello fecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula enladicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual vos damos licentia y facultad para que por tiempo y eſpacio de diez años cumplidos primeros ſiguientes que corran y ſe cuẽten deſde el dia de la data deſtra nueſtra cedula en adelante vos o la perſona que para ello vueſtro poder ouiere, yno otra perſona, podays imprimir y vender el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion: y por la preſente damos licentia y facultad a qualquier impreſſor deſtos nueſtros Reynos que vos nombraredes para que por eſta vez le pueda imprimir, conque deſpues de impreſſo antes que ſe venda lo traygays al nueſtro conſejo juntamente con el original que enel fue viſto que va rubricada cada plana, y firmado al fin del de Alonſo de Vallejo, nueſtro eſcriuano de camara, y vno de los que enel nueſtro conſejo reſiden, para q̃ ſe vera ſi ſa dicha impreſſion eſta conforme a el, e traygays ſe en publica forma en como por corrector por nos nõbrado ſe vio y corrigio la dicha impreſſiõ por el original, y ſe imprimio conforme a el, y que queden aſſi miſmo las erratas por el apuntadas impreſſas

para

para cada vn libro de los que assi fueren impressos, y se os tasse el precio que por cada volumen ouieredes de auer. Y mandamos que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licentia no le pueda imprimir ni vender, sopena que el que lo imprimiere, o vendiere, aya perdido y pierda qualesquier libros, moldes, y apareios que del tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pœna sea la tercera parte para el juez que lo sentenciare, y la otra tercera parte para la nuestra camara, y la otra tercera parte para el que lo denunciare. Y mandamos a los del nuestro consejo, presidente, e oydores delas nuestras audiẽcias, alcaldes, alguaziles de la nuestra casa y corte y chancillerias: y a todos los corregidores, assistente, gouernadores, alcaldes mayores y ordinarios, y otros juezes y justicias qualesquier de todas las ciudades, villas y lugares delos nuestros reynos y señorios a cada vno dellos en su jurisdicion, assi a los que agora son como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cũplan esta nuestra cela y merced, que assi vos hazemos, y contra ella no vos vayan, ni passen, ni consientan yr ni passar en manera alguna, sopena dela nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en Valencia adoze dias delmes de Hebrero, de mil y quinientos y ochenta y seys años.

YO EL REY

Por mandado de su Magestad.

Juan Vazquez.

NOS

NOS DON FELIPE por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Aragon, de Leon, de las dos Sicilias de Hierusalem, de Portugal, de Vngria, de Dalmacia, de Croacia, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galizia, de Mallorcas, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, de los Algarbes de Algezira, de Gibraltar, de las islas de Canaria, delas indias Orientales y Occidentales, islas y tierra firme del mar Oceano, archiduque de Austria, duque de Borgona, y de Brabante, de Milan, de Athenas, y Neopatria, conde de Absburg, de Flandes, de Tirol, de Barcelona, de Rosellon, y Cerdania, marques de Oristan, y conde de Goceano. Por quanto vos el amado nuestro fray Iosepho Angles, de la orden de san Francisco dela Obseruancia, a quien auemos elegido en obispo de Bosa, nos aueys referido que aueys compuesto vn libro intitulado Flores Theologicarum quæstionum in secundum librum Sententiarum. Y que por ser de muy grande prouecho y vtilidad para los Theologos, Canonistas, y Confessores, desseays imprimirle y sacra algun fruto del, por el mucho trabajo que enello aueys passado, suplicandonos muy humilmente os diessemos licencia para ello con prohibicion que por tiempo de diez annos sin expresso orden y poder vuestro, ninguna otra persona le puede imprimir ni vender en los dichos nuestros reynos dela corona de Aragon. E nos auiendole ante todas cosas mandado ver y reconocer, constandonos ser el dicho libro vtil y prouechoso, lo auemos tenido en bien. Por ende con tenor delas presentes de nuestra cierta sciencia y real autoridad damos licencia permisso y facultad a vos el dicho fray Iosepho Angles, y a la persona, o personas que vuestro poder ouieren, que podays y puedan imprimir, ó hazer imprimir, al impressor, o impressores que quisieredes el dicho libro arriba intitulado, en qualesquier ciudades villas y lugares de los dichos nuestros Reynos y señorios de la corona de Aragon, y vender enellos, assi los impressos fuera, como los que hareys imprimir en los dichos Reynos, prohibiendo segun que con las presentes prohibimos y vedamos que ninguna otra persona lo pueda imprimir ni hazer imprimir ni vender, ni lleuarlos impressos de otras partes a vender en los dichos Reynos y señorios, sino vos, o quien vuestro poder tuuiere, y esto por tiempo delos dichos diez años, que comiencen a correr desde el dia de la data de las presentes en adelante, sopena de dozientos florines de oro de Aragon, y perdimiento de moldes y libros, diuididera en tres partes yguales, vna a nuestros reales cofres, y otra para lo que vos el dicho fray Iosepho Angles quisieredes que se aplique, y otra al acusador, cõ-

esto,

esto, empero que los libros que hizieredes imprimir del dia presente en adelante no los podays vender hasta que ay ays traydo a este nuestro. S.S. R. consejo que cabe nos reside el libro que nos aueys presentado, y esta rubricado, y a la fin firmado de mano de Marcelo de Ansa nuestro escriuano de mendamiento infrascripto, juntamente con otro de la nueua impression para que se vea y comprueue si la dicha nueua impression esta conforme al dicho libro que se nos ha presentado y esta rubricado por el dicho Marcelo de Ansa, como arriba se dize; mandando con el mismo tenor delas presentes dela dicha nuestra cierta sciencia y real autoridadia qualesquier lugartenientes y capitanes generales, regentes, la cancilleria, regente, enel officio y portan veces de nuestro general gouernador, alguazil, porteros, vergueros, y otros qualesquier officiales y ministros nuestros, mayores y menores en los dichos nuestros Reynos y señorios de la nuestra corona de Aragon, constituydos y constituyderos, y a sus lugartenientes y regentes los dichos officios so incurrimiento de nuestra ira e indignacion y pena de mil florines de oro de Aragon de los bienes del que lo contrario hiziere exigideros, y a nuestros reales cofres aplicaderos que la presente nuestra licencia y prohibicion y todo lo enella contenido, os tengan y guarden y obseruen tener, guadar, cumplir y obseruar hagan sin contradition, ni dar lugar ni permitir que sea hecho lo contrario en manera alguna, si nuestra gracia les es cara, y demas de nuestra ira e indignacion en la pena sobredicha dessean no incurrir. En testimonio delo qual mandamos despachar las presentes con nuestro sello real comun enel dorso selladas. Dat. en san Lorenço el Real, a veyntecinco dias del mes de Iulio, año del nacimiento de nuestro Señor. M.D.LXXXVI.

YO EL REY.

V. Frigola. Vicecancellarius.
V. Comes generalis Thesaur.
V. Campi. R.
V. Marzilla. R.
V. Gort pro conseruatore generali.
V. Sapena. R.
V. Terça. R.
V. Quintana. R.

In diuersorum. XIX. fol. CLXXIIII.

LIBER Iste in primam, & secundam partem diuisus, qui Flores Theologicarum quæstionum in secundum librum sententiarum inscribitur doctissimi, & reuerēdi admodū patris fratris Iosephi Angles Valentini, ordinis Minorum, sacræ Theologiæ doctoris fuit à me summa diligētia, & attentione iussu supremi cōcilij Regij perlectus, & recognitus. Videtur equidem operibus, non tantùm cognomini floridо: verùm & auro æquipollere. Admirabili certè claritate, solidè, distinctè, & eleganter veritates catholicas edocet. Nec non perutilis est non solùm in sacræ Theologiæ professione tyronibus: sed quibuscūq; alijs antiquis, & sapientibus. Neq; minus prædicatoribus euangelicis, vt rectos mores veritatibus certis, & solidis annūcient, & exornent, in iuuamē haud parum erit. Confessoribus similiter nō minus fauet, vt absq; timore veritatibus innixi peccata reprehendant. Et Iurisconsultis, quibus Theologicas conclusiones labore exiguo scire libuerit copiosa, & facilis summa est. Denique faciculus est Florum, qui catholicam, & certam fidem, & veritatem redolet, pietatem, & scientiam sapit, eruditione decoratur, & sapientia micat. Et sic dignus meo iudicio; vt prælo mandetur, & obijs vlnis ab omnibus recipiatur. Qui auctori summo honori, quòd futurus sit, indicat, summamquè & assiduam illius curam in conficiendis operibus laude quacunq; dignissimis ostendit. Necnon zelum illius patere facit: vt propugnacula firmissima contra virulentas hæreses, & pernicioſa dogmata, ecclesiæ Dei veluti Dauidicæ turri proponat, & aquas in gaudio Saluatoris animabus christianis exaubio decimosexto Kalendas Ianuarij, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quinto.

Frater Magister Ludouicus de Calatayud, eiusdem conuentus sanctissimæ Trinitatis minister.

LIBRVM

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBRVM istum in primam, & secũdam partem diuisum, quẽ vocat auctor, Flores Theologicarũ quæstionum super secũdum librum Sententiarum, auctore admodum illustri, & reuerendissimo domino, fratre Iosepho Angles, electo epo Bosanen. sacræ Theologiæ professore, de supremi senatus Aragoniæ comissione vidi, & qua potui animi attẽtione consideraui. Quod sanè opus, præter integram, ac raram resolutionem ex probatissimis auctoribus selectam, nullam continet dissonam à catholica fide doctrinam. Quin potius omnibus, qui studio & diligentia certam, & irrefragabilem resolutionẽ inquirunt, viam aperit, & sternit. Vnde pro eorum vtilitate, qui diuinã profitentur Theologiam, cum magna tanti auctoris laude, & ecclesiæ catholicæ commodo, & fructu, dignum censeo, vt prædictum opus typis mandetur, & in publicum prodeat. In cõuentu sanctæ Mariæ de Antocha, ordinis fratrum Prædicatorum, anno Domini, millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, die verò sexta mensis Iuly.

Frater Vincentius Lopez, prior conuentus S. Mar. de Atocha.

AD LECTOREM.

VBicunquè, amice Lector, Alexand. Alen. S. Thom. & reliqui doctores in his Floribus citantur, & liber, in quo de quæstione proposita disputant prætermittitur, intellige locum illum apud S. Thom. in part. 1. & apud Alex. in 2. part. suæ summæ, & apud reliquos in 2. sententiarum contineri; nam si alterius libri locus adducatur, ibidem liber exprimitur.

FLORES TRACTATVS De creatione.

In primo libro Sententiarum disputauit Magister de productionibus ad intra. In secundo libro, de creatione mundi, quæ productio ad extra nominatur. verba facit.

Magist. Sentent. Distinct. I.

QVÆSTIO VNICA.

De creatione in genere.

CIrca hanc quæst. legendi sunt Doct. Alex. Alens. in 2. p. suæ Sũmæ. q. 5. 6. & 9. S. Tho. in 1. p. q. 45. S. Bon. Ricar. & reliqui Scholastici dist. 1. huius. 2. lib. Quæstio hæc, nonnullis difficultatibus expositis, erit perspicua.

Prima difficultas. Quid nam est creare?

Nota primùm sequentes Propositiones.

Prima Propositio.

CREARE Multis modis dicitur, quemadmodũ & ex nihilo aliquid facere dicitur differẽter. Primo modo, & propriè in hac q. sumitur creare, pro omninò de nihilo aliquid facere. Vt in Genes. In principio creauit Deus cælum, & terram. Secundo modo, Creare est idem, quod recreare, *Alex. est.* *Genes. 1.*

 idest,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 32. idest, de non esse culpæ reducere ad esse gratiæ. Psalm. 32. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Ibi enim dicuntur creata, quæ per gratiam sunt recreata. Tertiò, creare est illud, quod deficit, in bonum conuertere, idest malum ad bonum ordinare: quomodo intelligitur locus Esai. 45. Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creãs tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ibidem Alex. dicit nihilum trifariam dici. Primò pro omnino nihil. Secundò pro nihil ratione culpæ. Et tertiò pro nihil ratione pœnæ. Lege S. Bon. art. 1. in fine. q. 1. vbi tripliciter, & differenter sumit fieri ex nihilo.

Esaiæ. 45.
Alex. est. q. 6. m. 2. ar. 1.
S. Bon. ar. 1. q. 1.

Secunda Propositio.

CREARE, vt alijs placet, sumitur. 4. modis. Primò accipitur creare pro eligere, & hoc eleganter apud latinos. Ita enim olim consules, & cæteri magistratus apud Romanos dicebantur creari, quando publicis comicijs eligebantur. Ita qui in Episcopos, &c. eliguntur, creari dicuntur: & modo Romæ Cardinales appellantur creaturæ illius Pontificis summi, qui eos ad Cardinalatus dignitatem elegit. Secundo modo dicitur creatio omnis actio diuina ad extra, quamuis fiat concurrentibus causis secundis. Ita D. Paul. 1. ad Timoth. 4. dicit à Deo creatos cibos. Et D. Aug. super Ioãnem affirmat segetes creari: & homo accipit esse à Deo, & nõ dicitur creatura alterius hominis, scilicet, patris, sed Dei. Et vulgus nũquã nomine creationis vtitur, nisi respectu Dei: quãuis impropriè dicat res, quæ fiunt per generationem, & productionem secundarum causarum, creari. Tertio modo idẽ est creare quod producere. Atq; ita filius dicitur creari Eccl. 24. Inquit enim Sapiẽtia: Ab initio, & ante secula creata sum. Quarto strictè, & maximè propriè sumitur in præsentia creare, pro eo, quod sequẽs conclusio indicat.

S. Tho. 1. ar. Scot. in. 3. d. 11. 1. Timot. 4. August. Eccl. 24.

CONCLVSIO.

CREARE est facere aliquid ex nihilo, idest nullo subiecto præsupposito, à quo creatum naturaliter in fieri, & esse dependeat: quæ quidem dependentia nihil aliud est, quàm educi de potentia materiæ. Et quod creatur non

non debet educi de potentia materiæ, aliter enim non fieret ex nihilo. Descriptio creationis, quæ in prima parte conclusionis continetur, est glossæ in principio Geneseos super locum, In principio creauit Deus cælum, & terram: ab omnibus recepta: etsi à variis doctoribus variè exposita, quorum expositiones consultò missas facio: quoniam quid tenendum sit, expositio descriptionis in 2. par. conclusionis posita declarat. Primum conclusio probatur, appositio discrimine inter generare, & facere, & creare: quia cum generare, & facere præsupponãt materiam, & creare nullam: ideo erit aliquid ex nihilo facere. Secundò probatur cum D. Th. art. 1. vbi supra. Nam, sicut emanatio alicuius entis particularis, siue productio, quæ fit ab aliquo agente in particulari, vt productio huius hominis ab hoc homine, præsupponit ipsum productum non esse, vt quando producitur homo fit ex non homine: Ita emanatio totius entis, scilicet: materialis, & formalis, quæ fit à causa vniuersali, (nempe productio vniuersi, quæ fit ab ipso Deo) fit quoq; ex nullo ente præsuppositio. Et cum nullum ens fit nihil fiet ex nihilo, nempe, ex nullo ente præsuppositio, scilicet materiali, neq; formali.

Genes. 1.

Hinc homo, & angelus aliquid efficiũt: non tamen creant. quia semper præsupponunt materiam, ex qua aliquid efficiunt. At verò Deus, & creat, & efficit: quia ex materia, & sine materia operatur.

Append. 1.

Hinc forma naturalis non creatur, nec concreatur: quia concreatio præsupponit creationem: & forma naturalis, quãdo producitur, non præsupponit creationẽ. Quare non concreatur, sed dicendum est comproduci, seu congenerari.

Append. 2.

Ex hac etiam conclusione sequitur, quòd licet anima rationalis præsupponat corpus organicum, nihilominus creatur: si quidem non educitur de potentia materiæ. Naturaliter enim conseruatur sine corpore, quod nulli alij formæ contingit. Cæteræ namq; formæ secundum aliquid sui præerant in potentia materiæ. At verò anima rationalis creatur, & producitur in se saltẽ prius natura, quam in subiecto sit, idest, quam animet, & actuet corpus: quia ex nihilo, idest post nihil sui, fit.

Append. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. 4. Hinc anima equi non producitur: sed comproducitur, siue congeneratur ad generationem equi; nec est prius in se, quàm in ipsa materia. Et animaduerte, ne fatearis formam equi produci: sed debes concedere comproduci. Nam si produceretur in se, rectè sequeretur creari etiam: quemadmodum animam nostram confitemur.

Append. 5. Hinc filius Dei non est creatus à Patre: quia fuit genitus ex substantia patris, & in patre præfuit essentia, quæ est in filio secundum nostrum modum intelligendi. Et similiter transsubstantiatio, non dicitur creatio: quia est de aliquo.

Secunda diffic. An Deus posit aliquid creare?

CONCLVSIO.

S. Tho. ar. 2. D. Bon. ar. 1. q 1. vbi sup. & reliqui hac dist. Genesis. c. 1. Ioan. 1.

DEVM potuisse non solum creare: verùm etiam de facto in tempore creasse vniuersa, est non de fide tantum: sed & fidei articulus. Probatur Genes. 1. in principio creauit Deus cælum, & terram: & Ioan. c. 1. omnia per ipsum facta sunt. Nam fieri actionem dicit in tempore productam. Est quoq; conclusio expresè ab ecclesia definita in concil. Niceno. Credo in vnum Deum, &c. & refertur extrà de summa Trinit. & fide Cath. cap. firmiter credimus.

S. Tho. 22. q. 1. ar 6. vide locum.

Notanter dicitur in conclusione, Non de fide tantum, &c. quia propositio de fide differt ab articulo fidei: siquidē propositio de fide est, quæ expresè habetur in sacra Scriptura, vel ab ecclesia est definita, vel euidenter deducitur ex illis per euidentē consequentiam. At verò articulus fidei addit suprà hoc, quòd sit propositio ab omnibus credenda, & sciēda.

Tertia diffic. Fuit ne mundus creatus ex tēpore?

Alex. Alen. q. 6. m. 27. et q. 9 m 9 S Tho q 46. art 3. reliqui eadē distint. Bona. ar. 1. q. 2.

HAEC difficultas nascitur ex prima difficultate: quia in symbolo Apostolorum, & in Niceno non exprimitur creatum fuisse in tempore.

CONCLVSIO.

ISTE articulus de creatione est intelligendus, prò vt exprimitur in diuina Scriptura, quæ Deum ex tempore creatorem

torem profitetur. Probatur Genesis. 1. in principio creauit Deus cælum, & terram. Qui locus exponitur de principio tēporis. Et Prouerb. 8. Sapientia de seipsa ait. Dominus possedit me ab initio viarum suarum, ante quam quicquam faceret à principio: ergo cœpit facere. Item Io. 17. clarifica me tu pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquàm mundus fieret, apud te. Aliquando igitur non fuit mundus: & ex consequenti cœpit ex tempore.

Genesis. 1. Lege. S. Tho. ar. 1. & 2. vbi supra. Prouerb. 8. Io. 17.

Quarta difficultas. An hic articulus de creatione ex principijs Aristotelis posit demōstrari?

Alex. Alen. q. 6. memb. 2. artic. 6. S. Tho. q. 46. artic. 1. & 2. & q. 44. ar. 1. reliq. hac distinct.

SENSVS est, posito (vt fides docet) vniuersum fuisse in tempore creatum. Quæritur. An possit ex principiis Aristotelis demonstrari.

CONCLVSIO I.

NEQVAQVAM est demonstrabile de facto creatū fuisse vniuersum in tempore, nec ab æterno. Ratio est: quia demonstratio est ex necessarijs. Et Deum creasse vniuersum non est necessarium, quia libere creat, & contingenter operatur ad extra.

CONCLVSIO II.

SI creare sumatur, quatenus idem est, quod producere aliquid ex nihilo secundum durationem: vt tenemus de fide, quòd post infinitum, imaginarium tempus transactū, creauit Deus vniuersum in tempore, non est demonstrabile potuisse à Deo creari. Ratio est: quia communis animi conceptio fuit ex nihilo nihil fieri, scilicet, in tēpore. Propterea q. Philosophi rerū naturas contemplantes experti fuere, quòd ex nihilo nihil vnquam generatur, siue producitur in particulari: quia causæ particulares solùm habent, vt inducant formam substantialem, siue accidentalem in materiam. Et hoc modo ex nihilo nihil fit. At si considerassent productionem causæ vniuersalis, cuius effectus est esse in vniuersali, non ita dixissent.

CONCLVSIO III.

SI creatio accipiatur secundum rationem creationis, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd dicat ordinem ; sed quòd dicat productionem nullo præsuppositio subiecto : vt solum dicat negationem alicuius subiecti præsuppositi , demonstrabile est ex principiis Aristotelis, Deum creasse. Et ad probationem præmitto, quod ratione naturali constat solum Deum esse incausatum : quia constat naturaliter solum esse primam causam, & per consequens habere esse à seipso. Alioquin non esset prima causa, quod Aristoteles demonstrat. 8. Physicorum text. 15. & 2. Methaphysic. text. 4. vbi dicit : æternorum causas esse necessarias. Et nomine æternorum intelligit cœlum, & elementa. Vnde errauit Gabriel dicens , quæst. 2. huius distinct. 1. non esse demonstrabile Deum esse primam causam. Cum D. Paul. ad Roman. cap. 1. scribat. Inuisibilia Dei a creatura mundi per ea , quæ facta sunt , intellecta conspiciuntur. Et subdit Philosophos antiquos esse inexcusabiles: quia cum cognouissent Deum , non sicut Deum glorificauerunt. His præmissis, probatur conclusio : Intelligentia, scilicet, Angelus est causatus, siue productus. Per contor , vel per generationem , vel per creationem ? Non per generationem ab alio Angelo : sicut vnus homo ab alio homine : quoniam generatio in creaturis est per mutationem materiæ, & Angelus est immaterialis. Fuit igitur causatus per creationem : quia non est dare medium. Rursus si per creationem : Quæro ? vel fuit creatus ab alio Angelo , & hoc non est dicendum : quia nulla creatura, vt infra hac eadem quæst. docebitur , potest creare. Quare sequitur esse creatum à Deo & ex consequenti ratione naturali possumus ostendere creationem. Et confirmatur ex 2. de anima vbi Aristot. inquit , intellectum nostrum esse ingenerabilem , & incorruptibilem , & de foris venire. Ac si dixisset, non esse præsuppositia aliqua causa secunda , sed tantum a Deo. Ergo per creationem.

Aristot.

Gabriel cautè legēdus. Ad Rom. cap. 1.

Aristot.

DVBIVM PRIMVM.

Videtur esse contra fidem conclusio hæc vltima.

Respon

REspondeo. Quamuis omnes articuli fidei non possint monstrari ratione naturali : vt mysterium sanctissimæ Trinitatis, Resurrectionis, Eucharistiæ, &c. Aliqui tamen possunt probari ratione naturali, saltem topicè, vt vnitas Dei, & principium mundi. Neque in hoc est contra fidem : quia Deum esse vnum , est articulus fidei, & à Philosophis est demonstrabilis.

Noster Alexand. vbi suprà dicit , tribus modis posse haberi creationis notitiam ; primo per inspirationem fidei , quæ illam ponit : secundo per inspectionem diuinarū Scripturarum, quæ est ex lege, Prophetis, & Euangelio. Et tertio per operum reuelationem. Nam hæc reuelatio indicat in Deo esse omnipotentiam, & omnipotentia ponit creationem de nihilo : quoniā si nō posset producere nisi ex aliquo, esset alligata materiæ, & non omnipotentia.

His difficultatibus confutatur hæresis Seleuci, Hermiæ, & aliorum dicentium , materiam elementorum , ex qua factus est mundus , non esse factam à Deo, sed esse Deo coæternam. Qui etiam absolutè dixerunt fuisse mundum ab æterno. Lege Castrum verbo Mundus hæresi. 1.

Hæresis.

Alex. q. 6. m. 2. art. q. 5. m. 3. & q. 9. m. 9. D. Bon. art. 2. q. 2. S. Th. q. 45. art. 5. Genes. 17. Eccles. D. Tho. 45. art. 6. Ricar. art. 4. q. 3. & Scot. quæst. 1.

Quinta diffic. An creare sit proprium Dei?

CONCLVSIO.

SOlius Dei proprium est creare. Ratio est ; quia omnipotentia, quæ, vt modò cum Alex. diximus, producit ex nihilo, & non est alligata materiæ, & est necessaria ad creationem in solo Deo reperitur. vt Gen. 17. Dixit Dominus : Ego Deus omnipotens. Ecclesiast. cap. 1. Vnus est altissimus creator omnium omnipotens, &c. Et scriptura sacra multis in locis, & Ecclesia Catholica hoc in multis collectis, & in symbolo Athanasij docent.

Sexta diffic. An creare sit cōmune toti Trinitati?

TItulus intelligitur ita ; vt vna persona sine alia creare haud possit.

Primum fundamentum. Essentia diuina per productiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctiones ad intra est tribus diuinis personis cõmunis.hoc fundamentum,ex floribus in. 1.lib.Sentent.postulatur.

Secundum fundamentum. Principium productiuum cuiuscunque actionis est illud, in quo agens principale assimilat sibi effectum.Confirmatur exẽplo: vt in igne. v. g.principium producens alium ignem est forma essentialis : quia in ea assimilat sibi ignem genitum.

Append. Hinc essentia diuina est principium quo, cuius ratione conuenit tribus diuinis personis creaturarũ productio : quia Deus per creationem assimilat creaturam suæ diuinæ essentiæ.Nam creare est dare esse simpliciter,id est,totale, & entitatiuum quò ad materiam, & formam, in quo assimilatur creatura diuinæ essentiæ. S. Thom. est hoc fundamentum, vbi sup. Verũ aduerte Deum non assimilare sibi creaturam secundum vnitatem specificam (quod est proprium agentis vniuocè)sed cùm sit agens æquiuocum,agit sibi simile secundum proportionem analogicam, & ita esse creaturarum dicitur simile esse ipsius Dei.

Tertium fundamentum. Quamuis principia creationis, nempe,Potentia,Intellectus,& voluntas, scilicet, Potentia, Sapientia,& Amor, (quæ sunt idem) sint tribus diuinis personis cõmunia: nihilominus ex vi productionis potius vni personæ,quàm alij appropriatur.Vt potentia, videlicet,causa Patri appropriatur, eò quòd est principiũ aliarũ personarum improductum. Et Sapientia Filio tribuitur, eò quòd producitur per intellectum, cuius operatio est Sapientia. Et tandem Amor Spiritui sancto attribuitur: propter ea quòd, producitur per Voluntatem,cuius actus est amor.

CONCLVSIO I.

IMPOSSIBILE est vnam personã creare aliquid ad extrà sine alia. Ratio est : quia essentia diuina (quæ est vna,& eadem in tribus, vt cõstat ex primo fundamento) est principium quo productiuum creaturæ. Atq; ita impossibile est vnam personam sine alia creare. Et confirmatur à simili in creaturis. Nam quemadmodum, si eadem forma ignis esset in tribus suppositis, impossibile esset vnum agere sine alio:ita à simili in proposito.

CON-

CONCLVSIO II.

CREATIO Est communis tribus diuinis personis, non solùm ratione essentiæ, quæ est in tribus, & est,(sicut prędiximus)vnicum principium creationis:verum etiam ratione proprietatum. Et ratio est : quia Deus summus omnium artifex creat per potentiam, quæ appropriatur Patri & per sapientiam,quæ Filio attribuitur:& per amorem, qui Spiritui sancto adscribitur: vt ex vltimo fundamento,constat.Quare omnibus tribus personis,& non vni tãtùm,conuenit creatio. Et confirmatur: Nam in symbolo Apostolorum, Pater ratione omnipotentiæ creator omnium rerum vocatur. Et Ioan. cap.1.dicitur de Filio:Omnia per ipsum facta sunt:ratione sapientiæ,per quam artifex operatur. Et de Spiritu sancto legitur Ioan.cap. 6.Spiritus est, qui viuificat. &.2.Cor.3.Spiritus autem viuificat.Et idem habetur Eccles. cap.1.Hæc conclusio,& prima sunt de fide : & determinatæ fuerunt in Concil.Tolet. 6.& habetur extra de summa Trinit, & fide Catholic. scilicet, opera Trinitatis ad extra esse indiuisa.Est etiam hoc deffinitum in Concil.Lateranensi, & in synodo Romana.

Ioan. cap. 1.
Ioan. cap. 6.
2. Cor. cap. 3.
Eccles. c. 1.

Hinc opinio Henrici dicentis,rationem formalem,quare ad extra tota Trinitas operatur, esse processiones ad intra, scilicet, generationem,& spirationem,est falsa,imò & hæretica, & ita meritò ab Scoto vbi sup. impugnata. Nam dicit Henricus sapientiam disponentem esse filium, amotem effectuantem esse Spiritũ sanctum. Et affirmare filium Dei esse formalem rationem, per quam Pater operatur, non est res secura.Et ratio est,quia cùm Pater non sit formaliter per filium (dicente D. Aug. in lib.de Trinit. pater non est sapiens sapientia genita:sed ingenita:scilicet,essentia)ita neq; per filium operatur. Benè tamen per appropriationem possumus hæc dicere. vt in tertio fundamento, & vltima conclusione fuit declaratum.

Append.
Hericus cautè legendus.
D. August.

Septima diffi. An,si per impossibile esset vna tantùm persona,illa posset producere?

SOLVS Scotus vbi sup.mouet hanc difficultatem.

Scot. vbi. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

IN Tali casu posset producere effectus ad extra. Et ratio Scoti est, quia in tali persona sola esse ratio formalis agendi, notitia, scilicet essentialis, & amor essentialis: quam uis non essent notitia, & amor notionalis, siue personalis. Vbicunque enim est ratio formalis agendi, potest agens suos effectus producere.

Octaua diffic. An creatio sit motus, & Deus quando creat mutetur?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 9. m. 1. & q. 14. m. 1. CReatio nec est motus, nec mutatio; quamuis exprimatur verbis significantibus actionem, & passionem. Ratio est: quia motus, siue mutatio est successiua, & *S. Bon. ar. 3. q. 1.* est transitus subiecti præexistentis à termino à quo, ad ter- *Scot. q. 1. hac 1. dist.* minum ad quem. Et si est mutatio accidentalis, præsuppo- *S. Tho. q. 46. art. 3.* nit subiectum completum, nempe, compositum ex materia Physica, siue Metaphysica, & forma; vt quando Angelus ex vna cognitione in aliam mutatur, vel homo ex nigro, fit albus. Si verò sit mutatio substantialis, præsupponit materiã. Et cùm in creatione (vt ex supradictis constat) nullum præsupponatur subiectum, quod mutetur à termino à quo, in terminum ad quem; & non sit successiua, non erit planè motus, siue mutatio. Nihilominus tamen secundum nostrũ modum intelligendi est quodammodo mutatio. Quoniam nostro intelligendi modo antea erat nihil, modò est aliquid, quod creatur.

CONCLVSIO II.

DEVS, quando creat, nullo modo mutatur. Ratio est, quia in Deo nullum habet locum motus siue mutatio; *Num. 23.* cùm dicat scriptura sacra non est Deus, quasi homo, vt mentiatur; nec, vt filius, hominis, vt mutetur. Et dominus per *Malach. c. 3.* Malachiam affirmet. Ego enim Dominus, & non mutor. Deinde: quia, vt ex conclusione. 1. constat, creatio non est motus, siue mutatio. Deinde ex S. Bon. vbi suprà. Anima *D. Bon.* (vt docet Aristot.) mouet corpus, immobilis perseuerans; quantò magis Deus, dum creat, & mutat omnia, ipse stabilis

lis manens, dabit cuncta moueri? Tum, vt Magist. hac distinct. ait. Sicut ex calore solis aliqua fieri contingit; nulla tamen in ipso, vel eius calore, facta motione, vel mutatione, ita ex Dei voluntate noua habent esse, sine mutatione autoris, qui est vnum, & solum, & omnium principium. Et tandem: quia (vt Scotus vbi supra ostendit) Deus non potest velle aliquid de nouo: sed omnia voluit ab æterno; ea tamen facit ex tempore. Ab æterno enim voluit, quod Petrus hodie haberet gratiam, & cras non haberet: quia est reus mandatorum Dei. Alioquin, si Deus vellet aliquid ex tempore, mutaretur ex non volente in volentem. Vnderes sunt, quæ mutantur: ipse autem idem semper manet. Vt ego possim etiam velle aliquid pro die crastina, & aliquid pro alio tempore, sine aliqua mei mutatione. Hæc est communis omnium sententia, qua multa argumenta dissoluentur.

Nona diffic. Vtrùm creatio sit ipse Deus, siue diuina essentia? *Alex. Alen. q. 6. m. 2. artic. 3.*

CONCLVSIO.

CReatio est ipsemet Deus, & diuina essentia. Ratio *S. Tho. q. 41. ar. 3 ad 1.* est; nam cum omnimoda simplicitas sit in Deo, sui *D. Bon. art. 3. q. 2.* actio est sui potentia, & sua essentia. Hæc enim omnia secundum substantiam dicuntur. Atque ita creatio, quæ est actio diuina, erit ipsa diuina essentia. *Append.*

Hinc creatio actio in Deo fundamentaliter solùm dicit diuinam volitionem, & intellectionem, & secundum Durandum potentiam executiuam; at verò formaliter, & secundum rationem, dicit rationem relationis in Deo; quod non est inconueniens.

Decima diffic. Vtrùm creari sit aliud, quàm esse creaturæ, vel idem? *Alexã. q. 2. m. 2. S. Tho. q. 45. art. 3. ad 2. D. Bo. vbi 3.*

CONCLVSIO.

CReari non est aliud, sed idem, quod esse creati. Et ratio est; quia, sicut creatio actiuè sumpta est idem quod essentia diuina, vt constat ex proximè dictis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctis: ità creatio passiuè sumpta est idem, quod esse creati, siue creaturæ. Nam, vt se habent ad inuicem esse causæ, & esse causati: sic se habent creatio actiuè dicta, & passiuè, & permutatim. Sicut se habet creatio actiuè dicta ad esse causæ: ita creatio passiuè dicta ad esse causati, siue creaturæ.

Append. Hinc creari non est aliquid creatum, nec medium inter creatorem, & creaturam. Nam omne quod est, aut est creator, aut creatura. Quare nullum est inter hæc duo medium.

Hæresis. Oppositum fuit hæresis condemnata in concil. Senonens. eorum, qui dixerunt ideas esse medium inter creatorem, & creaturam.

DVBIVM. II.

Alex. q. 9. memb. 2. S. Tho. art. 3. modo citato, & alij vbi s.

CReatio ponit ne aliquid in creatura? Respondeo. Ponit relationem realem dependentiæ. Et nota actionē de prædicamento actionis duo significare, & ponere in re, nempe, motum, & relationem: vt, exempli gratia, calefactio in re ponit in manu mea motum, idest, calorem in fieri & relationem realem. Ex hoc enim quòd calefio, est relatio ad ignem, à qua dicitur ignis agens, & passum dicitur pati. Atq; ita cùm creatio (vt dictum est supra) non sit motus, neq; mutatio. Ideo nihil aliud secundum rem ponit in creatura, nisi relationem. Notanter dicitur secundum rem; quia secundum modum significandi aliud ponit. Et ita intelligit Caiet. vbi suprà. art. 2. ad 2. D. Thom. dicentem, quòd creatio non est mutatio, nisi per nostrum modum intelligendi tãtùm; hoc est, quatenus concipimus relationes, & habitudines inter creatorem, & creaturam.

Vndecima difficultas. An Deus possit communicare creaturæ virtutem creandi?

SVprà diximus, solus Dei proprium esse creare; modò quæritur. An possit Deus communicare creaturæ hanc creandi virtutem? Circa hanc difficultatem lege. art. 2. q. 3. de causalitate gratiæ, in tract. de sacramentis in genere, in Floribus quarti libri.

Ad huius difficultatis maiorem intelligentiam nota primùm, hic non quæri causam, ob quam non possit creatura creare

creare naturaliter. Nam Philosophis illud principium est notum ex terminis, scilicet, ex nihilo nihil fit. Sed quæritur: An super naturaliter possit Deus hoc alicui creaturæ concedere? Nota secundò infinitam Dei virtutem differre ab eius omnipotentia. Nam infinita Dei virtus est, quæ concurrit cum causis secundis ad omnes earum effectus, quàm Philosophi Deo tribuerunt. At verò infinita potentia est, non solum producere omnia, & infinita producibilia: verùm etiam posse producere ea omni modo possibili, scilicet, non concurrentibus causis secundis, vel sine ipsis. Hanc Philosophi negauerunt Deo, dicentes, non posse Deum aliquid efficere se solo. Et per consequens negabant creationem, quæ nullam præsupponit causam efficientem, aut materialem. Hæc doctrina est communis. Lege præsertim Scot. in. 1. distinct. 42. quæst. 1.

Nota tertiò, non requiri minorem potentiam ad creationem formicæ, quàm ad creandum vniuersum. Nam creatio formicæ exigit totam Dei omnipotentiam; quia fit ex nihilo. Clarius tamen refulget Dei omnipotentia per creationem vniuersi, quàm per solius formicæ creationem. Hoc not. est Scot. vbi suprà, ad 2. Illustrat illud exemplo; vt, si ab eodem principio descendant multæ conclusiones ordinatè factæ, veritas principij est causa veritatis cuiuslibet conclusionis: & tamen vna illarum est altera verior, & eminentius manifestat principij veritatem. Hæc Scot. cuius sententiam explico hoc exemplo; vt, v. g. ab isto principio morali. Quod tibi non vis, alteri ne feceris, sequitur primò nollẽ, vt quis mihi irrogaret iniuriam. Ergo, Non debeo alteri irrogare. Ex hac. 1, sequitur secunda, Non debeo irrogare alteri iniuriam, ergo neq; furari alienum. Tertiò, Non est furandum, ergo, neq; detinendum alienum inuito domino, &c. en tibi plures conclusiones ab eodem principio descendentes, quarum veritas emanat à veritate illius principij, Quod tibi non vis, &c. Prima tamen conclusio clarius manifestat principij veritatem. Ita in casu posito de creatione formicæ, & vniuersi.

Nota quartò, quòd manifestius declaratur Dei omnipotentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

potentia in creatione vnius formicæ, quàm in quocunque alio opere: etiam quàm in conuersione panis in Corpus Christi: Hoc notabile D. Ambrosij est, & habetur in can. panis, & in can.re vera de consecr.distinct.2.Vbi ita ait. Verba Christi, quæ fecerunt ex nihilo,quod non erat,multò magis facere possunt; vt sit, quod erat, in aliud transmutatum. Probat à maiori ad minus;quasi diceret. Potuit creare. v. g. formicam,quod est maius:Ergo poterit,quod est minus, scilicet, conuertere panem in Corpus Christi. ¶ His positis, sit

CONCLVSIO I.

IMPOSSIBILE Est Deum communicare alicui creaturæ suam omnipotentiam.Probatur: Quia est attributum diuinum de essentia, & quidditate ipsius Dei, quod quidem repugnat creaturæ. Nam sicut risibilitas est impossibilis bruto: propterea quòd est proprium homini, vni, & soli, & semper conueniens: ita à simili theologandum est de omnipotentia Dei.Et ita in Floribus. 1. lib. Senten. distinct. 2. probatur impossibile esse, vt sint duo omnipotentes: quoniam tunc essent duo dij.

CONCLVSIO II.

IMPOSSIBILE Est aliquam creaturam posse creare, tanquam agens principale. Ratio est; quia omnipotentia, quæ requiritur ad creationem, (vt dictum est in.2. & 3.notabili) nullo modo creaturæ, tanquam agenti principali, communicari potest: Vt patet in prima conclusione. Lege de sacramentis in genere. quæst. de causalitate gratiæ, artic.2. in Floribus. 4. lib.

Hæreses. Hinc confutatur hæresis Simonis Magi (de quo in Actibus Apostolorum fit mentio) quem sequuti fuerunt Menander eius discipulus,& Saturninus, & alij, qui dixerunt, mundum fuisse creatum à 7. angelis præter conscientiam patris, idest, Deo patre ignorante.

Destructa etiam manet hæresis eorum, qui Gnostici appellati fuerunt: quibus adhæsit Manichæus, & alij asserentes creaturas fuisse à malo Deo: qui etiam duos Deos posuerunt: vnum bonum, qui nihil humanarum rerum creauerit: alium malum, à quo omnes creaturæ emanarunt.

In quos

In quos inuehitur Castro contra hæreses, verbo Creatura, hæresi prima,& verbo Mundus hær.3. &. 4. & verbo Deus hæres.1.verb.Angelus. Contra hos etiam. Lege S. Thom.q. 49.1.par.art.3.S.Bon.hac.d.art.2.q.1.Alex.Alens.q.1. *Alex. Alen. q.1.S.Th. q. 49.art.3.S. Bon.d.1. art. 2.q.1.*

Duodecima difficultas. An creatura possit annihilare?

Alex. Alen. q. 13.m. 3.

CONCLVSIO.

NVllum agens naturale, siue nulla creatura, potest annihilare. Probatur à definitione annihilationis, quæ quidem est destructio totius: ita,vt in eius locum nihil succedat: quod nullo modo contingit in destructione facta ab agente naturali. Et confirmatur exemplo ignis, qui est maximæ actiuitatis. Nã cùm destruit formã, v.g.tabulæ: succedi ibi alia forma, nempe ignis geniti; & permanet subiectũ formæ corruptæ,est prima materia.

Decimatertia difficultas: An potuisset Deus creare mundum ab æterno?

Alex.q. 14. Doct.hac. d. 1.intra citati.

Variæ sunt de hac re Doctorum sententiæ.

S.Thom. SAnctus Thom. quæst. 46. artic. 2. tenet potuisse esse ab æterno mundum, vel saltim aliquam creaturam, vt Angelus; non autem homo. Ita etiam tenet S. Bon. quæst. 2,art. 1. Præsupposita tamen æternitate materiæ.Gabriel autem quæst.3.& Gregor.Arim.& Gregor.Ochã, quòd potuerit Deus producere mundum ab æterno docent. Richard.toto artic.3.oppositum tuetur. Scotus manet neuter, solum argumenta in vtramque partem multiplicat. Durandus verò quæst. 2. & 3. dicit res permanentes; vt vnus homo.&c.potuisse ab æterno creari:non autem res successiuas,vt motus,& hominum generationes.

D. Bon. Gabriel.Gregor. Arim. Ocham. Ricard. Scot. Durand.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

POTVIT Deus ab æterno creare omnia incorruptibilia; vt angelum, & cœlum, atque etiam corruptibilia, non relinquendo ea suæ naturæ; sed illa supernaturaliter cõseruando. Ratio est; quia Deus est causa libera, non dependens in agendo à tempore, neque ab aliqua causa extrinseca, vt possit ab ea impediri. Quare, si voluisset, potuisset creare mundum, antequàm creauit, & ex consequenti abæterno.

Deinde; quia si non potuisset per infinitum tempus, fuisset impotens ad creandum, quod est erroneum; ab æterno namque fuit omnipotens, siquidem omnipotentia est de eius quidditate.

Et nota, quòd non fuisset tunc productum in instanti temporis cœlum; sed in instanti æternitatis; neq; fuisset æquale Deo in æternitate; quia fuisset æternum æternitate participata. Deus autem est æternus per essentiam, & filius Dei est æqualis patri; quia per essentiam est æternus, sicut patet.

CONCLVSIO II.

NON Potuit Deus creare entia corruptibilia abæterno relinquendo ea suæ naturæ, scilicet; vt possent ab extrinseco, vel intrinseco corrumpi. Et ratio est, quia, si creasset hominem, & reliquisset suæ naturæ Percontor, quando fuit corruptus? vel post tempus finitum à sua creatione, scilicet, post centum annos? & hoc non, quia tunc creatio non esset ab æterno, siquidem solùm durauit post centum annos à creatione. Aut fuit corruptus post infinitũ tempus à creatione? & hoc est impossibile, propterea quòd nullum indiuiduum corruptibile relictum suæ naturæ potest per tempus infinitum durare, quin corrumpatur.

Append. 2. Ex hac conclusione sequitur, quòd, Si Deus creasset mundum ab æterno per infinitum tempus, nulla esset generatio. Et ratio est; quoniam vnius generatio præsupponit alterius corruptionem, quæ non posset fieri nisi per tempus infinitum, & post illud tempus infinitum conseruasset Deus indiuidua super naturaliter.

DV-

DVBIVM III.

Quo anni tempore fuit mundus creatus?

DVæ sunt de hac re opiniones. Nã Rabbi, Eliazer, & eius sequaces Septembri initia mundi attribuerunt. Quam sententiam probabiliorem existimat noster Nicolaus Lyranus. At verò Rabbi Iosuæ cũ sua schola, quos sequitur Strabo mundi principium Martio adscribunt. *Rabbi, Eliazer, Nicol. Lyra. in c. 7. & 12. Exod. Rabbi Iosuæ, Strabo.*

Propositio.

MEnsis Martius fuit, in quo effulsit prima genitalis mundi hora. Et ratio est; quia tunc pubentes herbæ sucrescunt, & arbusta siluescunt. Tum quia arbores cum suaui florum fragantia, illis locis maturos fructus proferunt. Quæ sententia videtur sacris literis consentanea, si Martius principium mensium consideretur. Huic sententiæ subscripsit Athanasius quæst. 17. dicens. Cur vicesimo quinto die mensis Martij in vtero virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus noster, veniens in terram? Et respondet: quia eodem [illegible] Deus creauit Adam. Hinc est quòd in hoc ipso mense omnes arbores, & herbæ, & animalia ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouentur, tãquam à Deo hoc tempore creatæ sint. Hæc ibi. *Exod. 12. Athana.*

Decimaquarta difficultas. An Deus immediatè concurrat cum causis secundis ad agendum?

GAbriel tenuit, Deum producere effectum, præsente causa secunda, v. g. ignem non comburere: sed Deũ in igne: quæ opinio videtur contra fidem. Lege S. Thom. loco citato, & quæst. modo citata in floribus, 4. lib. art. 1. difficultate vnica. *S. Tho. 1. p. q. 105. art. 5. Durand. hac d. 1. q. 5. & Gab. q. 1. Gabriel cauté legendus.*

Durandus (cuius causa mota est præsens difficultas) docuit, Deum non concurrere immediatè, sed solùm dando virtutem secundis causis, qua virtute media, causas secundas dicit operari. *Durandus cauendus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

HAEC Opinio Durandi est temeraria, & videtur contra fidem. Probatur primò, quia est contra communem omnium doctorum sententiam. Secundo est contra scripturam sacram. Io. 1. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quasi dicat: quicquid fit, quando fit, à Deo fit. Et attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Et non attingeret a fine in finem, si immediatè non operaretur. Et Io. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Et Iob, cap. 10. Pelle, & carnibus vestisti me, &c. Ipse enim dat nobis vitam, & inspirationem, & omnia, neque longe est à nobis. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Et si Deus immediatè cum causis secundis non operaretur, non concurret cum dictis causis concursu generali, nec speciali, nec diceretur propriè causa. Ideo enim auus non dicitur propriè causa nepotis, quia non immediatè, sed mediante filio, agit. Et etiam aliquid esset, & non esset à Deo. Quia actio causæ secundæ esset solùm ab ipsa: quamobrem tenēdum est, Deum immediatè cum causis secundis operari.

Ioan. cap. 1.
Sap. 8.
Ioan. 5.
Iob. cap. 10.
Act. 17.

Decimaquinta diffi. An creari, sit proprium cōpositorū, & subsistētiū, an cōueniat etiam accidētibus?

Gabriel. Vega. Mag.

DVæ sunt extremæ opiniones. Prima est Magist. in 4. dist. 1. & Gabrielis quos sequitur Vega lib. 7. super cōcil. Trid. cap. 13. qui tenent creationem esse, non solùm subsistentium: verùm etiam accidentium. Nam gratia (inquiunt isti) creatur.

Alex. Alen. S. Thom. Scot.

Secūda opinio contraria, est Alex. Alen. q. 9. m. 6. & q. 10. m. 1. & S. Tho. q. 45. citata, art. 4. his solas substantias creari asserūt. Scot. de hac difficultate non differit, videtur tamen huic secundæ opinioni adhærere: nam dicit sacramenta causare gratiam, & negat Deum posse concedere creaturæ virtutem creandi. Quare gratia, quæ est accidens, de sententia illius, non creatur. Aliter enim si gratiæ crearetur: sacramēta, quæ sunt causa gratiæ, crearent illam.

CON-

CONCLVSIO I.

CREATIO passiuè propriè dicta solùm est rei subsistētis: Ratio est; quia creare, vt ex superioribus constat, est dare esse simpliciter. Esse autē simpliciter solùm verificatur de subsistentibus: vt de toto composito ex materia, & forma: aut de anima rationali separata.

CONCLVSIO II.

CREATIO eo modo, quo in prima conclusione sumpta est, non conuenit partibus, neq; formis substātialibus præter animam rationalem, neque accidētibus. Ratio est; quia, quod creatur, non educitur de potentia materiæ, & omnes formæ tam substantiales, quàm accidentales educuntur de potentia materiæ. Deinde creare terminatur adesse simpliciter & formæ dictæ non habent esse simpliciter; sed secūdū quid. Et confirmatur ex Arist. qui vocat accidentia entis entia, & accidentium esse: dicit esse ineſse. Quare eorum entitas non est simpliciter entitas; sed secundum quid. Et idem dicendum est de partibus. Quia partes pendent à toto, & sunt in illo, & hæ non existunt: sed coexistunt. Atque ita non creantur, sed concreantur.

Aristot.

Hinc, si Deus produceret in materia nudam formā ignis, aut si se ipso sine causa secūda aerem in ignē conuerteret, non crearet tunc ignem, quia educeretur, de potentia materiæ.

Appen. 1.

Hinc anima rationalis dicitur creari: quia non educitur de potentia materiæ; vt in principio huius q. diximus.

Appen. 2.

Hinc gratia iustificans non creatur à Deo: sed illam de potentia animæ producit. Quia gratia naturaliter præsupponit animam infieri, & conseruari, cùm sit accidens. Est enim anima rationalis naturale susceptiuum gratiæ, sicut & materia prima est naturale susceptiuum substantialis formæ.

Appen. 3.

DVBIVM III.

An materiæ conuenit Creatio?

REspōdeo cū Alex. nro, aliqd fieri de nihilo dupliciter dici. Primo modo, qd nō est ex materia, & hoc modo materia, & forma dicitur fieri ex nihilo, & etiā quæ tenent ratione

Alex. vbi supra mem. 4. & q. 10. m.

Universidad de Deusto
Biblioteca

huiusmodi principiorum. Secundo modo dicitur fieri de nihilo, quod procedit in esse, cùm prius non esset: quo quidem modo dicuntur fieri de nihilo non tantùm materia, & forma creata: sed quæ primò erant ex illis. Et confirmat hoc Alex. auctoritate. D. Augustin. contra Manichæum. Rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse. Ipsa materia de omnino nihilo facta est, etiam si formata omnia de ista materia sint facta. Non enim prius extitit materia, (secundum Augustin.) & posteà ex materia factæ sunt res.

D. Augustin.

Alex. Alen. q. 4. S. Tho. q 44. art. 4. d. Bon. in 2. p.d. 1. art. 2. q. 1 Dura. d. 1. q. 6. infrà q. 1. dist. 12. Apocal. c. 1. & vltimo. Prouerb. 16.

Decimasexta difficultas. An Deus sit omnium finis, propter finemq; agat?

HANC Difficultatem tractat Magister hac prima distinct. & doct. citati.

CONCLVSIO I.

DEVS Est causa finalis omnium. Hæc conclusio est de fide, & habetur Apocal. c. 1. & vltimo. Ego sum Alpha, & ω: Primus, & nouissimus: Principium, & finis. & Prouerb. 16. vniuersa propter semetipsum operatus est dominus. Et illustratur ratione ex philosophis. Quia primus efficiens, & vltimus finis coincidunt: Et quia finis est prima causarum, & Deus prima causa est.

CONCLVSIO II.

BONITAS Diuina est finis cuiuscunque agentis, tam primi, quàm aliorum. Et ratio est; quia Deus agit: vt communicet suam bonitatem, causæ autem secundæ agunt, vt recipiant perfectionem à Deo. Quare euidenter sequitur bonitatem diuinam esse finem cuiuscunque agentis. Deinde cum S. Thom. contra gent. cap. 17. Quia finis, & bonum sunt idem, & cùm Deus sit bonum omnium rerum, erit proculdubio Dei bonitas omnium finis.

S. Thom.

Hinc, Angelus, & homo facti sunt à Deo propter eius bonitatem: vt D. Augustin. in lib. de doctrina Christiana docet dicens. Quia bonus est Deus, sumus: & in quantùm sumus, boni sumus.

Append. 1. Augustin.

Hinc

Hinc rationalis creatura ad laudandum Deum, & ad seruiendum ei, ad fruendum eo, facta est; in quibus proficit ipsa, non Deus. Nam Deus, qui summa bonitate plenus est, nec augeri, nec minui potest. Non enim bonorum nostrorum indiget.

Append. 2. Psalm. 15. Alex. Alen. q. 17. m. 3.

Legant concionatores, & confessarij Magistrum hoc loco ad inflammãda corda hominum; vt Deo diligentissimè, & fidelissimè seruiant. Qui, cùm sit infinita bonitas, & misericordia, ad hoc hominem fecit; vt ei seruiens, quod est regnare, sua perenni bonitate, & gloria frueretur. Et voluit insuper, vt mundus homini seruiret, vt inde similiter homo ad melius seruiendum, inflammaretur.

Decimaseptima difficultas. Deus est ne finis sui ipsius?

NOTA, Quæ in creaturis ponuntur, si in Deum trãsferantur, transferenda sunt, semotis omnibus imperfectionibus.

CONCLVSIO.

FATENDVM est, Deum agere propter seipsum, tãquàm propter finem, non efficiendũ, nec tanquàm de nouo sibi acquirendum, sed propter semetipsum alijs & communicandum, & manifestandum. Probatur ex. S. Thom. vbi suprà. Quia idem est finis agentis, & patientis. Nam quod agens intendit imprimere, hoc patiens intendit recipere. Et cùm omnes creaturæ intendant assimilari Deo, & participes esse diuinarum perfectionum illius; Deus planè intendet quoque illis suam perfectionem tribuere. Et creaturarum perfectionẽ in hoc consistere paret; quia vnaquæq; creatura suo modo est imago Dei. Et perfectio imaginis in assimilatione eius, cuius est imago, consistit. Et hac de causa omnes creaturæ (quo ad fieri potest) Deo assimilari intendunt. Lege D. Aug. in inchiridion, & lib. 1. de doctrina Christiana. c. 23. & B. Hieron. super verba citata Prouerb. 16. vniuersa propter seipsum operatus est Dominus.

D. Augustin. B. Hieron. Prouerb. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimaoctaua difficultas. Vtrum Angelus, & anima rationalis specie distinguantur?

Alex. Alen. q.20. S. Tho. q.75. ar.7. S. Bona. vbi suprà, art. 3. q. 1. & Scot. & Gabriel hac. d. q.6.

DE Hac difficultate disserit Magister hac dist. & circa illam Origenes posuit omnes animas humanas, & Angelos esse vnius speciei. Opinio communis tenet differre specie. Quæ autem sit differentia, qua specie distinguntur, non satis constat. Varij variè opinati sunt, Vt Alexand. & S. Bonau. scribunt.

CONCLVSIO.

ANGELVS, & anima rationalis specie differunt. Probatur: quia anima vnitur corpori, & Angelus nequaquã. Tum etiam: quia habet anima operationem in corpore, cũ ad phantasmata conuertatur, ad quæ non conuertitur Angelus. His rationibus, & alijs, quæ à præfatis doctoribus adducuntur, probatur conclusio à posteriori. Nam à priori non potuit distinctio specifica ab aliquo demonstrari.

DVBIVM IIII.

An operatio beatifica Angeli, & animæ sint eiusdẽ specieí?

Scot. vbi suprà.

RESpondeo cum Scoto vbi supra, absolutè loquẽdo sunt eiusdem speciei ratione obiecti, à quo operationes sumũt speciem; at verò si considerentur ex parte fundamentorum, in quibus sunt, nempè, intellectus Angeli & animæ, sunt diuersæ speciei: sicut Angelus, & anima diuersæ speciei esse dicuntur.

ELO-

FLORES TRACTATVS de Angelis.

CVM Deus de nihilo condiderit creaturam spiritualem, nempè, angelicam, & corporalem, scilicet, mundanam, ac deinde humanam, quasi cõmunem ex spiritu, & corpore constitutam, vt definitum est in cap. firmiter, de summ. Trinit. & fide cathol. De istarum creatione, & natura, &c. disputaturus Magister. Primùm de purè spirituali creatura, nẽpè, Angelis, disserit à secunda dist. vsq; ad. 13. quia perfectior, & immaterialior est. Secundò agit de creatura purè corporali à. 12. d. vsq;. 16. inclusiuè. & à 16. d. vsq; ad finem huius secũdi libri tractat De creatione naturæ hominis, quæ media est partim, scilicet corporea, partim spiritualis, & de innocẽtiæ statu, & de eius lapsu, de libero arbitrio, &c.

Magist. Sentent. Distinct. II.

CIRCA hãc distinct. legendi sunt scholastici doct. ibidem. & Alex. & S. Thom. locis infrà citatis. *Alex. Alen. q.19. m.1. d. Bon. art. 2. q. 3. p. 1. huius dist S. Th. q. 61. art. 1. 2. & 3. Gregor. Naz. Damas. Orig. Basil. Isido. Hiero. D Augustí. Hugo. Strab.*

QVAESTIO I.

Angeli fuerint creati ante omnia alia?

HAnc. q. ponit Magister in principio huius secundæ dist. Sunt autem duæ opiniones circa illam. Prima Græcorum, vt Gregorij Nazianzeni, Damasceni lib. de fide. c. 3. Orig. Basilij. homil. 1. in Examerõ, Isidori lib. 1. de summo bono. c. 12. quibus adhæsit D. Hieron. in epistola ad Titum. Hi creatos fuisse ante omnia existimarunt. Secũda opinio tenet oppositũ, nõ fuisse creatos ante vniuersum istũ. Et hæc fuit. d. Aug. 12. confess. c. 12. & super Gen. & Hugonis de sancto Victore lib. 1. de sacra. p. 5. cap. 5. & Strabonis, & omnium scholasticorum doct, hac distinct.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Alex Alen. NATVRA Angelica simul creata est cum alijs,& inter opera sex dierum, tanquam primum opus. Probatur primum ex illo Gen. 1. In principio creauit Deus cœlũ, & terram. Igitur si Angeli fuissent creati anteà, non dixisset, In principio. Et psalm. 101. Initio tu Domine terram fundasti. Et eccl. 18. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Et est definita ab Innoc. 3. & refertur cap. firmiter extra de summa Trinit. & fide cathol. vbi ita legitur. Simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam, videlicet, & mundanã, &c.

Gen. 1. Psalm. 101. Eccl. 18.

Et nota fundamentum primæ opinionis non esse verum, nempè, quia de eorum creatione non fit mentio in Genesi, & nullam habere vim, doct. communiter declarant. Et de illorum creatione Matth. 25. patet. discedite a me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

Matth. 25.

DVBIVM I.

Hoc nomen Angelus quid significat?

S. Thom. in psal. 153. D. Aug. lib. 16. contra c. 20. Matth. 2. Isai. 9. Malach 2. Hæbr. c. 1.

REspondeo. Nomen hoc Angelus apud Græcos est nomen officij, & non dignitatis, nec naturæ: & idè valet, sicut nuntius. Et si quæras, inquit. D. August. nomen naturæ spiritus est; nomen verò officij Angelus. Hinc in sacris literis homines Angeli appellantur Matth. 2. de Ioann. Baptista. Ecce ego mitto Angelum meum. Et Isaiæ. 9. Christus magni consilij Angelus. Et sacerdos, & prælatus, qui in ecclesia docet, Angelus nuncupatur. Malachiæ. 2. quia Angelus Domini exercituum est: vnde quia à Deo mittuntur Angeli nominantur. Et ad Hæbre. c. 1. Nonne omnes, &c. in ministerium missi, &c. Hębraicè verò ab à quod est sine & geos terra, quasi sine terra dicũtur. Antiqui appellabant Angelos substantias separatas, & intelligentias, & motores cœlorum. Platonici istas substantias vocabant demones, id est, spiritus. Iam verò. D. Hiero. & Aug. & latini omnes per hoc nomen Angelus intendunt significare, non solùm officium; verùm etiam naturam. leg. D. Aug. lib. 8. de ciuita. Dei. c. 25. & 26. & totum ferè lib. 9.

D Hieron. B. Aug.

DV-

DVBIVM II.

Vbi fuerunt Angeli creati?

REspondeo cum Strabone super locum Gen. 1. In principio creauit Deus cœlũ, &c. in cœlo empyreo, à ipiẽdore sic dicto, quod statim fuit Angelis repletum. Et ratio est, quia locus nobilissimus, & contemplationi deputatus, quale est cœlum empyreũ, maximè decebat substantias nobilissimas, æternaliter Deum contemplantes. Vnde Matt. 18. dicitur Angeli eorum in cœlis semper vident, &c. De cuius situ, & dispositione lege D. Amb. in exameron.

Alex. Alen. m. 3. & 5. Tho. artic 4. vbi supra. B. Amb.

QVAESTIO II.

Qua mensura Angelorum existentia, & duratio mensuratur?

CVM Magister quæstione proxima dixerit Angelos creatos fuisse cum tempore, non tamen in tempore; quærunt doct. hoc loco. Quomodo existentia, & duratio Angelorum mensuretur? An per aliquam mensurã permanentem, & indiuisibilem? An per successiuam, & diuisibilem? Cæterùm cùm omnes ferè doctores æuum esse angelorum mensuram profiteantur, prima difficultas explicanda erit cum Scot. quæ sequitur.

Scot. q. 1.

Prima difficul. Est ne æuum mensura permanens, & indiuisibilis?

HAEC difficultas, propter opinionum varietatem, est difficilis explicatu: reddetur tamen tibi facilis, & perspicua: si sequentia fundamenta diligenter consideraueris.

Mensurare rem aliquam nihil aliud est, quam de quantitate illius rei, per quantitatem alterius rei, certificari. Patet exemplo: nam de quantitate panni certificamur per quantitatem vlnæ. Ex hoc fundamento colliguntur, veluti appendices, quæ sequuntur.

1. Fundam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Fundam. Hinc de ratione mensuræ est, quòd sit quantitas. Siquidem, vt ex primo fundamento constat, mensurari est per quantitatem vnius,&c.

3. Fundam. Hinc quoq; , cùm triplex sit quantitas vna virtutis, Altera perfectionis,& tertia molis, quæ vel est continua, habens omnes partes simul,vel discreta, (vt numerus,tẽpus, & oratio) quæ habet partes successiuas,vnam post aliam. Triplex etiam erit mensura. Vna perfectionis , vt quando mensuramus perfectionem rei minus perfectæ, per comparationem ad rem perfectissimam eiusdem generis. Dicit enim Arist. 10.metha.in vno quoq; genere esse aliquã speciem, quæ est metrum , & mensura cæterorum sub illo genere contentorũ. Ita,vt eò sit species perfectior, quò perfectiori speciei est similior, vt albedo est mensura omnium colorum, & quantò color splendidior , & clarior est, tantò perfectior iudicatur. Quo etiam modo in genere animalium homo cæterorũ animalium est mensura. Altera est mensura quantitatis continuæ, vt quando de quantitate vnius continui certificamur, per quantitatem alterius continui , vt de quantitate pãni per quantitatem vlnæ. Tertia mensura est quantitatis discretæ, siue durationis,& est, quando de duratione vnius rei per durationem alterius certificamtur,vt de duratione hominis per durationem primi mobilis. Dicimus enim hominem esse mille dierum, propterea quòd durauit per mille reuolutiones primi mobilis.

Aristot.10. Metha.

4. Fund. Præterea, hæc mensura durationis est triplex, videlicet, æternitas, æuum,& tempus. Aeternitate mensuramus essentiam omnino increabilem, & essentialiter, & accidentaliter, quæ neq; habet principium, neque finem, talis est diuina essentia. Aeuo mensuramus durationẽ essentiæ inuariabilis, quò ad substantiam, non tamen accidentaliter, talis est Angelus,qui est ab alio,& non à se,& habet principium, nõ habiturus finem. Dicimus enim Angelum durare per æuum. Mensurantur autem tempore cætera, quæ variantur,& corrumpuntur, vt hæc inferiora:atq; ita dicimus. Hæc res est tot annorum. His prænotatis, patet titulus difficultatis. Quæritur enim,an æuum, quo mensuratur duratio Angeli, sit

sit mensura indiuisibilis, sicut ipse Angelus? An successiua habens vnam partem post aliam? sicut motus primi mobilis,qui est tempus. T. tuli explicatio.

Præterea si mensura est quantitas; vt ex primo fundamento constat, erit necessariò diuisibilis. Et ratio est ; quia posse diuidi , vt ex prædicamento quantitatis constat, est propria affectio cuiuscunq; quantitatis, quæ si fuerit continua,habebit omnes partes simul, si autem discreta habebit omnes partes successiuas. Atque ita quantitas perfectionis est diuisibilis in gradus, & quantitas molis in partes permanentes, & quãtitas durationis in partes successiuas ; vt tẽpus. 5. Fund.

Nota etiam duplicem esse quantitatem successiuam. Vna enim est, quæ componitur ex partibus diuisibilibus, vt tempus,cuius quælibet pars est diuisibilis. Altera componitur ex indiuisibilibus,id est,ex instantibus. Huiusmodi de sententia D.Bonauent.est æuum. Componitur enim ex pluribus instantibus ; vt ex vno instanti creationis Angeli, & ex infinitis instantibus conseruationis eiusdem. Exempli gratia,creatur Angelus in instanti. a. deinde conseruatur in instanti. b. Et vnum instans non est aliud. Nam instans, in quo hodie conseruatur, non est instans, in quo heri conseruabatur. 6. Fund.

De ratione mensuræ est; vt sit notior mensurato. Patet ex primo fundamento , quia mensurari est , de quãtitate vnius, per quantitatem alterius certificari, & si mensura non esset notior,esset ignotum per ignotius declarare. 7. Fund.

Hinc inter mẽsurã, & mensuratũ est futura aliqua distinctio realis,vel formalis : alioquin non esset mẽsura. Quia nihil formaliter perse ipsum mẽsuratur. Aliter enim sine distinctione aliquid esset notius se ipso.Quod est impossibile. Appen.1.

Inter mensuram , & mensuratum debet esse proportio, id est, similitudo , non in substantia: sed in quantitate, in qua fit mensura. Vt exempli causa , mensuramus motum localẽ, aliquando per motum orationis vocalis : nam dicimus tantum Petrus demoratus est ; vel tanta est distantia à tali loco ad tale locum , quantum aliquis immoratur in soluendis horis matutinis. Atque ita mensuramus vnam durationem 8. Fund.

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per aliã, & nõ per subſtãtiam, hoc eſt per ſubiectum motus. Et menſuramus pannum per vlnam ligneam, non ꝙ ſimilia ſint in ſubſtantia, cùm vnum ſit ex lana, & alterum ex ligno: ſed quia ſunt ſimilia in quantitate continua.

9. Fund. Aeternitas, qua (vt ſupra diximus) menſuratur Dei eſſentia, non eſt ſucceſſiua. Ratio eſt; quia Deus eſt à ſeipſo, non habens diuerſa inſtantia, ſed vnum, in quo ſit, & cõſeruetur: & ideo in Deo non eſt prius, & poſterius. Non enim prius fuit creatus, & poſtea conſeruatus; vt eſt Angelus. Sed eſt totus ſimul. Vnde inſtans æternitatis eſt vnum, non habens ſucceſſionem, ſecundum ſe, benè tamen, pro vt coexiſtit tẽpori. Quod D. Paul. inſinuauit dicens. Chriſtus heri, & hodie, ipſe, & in ſęcula. Ecce quo modo ęternitas eſt, fuit, & erit.

Ad Hæbr. 13.

10. Fund. Vltimò notãda eſt ſignificatio iſtorum nominum Aeuũ, & æuiternum. Sunt enim dictiones Gręcæ: Aeuum ſignificat menſuram durationis alicuius entis naturaliter incorruptibilis, habentis ſubſtantiam vniformem, qualis eſt angelorum, cœlorum, & animarum ſeparatarum à ſubſtantia. Aeuiternum autem ſignificat ipſas ſubſtantias, nunquam ſeneſcentes. Hinc homines ſeruantes ſemper eundem faciei nitorem, æuiternos conſueuimus appellare: Quia incorruptibiles eſſe videntur.

Appen. 2.

S. Tho. q. 10. art. 5. Ricar. artic 1. q. 1. Durand. q. 3. in hac d. 2. Henric. quo-lib. 5. q. 3. Gabriel. q. 1. huius diſt. D. Bona. His poſitis, quatuor ſunt de hac difficultate opiniones. Prima opinio eſt. S. Thom. Ricardi, & Durandi, & eſt communior. Scotus autem eſt dubius. Tenet hæc opinio Aeuũ eſſe menſuram indiuiſibilem.

Secunda opinio eſt Henrici dicentis, æuum eſſe menſurã indiuiſibilem; de ratione tamen eius eſſe quod coexiſtat tẽpori vero, vel imaginario, per quod cognoſcimus durationẽ Angeli.

Tertia opinio eſt Gabrielis, qui aſſerit, menſuram Angeli eſſe tempus, & non æuum. Imò tenet inter tempus, & æuũ nullum eſſe diſcrimen.

Quarta opinio eſt. D. Bon. hac. d. art. 1. q. 3. aſſerẽtis, æuum eſſe quãtitatem ſucceſſiuam cõpoſitam ex indiuiſibilibus, quam opinatur Scot. probabilem, & in eam, vt ſcribit Lichetus, inclinatur, nos autem illam ſequimur.

CON-

CONCLVSIO I.

AEVVM eſt menſura ſucceſſiua, qua exiſtentiæ Angeli, & cuiuſcunque æuiterni duratio mẽſuratur. Durat enim Angelus per vnum æuum, ſcilicet, per certam quantitatem, quæ vocatur æuum. Probatur concluſio ex fundamentis præiactis: quia de ratione menſuræ eſt, quòd ſit quantitas: vt ex. 1. & 2. fundam. conſtat. Et æuum, (vt communis opinio prima teſtatur) eſt menſura durationis Angeli: quare erit quantitas.

DVBIVM.

Eſt ne æuum quantitas diuiſibilis?

CONCLVSIO II.

AEuum eſt diuiſibile in partes indiuiſibiles, ſcilicet, in infinita inſtantia. Probatur ex quinto fundamento: quia diuiſibilitas eſt propria paſſio cuiuſcunque quantitatis, & æuum eſt quantitas, vt patet ex modo dictis. Probatur ſecundò, propterea quòd exiſtentia æuiterni, non ſolùm creatur: verùm etiam conſeruatur in infinitis inſtantibus, quorum vnum non eſt aliud. Nam inſtans creationis eſt, in quo Angelus recepit eſſentiam: & inſtans conſeruationis, in quo non deſeritur à Deo, vt deſinat eſſe, ſunt alia, & alia inſtantia. Nam in inſtanti. b. conſeruatur, ſimiliter finito. b. poſſet deſinere eſſe, ſi rurſus non conſeruaretur in inſtanti. c. & ſic in infinitum. Quare conſeruatur per infinita inſtantia, quorum vnum non eſt aliud. In quæ quidem æuum, quod eſt menſura æuiterni, eſt diuiſibile. Relege fundamenta.

Secũda diffic. Eſt ne æuũ aliqua entitas diſtincta ab exiſtẽtia Angeli, vel idẽ realiter cũ exiſtẽtia?

QVoniam dictum eſt, æuum eſſe menſuram ſucceſſiuã Angeli, meritò quæritur: An ſit entitas diſtincta,

&c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

&c. Quemadmodum de tempore solet quæri: An distinguatur ab existentia primi mobilis, in quo est. Mouet autē hāc
Scot. q.2. vbi supra. dist. Scot.q. 2. Duæ sunt extremæ opiniones. Prima est quo-
Capreol. hac d.q. 2. rundam Thomistarum, ij tenent æuum esse in primo Angelo subiectiuè,& distingui realiter ab illo. Secunda opinio est Capreoli dicentis, æuum esse omninò idem cū existētia Angeli, in quo est,& neque realiter, neque formaliter ab illa distingui.

Ad explicationem huius difficultatis nota, æuum (vt diximus supra iuxta opinionem S. Bonau.) esse mensuram durationis Angeli: pro vt comprædendit vnum instans creationis, & infinita conseruationis. At verò (secūdum communem opinionem, quæ erat prima proximè difficultatis) æuū est ipsa substantia æuiterni connotando coexistentiam ad tempus verum, siue imaginarium quo mensuratur duratio
Durād. q. 5. æuiterni, vt docet Durand.q.5.

CONCLVSIO.

AEVVM pro materiali non distinguitur ab Angelo secundum vtramque opinionem: at verò pro formali distinguitur. Prima pars probatur, quia æuum in vtraque opinione est nomen connotatiuum: nam pro materiali significat coexistentiam Angeli vniformem, & nunquam senescentem, connotando diuersa instantia creationis, & durationis, vel coexistentiam temporis, vt ex notabili posito constat. Deinde probatur secunda pars; quia inter mensuram, & mēsuratum debet esse aliqua distinctio vt sup. in append. 7. fundamenti constat. Et cùm non sit distinctio realis, vt modò diximus: erit formalis distinctio. Tum etiam, quia æuum est mensura pertinens ad genus quantitatis,& cùm Angelus non sit quantus, distinguetur ab illo formaliter. Dico autem distingui formaliter tantùm: quia æuum pro formali nihil aliud est, quàm ipsa existentia Angeli: non absolutè considerata: sed pro vt coexistit diuersis instantibus, scilicet, creationis & conseruationis. Vt docuit D. Bonau. vel diuersis
D. Bonau. partibus temporis, secundum communem opinionem.

Ter-

Tertia difficul. An omnium æuiternorum sit vnum æuum, vel multiplex?

CIrca hāc difficultatē sunt quinque opiniones. Prima est Scoti affirmantis, & si sermo fiat de mēsura durationis, nullū æuiternū est mēsura cæterorum æuiternorū. Quia *Scot. q 3.* vnus Angelus, scilicet, Lucifer posset esse mensura cæterorū. De quo genere mensuræ loquitur Arist. 10. methaphi.

Secūda opinio est S. Th. nēpè, omniū æuiternorū esse vnū *Aristot. 10. methap.* æuū. i. vnā mēsurā suæ durationis, nēpe supremum Angelum. *S.Tho. q. 10. art.6. p.p.*

Tertia opinio est Durand. asserentis esse vnum æuiternū, *Durand. hac d.q.5.* quod est mensura cæterorum, quantùm ad perfectionem, non tamen quò ad durationem.

Quarta opinio est Hērici apud Scotū.q. 2. scilicet, omniū Angelorum esse vnum æuum. Ad hunc sensum, quòd ex durationibus singulorū Angelorū constituatur vna duratio uersalis omnium, cuius quilibet Angelus est pars. v. g. ex mille durationibus Angelorum constituitur vna duratio omnium, cuius durationis quilibet vnam habet partem.

Quinta opinio est D. Bona. affirmantis, tot esse æua, quot *D. Roma. q. 2. art. 1.* æuiterna. Et hanc opinionem libenter sequimur. Cæterum animaduerte prius vnitatem, vel pluralitatem cuiuscūque rei, non solùm in materia physica, sed etiā in morali, cōsiderādā esse ex parte subiecti, & non ex parte formæ. Et ratio est, quia multiplicato subiecto, vel materia, multiplicatur numerus, non autem multiplicata forma. Illustro hoc exemplis, vt si homo haberet plures sciētias, non dicetur plures sciētes, sed vnus sciēs. Et in materia morali, si vnico actu fuerit reus multorū præceptorum, vt si regularis sacerdos fornicetur, quāuis transgressio sit multiplex, vnicū tamen erit peccatum ab vnitate actus, qui est subiectum illarum transgressionum. Similiter,& tempus dicetur vnū: quia subiectum motus, qui dicitur tēpus, est vnū, scilicet, primū mobile. Secundo reuoca in memoriam conclusionem proximæ difficultatis, in qua diximus, æuum Angeli non distingui realiter ab Angelo, cùm nihil aliud sit, quàm creatio, & conseruatio passiua Angeli, quæ sunt ipsamet essentia: sed distingui formaliter.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

SI Consideremus æuum Angeli pro formali, non est vnum, sed plura. Tot namq; sunt æua, quot æuiterna. Et ratio est: quia æuum est mensura, & quantitas durationis æuiterni, prout eorum essentia coexistit instantibus, aut tempori: & cùm sint plura æuiterna, & plures coexistentiæ, necessariò erunt & plures mensuræ, & plura æuua. Patet ex primo notabili quoniam vnitas, aut pluralitas ex parte materiæ, vel subiecti sumitur.

CONCLVSIO II.

SI Aeuum sumatur, prout est idem realiter cum existentia (idest, quatenus supponit pro ipsa essentia æuiterni, absq; notatione ad instantia, vel tempus) est vnum æuum omnium Angelorum. Et ratio est: quia supremus Angelus est metrū, & mensura cæterorum, quò ad perfectionem naturalem, & ex consequenti, quò ad æuum. Siquidem est idem realiter: vt dictum est, cum existentia Angeli. Nam nihil aliud est, quàm creatio, & conseruatio passiua Angeli; quæ (vt constat ex secundo notabili) sunt idem cum essentia Angeli. Et aliquibus doctoribus placuit Luciferum esse æuum omnium Angelorum: quia est supremus Angelus.

QVAESTIO III.

Vtrum Angeli sint in loco?

CVM Magister in hac. 2. distinct. dicat Angelos creatos fuisse in cœlo empyreo, vbi modò sunt. Doct. scholastici, hinc sumpta occasione, tractant quæstionē hanc. An Angelus sit in loco? In qua declarandæ erunt aliquot difficultates. Est autem pro tota. q. legendus Alexand. Alen. quæst. 15. & 19. & 32. S. Thom. q. 52. D. Bona. in 2. p. huius. dist. & Scot. q. 5. & infrà, & alij multi, & in primo sententiarum. d. 37. nonnulli, vt Ricard. art. 2. Durand. in 2. part. distinct. quæst. 1.

Communis est doct. sententia circa hanc. q. Angelos, scilicet,

licet, esse in loco certo, & determinato. Vno excepto Dura. vt statim dicemus. Verùm antequàm quæstioni satisfaciamus, & primùm ad maiorem explicationem totius huius. q. postulanda sunt nonnulla ex physicis, & ex floribus in 4. lib. artic. 8. in quæst. de existentia corporis Christi in Eucharistia.

Dupliciter dicitur esse aliquid in loco. Primò circunscriptiuè, & est locatum commensurari loco, ita quòd locatum occuper locum; hoc est, sit totum in toto loco, & pars in parte. Sicut aqua in vase, quæ est tota in toto vase, & quælibet pars aquæ correspondet cuilibet parti vasis, & è contrà. Secundò diffinitiuè illud dicitur esse in loco, quod ita ibi est; vt nullo modo ex natura sua sit in alio loco. Et nihil refert, repleat, vel non repleat locum. *1. Postul. Alex. Alen. q. 15. m. 1. & 2.*

Hinc ij duo modi essendi in loco videntur se habere, sicut superiùs, & inferiùs. Nam diffinitiuè esse est superius adesse circunscriptiuè. Quicquid enim est in loco circunscriptiuè, est, & diffinitiuè; non tamen è conuerso. Appen. 1.

Hinc Deus non est diffinitiuè in toto mundo. Quia est totus in qualibet parte mundi. Appen. 2.

Hinc etiam anima rationalis non est diffinitiuè in manu; quia simul etiam est in pede, & in capite. Appen. 3.

Hinc constituendus est tertius modus essendi in loco, qui est præsentialiter existere. Quia cùm Deus non sit circunscriptiuè in loco; quoniam non est quantus, neque diffinitiuè, vt modò diximus: erit potentialiter tantùm. Eodemque modo est corpus Christi in Eucharistia. Lege in florib. 4. ar. proximè citatum. Appen. 4.

Tres sunt loci proprietates. Prima, continere locatum, vel circunscriptiuè, vel diffinitiuè, ita quòd habeat locatum in tra se. Secunda est mensurare locatum, quod fit ratione quātitatis molis: quia tantus est locus, quantum est locatū. Tertia est conseruare illud; conseruat autem ratione qualitatis. Si enim fuerit siccus conseruat locatum; si autem humidus corrumpit illud. D. Bonau. est. *2 Postul. D. Bona. vbi suprà art. 2. q 1.*

Esse in loco, vel loco circunscriptiuè contineri, est esse in loco propriè; esse autem diffinitiuè in loco non dicitur propriè, *3. post.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

priè, sed analogicè per similitudinem adesse circumscriptiuè ex. D. Bon. ibidem.

CONCLVSIO I.

ANGELVS absolutè & simpliciter est in loco certo, & determinato. Probatur multis sacræ scripturæ locis. Isaiæ. 14. quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, &c. Luc. c. 10. vidi Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem, & Apoc. 12. de reprobis spiritibus dicitur. Nequè locus mutatus est eorum amplius in cœlo. Ex quibus locis ita colligo argumentum. Angeli mutant locum; vt testantur auctoritates positæ: ergo sunt in loco determinato, & non sunt vbiquè; Præterea Deus, qui est summè spiritualis, dicitur esse in loco: Ieremiæ. 23. nunquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus, & psal. 138. si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. Matth. 18. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. & Matth. 6. Pater noster, qui es in cœlis. Tum etiam anima rationalis, quæ est spiritualis, est in loco. Nam animæ beatæ sunt in cœlo, & damnatæ in inferno, & quæ discesserunt cum peccato originali, sunt in sinu Habraæ. Et articulus fidei docet animam Christi descendisse ad inferos, non solum quò ad operationem, verum etiam quò ad substantiam, vbi animæ sanctorum Patrum erant. Quare Angeli quoque erunt in loco; vt habet conclusio. &, vt dicitur Matthæ. 18. Angeli eorum, qui sunt in cœlo. & Luc. 1. Missus est Angelus Gabriel, &c. ergo, si mittitur ex vno loco in alium locum, erat in loco, & Ecclesia in sua collecta canit, Angeli tui sancti habitent in ea, &c.

Isaiæ. 14.
Luc. 10.
Apoc. 12.
Ierem. 23.
Psal. 138.
Matth. 18.
Matth. 6.
Matth. 18.
Luc. 1.

Hinc non solùm temeraria est opinio Durandi, vbi suprà verùm etiam erronea. Quia opinatur Angelum esse in loco, non tamen certo, & determinato; sed vbique; repugnat enim locis adductis ex sacra scriptura. Et in 2. synodo Nicena act. 5. habetur, quòd Angeli habent definitum locum.

Appen. *Durand.* *Cauendus.* *Lege. S. Tho. d. 37. 1. lib. q. 3. art. 2.*

Prima

Prima difficultas. Quomodò Angeli sunt in loco?

CONCLVSIO.

ANgeli sunt in loco, non circunscriptiuè, sed diffinitiuè tantùm. Probatur per primum postulatum in principio quæstionis positum. Et prima pars conclusionis patet; quoniam Angeli non habent quantitatem molis, qua locatum dicitur occupare locum & loco mensurari, vt in secundo postulato diximus. Secunda pars conclusionis etiam est manifesta, quoniam sic est Michael Angelus in cœlo, & Lucifer in inferno, quòd neuter alibi sit. Idem docet D. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa. c. 10. & 17. & li. 2. c. 3. quia dum Angeli sunt in cœlo, non sunt in terra, neque è contra.

Dict. vbi s.
D. Dam.

DVB. 1. Si non est in loco, nisi diffinitiuè, nō erit propriè, & absolutè in loco?

REspondeo per tertium postulatum suprapositum. Verum quidem est non esse propriè in loco; sed analogicè: vt in postulato diximus. Nihilominus tamen diffitendum non est, esse absolutè in loco. Et ratio est, quoniam multa absolutè conceduntur sine distinctione, quæ non sunt vera, nisi in sensu tantùm methaphorico. v. g. absolutè concedimus. D. Petrum esse in cœlo, cùm sit vera metaphoricè, quia ibi est sola anima. Similiter theologandum est in proposito.

Per synecdochen.

Secunda diffi. Quænam est ratio, & causa formalis, per quam Angelus est in loco?

SICVT Aliud est quærere, an homo possit contineri loco, & aliud qua ratione hoc illi conueniat; ita aliud est disputare, an Angelus possit existere in loco, aliud verò disserere, qua ratione hoc illi competat. De primo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nempè, quòd sit in loco, & diffinitiuè hactenus. Nunc de secundo, quod cùm difficile sit, variæ circa hanc difficultatem sunt doctorum opiniones.

Gabr. q. 2. Prima opinio est Gabrielis hac. d. quæst. 2. asserentis, Angelum esse in loco, non immediatè; sed, mediante corpore, in quo fuerit, quemadmodum homo dicitur esse in mari, mediante naui, in qua est.

Dur. vbi suprà. Secunda opinio est Durand. vbi suprà nempè, quòd Angelus nullibi est localiter, neq; est propinquus alicui corpori secundum situm: est tamen vbicunque potest operari: ita q. Angelus existens in cœlo, est in tot partibus, in quot potest operari, quæ opinio suprà fuit refutata.

Tertia opinio, quam citat Durandus ibidem, tenet Angelum non esse in loco per propinquitatem ad locum: sed per hoc, quòd causat ibi aliquem effectum, quamuis longè distet ab illo loco: vt exempli causa, sol dicitur esse in domo, non per eius accessum ad nos, cùm sit fixus in cœlo: sed quia illuminat hanc domum, & eius radius est modò in ea. Similiter Angelus dicitur esse in Ioanne, quando illuminat illum, quamuis tunc Angelus præsentialiter sit in cœlo, & non in Ioanne.

S. Tho. q. 52. artic 1. Quarta opinio est S. Tho. dicentis rationem essendi Angelum in loco, esse applicationem virtutis ad talem locum. Nam per applicationem, inquit, virtutis angelicæ ad aliquē locum qualitercunq;, dicitur Angelus esse in loco corporeo, illum sequuntur omnes eius discipuli.

Scot. Quinta opinio est Scoti hac d. quæst. 5. & 6. qui tenet Angelum esse in loco, non ratione alicuius operationis, neque alicuius effectus, sed ratione suæ essentiæ. Illum sequuntur nominales.

CONCLVSIO.

ANGELVS est in loco per suam personam, siue substantiam, & non per operationem. Probatur primò, quoniã agens debet esse præsens passo prius natura, quàm agat in illud, vt Aristot. 7. Physico. c. 2. expressè docuit dicens, agẽs, & passum debere esse simul, & ideo approximatio agentis ad passum dicitur esse saltem causa, sine qua non, actionis. Quare *Arist.*

si prius natura, quàm Angelus agat in locum determinatũ, vel in corpus in loco determinato existẽs, debet esse præsens illi loco, vel corpori, non erit in loco per operationẽ, nequè per applicationem virtutis, quæ est etiam operatio: sed per suam substantiam, siue personam. Deinde confirmatur conclusio: quia ratio existendi in loco, necessariò debet esse aliquid intrinsecum ei, quod in loco existit. Nequè enim substantia materialis est in loco per quantitatem in alio existẽtem; sed in ipsa materia. Quare nequè Angelus erit in loco per operationem in alio existentem, nempè, per operationẽ transeuntem, nequè per immanentem per intellectionem, scilicet, & volitionem. Quia huiusmodi operationes immanentes non dependent à loco; quam ob rem si non per operationem immanentem, vel transeuntem, Angelus est in loco, erit per suam substãtiam. Alias rationes, quibus hæc Scoti opinio confirmatur, & argumenta in contrarium ex professo omitto. Quia solos flores colligere decreui. Et quia de opinionibus Scoti super. 4. libros sent. in gratiam Scotistarum separatim fusissimè scribere decreui.

Tertia diffic. Vtrum Angelus possit naturaliter simul existere in pluribus locis?

COMMVNIS est doctorum sententia, quæ sequentibus conclusionibus declarabitur.

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. q. 32. m. 2. & 3. S. Tho. ar. 2. S. Bon. ar. 2. q. 2. Sco. q. 7. Ricard in. 1. dist. 37. art. 2. q. 3. reliqui vbi sup.

EST impossibile naturaliter Angelum in pluribus locis adæquatis suæ virtuti, naturaliter esse: exempli gratia, si Angelus Raphael per suam virtutem non potest operari, neq; existere, nisi pe spatium vnius milliarij, si existat totus in qualibet parte vnius milliarij, non poterit, vltrà illum milliarium, naturaliter existere. Ante probationem conclusionis, nota duplicem esse locum Angeli, vnum adæquatum, alterum inadęquatum. Primus est, in quo Angelus secundum suam virtutem potest esse, & operari, ita quod non in maiori. Sit v. g. locus Gabrielis Archangeli spa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

spatium huius villæ Madriti, ita quòd non possit esse, aut operari in maiori. Erit locus inadæquatus quælibet pars adæquati; vt medietas huius villæ. Probatur iam conclusio, quia cùm habeat determinatam sphæram, suæ actiuitatis habebit determinatum locum, vltra quem non potest existere. Et cõfirmatur; quia non potest operàri nisi in loco, vbi est. Sæpe enim requiritur approximatio agẽtis ad passum. Vnde Damascenus lib. 2. cap. 2. inquit. Angelus debet descendere de cœlo; vt operetur in terra. Secundò, & efficacius probatur à Ricar. à definitione existendi diffinitiuè in loco: nam cùm esse ita in loco, sit ita esse in tali loco; vt simul non sit in alio, & Angelus sit in loco diffinitiuè, impossibile erit naturaliter esse diffinitiuè simul in pluribus locis.

B. Damasc.

CONCLVSIO II.

ANGELVS potest naturaliter simul in pluribus locis inadæquatis, & discontinuis existere; vt potest circa spatium huius villæ, si sit locus adæquatus; vt diximus, existere in extremis, non existendo in medio. Conclusio est Scoti, & Caiet. & aliorum Thomistarum vbi suprà. Et ad probationem primum animaduerte ea, quæ sunt in loco commensuratiuè, necessariò determinare sibi locum quò ad magnitudinem ita; vt neque maiorem, neque minorem habere possint. Et ratio est; quia est totum in toto, & pars in parte; at verò spiritualia, quæ etiam sunt diffinitiuè in loco, & sunt tota in toto, & in qualibet parte; vt suprà diximus, nõ determinant sibi locum, quò ad paruitatem. Hac re notata, probatur conclusio. Angelus est totus in qualibet parte loci; ergo potest esse intra eundem locum in extremis, absq; eo, quòd sit in spatio intermedio. Propterea quòd Angelus non est in loco, sicut forma inhærens subiecto, neque circunscriptiuè, ita quòd sit pars in parte; quibus quidem modis existendi non potest forma, aut corpus esse in extremis, quin existat in medio. Et confirmatur; quia potest Angelus simul mouere duos lapides discontinuos intra duo loca inadæquata, & est in quolibet illorum & anima rationalis potest informare pedes, & cor, non informando intermedia: ergo & Angelus. Et nota sequentes appendices Scoti.

Hinc,

Hinc, non sequitur Angelum distare à se ipso; quia anima rationalis non distat à se ipsa, eò quòd vtraque manus, in quibus est, inter se distent. Et hoc propter illimitationem Angeli, & animæ, quatùm ad hoc, quòd possint esse in qualibet parte. Append. 1.

Nec sequitur, q. mouetur, & non mouetur, quæ sunt contradictoriæ. Quia motus, & quies dicunt respectum ad locum. Ideò cùm sit in pluribus locis, potest habere plures respectus, & in vno loco quiescere, & in alio moueri. Append. 2.

Nequè sequitur, ergo loqueretur, & taceret. Propterea q. istæ actiones sunt absolutæ, & non variantur per locum. Verum tamen esset dicere cum restrictione, quòd loqueretur in vno loco, & taceret in alio; non tamen esset verum dicere absolutè, quòd loqueretur, & taceret. Quoniam illa, quæ cũ limitatione, & restrictione conueniunt, non sunt absolutè concedenda. Nam, vt non est absolute concedenda hæc propositio, Aethiops est albus, eò quòd sit albus secundùm dentes, ita à simili in proposito casu. Append. 3.

Quarta diffic. An Angelus habeat locum limitatũ, secundùm paruitatem?

INTELLIGITVR titulus. An possit esse in indiuisibili.

CONCLVSIO.

ANgelus secundũ suã voluntatem non determinat sibi locum secundũ paruitatẽ. Ratio est, quia nũquã est in tã minimo loco, q. nõ possit esse in minori. Propterea q. cùm sit substãtia indiuisibilis, potest esse in minimo loco, vt in puncto. Et quia, vt docet. S. Bon. loco citato. Quia anima est perfectio corporis organici, ideò potest esse, ita in corpore paruo, quòd nõ in minori. Quia minus corpus nõ esset organizabile, neq; viuificabile. At verò Angelus; quia non est perfectio, & est simplex; quia in qualibet parte est totus; ideò nõ potest accipi locus ita paruus, quin adhuc possit esse in minori. Potest tamen dari locus, in quo maiori non potest existere, sicut, & anima; quia hoc euenit ex limitatione. Nequè est Angelus indiuisibilis ea ratione, qua punctum, *Alex. m. 1. S. Bona. q. 3. & reliqui vbi suprà.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod est terminus quantitatis continuæ, & habens situm in continuo, sed lógè aliter est indiuisibilis, quia omninò independens à quantitate. Et hinc est, quòd possit illi respondere locus diuisibilis, aut indiuisibilis, secundum exigentiam operationis, quam debet exercere circa locum. Lege S. Th. 2. contra gent. cap. 56. Et hæc est communis opinio Scoti, & S. Thom. & aliorum theologorum. Neque impedit Angeli actionem esse in puncto; nam sicut optimè potest corpus, perfectè sphericum, mouere aliud corpus impellendo, quãuis illud solùm in puncto tangat; ita optimè potest Angelus mouere aliud corpus, licet illud immediatè in puncto tangat: quemadmodum cum Aristotele affirmamus intelligentiam mouere totum orbem, quamuis illum in aliqua parte illius determinata solum modò tangat. *Arist.*

DVB. II. Quid igitur causat Angelus in illo indiuisibili; vt possit ad mouendũ corpus in eo cõstitui?

RESPONDEO, causat virtutem motiuam instrumentalem, id est, impulsum, quo deinde mouet corpus.

Quinta diffic. Vtrum per potentiam Dei absolutam possit idem Angelus simul in pluribus locis adæquatis existere?

Scot. q. 7. citata.

HAnc difficultatẽ proponit Scotus, cui adhæsit Caiet. art. 2. citato. S. Tho. vbi dicit doctrinam. S. Thom. in illo art. traditam, solùm esse intelligẽdam secundum naturæ ordinem.

CONCLVSIO.

SECVNDVM absolutam Dei potentiam vnus Angelus potest esse in pluribus locis adæquatis. Et ratio est: quia si idem corpus potest simul esse supernaturaliter, & circunscriptiuè in pluribus locis; vt constat ex. 8. art. q. de existentia corporis Christi in Eucharistia in floribus, 4. lib. poterit similiter, & Angelus, &c.

Sexta

Sexta diffic. Possunt ne plures Angeli simul esse in eodem loco?

S. Tho. ar. 3. vbi suprà, & in primo. d. 37. q. 3. art. 3. Ricar. ibidem art. 2. q. 4. S. Bon. q. vltima.

DVæ sunt extremæ opiniones circa hanc difficultatẽ. Vna. S. Thom. (quem secutus est Ricard. & alij) affirmantis, duos Angelos non posse esse in eodem loco, scilicet, diffinitiuè, eiusdem opinionis est. D. Bon. Propterea quòd hoc exigit ordo vniuersi: vt singula indiuidua sint in singulis locis.

Altera opinio est Scoti, post quem adhæserunt Ocham, & Gabriel, qui asserunt plures Angelos naturaliter simul in eodem loco existere posse. *Scotus. q. 8. Gab. q. 2. & reliqui hac dist.*

CONCLVSIO. I.

IVXTA opinionem dicentium Angelos esse in loco per suam essentiam, & non per operationem, plures Angeli in eodem loco diffinitiuè, & naturaliter simul esse possunt. *Scoti est.* Et ratio est; quia cùm Angelus non occupet locum: vt ex dictis constat nihil obstat, quò minus possint plures in eodem loco esse. Causa enim præcisa negatiuè, propter quam duo corpora non possunt naturaliter esse in vno loco, est: quia corpus implet, & occupat locum, locus autem repletus naturaliter vno corpore, non potest aliud capere; vt vas plenum aqua, amplius capere haud potest. Et confirmatur auctoritatibus sacræ scripturæ. Nam Lucæ. 8. habetur legionem dæmonum, quæ constat. 6666. obsidisse corpus cuiusdam dæmoniaci. *Luc. 8.* Et Luc. 2. subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis. *Et Luc. 2.* Et Matth. 4. & accesserũt Angeli, & ministrabant ei. *Matth 4.* Et Luc. 16. Angeli portauerunt animã Lazari in sinũ Habraæ, &c. *Luc. 16.* Hæc etiã fuit opinio Ricar. de. S. Victore. *Richard. de S. Victore.*

CONCLVSIO II.

SECVNDVM opinionem affirmantẽ Angelũ esse in loco per operationem, vel applicationem virtutis, quæ: vt suprà diximus, operatio quædam est, plures Angeli possunt esse in eodem loco. Et ratio est; quia possunt simul mouere lapidem, dummodò neuter moueat secundum vltimum dẽ potẽtia: quemadmodũ duo homines possunt simul portare

Universidad de Deusto
Biblioteca

lapidem, quorum neuter agit secundum vltimum de potentia. Sunt enim, & Angeli, & homines agentia libera. Deinde confirmatur conclusio: quia duo Angeli possunt circa eũdem locum duos effectus producere, vt si vnus illuminet intellectum hominis; & alius eius voluntatem ad obsequendũ diuinis mandatis inflammet, vel vnus offendat hominem; vt malus Angelus, & alter; vt bonus, defendat. Tandẽ quãdo Angeli deferebant animam Lazari in sinum Habraæ, operabantur circa eandem animam; poterunt igitur operari circa idem corpus, vbi fuerint locati, tanquã causa partialis, vel non operando secundum vltimum de potentia; vt modo diximus.

CONCLVSIO III.

Plures Angeli non possunt esse in eodem loco formaliter; *Doct. vbi. s.* vt causæ totales eiusdem operationis, ratione cuius dicuntur esse in loco; vt operans in operato naturaliter loquendo.

Ratio est; quia vnius, & eiusdem effectus non possunt esse plures causæ totales eiusdem generis, & ordinis; vt expressè *Arist.* Aristot. 2. Phys. & 5. Metaphys. cap. de causis docuit. Tum etiam quia quando mobile, vel passum aliquod perfectè reducitur de potentia, in qua erat, ad actum ab vno agente, aliud erit superfluum, & natura superfluum maximè aborret.

DVB. III. Dices, quæ igitur est causa, ob quam constituitur ad eundem effectum tanta multitudo Angelorum: vt est legio: vt operentur tanquã partiales causæ?

RESPõdeo. Licet vnus solus possit talem effectum producere; vult tamen Deus; vt multi concurrant. Boni quidem ad suam munificentiam, & liberalitatem, & Angelorum erga homines beneuolentiam, & amicitiam ostendendam; mali verò è contra; vt indignatio, & ira diuina erga peccatores ostendatur, & odium, & inimicitia dæmonum demonstretur.

Septima

Septima diffic. Vtrum Angelus, existat in anima hominis?

HActenus quomodo Angelus in loco corporali existat explicatum est, nũc de loco spirituali videndum. An, scilicet, sit in anima, vel animæ illabatur? *S. Tho. ar. 3. vbi suprà Magister. d. 8. S. Bona. q. 2. p. d. 8.*

Tria sunt prænoranda. Primum est descriptio illapsus. A doct. dist. 14. 1. lib. dicitur esse illapsus intima, præsentialitas cum præsidẽtia, & imperio, & perfecta cognitione eius, qui illabitur ad eum, cui sit illapsus. *Illapsus quid et quotuplex.*

Secundùm est diuisio illapsus, qui dicitur esse duplex. Vnus generalis, qui est intima præsentia Dei ad creaturas, mouendo illas ad operationes, siue liberas, siue naturales. Nam priùs naturà, quàm voluntas operetur aliquid, à Deo ad talẽ operationem mouetur. Alter specialis illapsus, qui est concursus Dei ad opera supernaturalia, vt ad opera meritoria, & ad vltimam dispositionem ad gratiam

Tertiò nota voluntatem nostram ab extrinseco dupliciter moueri, vel per imperium Dei, vel per concilium alicuius creaturæ. Illapsus autem propriè est imperium Dei mouentis voluntatem.

CONCLVSIO.

SOLVS Deus animabus nostris illabitur. Hæc est communis omnium sententia. Et probatur à definitione illapsus in primo notabili posita. Est enim præsidere operationibus humanis, imperando voluntati, & concurrendo cũ illa quod quidem est solius Dei proprium. Diabolus enim non potest compellere hominem ad malum; vt. D. Paul. ad Corinth. docet. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, suprà id, quod potestis, scilicet, resistere, &c. Quare nullus Angelus, neque bonus, neque malus illabitur. Præterea de ratione illapsus est perfecta cognitio omnium, quæ sunt in illo, cui illabitur; & cùm solus Deus cognoscat naturaliter interiora nostra, solus ipse dicitur animabus nostris illabi. Angeli autem siue boni, siue mali dicuntur immittere cogitationes in animas nostras, non imperando, quia non possunt nos compellere; sed consulendo; *1. Cor. 10.*

vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 13. vt Ioan. 13. cùm diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas, &c. atque ita dicuntur impropriè illabi. De illapsu autem diaboli in corpus, infrà dist. 8. disputat Magister, lege cap. sicut Iudas de consecr. dist. 2.

Quæst. IIII. An Angelus localiter moueatur.

Disseruimus hactenus de quiete, & existentia Angelorum in loco, nunc de motu locali eorundem agendum est. Et ad totam hanc q. legendi sunt Alex. Alen. q. 83. S. Thom. q. 53. & doct. in primo dist. 37. & idem doct. 5. & Ricard. art. 3. q. 1. Durand. q. 2. circa secundam p. dist. & Scot. q. 9. & infrà, & alij hac. 2. dist. Et absoluetur. q. nonnullis difficultatibus positis.

Prima diffic. Vtrum Angelus de loco ad locũ motu continuo moueatur?

Alex. Alen. m. 1. S. Tho. ar. 1. Scot. q. 9. & reliqui vbi suprà. Scot. Durand.

TRes sunt opiniones circa hãc difficultatem. Prima est S. Tho. Angelus mouetur localiter: quia potest applicare suam virtutem diuersis locis. Secunda Scoti, Angelus propriè mouetur localiter, migrando à loco in locum, & hoc mouendo suam substantiam. Tertia Dura. Angelus non mouetur localiter; sed semper est in cœlo. Et in scriptura sacra dicitur moueri, vt ait ille; quia manifestat suam virtutem diuersis in locis, Quemadmodum. inquit, Deus dicitur venisse in mundum, non quòd moueretur à cœlo in terram; sed quia manifestauit seipsum assumendo humanitatẽ.

CONCLVSIO I.

ANGELI localiter moueri possunt. Hæc cõclusio est cõmunis omniũ doctorũ, vno dempto Dur. Et probatur primum auctoritate diuinæ scripturæ. Tobiæ. c. 5. exemplo Raphaelis Angeli. Et Luc. primo legitur Angelũ apparuisse Zachariæ; & missum fuisse ad Virginẽ desponsatã, &c. Sunt etiã alij loci multi, quos suprà cũ de loco Angeli disputaremus, citaui. Ex quibus sic colligo argumẽtũ: Angeli beati sunt in cœlo, quos legimus aliquãdo fuisse in terra; hoc aũt põtnõ fieri, nisi

Tobiæ. c. 5. & 12. Lucæ. 1.

nisi per motum, quare mouentur localiter. Et confirmatur à definitione motus localis, qui est relinquere terminũ à quo, & acquirere terminum ad quem. Quod faciunt Angeli quãdo relicto cœlo, aliquando sunt in terra. Vnde Damascen. apud Alex. Alen. vbi suprà. Angeli cùm sunt in cœlo empyreo, non sunt in terra, & cùm ad terram à Deo mittuntur, non remanent in cœlo. Et anima etiam nostra, quàm primùm è corpore egreditur, migrat in cœlum, siue in purgatorium, siue in infernum, & hæc sine motu locali fieri haud possunt, ergo & Angelus. Nam ambo sunt spirituales. D. Damas.

Hinc Dura. opinio est cauenda. Nam primùm est temeraria, quia contra omnes doctores scholasticos, & aduersus doctores sanctos, qui sæpe affirmant Angelos descendisse. Et est erronea, quia legitur apud Isaiam. 14. quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, &c. & Luc. c. 10. vidi Sathanã, &c. qui realiter cecidit. Nec valet glossa aliqua. Lege contra hanc sentẽtiam D. Ambrosiũ lib. de Spiritu sancto. cap. 9. & 10. & D. Grego. lib. 2. moral. cap. 3. Dura. Cauendus. Appen. Isai. 14. Luc. 10. Amb. Greg.

CONCLVSIO II.

ANGELVS non mouetur localiter, eò quòd in diuersis locis successiuè operetur. Et ratio est; quia motus localis non est in loco; sed in locato: vt patet in lapide proiecto. Et calefactio non est in igne calefaciente: sed in passo, dicente Arist. actus actiuorum non sunt in agente; sed in patiente dispositio. Et operatio Angeli, cùm non sit in ipso Angelo; sed in loco, talis operatio non erit planè motus localis Angeli. Aristot.

CONCLVSIO III.

ANGELVS mouetur localiter per hoc, quòd eius essentia successiuè potest esse in diuersis locis definitiuè. Vt v. g. Angelus est modò in hac villa Madriti, & potest dimittere successiuè hanc villam, & transire in alium locum contiguum huic villæ. Et ratio est; quia Angelus potest moueri localiter: vt constat ex prima conclusione huius difficultatis contra Dura. & non per hoc, quod diuersimodè in diuersis locis operetur: vt in secunda conclusione patet: mouetur ergo localiter per hoc tantùm, quòd eius essentia successiuè est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est in diuersis locis diffinitiuè; vt noster Scot. docet. Consequentia à sufficienti diuisione est manifesta.

CONCLVSIO IIII.

ANGELVS, quando est in loco diuisibili, potest motu continuo moueri. Et ratio est; quia tunc potest desinere successiuè partem, & partem loci, in quo est, & successiuè partem, & partem alterius acquirere. Probatur consequentia à simili de motu corporis; propterea q̃ hac ratione mouetur corpus successiuè. Et colligitur ex Arist. 4. Physi. vbi ait, ad diuisionem magnitudinis acquiri spatium.

Arist.

Secunda difficult. Vtrum si sit in indiuisibili, vt in puncto, possit moueri motu continuo?

SCOT. partem assirmantem tenet. Alij verò negantem.

CONCLVSIO.

Scot. vbi suprà.

POtest tunc moueri motu continuo. Ratio est, quia in pũcto potest moueri, & acquirere loca punctualia. Quod sic probat Scot. Quia si corpus perfectè sphericum moueatur super planum, non attingit, nisi per puncta; ergo motu continuo illud punctum potest moueri successiuè per loca punctualia: quare, & Angelus. Eadem enim ratio est de puncto, & de Angelo. Quam ob rem si punctum potest sic moueri, & Angelus quoque mouebitur. Nec obstat, quod non detur sphericum ita perfectum: satis namque est, quòd possit dari.

Tertia diffic. Vtrum anima separata moueatur localiter diffinitiuè?

CONCLVSIO.

MOuetur quidẽ diffinitiuè localiter. Et ratio est; quia, si non posset moueri localiter, sequeretur, q̃ egressa è corpore adhereret relicta in puris naturalibus loco proximo cadaueri, à quo fuit egressa. Secundò confirmatur, quia, cùm ipsa moueat corpus localiter habebit virtutẽ motiuam localem, qua moueat se ipsam,

Quarta

Quarta diffic. Vtrum Angelus moueatur localiter à se ipso, an ab alio?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 20. m. 3. Scot. q. 10. huius distin. Ricard. q. 1. vbi suprà.

ANgelus potest se ipsum localiter mouere. Probatur; nam, cùm sit in potẽtia passiua; vt possit localiter moueri, sicut ex dictis constat, habebit potentiam actiua ad mouendum se ipsum. Et confirmatur; quia hoc habent alia entia minus perfecta, & mixtionata: vt ignis, & grauia: ergo similiter & Angelus, qui est multò maioris perfectionis. Præterea Angelus mouetur localiter, & non à corpore, cùm sit minoris virtutis, neque à Deo tantum; quia hoc esset per miraculum; ergo mouetur à se ipso. Et tandem; quia anima separata, vt supra diximus, mouetur à se ipsa, vel in cœlum, vel in purgatorium, vel in infernum; ergo angelus similiter mouebitur à se ipso, cùm sit maioris perfectionis. Mouetur enim Angelus à sua potentia, nempè, à sua voluntate: quæ quidem est principium motus.

Quinta diffic. Vtrum Angelus per accidens aliquãdo moueatur?

Alex. Alen. q. 20. m. 3. & S. Thom. q. 51. art. 3. ad 3.

VT exempli gratia, an Angelus custodiens hominem moueatur existens in illo, ad motum illius, sicut naturaliter de sententia philosophorum anima ad motum corporis mouetur: & Christus in Eucharistia ad motum specierum consecratarum, vt theologi confitentur. Et ratio dubitandi est; quia Angelus, neque secundum naturam colligatus est corpori, in quo est, neque coniunctus: sicut est anima corpori, neque secundum legem, sicut Christus Iesus secundum legem sacramentalem habet colligationem cum speciebus.

CONCLVSIO.

ANGELVS per accidens mouetur ad motum corporis, in quo est; vt custos ad motum illius, quem custodit. Et ratio est; quia quamdiu Angelus est per suam voluntatem secundum essentiam in corpore custoditi per eãdem prorsus

volun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntatem habet colligantiam cum illo corpore: quod quidem est naturale. Nam si duæ res inter se colligantur, mota vna, mouetur & altera per naturalem concomitantiam. Sunt enim in corporibus, sicut motores in mobilibus.

Sexta diffic. Vtrum Angelus possit moueri in instanti?

S Tho. ar. 3. Scot. q. 11. Ricar art 3 q. 3. Gab. q 3. vbi suprà.

DVæ sunt opiniones. 1. Vna. S. Tho. Altera Scoti, quæ partim conueniunt interse: partim verò differunt. Conueniunt quidem in hoc, scilicet, quòd Angelus in instanti poterit acquirere locum. Si enim sit Angelus vbi nihil operetur, vt in cœlo empyreo, potest in instanti operari in alio loco, & ita de sententia. D. Thom. in instanti acquirit locum, ideniq; sentit Scot. Differunt autem in hoc, quòd istas acquisitiones termini ad quem vocat Scot. verum motum localem: quia opinatur ad veram existentiam localem Angeli non opus esse operatione; sed sola præsentia Angeli ad locum. Atque ita satis est, quòd in termino, à quo fuerit per determinatum tempus, & quòd in instanti terminante illud tempus, sit in termino ad quem, & tunc erit verus motus instantaneus de loco ad locum. Atverò S. Thom. dicit non esse verum motum localem; sed loci acquisitionẽ; quoniam transitus ab operatione in operationem non potest fieri in instanti: sed in tempore; propterea quòd talis transitus est successio vnius operationis ad aliam, & successio cõpræhendit prius, & posterius, id est, prius operari in hoc loco, & posterius in alio, & est diuisibilis; & ideo non est instantanea.

CONCLVSIO.

ANGELVS potest localiter, & in hoc instanti moueri. Et ratio est, quia Angelum moueri de vno loco in alium, non est moueri ab operatione ad operationem: sed à termino à quo, in terminum ad quem, vbi est per suam essentiam. Quod quidem potest fieri in instanti; quia non repugnat naturæ angelicæ propter eius excellentiam. Et confirmatur exẽplis posse aliquid quiescere sub termino à quo in tẽpore, & in

i & in sta ti terminatiuo illius temporis esse in termino ad quem, vt in generatione contingit, vbi materia prima fuit sub termino a quo, scilicet, sub priuatione, & in instanti terminatiuo illius temporis fuit sub termino ad quem. Idem euenit in illuminatione corporis diaphani, & etiam in admirabili transubstantiatione substantiæ, panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi. Nam in toto tempore prolationis verborum consecrationis adest terminus a quo talis conuersionis, nempè, substantia panis, & vini, at verò in instanti terminatiuo adest corpus, & sanguis Christi Iesu. Nèque hinc sequitur, quòd in eodem instanti sit Angelus naturaliter in duobus locis; quia in termino à quo est in tempore, & in vltimo instanti illius temporis est Angelus in termino ad quem.

Septima diffic. Vtrum Angelus possit moueri ab extremo ad extremũ, non transeundo per medium?

Alex. Alen. 1 m. 2.

OPinio Scoti circa hanc difficultatem non est contra opinionẽ Alex. & S. Thom. quamuis Caiet. & alij Thomistæ oppositum affirmẽt. Nam in via. S. Tho. certum est Angelos esse in loco solum per operationem, & secundum hanc opinionem non negat Scot. in principio huius. q. Angelos posse operari in extremis, & non in medio. Et si Angelus sit in tota hac villa, poterit operari in angulis distantibus, non operando in spacio intermedio. Tota autem difficultas est in via Scot. asserentis Angelum esse in loco per essentiam, & diffinitiuè, licet ibi non operetur. Verum in hac opinione distinguendum est de loco adæquato, & inadæquato, vt suprà.

S Tho ar. 2. Scot q. vltima Gabriel q. 3. Duran. vbi suprà. Ricar. d. 37. artic. 3. q. 2. m. 1.

CONCLVSIO I.

SI fit sermò de motu locali inter duo loca inadæquata, potest Angelus moueri ab extremo in extremum, id est, ab vno loco inadæquato in alium locum inadæquatum, & non per medium. Verbi causa, si sit hæc villa locus adæquatus virtuti angelicæ, ita quòd non possit esse in maiori, poterit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelus à principio ad finem, & non per medium moueri. Ratio est; quia Angelus potest existere in principio, & fine huius villæ, & non in medio. Quare poterit ad eadem loca moueri, non transeundo per medium; propterea quod ad eadem loca, quæ naturaliter potest habere, potest naturaliter moueri. Quia non potest acquirere loca, nisi per motum; quamobrem si potest aliqua loca naturaliter habere, eadem poterit naturaliter acquirere. Aliter enim non posset ea naturaliter habere.

CONCLVSIO II.

SI Loquamur de motu locali Angeli, inter duo loca sibi adæquata, non potest moueri ab extremo in extremum motu discreto, ideſt, non transeundo medium. Ratio est; quia, vt modò diximus, ad eadem loca tantùm naturaliter potest moueri, quæ naturaliter potest habere, & in quibus potest naturaliter quiescere, & cùm non possit naturaliter simul in duobus locis sibi adæquatis quiescere, nec poterit planè ab vno ad alium moueri, nisi transeundo per medium.

Append. Hinc, non potest Angelus descendere à cœlo in terram, nisi per medium. Quia quilibet istorum locorum est sibi adæquatus, licet enim Angelus moueatur per suam voluntatem, non tamen habet potentiam peruertendi ordinem naturalem motus, qui ordo est: vt transeatur ab extremo in extremum per medium, si loca fuerint adæquata.

Magist. Sent. Distinct. III.

Quæst. I. De natura, & essentia Angelorum.

IN Prima parte huius distinct. 3. agit Magister de natura angelica, quam dicit indiuisibilem, & immaterialē, ideſt, non compositam ex materia, & forma; sicut substantia corporea. Ideò ad maiorem huius partis intelligentiam decreui cum Alexan. Alen. aliquot difficultates explicare, quibus absolutis, erit perspicua quæstio proposita de natura Angelorum.

Alex. Alen. q. 20. m. 1.

Prima

Prima difficul. Vtrum sint Angeli in rerum natura?

IVXTA Aristotelis sententiam primis cap. primi, & 2. lib. posterioris analyseos, quæstio, an sit, præponitur quæstioni, in qua quæritur, quid res sit.

CONCLVSIO.

DE Fide est, esse quasdam substantias intellectuales, hominibus perfectiores, quas Angelos nominamus. Sunt enim innumeri loci sacræ scripturæ vbi expressè habetur hæc conclusio. vide concordantias maiores Bibliæ, verbo Angelus, verb. Angeli. Et de Raphaele Angelo lege Tob. cap. 5. & ps. 8. Minuisti eum, paulominùs ab Angelis. Qui locus intelligitur de homine Christo. Quemadmodum diuus Paul. 1. ad Hebræos interpretatur illum de humanitate Christi Iesu. Et in nouo testamento passim: vt Luc. 1. apparuit Angelus Zachariæ. Et fuit missus Angelus ad Mariam virginem. Et ratione etiam naturali confirmatur. Videmus enim orbes cælestes moueri continuo, & perpetuo motu regularissimè. Quare oportet esse motorem intellectum, regularissimè, & perfectissimè mouentem. Tum etiam, quia ad perfectionem vniuersi requiritur; vt omnis gradus creaturarum reperiatur. Et cùm inueniatur spiritus vnitus corpori; vt in homine, & corpus separatum à spiritu; in lapide; oportet etiam vt inueniatur spiritus separatus à corpore, vt est Angelus. Nam si corpus, quòd est minùs perfectum inuenitur sine spiritu, multò magis spiritus erit sine corpore, vt est Angelus. Et Aristot. lib. de causis inquit. Est quædam substantia, cuius substantia est in æternitate, & actio in tempore. lege eundem Aristot. 11. & 12. Methaphys. & 1. de anima extra cœlum &c.

Tob. c. 5. & 12. *Psalm. 8.* *Ad Hebr. 1.* *Luc. 1.* *Arist.*

Hinc confutata manet Hæresis Sadducæorum, qui vt Alexand. ibidem ait, dixerunt, non esse Angelos. lege c. 23. in Act. Apostol. *Hæresis.* *Act. Apost. c. 23.*

Bibliotheca Facultatis Philosophicae Provinciae Cast. Orientalis SJ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Angelus sub quo genere continetur?

IN Angelis duplex esse consideratur à doctoribus, vnum esse purè naturale, alterum esse gratuitum; & secundum esse gratuitum vocatur lumen à sanctis. Lege Alexand. art. 1. vbi suprà, & secundum esse naturale quæritur in hac difficultate; sub quo genere contineatur? an sub substantia? vel sub accidente?

Alex. Alen. in 2. art. 2. vbi suprà.

CONCLVSIO.

ANGELVS est in genere substantiæ. Et ratio est, quia cùm sit ens, & non sit accidens; quia non inhæret subiecto, necessariò erit substantia, cùm ens in substantiam, & accidẽs primò diuidatur. Et D. Damasc. vt statim dicemus, Angelũ substantiam esse affirmat.

D. Damasc.

Tertia diffic. Quid nam est Angelus?

ANgelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, secundũ gratiam, non naturam, immortalitatem suscipiens. Hæc diffinitio est Damas. lib. 2. sententiarum. cap. 2. illustro diffinitionem hanc, singulas eius partes declarando. Primum esse substantiam, constat ex proxima difficultate. Secundò dicitur incorporea, ad differentiam animæ nostræ, quæ licet non sit corporea; tamen est vnita, vel vnibilis corpori; at verò Angelus, neque est vnitus, neq; vnibilis corpori. Tertiò dicitur intellectualis, ad distinctionem animæ nostræ. Quia propriè loquendo, anima nostra dicitur substantia rationalis; at verò Angelus substantia intellectualis. Propterea quòd Angelus sine collatione eligit; homo verò cum collatione, & discursu; sed hæc latius infrà. Quartò additur in diffinitione semper mobilis. Quoniam Angelus habet semper in se omnes conditiones, quæ ad motum suum desiderantur, quas non habent, neque illa, quæ motu recto mouentur, Nam dum sunt in suo loco naturali non mouentur, vel potest fieri, vt actu non moueantur, propter motoris indigentiam. Neque illa, quæ circulariter mouentur: nam licet habeant ad motum omnes conditiones, quæ ex parte sui requi

Alex. m. 3. q. 20. citatæ. S. Bon. in expositione litteræ dist. 9. D. Damas.

requiruntur; indigent tamen motore; vt cœlum, si non esset motor, staret. Angelus autem non indiget motore præter Deum, cuius imperium ad motum Angeli requiritur. Et ad distinctionem animæ, quæ dum est corpori coniuncta, motò corpore duntaxat mouetur. Apponitur quinto in definitione, arbitrio, &c. quoniam Angelus de sententia B. Dionysij apud Alex. hoc loco, quantum ad motum naturalem, potest, & recto, & circulari motu moueri. Non enim est in eo motus, quantum ad vnam differentiam solam determinatus; vt sunt reliqua mobilia. Vel secundò dicendũ est hoc loco arbitrium sumi pro iudicio, quo aliquis potest eligere communiter bonum, vel malum; quod quidem Angelo conuenit sine collatione, & discursu; vt paulò antea diximus, & infrà latiùs explicabitur. Vel dicitur liber Angelus non ad bonum, & malum; sed in libera electione eius, quod voluerit. Sexto adiungitur particula semper administrans. Quia licet, nõ semper actu ministerium, quod habetur respectu hominum, ei conueniat; habet tamen semper virtutem, & potentiam administrandi. Et ita in habitu semper ei conuenit, & respectu Dei semper ei conuenit administratio. Angelos enim semper Dei voluntati subiectos esse confitemur.

B. Dionysi.

Vltima particula in definitione posita est; secundum gratiam, &c. Vel quia de facili non est mutabilis, & hoc habet à sua natura, sine à suo principio. Ex se enim solum habet; vt sit quodammodo vertibilis in nihil. Vnde habet immortalitatem, quasi ex quodam dono gratiæ; tamẽ quodammodo ex principio naturali potest non moueri, & quando. D. Augustt. (vt refert Alex.) vocat animam nostrã simpliciter immortalem, comparat illam ad animam sentientem, quæ est in brutis, vel ad vegetatricem, quæ est in plantis, quæ cũ corpore esse definunt. Vel secundò dicitur Angelus immortalis spiritualiter. Quia Angelus semel bonus, semper est bonus, & semel malus, semper est malus [es como cerradura de golpe] non sic autem anima nostra, dum est in corpore, sed de ijs infrà latiùs. Est, & alia diffinitio Angeli, quam tradit. B. Dionysi. de diuinis nominibus. cap. 6. nempe. Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum,

D. Aug.

Lege Alber. Mag. lib. de 4. coæuis. coæ uo. 4.

Alex. Alen. art. 2. m 3.

B. Diony.

purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem benè formatæ Dei formitatis, & purè declarans in se ipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis. Singulas partes huius diffinitionis copiosissimè Alexand. declarat. Et nota, quæ ibi de imagine Dei tradit, quomodo filius propriè imago patris nominetur. Largè verò Angelus; verius tamen Angelum, & hominem ad imaginem Dei factos dicimus; vt ratione transitionis signatæ per præpositionem notetur diuersitas, non solum in persona, verùm etiam in essentia creaturæ ad creatorem.

2. Cor. 4. c.

Gen. c. 1.

Quarta difficul. Vtrum potentia in Angelo, sit idem cum sua essentia?

ALEX. Alen. q. 21. m. 1. S. Thom. q. 54. art. 1. 2. & 3. & q. 77. art. 1. & q. de spiritualibus creaturis art. 11. Scot. d. 16. huius lib. q. vnica, & in 4. d. 12. q. 3. Duram, in hac 3. dist. q. 5. & in primo. d. 3. q. 2. in. 2. p. d. & in eisdem dist. cæteri Gab. & Greg. Arimin. d. 16.

Vt exempli gratia. An intellectus Angeli ab eius essentia distinguatur?

CONCLVSIO.

POTENTIA Angeli ab eius essentia formaliter, & quidditatiue diffinctione formali reali distinguitur. Probatur primò authoritate. D. Diony. 11. c. de cœlesti hierarchia, qui in Angelis tria esse affirmat, nempè, essentiã, virtutem & operationem. Vbi virtutem, siue potentiam, ab ipsa essentia separat. Et. D. August. multis in locis in lib. de Trini. præsertim, vbi declarat, quo modo imago sanctissimæ Trinit. in anima nostra reperiatur. Nam semper assignat differentiam inter Trinit. creatam, & increatam, affirmans in Trinit. increata essentiã esse idem realiter, & formaliter cum voluntate, & intellectu: at verò in Trinitate creata essentiam, vel substantiam non esse idem formaliter, saltem cum intellectu, & voluntate. Nam dicendum, inquit, est in anima

D. Dionys.

D. Aug.

anima esse intellectum, & voluntatem; sed fatendum non est animam esse intellectum, & voluntatem. Idem expressè docuit Epistola. 102. ad Euodium, & lib. 15. de Trinit. c. 7. & D. Anselm. in multis locis, præsertim de casu diaboli. c. 8. & de concordia prædestinationis, & liberi arbitrij. c. vltimo, & est communis sententia doctorum. & confirmatur ratione, quia Angelus non est omnino simplex, sicut Deus; quòd sit, vt nihil sit pœnitus sua potentia, præterquàm Deus, qui est essentia simplicissima. Tum etiam quia essentia est causa efficiens multarum passionum: vt Scot. in 4. dist. 12. q. 3. docet, & causa efficiens realiter distinguitur à suo effectu. Alioquin idem esset secundum rem causa sua ipsius, & idem simul esset, & non esset, quod est absurdissimum, & impossibile.

D. Anselm.

Idem dicẽdum est de actione Angeli. & potentijs animę, & de earum esse, & existantia, & actionibus. Appen. 1.

Hinc etiam sequitur explodendam esse sententiam Gab. & Gregor. Arimin. & aliorum nominalium, qui eorum vestigia sunt secuti, locis citatis, qui tantam identitatem posuerunt inter intellectum, & essentiam Angeli, & animæ vt teneant concedendum esse formaliter essentiam Angeli, vel animæ esse intellectum, & voluntatem. Et citant in suam sententiam Scotum, sed falso; quia Scot. expressè docet vbi suprà distingui distinctione formali, & quidditatiua, aliter multò, quàm homo, & animal. Propterea quòd homo comparatur ad animal, vt pars subiectiua, de qua prædicatur formaliter totum, vt inclusum in ipso essentialiter, & formaliter; at verò intellectus Angeli, vel hominis comparatur ad essentiam, vel substantiam, vt pars potentialis, de qua nunquàm totum formaliter prædicatur.

Appen. 2.

Scot. liberatur.

Est dissidium, & controuersia inter, S. Thom. & Scotum, & eorum discipulos; vtrum realiter, vt res à re, distinguantur? verùm de hac controuersia in libro de controuersijs inter Scotum, S. & Thom. latiùs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. Vtrum sit semper Angeli potentia in suo actu?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi supra m. 2.

POtentia Angeli licet possit semper esse in actu; non tamen semper in actu est. Ratio primæ partis conclusionis est; quia cùm nullum sit impedimentum ex parte potentiæ angelicæ, nihil prohibet; quin semper in actu esse possit. Ratio secundæ partis conclusionis est; quia est potentia voluntaria, & non semper est voluntas, qua mediante, potentia exit in actum. Tum quia sicut essentia in creaturis est ad opposita secundum suum genus; quoniam potest esse, & non esse; ita, & potentia; quoniam potest agere, & nō agere. Atquè ita non semper aget, vel in actu erit.

Sexta diffic. Vtrum in Angelo sit vna potentia vel plures?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 3. vbi. 5. & q. 22. S. Tho. q. 54. art. 4. Scot. q. vlt & Ricard. & alij hac. d. 3.

NOn est vna tantum potentia in Angelo, sed plures. Probatur cum Alexand. quia in quocunq; differt essentia à potentia, & est compositio, necessario sunt ponendæ plures potentiæ ratione compositionis. Secundò quia cùm Angelus sit à Deo vno, & Trino per primam assimilationem, debet habere vnam essentiam, quæ respondeat vnitati diuinæ essentiæ, & ad minus tres potentias, per quas Trinitati diuinarum personarum assimiletur. Atquè ita dicitur in genere habere tres potētias, cognoscendi, scilicet, efficiendi, & mouendi, de quibus Alex. q. 22. tractat. Et vltimò probatur conclusio, quoniam summa perfectio, qua omnia vno aguntur, soli Deo conuenit, in quo essentia est idem, quod potentia, & in quo etiam est indiuisa potentia, quemadmodum, & natura.

Quæst.

Alex. Alen. q. 34. m. 1. S. Tho q. 50. art 2. D. Bona. hac. d. ar. 1. per. 3. q. & d. 8. q. 3. 1. Dura. ibidē. q. 1. & d. 8. q. 1. Plato.

Quæst. III. Vtrum Angeli sint corporei? vel an compositi ex materia, & forma?

DVO in hac. q. quæruntur. Primum est, an Angeli sint corpore? Secundum, An sint ex materia, & forma compositi? circa primum sunt variæ sanctorum sententiæ. Quidam enim dixerunt Angelos esse corporeos, sequuti Platonem, qui duas tantum substātias corporis expertes posuit, Deum scilicet, & mentem, ab ipso productam. Dæmones verò, & Angelos esse corporeos tenuit. Alij autē grauissimi patres Angelos esse omninò incorporeos asseruerunt.

CONCLVSIO. I.

ASSERERE Angelos esse corporeos, nequè est hæreticum, nequè manifestus error in fide. Ratio est; quia oppositum non habetur in aliquo cōsilio, nequè in sacris literis, nequè per euidentem consequentiam colligi potest. Quāuis enim in scriptura sæpe Angeli spiritus nominentur; non tamen spiritus pro re incorporea accipitur; cùm frequenter etiam pro re corporea sumatur. Nam aer dicitur spiritus. Et in Psalm. 150. dicitur, omnis spiritus laudet dominum, vbi multa corpora; vt ignis, grando, nix, &c. spiritus numerantur, Et eccles. 39. sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, &c. ignis grando, &c. Quare, vt possit defendi non esse hæreticum, dicendum est; ideò Angelos in sacris literis vocari spiritus: quia habēt corpora subtiliora, & spiritualiora, quàm aliæ creaturæ. Quemadmodum. D. Paul. dicit corpora nostra post resurrectionem futura esse spiritus. Præterea, neq; ex determinatione concilij Lateranensis expræsse colligitur oppositum. Ibi enim licet vocetur natura Angeli incorporea, non tamen colligitur omninò esse incorpoream, sed dicitur spiritualis. Quia subtiliori corpore constat. & cùm ibi obiter illud tractetur, non erit de fide. Nam quæ expræsse in concilijs tractantur, illa sunt de fide, vt Cano. lib. 5. de locis scripturæ, cap. 5. docet.

Psal. 150. Eccl. 39. 1. Cor. 15.

Cano.

Hanc tandem cōclusionem, vt in principio aduotauimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

deffenderunt multi patres. Nam Orig. 2. lib. Peri arc. cap. 2. dicit impossibile esse aliquid sine corpore viuere, præter Deum, & cap. 8. scribit Angelos corpore, & anima constare; quemadmodum homo. Tertulian. lib. de carne Christi, adducens illud Gen. 6. Videntes filij Dei, &c. affirmat, per filios Dei, intelligendos esse Angelos, qui genuerunt. Et Lactantius. 2. lib. diuinarum institutionum. c. 26. & D. August. pluribus in locis. 21. de Ciuit. c. 10. dicit dæmones corpora habere; vt magnis auctoribus visum est. Quòd si aliqui non habere corpora asserant, non sunt curiosa disputatione liberandi. Et lib. 8. de Ciuit. cap. 9. approbat Apulei sententiam affirmantis, Angelos habere subtilia corpora. Et in Inchirid. cap. 49. & 59. dicit tribuenda esse Angelis corpora aerea. Idã & D. Bernard. opinatus est homil. 6. super cãtica. Lege cap. sciendum. 26. q. 3.

Orig.
Tertulia.
Gen. 6.
Lact.
Aug.
Bernard.

CONCLVSIO II.

Temerarium esset nunc dicere Angelos corporibus constare. Ratio est, quia oppositum docet vniuersa Theologorum schola. & quando aliquis sentit contra omnes doctores, temerarius iudicatur. licuit, tamen temporibus, D. August. opinari; quia res in dubium vertebatur; nunc autem clara dilucida, & perspicua est. Et quamuis non sit de fide; est tamẽ ab omnibus recepta, & ex sacris literis magna deprimuntur argumenta ad illam confirmandam. Nam licet ibi aliquando spiritus rem corpoream insinuet, tamen quando distinguitur contra rem corpoream; vt in præsentia pro re corporis experte collocatur, vt Ioann. 4. dixit Christus. Spiritus est Deus, &c. Et ad Ephes. 4. loquens. D. Paul. de malis Angelis. ait. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, idest, aduersus res corporeas. Et passim in multis locis Angeli spiritus appellantur, vt Psalm. 103. qui facis Angelos tuos spiritus. Et Luc. 24. spiritus carnem, & ossa non habẽt: sicut me videtis habere. Tum etiam inter inuisibilia numerantur. ad Roman. 1. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, &c. Et in symbolo Niceno Deum creatorum visibilium, & inuisibilium confitemur. Et in concil. Lateranensi. quamuis fuerit explicationis causa, tamen

S. Tho. q. de dæmo. art. 1.
Temerarius quis.
Ioa. 4.
Ad Eph. 4.
Psalm. 103.
Luc. 24.
Rom. 1.

men de sententia vniuersi concilij istud approbantis, & affirmantis, per naturam spiritualem natura Angelica intelligitur. Nam statim subdit, hominem vtraquè natura constantem. Et confirmatur auctoritate grauissimorum, etiam sanctorum virorum, qui hoc deffenderunt; vt D. Dionys. de diuinis nominibus. cap. 4. expresse dicit Angelos carere omni materia. Et Damascen. lib. 2. suæ Theologiæ. c. 3. Et Gregor. Nazianzenus lib. 2. suæ Theologiæ in fine. & Chrysostom. homil. 22. super Genesi. irridet expositionem eorum, qui asserunt per filios Dei esse intelligendos Angelos. Nam quo modo, inquit, potest fieri, quòd Angeli incorporei vxores ducant? Et addit per filios Dei esse intelligendos iustos, nempè, Seth, & trahentes ex eo originem.

D. Dion.
Damasc.
Gregor. Nazian.

Prima difficultas. Vtrum naturali ratione demonstrari possit Angelos esse incorporeos?

CONCLVSIO.

POTEST Naturali ratione demonstrari. Et ratio est; quia, cùm anima nostra in genere spiritualium sit imperfecta, quò ad hoc, quod indiget organo, & instrumento corporeo ad intelligendum (quoniam nihil est in intellectu, quòd priùs non fuerit in sensu) dandum est perfectum in eodem genere, quod tali organo non indigeat ad intelligendum, quare si ad intelligendum non indiget corpore, superfluum erit ponere in Angelo corpus. Prima consequentia probatur: quia in quocunquè genere datur imperfectum, datur & perfectum; vt in genere animalium brutum est imperfectum, & homo perfectus. Secundò confirmatur conclusio, quia in Philosophia absurdum est dicere Angelos esse corporeos: nam vel illa corpora essent organica, vel non. Si primum, haberent Angeli sensum, & actiones humanas, &c. Si non haberent corpora organica, vel essent solida, vel fluxibilia corpora illa, quod nullo modo est dicendum.

S. Th. q. 50. art. 1. & q. 51. art. 1.

Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Appen. Hinc antiqui Philosophi appellabant Angelos substantias separatas, ideſt, à corpore sequestratas, & intelligentias, & motores cœlorum, vt constat ex. 8. Physi. &. 12. Methap. & Platonici istas substantias vocant dæmones, ideſt, spiritus. Lege. D. August. de ciuit. Dei, lib. 8. cap. 15. & 16. & 6. lib. ferè per totum librum.

Aug.

Secunda diffic. An Angelus sit compositus ex materia, & forma?

Doct. in principio. q. citati. IN hac difficultate declaratur secunda pars tituli huius. q. 2. & in hac difficultate non loquimur de materia, quæ dicit ordinē ad quantitatem, & extensionem, sed nomine materiæ intelligimus partem substantialem constituentem Angelum, & realiter à forma distinctam. Lege. D. Bona. vbi suprà, qui varios modos dicendi ponit.

CONCLVSIO.

Arist. ANGELVS est omninò immaterialis, & nullo modo ex materia componitur. Probatur primò, quia si Arist. de anima dicit, quòd nequè corpus est, neq; est forma in corpore, nequè mixtum cum materia, quod verum est de anima intellectuali; multò igitur magis de Angelo est hoc asserendum, cùm sit simplicioris naturæ, & subtilioris. Deinde nō potest habere materiam vnā cum materia rerum corporearum. Nam percontor. An forma corporea, & incorporearum rerum, fit in eadem parte materiæ? vel in diuersis? non in eadem parte, quia tunc eadem res esset corporea, & spiritualis. Nequè in diuersis partibus; quia tunc forma rei spiritualis haberet diuisionem, & quantitatem, & vtrunq; illi repugnat. Et confirmatur tertiò; quia operatio Angeli, quæ conuenit rei secundum modum substantiæ, est omninò immaterialis, vtpotè, intelligere. Et tandem; quia obiectum intelligibile est quoquè à materia, & ab hic, & nunc, abstractum.

Tertia

Tertia diffic. Erit ne aliqua compositio Angelo constituenda?

CONCLVSIO.

PRopriè, & per se est compositio ex genere, & differentia in angelo; esto, non sit, vt diximus, compositio ex materia, & forma. Et ratio est, quia omne genus prædicamenti diuiditur per differentias, & cùm sint plures species Angelorum, diuidetur genus illarum specierum per differentias, tales species constituentes, quæ compositio vocatur Metaphysica. Et ratio generis, per se loquendo, non sumitur à materia, nec ratio differentiæ sumitur à forma. Est enim de ratione generis, quòd sumatur à tota natura, & essentia, quatenus habet rationem perfectibilis, & determinabilis. Et differentiæ ratio est, quòd sumatur etiam à natura sub ratione perfecti. Lege. S. Thom. de ente, & essentia cap. 6.

Hinc Angelus, quamuis non componatur ex materia, & forma, satis est componatur ex genere, & differentia: vt nō sit purus actus. Recipit enim esse, & in potentia ad aliud, vel est compositus ex esse, & essentia intellectualis. Appen.

Quæst. III. De distinctione Angelorum.

HAEC quæst. mouetur à Magistro in prima parte huius distinctionis; absoluetur autem. q. positis nonnullis difficultatibus.

Prima difficultas. Sunt ne plures Angeli numero?

CONCLVSIO.

PLures esse Angelos, & in magno numero, de fide tenendum est. Hæc conclusio habetur expresè in multis locis sacræ scripturæ, vbi sæpe exercitus Angelorum numerantur, vt Psal. 67. currus Dei decem millibus, multiplex millia lætantium. Et Psalm. 148. Laudate eum omnes virtutes *S. Tho. q. 50. art. 3. Dura. hac. d. q. 4. Psal. 67. Psal. 148.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

itesrtvu eius. In Hæbreo habetur omnes exercitus eius. Et
Daniel 7. Daniel. 7. millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Et Iob. cap. 25. nunquid est numerus militum eius. quem locum declarans. D. Gregor. lib.
D. Greg. 17. moral. c. 7. dicit cogitatione humana comprehendi non posse, quantus sit Angelorum numerus. Et Luc. 2. in natiui-
Luc. 2. tate Christi subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ
Matth. 26. cœlestis laudantium Deum. Et Matth. 26. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones angelorum. Et vnaquæque le-
Para. c. 32. gio, vt suprà diximus. 6666. Angelos comprehendit. Vnde
Apoc. c. 5. in sacra pagina Deus propter multitudinem Angelorum do-
D. Dion. c. 9. minus exercituum nominatur. Lege. 2. Para. c. 32. & Apoc. c. 5. D. Dionys. c. 9. de cœlest. Hierarc.

Secunda difficult. Excedit ne numerus Angelorum omnium aliarum rerum numerum?

Doct. vbi s. HOc loco non quæritur de numero determinato; quia sine reuelatione stultum esset hoc quærere, sed quod quærimus persistentes in principijs naturalibus, est. An excedat numerus, &c. Arist. 11. Methap. tenet non esse plures Angelos, quàm sunt motores orbium, quem sequutus est Auerroes, alij fuisse. 47. alij verò. 55. ad diuersos motus asseruerunt.

CONCLVSIO.

ANGELORVM numerus excedit numerum
S. Tho. est. Dionysi. specierum rerum corporearum. Probatur primò auctoritate. D. Dionysij. 14. de cœlesti hierarc. qui ait. Multi sunt exercitus super naturarum mentium, excedentes constrictam hanc, & infimam commensurationem materialium. Secun-
S. Thom. 2. cont. gent. c. 92. dò ratione confirmatur, quia, quando Deus creauit vniuersa, quantò aliqua res fuit perfectior, tantò in maiori excessu creauit illã. Et Angeli perfectiores sunt ijs inferioribus rebus materialibus. Omnia enim, quæ creata sunt, ordine sunt condita: ita quòd ea, quæ perfecta sunt, propter perfectiora sunt, & hæc sunt secundum numerum, qui necessarius est ad illa

illa perfectiora; at verò illa, quæ propter se creata sunt, in maiori numero sunt condita. Notanter dicitur in conclusione, numerum specierum, & non indiuiduorum; quia indiuidua non pertinent ad perfectionem vniuersi; quemadmodum species.

Tertia diffic. Vtrum substantia materialis ex natura sua sit singularis, & indiuidua?

HAnc difficultatem tractat Scot. q. 1. huius distin. inter *Scot. q. 1.* alias, quas adducit ad maiorem declarationem septimæ. q. in qua ex professo titulus huius. 3. q. exponitur. Et ad intelligentiam tituli huius difficultatis postulandũ est ex logicis, singulare esse vnum numero, quod de nullo alio, quàm de se ipso verificatur; vt anima separata, humanitas iuncta verbo. Est igitur sensus tituli. An ita substantia materialis, quæ exprimitur in abstracto; vt humanitas, includat in sua quidditate singularitatem, quòd sicut de ratione humanitatis est rationalitas, & animalitas; ita de sua quidditate, & essentia sit singularitas, ideſt, quòd sit vna numero, ita vt de se ipsa tantùm, & non de alio verificetur.

CONCLVSIO.

NATVRA materialis non includit in sua quidditate singularitatem, quamuis nulla absquè singularitate existat. Probatur à simili de humanitate, quæ non includit in sua essentia risibilitatem, quamuis non possit sine illa existere. Et confirmatur secundo, propterea quòd non potest intellectus aliquid intelligere contra quidditatem rei cognitæ: vt intelligere hominem irrationalem. Quia est contra quidditatem hominis; potest tamen intelligere humanitatem sine differentia aliqua indiuiduali, & sine aliqua singularitate, vt potest concipere, & formare conceptum humanitatis Petri, considerando illam absq; conditionibus indiuiduantibus, & accidentibus, quibus vnum indiuiduum ab alio differt, & absque hic, & nunc, id est, absque loco, & tempore. Quare singularitas non est de quidditate substantiæ materialis.

Deinde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde quia de ente reali est scientia, & non de ente rationis, quale est vniuersale, quatenus prædicatur de pluribus, neque de singularibus: Ergo erit de natura humana scientia seclusa singularitate. Alioquin non esset ens reale.

Append. 1. Hinc, à parte rei datur aliqua natura communis non per prædicationem, qua dicitur de pluribus, sed per indifferentiam, vt humanitas Petri est natura communis, non quòd dicatur de pluribus, sed per indifferentiam. Quoniam ex parte sua est indifferens: nam sicut fuit contracta à singularitate Petri, potuit à singularitate, Ioannis contrahi.

CONCLVSIO II.

LICET, detur natura communis per indifferentiam à parte rei, non tamen datur aliqua vniuersalitas à parte rei sine operatione intellectus. Et ratio Scoti est, quia cùm vniuersale prædicetur de pluribus, non erit ens reale à parte rei. Propterea quòd ens reale est singulare, quod non verificatur, nisi de se ipso, vel natura communis, vt dictum est modò, sed erit tantum ens rationis.

Appen. 2. Ex ijs duabus conclusionibus colligit Scot. dari à parte rei vnitatem minorem vnitate numerali. Et ad probationem notat, vnitatem aut esse numericam, vt Petrus est vnus numero: quia de se ipso tantùm dicitur, aut specificam: vt conceptus hominis in communi, qui de pluribus verificatur, est vnus vnitate specifica, non tamen est à parte rei, sed est ens rationis. Et inter has duas vnitates, datur vnitas naturæ cõmunis, de qua loquitur in appen. Et probatur, quia illud est minus vnum, quod est indifferens ad plura: vt humanitas Petri ex sua natura poterat contrahi singularitate Ioannis, vel Francisci, & ita est minus vna, quàm vnitas numerica, quæ de se non est indifferens ad plura, & est magis vna, quàm specifica: quia non verificatur de pluribus.

CONCLVSIO III.

NON est ponenda vna natura communis omnium individuorum vnius speciei; sed tot sunt naturæ communes, quot sunt individua. Et ratio est; quia quælibet natura dicitur communis non ob aliud, nisi; quia in sua quidditate non includit singularitatem istam, quam modò habet. Quandoquidem

quidem poterat aliam habere, & alijs accidentibus, & circunstantiis signari.

Quarta difficultas. Quidnam sit ista singularitas, siue differentia individualis, siue principium individuationis, per quod natura ex se communis efficitur vna, & singularis?

TItulus huius difficultatis duo postulare videtur. Primum est, quid illud sit, quod naturam de se indifferentem, & diuisibilem reddit indiuisibilem in inferiori, & individuam, efficit; vt à pluribus participari non possit? Secundum est, quid illud est, quo individuum hoc distinguitur realiter ab alijs eiusdem naturæ. Vnde dicitur individuũ: quia est indistinctum à se, & à quolibet alio distinctum.

Circa hanc difficultatem sunt quot capita (vt aiunt) tot sensus. Gotphredus quol. 1. q. 8. art. 1. tenet, q̃ natura se ipsa est hæc, neque oportere assignare aliquod individuationis principiũ, huic subscribere videntur Dur. q. 2. huius distin. & Gabriel, & omnes nominales. hanc opinionẽ refert Scot. q. 2. *Gotphredus. 1. Durand. Gabriel.*

Secunda opinio est Henrici quol. 5. q. 8. quã etiam Scotus ibidem refert, & confutat, qui asseruit principium individuationis esse negationem communicabilitatis. *Henrici.*

Tertia opinio, quam etiam reijcit Scot. q. 3. est cuiusdam Nicolai Boneti, affirmantis principium individuationis esse actualem rei existentiam. *Nicola. Bonet.*

Quarta opinio, in quam etiam Scot. q. 4. incubitur, est dicentium individuationis principium esse solã quantitatem.

Quinta opinio est S. Tho. 2. contra gent. c. 2. & q. de spiritualib. & in tractatu de principio individ. & de ente, & essentia, & in p. p. q. 3. & q. 29. & tenet principium individuationis esse materiam signatam, hanc non sequitur Scot. cuius opinio sequenti conclusione continetur. *S. Thom. Scot. opi.*

CONCLVSIO.

Principium individuationis est proprietas individualis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ non distinguitur realiter, sed formaliter tantùm, à re cuius est proprietas. Nam, vt inquit Scot. quemadmodum animal est in potentia ad rationale, & irrationale, & contrahitur per differentiam ad talem speciem, & illa differentia non distinguitur realiter à genere; sed solùm formaliter, ita proprietas indiuidualis contrahens, & determinans, non est realiter distincta à re, cuius est proprietas. Et confirmatur conclusio, quia omnis differentia eorum, quæ differunt, reducitur ad aliqua, quæ sint primo diuersa, idest, in nullo cõuenientia, sed Socrates, & Plato differunt numero; ergo resoluentur in aliqua, quæ erunt primò diuersa. Ista non erunt duæ humanitates; quia conueniunt in specie: quare erunt duæ proprietates indiuiduales, quæ in nullo conueniunt. Prætereà entitatem sequitur vnitas; nam ens, & vnum conuertuntur, & entitatem numeralem vnitas numeralis sequitur, & entitas, quam sequitur vnitas numeralis, non potest esse materia, nec forma; quoniam sunt partes speciei, nec totum compositum, cùm sit species, nec aliquod accidens, cùm subsequatur naturam indiuiduam; ergo erit principium indiuiduationis proprietas, &c. Et tandem; quia principium indiuiduationis est illud, cui per se primò repugnat diuidi in inferiora, & nihil aliud est, præter proprietatem hanc, cui repugnet, ita diuidi, quia non materiæ, nec formæ: quare, &c. Et huiusmodi differentiæ indiuiduales vocantur ab aliquibus discipulis Scoti hæ quæntitates, vel hæ qualitates, à pro nomine hoc, quod demonstrat tantùm singulare. Et quia differentiæ indiuiduales efficiunt naturam singularem; ideò talis differentia vocatur, hæc qualitas, à quibusdam petreitas, vel Ioanneitas ab aliis Hæceêytas nuncupatur. Cæterùm de tota hac quæst. & de singulis eius difficultatibus, latiùs in libro de controuersijs inter. S. Thom. & Scot. disputabitur.

Quartã

Quarta difficultas. Vtrum in qualibet specie Angelorum sint plura indiuidua? an vnum tantùm?

CIrca hanc difficultatem sunt duæ extremæ opiniones. Vna S. Thom. affirmantis, impossibile esse; vt duo Angeli numero differentes sub eadem specie contineantur. Altera, & contraria tribuitur Scoto, quã prius multò amplexus fuit Alex. Alen. cui etiam adhæserunt. D. Bonau. Ricard. & Durand. *Alex. Alen. q. 20. m. 6. S Tho. q. 50. art. 4. S. Bona. art. 2. & d. 9. q. 1.*

Hæc difficultas, vel intelligitur de possibili, vel de facto, primo modo sit.

CONCLVSIO I.

POSSIBILE est plures Angelos esse sub eadem specie ima, vel specialissima, solo numero differentes. Et ratio à definitione speciei est; quia speciei natura est; vt possit prædicari de pluribus, solo numero differentibus, & cùm quælibet species Angeli sit vniuersalis, & communis pluribus, poterit de pluribus prædicari. Alioqui enim non esset species, neque de Angelis esset scientia; quia de singularibus, sicut non est diffinitio, neque scientia. Quid? quòd, vt omnes animæ rationales à corporibus separatæ sunt eiusdem speciei, ita, & plures Angeli possunt sub eadem specie contineri. Et vt potest Deus annihilare Angelum Michaêlem, & postèà producere alium eiusdem speciei cum Michaele, potest absque eius annihilatione vtrunq; conseruare. Et ita essent iam plures Angeli sub eadem specie. Discipuli S. Thom. hanc conclusionem confitentur, licet S. Thom. illam diffiteatur. *Ricard. art. 5. q 1. Scot. q 7. & Duran q. 3. huius dist.*

CONCLVSIO II.

DE Facto plures Angeli, solo numero differentes, sub eadem specie continentur. Et præter rationes primæ conclusionis, quibus etiam hæc secunda conclusio confirmatur, denuò probatur ratione, quæ ex D. August. in Enchiridion colligitur, quæ postulat articulum fidei, qui apud D. Paulum ad Hæbreos. 2. legitur. Nusquam Angelos appræhendit, sed semen Habraæ, id est, non est factus *D. Aug. Ad Hæbr. 2. c.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelus ad reparandam naturam Angelicam; sed homo ad naturam humanam restaurandam. Hinc sic formo rationem; causa, ob quam verbum diuinum non assumpsit naturam Angelicam; assumpsit tamen humanam, est; propterea q tota natura humana, vel species, quæ in vno Adam latebat, periit; non tamen periit tota species Angelica. At si quilibet Angelus esset propriæ speciei, tot species perijssent, quot fuere Angeli damnati. Quare singuli non sunt peculiaris speciei; sed plures eidem speciei subijciuntur. Et B. Damascenus in elementario hanc veritatem confirmat dicens, secundum vnamquamq; speciem fecit Deus Angelos. sed de hac re copiosius in libro controuersiarum.

Damasce.

Quæst. IIII. De cognitione Angelorum.

ALex. Alen. q. 23. & 24. S. Tho. à q. 54. vsq; ad. 59. D. Bonau. Ricar. Scot. Dur. & alij doct. scholastici hac dis. 3. Quæst. hæc, quibusdam difficultatibus positis, declarabitur, quibus, tanquam prolegomen, siue præludium, erit sequens difficultas anteponenda.

Prima diffic. Vtrum in Angelis sit intellectus agens, & patiens?

Alex. Alen. q. 22. m. 3. s. Thom. q. 54. art. 4. Scot. q. vlt. huius dist. Arist. 3. de anima.

DVæ sunt contrariæ opiniones. Prima est S. Tho. qui negat in Angelis intellectum agentem, & possibilem reperiri. Secunda est Scoti affirmantis, habere Angelos intellectum agentem, & possibilem. Et ad maiorem intelligentiam huius difficultatis est prænotandum, eundem numero intellectum esse agentem, & possibilem; habere tamen diuersa nomina, propter diuersos effectus, quos producit. Nam intellectus, quatenus agens est, duo facit officia. Et primum est formare species spirituales, per quas obiecta dicuntur actu intelligibilia, ideſt, in potentia propinqua; vt intelligantur, hoc est, ex speciebus sensibilibus facit species intelligibiles, spirituales, & non tanquàm ex termino à quo, vel tanquàm ex materia; sicut quando ex ære fit ignis, vel quando

quampo ex ære sit statua. Et hoc efficit formando quandam speciem intellectualem, quæ repræsentat obiectum, quod erat cognoscibile tantùm per sensum, qua specie mediante, fit in potentia propinqua cognoscibile, ideſt, actu per intellectum intelligibile. Secundum officium intellectu agentis est facere vniuersalitatem in rebus, ideſt, formare species vniuersales, per quas intelligatur obiectum, sub ratione vniuersalium in particulari; vt si quis Petrum sub ratione animalis, aut hominis, & non sub ratione Petri intelligat.

Intellectus idem dicitur possibilis duabus de causis. Prima; quia est in potentia ad recipiendam illam speciem, ratione cuius obiectum vnitur accidentaliter intellectui, & potentia redditur obiecto similis; eò quòd in se habet similitudinem. Secunda causa est, quia, illa specie mediante, efficit similem notitiam obiecti, per quam obiectum non est iam actu intelligibile; sed actu intelligitur.

Appen. *Scoti est vbi suprà. Alex. vbi s. & q. 69. m. 3. art. 3. Ad Ephes. 3.*

Hinc ad cognitionem comparandam oportet ponere intellectum agentem producentem peciem intelligibilem, quæ est obiectum intellectus, & intellectum possibilem, qui sit potens ad recipiendam speciem, & recipiendas, & producendas notitias. Ideo enim dicitur intellectus possibilis, ideſt potens pati, nempè, recipere in se speciem, & potens facere, ideſt, notitias producere. Ijs ita constituris, respondeo difficultati cum Alex. Alen. & Scoto.

CONCLVSIO.

Angeli possibilem, & agentem intellectum habent. De intellectu possibili probatur primò, ex. d. Paul. ad Ephes. 3. vbi docet Angelos didicisse mysterium incarnationis Christi; vt innotescat, &c. Quamobrem cùm sint in potentia ad multa intelligibilia, quorum non habent species, erit necessariò ponendus in illis possibilis intellectus. Secundò de intellectu agenti probatur: quia cùm sit res maximæ perfectionis, animæ corpori coniunctæ, habere intellectum agentem, quo possit suum obiectum motiuum, scilicet, speciem intelligibilem formare; non erit profectò talis, & tanta virtus motiua neganda Angelis, cùm sit præstantioris naturæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

turæ. Tertiò Angelus habet intellectum possibilem, vt modò ex D. Paulo demonstratum est; quia potest recipere omnium intelligibilium species (siue acquisitas, siue infusas. nihil enim refert, quæ illarum sint) habet igitur, & agentem intellectum, Alioquin frustra esset potentia passiua ad recipiendas species, si actiua potentia ad efficiendum tales species Angelus careret. Cuilibet enim potentiæ passiuæ naturali (vt Aristot. auctor est.) sua potentia actiua naturalis respondet. Et confirmatur, sit ita, quòd anima coniuncta corpori habeat species cõcreatas omnium intelligibilium; nihilominus tamen haberet intellectum agentem, & possibilem. Quia hoc ad animæ perfectionem pertinet: quare non erit hoc idem Angelis, qui sunt maioris perfectionis, quàm anima rationalis, denegandum.

Arist. 3. de anima.

Deinde, anima Christi Iesu redemptoris nostri videbat ab instanti suæ conceptionis in verbo omnia; nihilominus tamen habuit intellectum agentem, & possibilem; similiterq; habuisset, quàmuis ab instanti suæ conceptionis omniũ intelligibilium species in proprio genere recepisset. Propterea, quòd habere huiusmodi intellectum, est commune omnibus animabus coniunctis. Qua propter idem erit de Angelis censendum, quamuis à principio omnium intelligibilium species receperint. Tandem probatur conclusio. Demus creatum fuisse à Deo, cui nulla esset data species. Percontor modò, aut iste Angelus posset formare species vniuersalium, aut singularium, aut non? Si primum; ergo Angelus habet intellectum agentem, & possibilẽ, vt constat ex dictis in principio difficultatis. Si secundum, sequitur manifestè animam coniunctam materiæ esse maioris perfectionis, quàm sit Angelus, cum anima, intellectu agente, & possibili prædita, posset acquirere scientiam; Angelus verò tali intellectu orbatus haud posset. Quod quidem philosophiæ, & veritati aduersatur, quàm quod maximè. Sed de his in lib. controuersiarum fusiùs.

Lege Alex. Alen. q. 22. m. 3. & q. 24. m. 2. tenet hanc conclusionem.

Secunda diffic. An sint ponendæ species intelligibiles infusæ, vel acquisitæ in Angelis?

Alex. Alen. q. 26. m. 2. S. Tho. q. 55. artic. 2. Scot. m. 1. dist. 3. q. 6. Gabriel. q. 2. Duran. q. 5. & 6. huius dist.

HAEC difficultas est quoq; tanquàm præludium præmittenda, ad explicandam difficultatem de cognitione Angelorum, quæ medijs speciebus comparatur. Sunt autem de hac difficultate duę opiniones cõtrarię. Vna affirmans communis Alexand. S. Thom. & Scoti, & omniũ ferè Theologorum, & Philosophorum. Altera negans Dur. & Gabriel. qui citat Ocham in suam sententiam.

CONCLVSIO.

S. Bon. ar. 2. q. 12. p. eiusdem distin. Arist.

VT intellectus possit intelligere, necessariò sumt species intelligibiles constituendæ. Probatur conclusio vna, atquè altera ratione. Prima intellectus nihil cognoscit, nisi per suũ simile, & species est similitudo obiecti: quare cognoscet, & formabit notitiam per speciem. Quod docuit Aristot. 3. de anima dicens, lapidem non esse perse in anima; sed eius speciem. Aliter enim non posset cognitio fieri. Ad secundam rationem nota cum Aristot. 7. Physico. Quòd vt fiat actio, agens, & passum debent tangere se, vel contactu virtuali: vt quando agens operatur in extremum per medium, exempli gratia, quando sol mediante aëre calefacit terram, vel contactu mathematico, quando ex vtroquè fit vnum, vt ex specie intelligibili, & intellectu fit vnum per accidens. Iam sic formo rationem; vt fiat actio, agens, & passum debent vniri, obiectum autem mouet intellectum ad notitiam sui; quare debent vniri; & cùm non possint perse, quia lapis (vt cum Aristot. modò diximus) non est in anima, vnientur profectò per accidens, ideſt, per speciem, quæ subiecti quidditatem suppleat. Quod etiam Aristot. 3. de anima insinuauit affirmans, intelligere esse quoddam pati, ideſt, receptione specierum fieri intellectionem.

Arist.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia difficult. Vtrum Angelus cognoscat seipsum per suam essentiam?

Alex. Alen. vbi suprà. S. Thom. q. 56. art. 1. & etiam. q. 54. art 1. & 2. Scot. q. 8. Bona. vbi. Henricus. Marsil.

TItulus huius difficultatis triplicem potest habere sensum. Nam primò potest intelligi, an essentia Angeli sit intellectio, & actus, quo intelligit se formaliter? Secundò, an potentia, qua se intelligit, sit sua essentia? Tertiò an species, qua se intelligit, sit sua essentia? ita quod non indigeat alia specie intelligibili, repræsentãte. Omnes Theologi vnanimes, & vno ore consitentur, Angelos intelligere seipsos per suam essentiam, solus Henricus Gandensis, quo. D. lib. 5. q. 14. affirmauit, Angelum etiam seipsum cognoscere per speciem intelligibilem, repræsentantem Angelum, cui etiam adhæsit Marsil. in. 2. q. 7. art. 9.

Difficultati huic erit respondendum iuxta triplicem sensum positum.

CONCLVSIO I.

Intelligere Angeli non est sua essentia. Et ratio S. Tho. vbi suprà est; quia maior distinctio est inter esse, & operationem, quàm inter esse, & essentiam: & cũ esse, & essentia in nulla creatura sint idem, neque erunt idem essentia, & operatio, & intelligere Angeli operatio illius est. Tum etiam; quia asserere, intelligere Angeli, quo intelligit Deũ, esse eiusdem Angeli essentiam, & substantiam est hæreticum: nam esset tunc beatus per essentiam, & dæmon etiam esset malus per essentiam, nempè, per operationem intellectus.

CONCLVSIO II.

Potentia, qua Angelus se ipsum intelligit, non est idem cum sua essentia; sed ab essentia realiter; vt Thomistæ asserunt, siue formaliter, vt Scotus voluit, distinguitur. Hac cõclusione explicatur secundum sensus tituli præsentis difficultatis, & est contra Gabrielem, qui quæst. 2. huius distinct. secutus Ocham affirmauit potentiam intellectiuam, qua Angelus intelligit, esse ipsammet Angeli essentiam, & cõtra Durand. quæst. 5. eiusdem distinct. qui illis subscripsit.

Iam

Iam probatur conclusio; quia, cùm omnis potentia proxima, siue actiua, siue passiua, sit respectu alicuius actus accidentalis distinguatur à suo subiecto, & intellectus Angeli sit huiusmodi potentia, distinguetur ab eius essentia, & non erit idem cum illa. Et D. August. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 17. Et B. Anselm. in lib. de memoria præscientiæ, & prædestinatione. Et B. Dionysi. de cælesti Hierarc. cap. 2. & 9. & 11. insinuant intellectum, essentiam, & operationem distingui realiter, vt declarant discipuli S. Thom. vel formaliter, vt Scot. exponit. Et tandem, quia actus essentiæ Angelicæ est esse, & actus intellectus Angelici est intelligere, & cùm isti actus sint distincti, erunt quoquè distinctæ potentiæ; quia potentiæ per actus distinguntur.

D Aug. D Ansel. D. Dionysi.

CONCLVSIO III.

ANGELVS intelligit se ipsum per suam essentiam, & non per aliquam speciem intelligibilem. Hanc conclusionem omnes ferè (vt suprà diximus) consitentur. Et ratio est; quia cùm notitia ab obiecto actu intelligibili, ideſt, actu intellectui, vel per se, vel per accidens vnito, & ab essentia producatur, & essentia Angelr sit actu intelligibilis (quoniam est proprio intellectui per identitatem vnita) producetur planè immediatè notitia Angeli ab essentia, & intellectu eiusdem, sine specie intelligibili. Confirmatur ex Aristot. 3. de anima; dicit enim si lapis esset intellectui vnitus, non indigeremus specie intelligibili ad eius intellectionem. Quare hic non indiget Angelus specie intelligibili, cùm eius essentia sit intellectui vnita; vt modò diximus. Tum etiam; quia, si species obiecti informans intellectum, est partialis causa intellectionis, multò magis erit obiectum ipsum causa intellectionis, si sit potentiæ vnitum; vt in hoc loco, cùm species eius vicem gerat, & eiusdem obiecti virtute operetur. Et patet exemplo luminis solis; nam, vt lumen vnitur oculis nostris, & sine vlla specie ab ipsis videtur; ita etiam adest essentia Angeli immediatè eius intellectui vt principium, & ratio intelligendi, sine vlla specie.

Aristot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta diffic. Vtrùm quod de Angelo modò dictum est, dici, & affirmari possit de animæ cognitione, & de alijs, quæ ad ipsam pertinent:

CONCLVSIO I.

Doct. vbi. s. & Gregor. Arimin. dis. 5. q. 2.

IDem dicendum est de anima absolutè loquendo, quod de Angelo modò probatum fuit. Et ratio est; quia ad cognitionem (vt proxima difficultate diximus) duo per se requiruntur, nempe potentia cognoscēdi, & obiectum actu cognoscibile vnitum potentiæ, & intimè illi præsens. Quæ duo proculdubio animæ rationali conuenire videntur, propter eius immaterialitatem; quæ est principium, & radix, non solum virtutis cognoscendi, & intelligēdi, verùm etiam

Arist. actualis cognoscibilitatis, & intelligibilitatis. Quod Aristot. aperte docuit. 3. de anima. cap. 4. dicens, in separatis à materia idem esse intellectum, & quod intelligitur. Et idem

D. Aug. omninò sentire videtur D. August. de Trinit. cap. 3. & alijs in locis, vt refert Arim. vbi suprà. Et idem tenet S. Thom. 1. p. quæst. 98. art. 2. vbi expressè cōcedit animam separatā à corpore cognoscere seipsam, eo modo quo Angelus seipsum cognoscit.

CONCLVSIO II.

Appen. 1. Anima rationalis corpori coniuncta non potest modo prædicto se ipsam agnoscere. Et ratio est; quia anima, dum est corpori vnita, non potest intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata; vt experimento comprobatum est, & Arist. 3. de anima docuit. Hoc enim est illi connaturale.

Appen. 2. Hinc priùs intelligit anima, quæ habent esse in materia, quorum phantasmata habemus.

Hinc, quia anima non cadit sub sensum, cùm sit immaterialis, & non possit de illa haberi phantasma, non potest pro isto statu per suam essentiam cognosci. Idemq; est iudicium de ijs, quæ ad illam pertinent, quæ similiter sunt immaterialia; vt infrà de illis rebus ab anima cognitis patebit.

Quinta

Quinta difficult. Vtrùm Angelus cognoscat alia à se per suam essentiam, vel per species?

Alex. Alen. q. 26. m. 2. S. Tho. q. 55. art. 1. & Scot. q. 3. & 4. Gabriel q. 5. Durandus. q. 6. D. Dionys.

DIfficultate proxima declarauimus, quo medio Angelus cognoscat se, nunc explicandum est. An eodem etiam medio cognoscat alia à se, ita vt eius essentia repræsentet illi omnia alia à se, & non indigeat specie aliqua ad cognitionem aliarum rerum adquirendam.

CONCLVSIO.

Angelus non intelligit alia à se per suam essentiam; sed per species, tanquàm per medium. Hanc cōclusionem communis doctorum sententia confitetur. Et illam B. Dionysi. 7. cap. de diuinis nominibus docet. Vbi dicit, Angelos illuminari rationibus rerum. Quamobrem Angeli per rationes rerum, & non per propriam substantiam, alia à se agnoscūt. Et ratione probatur; quia, si Angelus per suam essentiam cognosceret alia à se, semper omnia actu intelligeret, quemadmodum semper actu se ipsum intelligit, quia intelligit se ipsum per suam essentiam, quæ semper est illi præsens.

Tum etiam, cùm essentia Angeli sit limitata, & finita ad certum genus, & ad certam speciem, & determinet sibi quælibet Angeli essentia certam naturam: ideo non potest esse ratiō ad cognoscendum omne ens à se distinctum; quare cognoscet Angelus alia à se per species, & nō per suā essentiam.

Hinc sola essentia diuina potest esse ratio cuicunq; intellectui cognoscendi omnia propter suam illimitationem. Et quia sola continet in se omne ens formaliter, & virtualiter. Nam formaliter continet perfectiones simpliciter simplices, quæ sunt in creaturis; virtualiter autem, & eminenter cōtinet cæteras perfectiones, quæ in creaturis habent admixtā imperfectionem. Quod quidem non potest naturæ Angelicæ finitæ, & limitatæ conuenire.

Appen. 2.

Hinc etiam solus Deus omnia extra se semper actu intelligitquè. Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Quia per suam essentiam, quæ omnium cōtinet similitudines, omnia intelligit. Lege doct. in. 2. diffic. huius quæst. citatos.

Appen. 2. *Hebræ. 4.*

Sexta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sexta diffic. Vtrum Angeli intelligant nõ solùm per species infusas, & concreatas: verum etiam per species acquisitas?

Alex. Alen. 3 q 24. & locis citatis. S. Tho q. 55. art 2. Ricar. art. 6. q. 2. Scot. q. 10. & 11. D Bona.

SOlet proponi hæc difficultas, hoc modo. S. An Angeli accipiant cognitionem à rebus? vel an intelligant per species acceptas à rebus; vel sit sicut intellectus noster, qui nascitur, tanquàm tabula rasa, & sumit à rebus species. Circa hanc difficultatem, quæ difficilis est Ricard. & Scot. affirmant Angelum aliquas à rebus sumere species. Et S. Thom. oppositum tenet; at verò. D. Bona. 2. p. huius. 3. dist. art. 2. q. 1, medius incedere videtur.

CONCLVSIO I.

Ezec 28. D. Aug.

Angeli per species concreatas quidditates omnium rerũ intelligunt. Constat veritas huius conclusionis primùm auctoritate sacræ scripturæ: nam Ezechiel. 28. loquens de lucifero ita ait. Hæc dicit dominus Deus. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus in decore, &c. Quare ab instanti creationis, &c. & ex consequenti non acquisiuit scientiam quidditatum per species acquisitas à rebus; sed per concreatas. Deinde D. August. super Gen. cap. 1. & 4. affirmat res prius fuisse ab Angelo cognitas, quàm in propio genere existerent, quare non cognouit eas per species ab illis sumptas; sed per concreatas. Et in lib. de causis scribitur, omnem intelligentiam esse plenam formis, idest, speciebus. Et tandem ratione confirmatur; quia anima paruuli discedentis ante vsum rationis intelligit statim post separationẽ quidditates rerum, & non nisi per species infusas; quare & angeli in instanti creationis similiter intellexerunt. Dices cognoscunt ne Angeli etiam singularia? respondeo.

Dubium. 1.

CONCLVSIO II.

Alex. Alen. & alij vbi. s. S Tho. q. 57. art. 2. Psalm. 90.

COGNOSCVNT absquè dubio Angeli singularia. Et ratio est, quia custos necessariò debet cognoscere rem, quam custodit, & Angeli custodiunt nos, & omnes vias nostras, idest, singulares actiones. Iuxta illud, psalm. 90. Angelis

Angelis suis mãdauit de te; vt custodiant te in omnibus viis tuis. Nec posset quis aliquibus ministrare necessaria, si ea non agnosceret; neq; prouidere quæ cõueniunt, si, quæ prouidenda sunt, non intelligeret. Et cùm Angeli sint administratorij spiritus, vt habetur ad Hæbre. cap. 1. omnes sunt administratorij spiritus, & prouideant nobis, & nostri curam habeant (dicente scriptura, Eccles. cap. 5. Ne dicas coram Angelo non est prouidentia) intelligent profectò singularia. Quæ veritas Arist. non latuit, quando Angelos motores orbium constituit, quos per intellectum, & voluntatem mouere asseruit. Et si orbes singulares non cognoscerent, quo modo, quæso, illos mouerent? Percontabis. Cognoscit ne Angelus singularia per species vniuersales concreatas?

Ad Hæbre. c. 1. Eccl. c. 5. Arist.

Dub. 2.

CONCLVSIO III.

Angelos intelligere singularia per illas species vniuersales, quas ponunt Thomistæ, videtur impossibile. Et probatur primò; quoniam tunc Angelus naturaliter esset conscius futurorum contingẽtium per species sibi connaturales, quod est erroneum. Et confirmatur, quoniam illæ species; vt Thomistæ confitentur, sunt rationes sciendi omnia futura, & cùm Angelus sit conscius se habere illas species, poterit exire in actum, atquè ita naturaliter habebit notitias omnium futurorum. Et non indigerent Angeli reuelatione aliqua futurorum; quia possent ex illis speciebus, quarum sunt conscij, formare notitias omnium futurorum. Hæc autem asserere, plusquàm erroneum est. Quæres rursus, per quas igitur species Angelus intelliget singularia?

Dub. 3.

CONCLVSIO IIII.

Angelus per species acquisitas à rebus intelligit singularia. Et ratio est; quia cùm omne, quod cognoscitur, per aliquam similitudinem cognoscatur (vt Arist. 3. de anima est auctor) & Angelus cognoscat singularia, vt ex secunda conclusione constat, & non per species concreatas, vt in 3. conclusione probatum est, cognoscet profectò singularia per species à rebus acquisitas. Secundò probatur conclusio; quia agente, & patiente, sufficienter approximatis, naturaliter sequitur effectus, & Angelus potest habere aliquod singulare

mate-

Universidad de Deusto
Biblioteca

materiale, verbi gratia lapidem, sufficienter sibi approximatum; quare poterit virtute intellectus agentis speciem illius singularis in suo intellectu patibili formare. Nam si potest anima coniuncta corpori formam intelligibilem lapidis formare; quia habet in sensu communi phantasma lapidis sufficienter approximatum, poterit quoque & Angelus formare speciem intelligibilem cum lapide, quem habet sufficienter approximatum. Et confirmatur, quia si phantasma lapidis efficit speciem intelligibilem partialiter cum intellectu agente: quoniam supplet vicem ipsius obiecti, nempe, lapidis, multò magis profectò poterit hoc efficere obiectum ipsum, vt potè lapis. Tandem probatur ad Ephesios. 3. c. inquit. B. Paul. mihi omnium sanctorum minimò data est gratia hæc, &c. illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi, scilicet, incarnationis, &c. vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam (scilicet per prædicationem, & fidem ecclesiæ) multiformis sapientia Dei. Quo loco gloss. & D. Hieron. affirmant multos Angelorum didicisse incarnationem Verbi, post eius passionem, vt patet Isaiæ. 63. Quis est iste, qui venit de Edom, &c. Et psalm. 23. Quis est iste Rex gloriæ? &c. Hinc ita colligo rationem. Angeli acceperunt mysterium incarnationis, & non per species innatas, ergo per species acquisitas. Sed de hac difficultate lege librum controuersiarum.

Ephes. 3.

D. Hiero. Isaiæ. 63. Psal. 23.

Septima diffic. Vtrum Angeli, quò superiores, eò per pauciores, & vniuersaliores intelligant?

S. Tho q. 55. art. 3. Scot. hac d. q. 10. & d. 9. q. 2.

SAnctus Thom. affirmat. Scot. verò negat. Ad maiorem intelligentiam huius difficultatis sunt iacienda aliquot fundamenta.

1. Funda. Species est naturalis obiecti similitudo. Communis sententia philosophorum hoc fundamentum probat. Nihil enim posse cognosci, nisi per suum simile ex Aristot. 3. de

de anima colligitur. Nam dicit Aristot. necesse est, aut res ipsas, aut formas in anima esse: & cùm res ipsa, vt lapis, in anima non sit, erit eius species, quæ similitudo rei nominatur. Et patet in speculo, vbi recipitur species obiecti, quæ est expressa obiecti imago. *Arist.*

2. Funda. Fieri non potest; vt eadem similitudo contraria repræsentet. Et ratio est; quia, cùm similitudo sit naturalis imago repræsentans prototypum, & contingat prototypa esse contraria, vt quidditas hominis, & bruti, fieri profectò non poterit, vt eadem similitudo vtrumque repræsenter. Perinde enim esset, ac si vnam, & eandem imaginem hominis, & leonis, fingeremus.

3. Funda. Species ratione perfectioris potentiæ, in qua est, vniuersalius repræsentare non potest. v. g. eadem species in Angelo non repræsentabit plura, quàm in anima separata: vt si in anima solùm repræsentat quidditatem hominis, in Angelo non repræsentabit quidditatem hominis, & leonis. Ratio huius fundamenti sic colligitur. Demus vnum principium esse rationem cognoscendi tres conclusiones; vt exempli causa, animal rationale, ex quò infertur hominem esse flebilem, & risus, & beatitudinis participem. Hinc sic colligo argumentum. Hoc idem principium in intellectu Angeli non erit ratio intelligendi plures conclusiones, quam tres prædictas, sicut est ratio cognoscendi in homine, ergo à simili, si vna species fuerit ratio repræsentandi solùm quatuor quidditates, non repræsentabit quinque, eò quod sit in perfectiori intellectu. Repræsentabit tamen facilius, clariùs, puriùs, & limpidiùs, iuxta maiorem perfectionem intellectus.

4. Funda. Deus potest creare aliquem Angelum, ita supremum; vt non possit creare perfectiorem. Et probatur ab Scoto in *3. Scot. est.* distinct. 14. nam vt S. Thom. & Scot. opinantur, sicut summa gratia est creabilis ita, vt perfectiorem Deus creare non possit; ita theologandum est de substantijs. Ijs iactis fundamentis sit.

CONCLVSIO.

ANGELI, Non ideò intelligunt per pauciores, & vni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vniuersaliores species; quòd sint superiores; cùm nulla species in intellectu angelico vniuersalius, quàm alia representet. Singularum enim quidditatum sunt singulæ species. Demonstro conclusionem cum Scoto varijs rationibus. Sit prima; species est naturalis, & expressa obiecti similitudo; vt ex primo fundamento constat, & fieri non potest, vt eadē species, & similitudo contraria representet; vt in 2. fundamento patet; quare non poterit vna, & eadem species esse similitudo plurium quidditatum, & ex consequenti Angeli, quò sunt superiores, non intelligent per pauciores, & vniuersaliores species. Secunda ratio; quia ex opposita sententia sequitur, posse dari speciem tantæ perfectionis in representato, quantæ perfectionis est essentia diuina in representando. Probatur sequela; sit ita, vt aliquis Angelus supremus de facto intelligat per duas tātùm species, iam crearetur alius Angelus isto perfectior, vt constat ex. 4. fundamento, iste intelliget per pauciores species, nempè, per vnam, quæ erit ratio intelligendi infinita intelligibilia, infinitu, scilicet, singularia, & infinitas quidditates, à Deo factibiles. Nam inter hominem, & formicam potens est Deus creare infinitas species, formica perfectiores, & homine imperfectiores. Iam igitur illa species tantæ perfectionis erit, quantæ essentia diuina, quæ dicitur infinita, quia est ratio representandi obiecta infinita. Tertia ratio; Angelus potest habere actualem hominis, & non leonis cognitionem, non igitur cognoscet vtrumq; per vnam speciem; sed per diuersas: Sequela patet; nam si vna, & eadem species vtrumq; representaret, cùm talis species sit agens naturale, non posset mouere intellectum ad cognitionem vnius quidditatis, & non alterius. Quia licet intellectus subsit voluntatis imperio, quò ad intelligendum, vel non intelligendum; species tamen, cùm sit accidens, inhærens, non subest quantùm ad repræsentandum, & mouendum intellectum, voluntatis imperio. Quod confirmo exēplo habituum, qui non inclinant ex voluntatis imperio; sed voluntate ipsa renitente. Verùm de ijs in lib. controuersiarum.

Octaua

Octaua diffic. Vtrùm Angelus diuinæ essentiæ naturalem cognitionem habeat, & qua ratione sine medio illam obtineat?

Hic non quæritur. An potuerint naturaliter Deum cognoscere? Hoc enim perspicuum satis, superq; est. Nam, cùm sint hominibus longè perspicatiores, & homines, naturā duce, citra reuelationem Deum cognouerint (dicente D. Paul. ad Rom. 1.) qui cum Deum cognouissent, &c. non dubium est; quin Angeli Deum naturaliter cognouerint. Sed quæritur de medio, quo Deum cognouerunt exīstentes in via. Et nota diligenter sequentia fundamenta.

Primum fundamentum tribus modis res aliqua potest cognosci. Primo per suam ipsius essentiam; vt lux, quæ oculo inhæret, & ab oculo cognoscitur, & Angelus; vt suprà diximus, se per suam essentiam cognoscit. Secundò, per speciem, siue similitudinem potentiæ cognoscendi inhærentem, quo modo oculus corporeus videt lapidē per species, & agnoscitur lapis. Et tertio cognoscitur res per speciem, non quidē acceptam à re cuius est species; sed ab alia, in qua resultat. Qua ratione video hominem à tergo exīstentem per eius similitudinem in speculo præ manibus habito respondentem. Ijs tribus modis cognoscitur Deus.

Secundum fundamentum. Principium alicuius effectus dupliciter dicitur naturale. Primò, quando ex viribus, & principijs naturalibus est; vt intellectus suæ operationis est hoc modo naturale principium. Quia ex viribus suis cùm generali Dei concursu intelligit. Secundò, principium supernaturaliter inditum, vocatur naturale; quia est concreatum, & ille ratione alicuius status: quo modo iustitia originalis concessa à Deo in statu innocentiæ, eò quod esset de ratione illius status; naturalis dicebatur.

Hinc, cognitio Angelorum in via, quā habuerūt per speciē concreatā, per quā cognouerunt Deum, dicebatur naturalis. Quia erat de ratione illius status. Et vocabatur etiam supernaturalis, propterea q̄ non erat ex viribus naturę.

Alex. Alen. q. 24. m 1. S. Tho q. 56. art. 3. S. Bona. art. 2. q. 2 2 p. dist S ot q. 9 & alij hac 3. dist. Ad Rom. 1. 1. Fund.

2. Fund.

Append. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. 2. Hinc, iuxta hanc acceptionem gratia, & gloria nunquàm dicuntur principia naturalia in via; quia nunquàm sunt de ratione alicuius status viatoris.

3. Fund. Tertiũ fundamentum. Cognitio, vel est intuitiua, qua cognoscitur res cum sua actuali existentia, extra suas causas, & in se ipsa: vel est abstractiua, qua cognoscitur res abstrahendo ab existentia actuali, siue res, quæ cognoscitur, sit, siue non sit. Duplicem autem hanc notitiam potest intellectus habere; sensus verò exterior habet intuitiuam tantum, & communis sensus solam abstractiuam habet. Quod quidem experimento comprobatur, quando inter dormiendum, recordamur rerum absentium, quæ quidem recordatio non fit per intellectum, quia tunc non vtimur ratione; sed fit tantum per sensum cõmunẽ, qui phantasia nominatur. Confirmat etiã hunc sensum communem memoria animalium; quæ quia hoc sensu communi prædita sunt, præteritorum recordantur.

4. Fund. Quartum fundamentum. Cognitio vel est confusa, vel est distincta. Prima est, quando cognoscitur obiectum sub ratione vniuersalis, nempè, generis, aut speciei, vel quando cognoscitur solùm id, quod est obiecto cognito cũ aliis cõmune. v. g. quando à longe aliquod indiuiduum sub ratione animalis, vel hominis cognoscimus. Secunda est, quando sub particulari ratione specifica, vel indiuiduali, obiectum agnoscitur; vt si homo quatenus rationalis est, vel Petrus sub ratione petreitatis, siue ecceitatis, cognoscatur. Et ratio huius fundamenti est; quia omnis differentia constitutiua, est etiam distinctiua: vt rationale constituit hominem, & distinguit illum à bruto. Et petreitas Petrum constituit, & à cæteris illum distinguit: quare sola cognitio, quæ habetur obiecti per propriam differentiam, siue essentialem, siue indiuidualem, erit distincta.

Appen. 3. Hinc eadem cognitio respectu diuersorũ est cõfusa, & distincta; vt notitia hominis in cõmuni, si comparetur cũ notitia animalis, erit distincta de differẽtia specifica; si verò comparetur ad notitiam, quæ de Petro habetur, erit confusa.

5. Fund. Quintum fundamentum. Notitia distincta, vel est quidditatiua, vel non quidditatiua. Prima est notitia perspicua, & certa

certa essentiæ obiecti, habita per definitionem essentialem. Nam cognita definitione; vt Arist. docet, omnes proprietates definiti cognoscuntur, & omnes quæstiones, quæ de diffinito proponi possunt, dissoluuntur. Hinc clara Dei visio in patria, nihil aliud est, quã notitia quidditatiua Dei. Secũda est, quãdo cognoscitur res sub propria passione, siue attributo, q̃ vni, soli, & semper, & non alteri conuenit. Exempli causa, infinita potentia, infinita sapientia, æternitas, & necessarium esse, conueniunt soli Deo; atque ita cognitio sub ijs attributis erit notitia Dei distincta; non tamen quidditatiua. Appen. 4.

6. Fund. Sextum fundamentum. Differentia essentialis Dei est infinitas essentiæ. Et ratio est; quia illud est differentia indiuidualis, & constitutiua Dei, iuxta nostrum loquendi modum, per quod distinguitur, & constituitur in esse Dei, sed de ratione infinitæ essentiæ, & non infinitæ potentiæ, vel infinitæ sapientiæ, est Deus; ergo sola infinitas essentiæ est differentia constitutiua Dei. Minor probatur; propterea quod de ratione Dei est, quod sit trinus in personis, at qui si essentia non esset infinita, non posset esse eadem numero in tribus: quare sola infinitas essentiæ erit differentia constitutiua Dei. Sed de his auspice Christo Iesu, in floribus primi lib. sentent.

Appen. Hinc quamuis Philosophi naturaliter infinitam Dei potentiam cognouerint, naturaliter tamen Deum distinctè, id est, sub differentia constitutiua, & distinctiua haud cognouerũt. Quia infinitam Dei essentiam non nouerunt.

7. Fund. Septimum fundamentum. Esse vnam speciem, quæ distinctè Deum repræsentet, vel per Dei omnipotentiam, est impossibile. Hoc fundamentum sequitur ex 6. Et ratio est: quia quanta est species repræsentans, tanta est notitia, quæ inde gignitur: & cùm impossibile sit naturaliter pro isto statu Deum distinctè cognoscere, impossibile quoque erit dari speciem, quæ distinctè Deum repræsentet, siquæ distincta Dei similitudo. Et confirmatur: quia si Deum naturaliter, & distinctè cognoscere possemus, naturaliter quoque cognoscere valeremus omnes proprietates Dei, nempè, omnipotentiam ad creãndum, & Trinitatem personarum diuinarum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& omnia mysteria, quæ sola fides docet. Quod quidem est plusquàm hæreticum. Sequela patet; quia cognitio distincta, & quidditatiua; vt in quinto fundamento diximus, est, quæ habetur per diffinitionem, & cognita diffinitione, cognoscitur perfectissimè, & extensiuè diffinitum: quia ex definitione omnes propriæ passiones, & affectiones definiti emanant; atq; ex consequenti, si daretur pro isto statu notitia distincta Dei, possemus omnia mysteria; vt dictum est cognoscere. Iis iactis fundamentis sit prima conclusio.

CONCLVSIO I.

Angeli notitia distincta, quidditatiua, non potuerunt Deum naturaliter cognoscere. Hæc conclusio colligitur ex fundamentis positis. Et confirmatur; nam si Deus naturaliter posset quidditatiuè cognosci, naturaliter aliquis esset beatus, quod est erroneum. Sequela patet, quia notitia clara Dei quidditatiua est notitia beatifica, vt ex quinto fundamento constat. Est enim notitia quidditatiua, ita clara notitia obiecti, vt clarior esse non possit. Siquidem, cognita definitione, & quod quid est obiecti, cognoscuntur, vt dictum est, omnes eius passiones, & proprietates. Quare, si in via esset possibilis talis notitia, quidditatiua naturaliter, posset aliqua creatura esse beata; quia haberet claram Dei notitiam, quod, vt dictũ est, erroneum esse censetur.

CONCLVSIO II.

Angeli viatores habuerunt aliquam speciem, qua distinctè Deum cognoscere potuerunt, non quidditatiuè; sed sub ratione hac, quatenus Deus erat obiectum repræsentans creaturas, & per illas species cognouerunt creaturas & Deum in particulari. Hæc conclusio probatur primò auctoritate diui Aug. 4. super Gen. cap. 3. vbi inquit, Angelos in statu innocentiæ, & in via habuisse cognitionem matutinam creaturarum, & vespertinam, & vocat matutinam cognitionem earum in verbo, non intuitiuè; sed abstractiuè cognito, per aliquam speciem creatam. Quia tunc non erant beati. Appellat autem cognitionem vespertinam, cognitionem creaturarum in proprio genere. Deinde probatur ratione, hac vna re prænotata, scilicet, philosophos naturalès cognouisse Deum

D. Aug.

Deum distinctè sub aliqua speciali ratione. Ait enim diuus Paul. ad Rom. cap. 1. inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna eius virtus, & diuinitas. Hinc sic colligo argumentum. Sempiterna Dei virtus est infinita eius potentia, & hæc est peculiaris Dei ratio; ergo Philosophi cognouerunt Deum non solum confusè, verùm etiam distinctè sub aliqua speciali ratione. Tum sic Angeli viatores perfectius cognouerunt Deum, quàm Philosophi, cùm sint perfectioris naturæ, & Philosophi cognouerunt distinctè; vt modo diximus: ergo & Angeli distinctius sub hac, scilicet, ratione, quatenus erat obiectum repræsentans omnes creaturas, & per illam speciem, qua Deum cognoscebãt, videbant etiam creaturas; vt D. August. testatur. Præterea homo in statu innocentiæ cognoscebat suum finem supernaturalè in speciali, & melius, quàm nunc; ergò etiam Angelus, qui est perfectior, cognouit per speciem dictam. Et constat etiam D. Paul. talem speciem habuisse, quando recordabatur arcanorum, quæ non licet homini loqui; quæ quidem in raptu vsquè ad 3. cœlum viderat.

Ad Rom. 1.

2. Cor. 12.

Nona diffic. Quomodo vnus Angelus alium cognoscat?

QVAERITVR An cognoscat per suam essentiam? an per speciem?

CONCLVSIO.

VNVS Angelus alium non per suam essentiam; sed per speciem cognoscit. Ratio est; quia, cùm essentia vnius Angeli sit diuersa ab essentia alterius, propter diuersitatem, non poterit vnus Angelus alium (vt habet conclusio) cognoscere. Quia cognitio per id, quod simile est, comparatur, & cùm non cognoscat per suam essentiam, cognoscet necessariò per speciem. Sit verò species illa innata? an acquisita? ex supradictis constat.

Alex. Alen. q. 24. m. 2. S. Thom. q. 56. art. 2.

Decima diffic. Verùm Angeli possint futura cognoscere?

Alex. Alen. q 26.m.4. S.Tho. q. 57. art. 3. S.Bona. dist. 7.art.1. q. 3. Dura.dist. 7. q.3. Athan. Damascen. Orig. August. Isidor. Greg. Tertul.

PRæter doct. scholasticos in margine citatos, lege circa hanc difficultatem Athanasi in lib. quæst. sacræ scripturæ ad Anthiorum principem. quæst. 27. Damascen. lib. 2. fidei ortod. cap. 4. & lib. 3. ca. 16. Orig. lib. 4. Periarc. c. 2. Tertulia. lib. apologetico contra gent. D. August. 3. tomo. lib. de diuinatione dæmonum. Et lib. 2. super Gen. cap. 17. & lib. 5. & 9. de ciuit. Dei. B. Isidor. lib. de summo bono. cap. 12. B. Greg. lib. 28. moral. cap. 6. & S. Thom. lib. 3. contra gent. c. 154. & quæst. 16. de malo art. 7.

Cùm varia sint rerum futurarum genera, & variè, quæ futura sunt, considerentur, variis conclusionibus erit titulo difficultatis respondendum.

CONCLVSIO I.

Quæ futura sunt, si in se ipsis considerentur, à nullo, præterquam, à solo Deo, cognosci possunt. Hæc conclusio est de fide, nam illa scire, & de illis prænuntiare, præsertim, si à voluntate pendeant, nequè homo, nequè Angelus; sed solus Deus prænuntiare valet. Dicere namquè res futuras signum diuinitatis est; vt ex multis locis sacræ scripturæ constat.

Isaiæ. 41. Isaiæ. c. 45.

Isaiæ. 41. legitur. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus; quia dij estis vos. Et cap. 45. suam diuinam cognitionem probans idem Isaias ait. Hæc dicit Dominus,

Daniel. c. 2.

sanctus Israel, plastes eius, ventura interrogate me, &c. Et Daniel cap. 2. misterium, quod rex interrogat, sapientes magi, & arioli, & aruspices nequeunt indicare regi; sed est Deus in cœlo, revelans misteria, qui indicant tibi Rex Nabuchodonosor, quæ venturæ sunt in nouissimis temporibus. Et sapientiæ cap. 8. signa, & monstra scit, antequàm fiant. & euentus temporum, & sæculorum. & Marci. 13. de die autem illo, & hora, nemo scit neque Angeli in cœlo. Deinde ratione confirmatur; quia, cùm certissimum fidei Christianæ argumentum sit, ea fidelia, quæ modo credimus, antea fuisse per oracula prophetarum pronunciata, & revelata, vt docet diuus Petrus. 2. epist. cap. 1. dicens: habemus firmiorem

Marci. 13. 2 Pet. 1.

rem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes. Et B. Paul. insinuat confirmans veritatem sui euangelij, dum ait; quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis; profectò solus Deus poterit prænuntiare futura, quæ Angeli boni, & prophetæ per revelationem norunt. Postremò; quia huiusmodi futura contingentia præsertim, quæ ex libero Dei arbitrio pendent, ratione æternitatis, qua diuina cognitio mensuratur, sunt diuinæ cognitioni præsentia; quamuis cognitioni Angelicæ, & nostræ, quæ tempore mensuratur, sint futura. Lege D. August. lib. 8. super Gen. à. 20. cap. vsq; 23. caput.

D. Aug.

Hinc spiritus maligni, quando prædicunt huiusmodi futura contingentia, mentiuntur; vt fallât. Constat. 3. Reg. c. 22. vbi legitur, omnes prophetas Baal mẽtitos fuisse Achab, Regi Israel.

Append. 3. Reg. c. 22.

Limitanda tamen est appendix hæc. Nam aliquando verè solent futura prænuntiare. Primò per revelationem bonorum spirituum; vt expressè docet D. Isidorus lib. de summo bono. cap. 12. Et D. August. lib. de diuinatione dæmonũ. Vbi scribit, dæmones aliquando verè prædixsse futura, cognita tamen revelatione, quæ prophetis fuit facta. Vnde potuerũt prænũtiare futuram subuersionem idolorũ, post aduẽtũ Christi Iesu redemptoris nostri, cognita revelatione facta expræsiè Sophoniæ prophetæ. Et dãna, quæ erat Iob illaturus, potuit dæmõ prædicere, per revelationẽ illi factã, vt ex. 1. & 2. c. Iob apertè colligitur. Nunquàm tamẽ illis erit fides adhibenda, quando futura verè revelant. Nam hoc faciunt; vt homines fallant, & decipiant, & illos ad credẽdum eis in alijs, quę falsa sunt, inducant.

Limitatio. Isidor. D. Aug. Sophoniæ. c. 2. Iob. c. 1. & 2.

CONCLVSIO II.

Futura, quę habent causam necessariò determinatam, & infallibilem, ad eorum esse producendum, angelus bonus, & malus naturali cognitione certò cognoscere possunt. Talia sunt, quæ circa motũ cœli accidunt; vt ortus, & occasus, eccli pses, cõiunctiones, &c. In quibus est determinatio, & omnis impedimẽti remotio. Et ratio est; qm̃ huiusmodi futura habẽt esse in suis causis necessariò determinatis; quod quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, cùm sit determinatum, infallibile, & necessarium, necessariò potest cognosci. Nam res, auctore Arist. sicut se habet ad esse, ita se habet ad cognitionem. *Arist.*

CONCLVSIO III.

Futura, quæ habent causam, vt in plurimum determinatam, sed fallibilem, possunt ab Angelis naturaliter cognitione quadam certa, non infallibili, sed; vt in plurimum, & coniecturali cognosci. v. g. quæ fiunt secundum naturam inferiorem. Quæ quidem; quia mouet determinatè ad vnum, determinatam causam futura habere dicūtur. Verum cùm multipliciter talis causa possit impediri, dicuntur quoq; fallibilem causam habere. Exempli causa, ager seminatus, si sit terra pinguis, & bona superiorum corporum dispositio, pinguem affert fructum, qui fructus multis modis potest impediri, licet, vt in plurimum eueniat. Et ratio est, quia, cū hæc futura, solum habeant esse in sua causa determinata, non necessariò, & infallibiliter, sed vt in plurimum, simili modo cognoscuntur. Et confirmatur ex Arist. proximè citato: quoniam sicut res se habet adesse, &c.

Apppend. Hinc, astrologi, quædam futura prædicunt, quæ ex motibus cœli in istis inferioribus consequuntur, quæ tamen propter defectum causarum inferiorum impediri possunt; quæ quidem coniectio, eò magis ad certitudinem accedit, quò ad vnum effectum plures causæ concurrentes agnoscuntur, & virtus causæ melius cognita est. Et nota multò perfectiorem cognitionem habere Angelos bonos, & malos de ijs per species, quàm astronomi per artem habeant. Quia multò perfectius cognoscunt tales causas, illarumq; habitudinem ad suos effectus, quàm homines: atquè ita certius possunt de ijs dæmones, quàm homines diuinare, & prænuntiare.

CONCLVSIO IIII.

Futura, quæ habent causam indeterminatam, & fallibilem, quæ sunt ad vtrumlibet, nequè boni, nequè mali Angeli naturaliter agnoscere possunt. Talia sunt, quæ à nostra voluntate pendent, quæ cùm possit ad opposita moueri, est indeterminata, & cùm volenti perficere multa occurrere impedimenta possint, est fallibilis. Atquè ita à nullo, præterquàm

terquàm à solo Deo, cognosci possunt, vel ab eo, cui Deus illa reuelare voluerit. Et ratio conclusionis est; quia huiusmodi futura contingentia non habent in sua causa aliquod determinatum esse, cùm ad vtrumlibet se habeant respectu suæ causæ, causa etiam respectu illorum. Et ita, vt se habent ad esse, ex Aristot. ita se habent ad cognitionem. Relege fundamenta primæ conclusionis huius difficultatis.

Hinc ab vsurpatione huius actus, qui soli Deo, vel cui ille reuelauerit, competit, qui futuris prænuntiandis intendūt, diuini appellantur. Append.

Cæterum quoniam dispositionem appetitus sentiendi, & causas, quæ huiusmodi dispositionem inducere possunt, dæmon optimè nouit. Hinc est quòd sæpè vera de actibus humanis prænuntiat. Propterea quòd voluntas secundum dictam dispositionem mouetur, & plures sunt, qui illam sequuntur, quam qui illi resistunt. Qualis enim vnusquisquè est, talis ei finis apparet. Ex externis etiam operibus qualis interior dispositio sit, facilè intelligitur. Iuxta illud Matthæi. 7. a fructibus eorum cognoscetis eos. Fallitur tamen dæmon sæpè in huiusmodi prænuntiationibus. Quia homo libero arbitrio, diuino præsertim auxilio adiutus, potest illi dispositioni resistere. Iuxta illud Gen. 4. sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. *Limitatio.* *Matth. 7.* *Gen. 4.*

Nota etiam cum S. Thom. 3. contra gen. cap. 154. circa finem. Quòd; vt dæmones conantur labefactare argumentum, quod sumitur ex miraculis ad confirmandam fidem catholicam, efficientes falsa miracula, quæ mira, vel miraculosa hominibus apparent; ita etiam abuti solent prænuntiatione prophetica, nonverè prophetando; sed prænuntiando, quæ ab hominum cognitione longè distant; ex causis tamen naturalibus proueniunt, vt quæ emanant ex motu, & influentijs cœlestium corporum, quorum cognitio longè à nobis distat. Et ideò Ieremiæ capit. 10. legitur, iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes. Sed de ijs lege D. August. lib. de doctrina Christ. cap. 23. & 24. & lib. 2. super Gen. cap. 17, *S. Thom.* *Ieremiæ c. 10.* *D. Aug.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Castro de iusta hæreticorum punitione, cap. 13. Tandem etiam dæmon ptænuntiare futura contingentia, quæ dependent ex suo libero arbitrio, cognita suæ voluntatis determinatione, potest.

Vndecima difficultas. Vtrùm Angeli cognoscant cogitationes cordium? id est, vtrum possit naturaliter videre cogitationes alterius Angeli, siue hominis viatoris, siue animæ separatæ, siuæ operationis voluntatis?

S.Tho. q. 57. art. 4.
S.Bonau. q. vlt. dist. 8.
S.Tho.
Capreol.
Greg. Arim.
Marsil.
Scot.

DVAE sunt de hac re opiniones. Prima sancti Tho. asserentis, Angelum non posse cognoscere naturaliter cogitationes hominis, vel alterius Angeli; nisi per locutionem, quem sequuntur Capreo. dist. 8. q. vnica, Greg. Arim. & Marsil. eadem dist. & alij quàm plurimi.

Secunda est Scoti dist. 9. quæst. 1. & in 4. dist. 10. q. 8. qui affirmat hoc fieri posse naturaliter; de facto tamen, inquit, nunquàm vnus Angelus alterius Angeli cogitationes cognoscet, nisi priùs excitetur, ideſt, nisi priùs el alius Angelus alloquatur. Tenet etiam dæmones cognoscere cogitationes nostras, quantum ad subiectum, obiectum, & affectum ad quē inclinant; non autem quantùm ad finem. Sciunt. v. g. quid cogitemus; sed non ad quem finem; vt quod Petrus cogitet fœminam aliqaam; sed ignorat. An ad voluptatem, vel ad alium finem? Scot. adhæsit Gabriel. dist. 9. q. 2. & super canonem lectione. 31. & citat Ocham. quæst. 13. Iis etiam subscripsit Maior. eadem dist. quæst. 3. qui affirmat naturaliter posse talem cognitionem habere, sed non de facto cogitationes cognoscere: quia impediuntur à Deo ne illas cognoscant. Quoniam Deus non concurrit cum vno Angelo ad aliorum cogitationes cognoscendas, nisi quando ipsis Angelis illas manifestare placuerit. Præsertim, inquiunt, cum dæmonibus non concurrit; ne illis amplior potentia ad decipiendum hominem concessa videatur. Durand. dist. 8. quæst. 5. quæ istarum opinionum verior sit, non determinat.

Gabriel.
Maior.

Durand.

CONCLVSIO I.

ANGELVS cognoscit naturaliter omnes cogitationes nostras naturales, quæ à voluntate non pendent, & actus voluntati subiectos, quos voluntas aliquando sine deliberatione, & libertate habet, quos Theologi motus primo primos appellant. Et ratio est; quia, cùm Angelus cognoscat comprehensiuè omnes res naturales, & earum effectus: cognoscet, & dictos intellectus, voluntatis actus. Nam isti actus sunt purè naturales; sicut in bruto. Tum etiam, quoniam isti actus sunt in rerum natura, & Angelus ad res natura existentes intelligendas (vt ex dictis constat) natus, factusquè est. Hanc conclusionem manifestè probant omnia Scoti argumenta.

CONCLVSIO II.

COGITATIONES Nostras, quæ pendent à voluntatis libertate directè, prout sunt in intellectu, & affectiones in se ipsis, prout sunt in voluntate, non potest Angelus naturaliter cognoscere, cùm de facto solus Deus illas cognoscat. Hæc conclusio catholica, in gratiam diuinæ scripturæ studiosorum varijs sacræ scripturæ testimonijs, ex quibus expræsse colligitur, & sanctorum auctoritatibus, & rationibus confirmatur. Legitur enim; tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Et. 1. Paralipom. cap. 28. omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Et. 2. Paralipom. cap. 6. tu reddes vnicuique secundum vias, quas nosti, eum habere in corde suo. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Et Iob, ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Et psalm. 43. nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis. & psalm. 7. scrutans corda, & renes Deus. Et Ierem. 17. prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum ipsarum,

Lege Alex. Alen. q. 26. m. 3.
3. Reg. c. 8.
1. Paralip. c. 28.
2. Paralip. c. 6.
Iob. cap. 16.
Psal. 43.
Psalm. 7.
Ierem. c. 17.

Et cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et cap. 20. apud eundem, qui renes vides, & corda. Et no-
Ierem c. 20. tu, quòd cor in scriptura sacra pro portione superiori, scili-
Matth. c. 9. cet, intellectu, & voluntate accipitur. Item Matthæ. 9. cum
Luc 5. & 6. & 8. vidisset Iesus cogitationes eorum, &c. Et Lucæ 5. vt cognouit Iesus cogitationes eorum, &c. Et cap. 6. ipse verò sciebat cogitationes eorum. Et cap. 8. ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, & alibi sæpè. Præterea in. Act. Apostol. cap.
Act. c 1. 1. tu Domine, qui corda nosti omnium. Et ad Roman.
Ad Rom. 8. qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus. Et
1. Cor. 2. 1. Corinth. 2. quis enim hominum scit, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Ita, quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei; ergo Angeli non nouerunt, quæ sunt hominis; si quidem dicit; quòd solus spiritus, qui est in
Ad Hebræ. 4. ipso, & Deus illa norunt. Et ad Hebræos. 4. capit. discretor est cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius. Et tandem Apocalypsis.
Apoc. c. 2. cap. 2. scient omnes ecclesiæ: quia ego sum scrutans corda, & renes. Hanc etiam catholicam conclusionem omnes sancti
D. Hiero. Patres, & doctores confitentur. legant, quibus per tempus
B. Chrysost. licebit. D. Hieronym. super illa verba citata Matthæ. 9.
Ioan. c. 2. cum vidisset Iesus, &c. Et Ioann. Chrysostom. super Ioannem; homil. 23. super illa verba. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. Vbi adducit locum citatum Act. cap. 1. tu
B. Cyrill. Domine, qui nosti, &c. Et homil. 3. super cap. 9. Matthæ.
D. Ambro. Et beatum Cyrillum in commentarijs super Ioann. lib. 2.
B. Athan. 3. & 4. D. Ambrosi. super cap. 2. 1. ad Corinth. & lib. 1. de
B. Damas. officijs cap. 14. & in oratione de obitu Theodosij. Et beatũ
D. August. Athan. in quæstion. sacræ scripturæ. quæst. 27. & B. Damascen. lib. 1. cap. 19. Et D. August. lib. de diuinatione dæmonum cap. 5. & lib. 12. super Genesi. cap. 27. & lib. 2.
Ioan. Arborens. retracta. cap. 30. & lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, vbi ait. Internas cogitationes nostras diabolus non videt.
Et Ioann. Arboreum lib. 4. Theosophiæ. Ij enim, & alij, quàm plures doctores colligunt ex locis scripturæ citatis firmissimum argumentum ad probandum Christum esse verum Deum: quia hominum cogitationes videbat,

videbat, & cognoscebat, quod est solius Dei proprium. Nam si Angeli boni, vel mali potuissent hominum cogitationes naturaliter, & de facto citra reuelationem cognoscere, non diceretur i; locis adductis cor hominis esse inscrutabile, & à solo Deo scrutari posse. Adhęc rationibus corroboratur cõclusio. Et primò; quia si Angelus vnus per naturam cognosceret alterius Angeli cogitationes, esset substantia miserrima, sicut esset, & homo si cogitationes eius omnibus paterẽt. Secundò, quia frustrà esset & ociosa Angelorum locutio, si Angelus vnus alterius cogitationes videret. Tertiò, quia voluntas creata est domina suarum operationum, siue sint operationes elicitæ, siue imperatæ, & non dependet à causa naturali, neq; habet ordinem ad illam; sed à solo Deo depẽdet, à quo habet esse, cui soli voluntas hominis subiacet, & solus in ea operari potest, cùm sit eius principale obiectum, & finis vltimus. Quare solus ipse poterit cogitationes cordis humani cognoscere. Quartò, quia cùm Angeli, siue boni, siue mali per species (vt ex dictis constat) naturaliter cognoscãt, & voluntas hominis cùm nulla re conueniat, à qua eius similitudo elici possit; non poterunt directè & de facto affectiones voluntatum, & cogitationes, quatenus in intellectu, & voluntate sunt, cognoscere. Quinto, cum D. Bona. quia si cogitationes Iob, & eius patientiam, & virtutes cognouisset, nõ tentasset illum. Quoniam intellexisset se non victoriam, quæ illi semper est in votis, consecuturum; sed vincendum, & superandum. Vltimò, quia sicut Deus voluntati rationalis creaturæ dedit dominium, siue arbitrium, cui nulla potentia, nisi diuina, præsidet; ita eius potentiæ cognoscendi dedit conscientiæ secretum, quod sola diuina potentia penetrare valet. Appen. 1. *1. Cor. 2.*

Hinc, quæ Dei sunt ideſt, secreta, & occulta Dei, nemo potest scire, nisi spiritus Dei, qui in ipso est. Et ratio est; quia, si non potest quis scire hominum secreta, quo modo, quæ Dei sunt, sciet? quod D. Paul. docuit dicens. Quis cognouit sensum domini, &c. *Ad Rom. 11.*

Hinc nulla creatura Angelica, siue humana potest conscientiæ humanæ scire secreta, nisi Deus reuelet; vel homo Append. 2.

ipse

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipse detegat,& denunciet, vel per signa, & coniecturas,vt sequens conclusio indicat.

CONCLVSIO III.

Cogitationes hominum,& affectiones cordis, non solùm Angeli boni, & mali, verùm etiam homines naturaliter certa cognitione; indirectè tamen, ideſt, ab effectu cognoscere possunt.v.g.per actum, & effectum exteriorem; vt per locutionem,& operationem, & per aliqua signa faciei, & mutationem vultus, & per signa aliqua corporis, eò quòd diuersimodè secundum diuersitatem affectionum mouetur. Et probatur Eccles.13.cor hominis immutat faciem eius. Et hoc modo intelligitur D.Aug. 22. super Gen.ad litteram dicens; Angeli cognoscũt cogitationes nostras, nobis etiam inuitis. Et lib. de diuinatione idem August. ait. Dæmones hominũ dispositiones, non solùm voce prolatas; verùm etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam in corpore ex animo exprimuntur, tota facilitate perdiscunt. Vnde per effectus externos palloris,& ruboris,affectiones timoris, & verecundiæ cognoscuntur, & si medici per motum cordis, qui pulsu percipitur, cognoscunt aliquas cordis affectiones,vt quòd homo tristetur, vel amet, deprehendunt, multò perfectiùs Angeli boni,& mali poterunt, per huiusmodi effectus, & signa,quæ ad cogitationes, & affectiones cordis pertinent, cognoscere. Quia perfectiùs multò, & subtiliùs, quàm peritissimus quisq; medicus,huiusmodi effectus,& signa penetrant. Vocant autem S.Thom.& D. Bona. hanc cognitionem coniecturalem,siue ex coniecturis habitam.

Eccl.13.
D.Aug.

Duodecima diffic. Possit ne Angelus naturaliter fidei,& gratiæ mysteria cognoscere?

Alex. Alen.
S.Tho. Scot.
Magist. ll.

DVAE Sunt contrariæ opiniones. Nam Scot.in 4. Distinct. 10.quæst. 8. tenet mysteria fidei creata; vt sunt articuli expectantes ad incarnationem Verbi diuini, & ad Eucharistiam, quatenus sunt extra suas causas, ideſt, possquàm sunt facta, posse ab angelis naturaliter cognosci. Quod antea docuit Alex. Alen. quæst. 26. m. 1. & 5. at verò S.Thom.q.57.art.5.arbitratur oppositum.

Radix autem dissidij inter Scot. & S. Thom. est, quòd S. Thom. opinatur, voluntatem creatam esse liberam, non solùm quo ad exercitium suarum operationum; verùm etiam quo ad occultandum omnes operationes à se ipsa elicitas, & intellectui imperatas, quod est etiam notandum ad meliorem intelligentiam præcedentis difficultatis. Et nota, quòd hic non quæritur de cognitione in verbo, vel per reuelationẽ in proprio genere,neq; de cognitione fidei. Nam istæ cognitiones sunt supernaturales. Et constat prophetas habuisse cognitionem horum mysteriorum per reuelationem, & dæmones etiam credere,& contremiscere. Sed quæst. est de cognitione naturali virtute intellectus, & per generalem Dei concursum.

Iacobi.c.2.

Ens naturale à supernaturali non distinguitur ex parte maioris, vel minoris perfectionis; sed ex parte principij actiui. Confirmo rem hanc exemplo. Physica, quæ est rerum naturalium scientia,& fides, scilicet, supernaturalis Trinitatis notitia,qui sunt duo cõceptus,penes naturale,& supernaturale,non distinguntur,nisi in ordine ad agẽtia, & principia producliua. Propterea q; ex hoc, q; fides in nobis non potest ex viribus naturæ; sed à solo Deo per reuelationem effici, vocatur supernaturalis. Et Physica; quia viribus naturæ potest causari, dicitur naturalis. Nam si fides Trinitatis posset viribus nostri intellectus causari, notitia naturalis esset. Similiter Christus in Eucharistia supernaturaliter existit; quia talis existendi modus non potest nisi à solo Deo causari, & effici. Deinde quòd non ratione maioris, vel minoris perfectionis; patet: quia multa entia supernaturalia sunt naturalibus imperfectiora, vt charitas, cùm sit accidens, est substantia, vt potè, formica imperfectior.

1.Fund.

Omne ens creatum est obiectum naturale intellectus separati. Et ratio est, quia omne ens creatum potest intelligi per speciem, atq; ita est obiectum intellectus separati: qui quidem potest rerum omnium species habere. Et confirmatur, posito discri-

2.Fund.

Universidad de Deusto
Biblioteca

discrimine inter intellectum coniunctum, & separatum; nam intellectus coniuncti obiectum solum est quidditas rei materialis; vt ex dictis suprà constat; at verò intellectus separatus ad omnia immaterialia extendit sese.

3. *Fund.* *Psalm 8.* *Ad Hebræ. 2.* Anima Christi Iesu redemptoris nostri est imperfectioris speciei, quàm sit intellectus angelicus. Propterea quòd est eiusdem speciei cum animabus nostris. Et confirmatur ad Hebræ. 2. minuisti eum paulò minùs ab angelis. Et loquitur de Christo, quatenus homo est. Tandem nota quæstionem hanc posse intelligi duobus modis, vel de possibili, vel de facto.

CONCLVSIO I.

Angeli, si loquamur de possibili, possunt omnia mysteria gratiæ scire, nempè, incarnationem, ideſt, ineffabilem vnionem humanitatis à verbo assumptæ, & videre Christum in Eucharistia, & cognoscere gratiã, quæ datur per sacram. &c. Probatur primò; quia mysteria gratiæ sunt etiam creata, & omne ens creatum est naturaliter ab Angelo, & ab anima separata intelligibile; vt ex secundo fundamento constat. Secundo quia visio beatifica alicuius angeli, vel animæ beatæ, non minus est supernaturalis, quàm quodcunque mysterium gratiæ, & vnus Angelus beatus, vel quicunque spiritus beatus, potest visionem beatificam alterius beati videre. Neq; inde inferri potest, quòd videret Deum naturaliter, & esset beatus, Nam licet possit videre visionem beatificam comprehensoris; non tamen videret obiectum, nempe, Deum. Neq; enim videns imaginem, videt & prototypum. Tertiò, quia sicut anima Christi Iesu naturaliter videt existentiam corporis in Eucharistia, p-teris similiter quilibet spiritus separatus naturaliter hoc idem cognoscere; vt ex tertio fundamento patet. Quartò non obstat, quin possint naturaliter cognosci mysteria gratiæ, quod modus existendi corporis Christi in Eucharistia, & humanitatis in verbo sit supernaturalis. Nam essentia Angeli est ens supernaturale; & tamen naturaliter intelligitur ab ipsismet Angelis. Neque enim dicitur esse supernaturale, eò quod ab Angelo naturaliter cognosci non possit; vt in primo fundamento habetur. Et possunt angeli cognoscere gratiam,

gratiam, & charitatem, & virtutes alias, quæ per sacramenta infunduntur, cùm sint in tertia specie qualitatis, & habeant Angeli species cõcreatas, quibus quidditates rerũ, & omniũ specierum, possunt cognoscere. Alia affert argumenta Scot. ad hanc suam conclusionem probandam, de quibus latius in lib. controuersiarum inter Scot. & S. Tho. lege etiam flores 4. lib. sent. in quæst. de existentia corporis Christi in Eucharistia artic. 11. *Alex. Alen. q. 26. m. 1. & 2.*

CONCLVSIO II.

De facto mysteria fidei non possunt ab Angelo naturaliter cognosci, nisi per reuelationem diuinam, immediatam, vel mediatã. Hanc conclusionem colligit B. Diony. c. 7. de Cœlesti Hierar. ex psalm. 23. vbi dicit: illam interrogationẽ; quis est iste Rex gloriæ? esse Angelorum inferioris ordinis; responsionem, Dominus fortis, & potens, &c. esse Angelorũ superioris ordinis reuelantium inferioribus. Et illam interrogationem Isaiæ. 63. quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, &c. affirmat esse Angelorum supremi ordinis: responsum verò esse; ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum, esse Dei, & hominis Christi Iesu mediatoris. Et B. Paul. 1 ad Cor. c. 2. hoc idem probat. Nam loquens de mysteriis gratiæ, præsertim de mysterio incarnationis, ait: Sapientiam loquimur in mysterio, quæ abscõdita est (scilicet in incarnatione) quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquàm dominũ gloriæ crucifixissent. Vbi per principes, non solùm Philosophi, & satrapæ legis; verùm etiam dæmones intelliguntur; vt cõmunis sanctorum sententia docet. Et confirmat B. Paul. cõtinuò suam sententiam, dicens cum Isaia. Quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, &c. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctum. Et ad Ephe. c. 3. de eodem incarnationis mysterio verba faciens, ita ait. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, &c. & subdit; vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Quem locum explicantes D. Chryso, Hiero. Augus. & Theophylact. & alij affirmant, multis angelorum per

B. Dionys. Psal. 23. Isaiæ. c. 63. 1. Cor. 2. Isai. 64. Ad Ephe. c. 3. D. Chrysost. Aug. Hiero. Theophil.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per prædicationem apostolorum mysterium incarnationis innotuisse. Et 1. ad Timot. 3. scribit, Angelis hoc mysterium apparuisse per reuelationē. Et tandem quia reuelatio patriarchis, & prophetis de iis, quæ ad mysterium incarnationis pertinent, facta fuit per ministerium angelorū; vt apertè D. Dionysi. 4. de Cœlesti Hierar. docet. Et ex B. Paul. ad Hebræ. 2. Si enim per Angelos dictus est sermo, &c. & ex aliis multis noui, & veteris testamenti locis colligitur.

1. Timo. 3.
D. Dionys.
Ad Hebræ. 2.

Decima tertia diffic. Vtrum omnes Angeli beati incarnationis mysterium agnouerint?

Doct. vbi 5.

NOta cognitionem huius mysterij posse haberi duobus modis, vel in communi, vel in particulari. Primo modo, scilicet, in communi, vel quantum ad conditiones generales; vt quando cognouerunt filium Dei in fine sæculorum assumpturum naturam humanam in vnitate personæ, vnione hypostatica. Secundo modo, ideſt, in particulari, quando cognoscuntur ea omnia, quæ circa executionē huius diuini mysterij contigerunt, siue concurrerunt.

CONCLVSIO I.

Angeli omnes à principio suæ beatitudinis cognouerunt in Verbo incarnationem filij Dei in communi. Hæc conclusio est B. August. super Gen. ad litteram. Et lib. 9. de ciuitate Dei. c. 19. Et 1. ad Timot. 3. magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis. Et ratio est; quia cùm, media incarnatione, essent homines æternam hæreditatem accepturi, & Angeli à Deo ad illam accipiendam, tāquàm ministri fuerint constituti, debuerunt planè tanti mysterij, antequàm fieret, esse conscij. Aliter enim nobis minimè opitularentur. Colligitur hæc ratio ex D. Paul. ad Hebræos. 1. dicente. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?

D Aug. 1. ad Timot. 3.

Ad Hebr. 1.

CONCLVSIO II.

Angeli omnes hoc mysterium in particulari à principio suæ beatitudinis non cognouerunt. Fuit enim igotum angelis

gelis mysterium hoc, quòd ad speciales conditiones. Vt exempli gratia. an esset assumpturus carnem ex Virgine? & quo tempore? vel ex quo genere gentilium? an Iudæorum? &c. Hanc conclusionem probant auctoritates sacræ scripturæ, quæ in 2. conclusione proximæ difficultatis citantur. Et iuxta hanc conclusionem declarandæ sunt auctoritates sanctorum dicentium angelos non cognouisse mysterium incarnationis, ante reuelationem tempore aduentus Christi factam, nempè, quòd non cognouerint in particulari. Lege S. Tho. in commentariis super locum ad Ephes. 3. & in 1. p. quæst. 206. art. vltim.

S. Thom.

CONCLVSIO III.

Angelis, Patriarchis, & Propheris multa, quæ ad mysterium incarnationis in particulari, & ad salutem hominum pertinent, non fuerunt reuelata, quæ deinceps apostolis reuelata fuere. Patet conclusio ex supradictis. Et expressè probatur ad Ephe. 3. vbi loquens de hoc mysterio ait. Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & prophetis in spiritu. Et inter prophetas, posteriores tempore plura cognouerunt. Iuxta illud psalm. Super senes intellexi, &c. Lege diuum Gregor. homil. 18. in Ezech. vbi hoc expressè docet dicens: Per successionem temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum.

Ephe. 3.

Psal. 118.

D. Greg.

Hinc causa, propter quam, multos angelorum latuerunt fidei mysteria, nobis est inefabilis, soli autem Deo nota. Miraculosè enim credendum est Angelis propter incomprehensibilem Dei prouidentiam mysterium incarnationis fuisse absconditum.

Append. Alex. Alen. vbi 5. & q. 100. m. 3. art. 1.

Decima quarta diffi. Cognouerūt ne dæmones Christum esse verum mediatorem, in lege promissum?

S. Tho. 3. p. q. 47. art. 5. & in 1 p. q. 64. art. 1.

SAnctus Thom. in commentariis super locum modo citatum, ideſt, ad Corint. 2. Si enim cognouissent, &c. ait. Quod de dæmonibus quæritur, intelligendum quoque est de maioribus Iudæorum, vt de Pharisæis.

1. Cor. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Dæmones, & Pharisæi cognouerunt ex miraculis Christi, & ex diuina scriptura ipsum esse verum Messiam, mundi reparatorem, licet esse verum Dei filium, non cognouerint. Hæc cõclusio est D. August. 9. de ciuit. Dei. c. 21. vbi ait. Nõ cognouerunt illum, vt est vita æterna, sed cognouerunt esse verum Messiam per miracula sua. Et apertius eam defendit in q. noui, & veteris testamenti. q. 101. & in q. noui testamenti. q. 66. Et de dæmonibus probatur primùm conclusio Marci. 1. & Luc. 4. vbi legitur dæmonem quendam exclamasse. Quid nobis, & tibi Iesu, Nazarene? venisti ante tempus perdere nos, scio, quis sis, sanctus Dei. Et ne quis crederet dæmonem tunc fuisse mentitum, sequitur in textu. Et comminatus est ei Iesus dicens. Obmutesce, & exi de homine. Ibidem apud D. Marc. & Lucam. non sinebat dæmonia loqui; quia sciebant ipsum esse Christum. De Pharisæis autem constat Matth. 21. nam agricolæ, videntes filium dixerunt intra se. Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et Matth. 2. ipsi ostenderunt regibus Orientalibus Messiam nasciturum. Et Ioannis. 7. & me scitis & vnde sim, scitis. Ex quibus locis colligunt D. Chrysost. & alij, quos citat gloss. Matth. c. 21. Pharisæos cognouisse Christum esse verum Messiam, non tamen Dei filium. Nam si certò cognouissent Christum esse æternum filium Dei naturalem, & eius sanctissimæ passionis effectum, scilicet hominum salutem, & ipsorum dæmoniorum damnationem, nunquàm illum crucifixissent. Nam locus Acto. 3. scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri, non dicit principes Christum ignorasse, sed plebem, quam quidem plebem dicit fecisse, sicut & principes fecerunt, petentes vnanimes; vt crucifigeretur. Vel die secundo locutum fuisse ibi D. Petrum de ignorantia, qua laborabant Pharisæi erga Christi diuinitatem; non tamen ignorauerunt esse verum Messiam; vt dictum est. Et similiter interpretandus est locus Sapient. 2. cap. Excæcauit illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei; nempè, quia malitia, odio, & inuidia contra Christum excæcati, verum esse Dei filium

D. Aug.

Marci. 1.
Luc. 4.

D. Marc. & D Luc.

Matth. c. 21.

Matth. 2.
Ioan. 7.
Chrysost.

Act. 3.

Sapien. 2.
S. Th. 3. p. q. 43. art. 4.

ignorauerunt; non tamen verum esse Messiam. Quod satis doctrina Christi, & opera declarabant; vt idem Christus Redemptor noster docuit dicens. Ioan. 15. si non venissem, & locutus fuissem eis, & si opera non feciffem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum; sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. De ijs lege S. Thom. 1. p. q. 64. art. 1. in sol. ad. 4. & 5. & in 2. 2. q. 5. art. 2. vbi quomodo dæmones crediderunt, & contremiscunt, declarat.

Ioan. 15.

Psalm. 24.

Quæst. V. De cognitione matutina, & vespertina Angelorum.

Hæc. quæst. aliquot difficultatibus explanatis absoluetur.

Alex. Alen. q. 23.
S. Tho. q. 58. art. 6. & 7.
S. Bona. dist. 4 art 3. q. 1. & 2.
Scot. q. 9.
Gabriel vbi supra.
Doct. vbi s.
Alex. m. 1.
S. Tho ar 6.
D. Aug. Eccl. 18.

Prima diffic. Quidnam est cognitio matutina, & vespertina?

CONCLVSIO.

COgnitio matutina est cognitio rerum in verbo: vespertina autem cognitio earundem rerum in propria natura, siue in se ipsis. Auctor huius conclusionis fuit D. Aug. quem lege lib. 4. super Gen. ad litteram. c. 7. & 8. & a cap. 22. per plura capita, & 11. de ciuit. Dei. c. 29. Tenuit autẽ D. Aug. omnia fuisse creata in instanti, motus loco illo Eccles. 18. qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Moyses verò; vt rudi populo creationẽ exponeret, dixit per sex dies res creatas fuisse. Vnde dies illi non fuerunt veri, & naturales; vt nostri; sed metaphorici. Et quoniam sex sunt genera rerum in principio conditarum, quas Deus Angelis reuelauit; dies apud D. Aug. distinguntur, & numerantur iuxta distinctionem rerum. Quorum dictũ quilibet conficitur ex duplici singulorum sex generum cognitione, quæ manè, & vesperi comparantur. Vnde cognitio rerum in verbo matu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tina dicitur, propterea quòd, est tanquàm in principio rerũ, Et quia est clara, & perfectissima rerum cognitio; vt cognitio, qua Angelus beatus cognoscit in essentia diuina lapidẽ, vel lignum, &c. quæ in Deo suntipse met Deus, matutina nominatur. Quæ autem cognitio habetur rerum in se ipsis, per species concreatas, vel acquisitas; vt suprà diximus, & hic iterum noster Alex. n. 3. affirmat, vespertina vocatur. Quia est cognitio in creatura, quæ, quatenus creatura est, in declinatione, & casu est, vt hora vespertina. Et ita ex cognitione matutina primi generis rerum, & ex vespertina, quæ est cognitio naturalis earundem, factum est manè, & vesperè dies vnus. Et similiter ex cognitione vtraq; 2. generis rerum factum est manè, & vesperè dies. 2. &c.

DVB. Poterit ne matutina cognitio diurna nominari?

Alex. m. 1. vbi s. D. Aug.

REspondeo. Poterit. Et patet ex D. Aug. 11. de ciuitate Dei. c. 29. dicente. In verbo cognoscũt Angeli, tanquã diurna cognitione, in se ipsis, tanquam vespertina. Et lib. 4. super Gen. ad litteram cognitio, quæ est in verbo, ad diem pertinet; quæ est in se ipsis ad vesperam.

Secunda diffic. An sit sufficiens diuisio conitinis in matutinam, & vespertinam?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 3 vbi s.

REcta, & sufficiens est diuisio. Et ratio est; quia cùm res duobus tantùm modis, nempè, vel in creatore, vel in creatura ipsa, cognoscatur; duæ tantùm erunt cognitiones; vt dictum est. Vna creaturæ in creatore, quæ est matutina. Et altera creaturæ in se ipsa; quæ est vespertina.

Tertia difficultas. Sunt ne idem cognitio matutina & vespertina? an differunt?

CONCLVSIO.

SVnt quidem differentes. Probatur; quia omnis diuisio semper fit in diuersa, & differentia membra, & cognitio angelorum in matutinam, & vespertinam (vt modò diximus) diuisa est. Deinde ex parte medij cognoscendi distinguntur; quia cognitio matutina rerum fit per visionem ipsam in verbo, & vespertina per cognitionem in proprio genere per species innatas, vel acquisitas; vt ex suprà dictis cõstat. Et tunc etiam vespere, & manè dicitur dies vnus; quamuis medium, & ratio cognoscendi sit diuersa ratione obiecti. Quoniam ambæ cognitiones sunt circa idem genus rerum. Lege D. August. 4. lib. super Gen. ad literam apud S. Thom. in hoc art.

S. Thom. art. 37. vbi s.

D. Aug.

Quarta diffi. Quæ istarũ cognitionũ est præstantior?

CONCLVSIO.

POtior est cognitio, quæ est in verbo, quàm quæ in proprio genere. Hæc conclusio probatur ab Alex. aliquot rationibus notatu dignissimis. Nam plùs videntur res, & melius cognoscuntur in arte, qua fiunt, quàm in se ipsis videantur; vt D. Aug. ait super illud Ioan. 1. quod factum est in ipso, vita erat. Arca enim viuit in mente, & quod fit transit cum tempore. Et cognitio rerum in arte, est in ipso verbo. Et. 11. de ciuitate Dei. c. 7. inquit, scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris quodammodo ad vesperacie. Itẽq; hucesit, & manè fit, cùm ipsa refertur ad laudem, dilectionemq; creatoris. Nec in noctem vergitur, vbi non creator creaturæ dilectione relinquitur. Et tandem quia in Deo cognoscuntur res æternaliter, & incorruptibiliter, & vt in causa; in se ipsis autem, siue in proprio genere temporaliter & corruptibiliter, & vt creaturæ. Hinc diuus Anselmus apud Alexand. in hoc loco ait: quòd creatura in creatore

Alex. Alen. m. 4. vbi s.

D. Aug. Ioan. 1. c.

D. Ansel.

nihil aliud est, quàm creatrix essentia: ideò creatura esse, quod in Deo habet, est esse simpliciter, & increatum. Quoniam quicquid est, vt est in ipso, est ipse.

Quinta diffic. An cognitio, qua cognoscit Angelus verbum, sit matutina, vel vespertina?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi 3. m. 5.

Talis cognitio est matutina. Et ratio est; quia cum Angelus cognoscat res in verbo per ipsum verbum; vtrobiq; erit idē principium cognoscēdi, & eadē cognitio in specie, qua videt verbū, & qua videt res in in verbo. Et cum hæc sit matutina, etiam cognitio verbi erit matutina.

Sexta diffi. An cognitio matutina, vel vespertina in Angelis, sit dicenda naturalis?

NAturale dicitur bifariā. Primo naturale dicitur, quod potest natura ipsa viribus suis producere, & efficere. Secūdo modo naturale vocatur, quod à principio datum est ipsi naturæ, & reputatur quasi naturale.

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. vbi 3. m. 2. Fundamentum Alexæst.

Cognitio in Angelis matutina non potest dici naturalis. Ratio est; quia non sufficiens natura ad illam comparandam. Neque data fuit à principio ipsi naturæ angelicæ; quia soli Angeli beati, & non dæmones illam habuerunt, cùm sit cognitio creaturarum in verbo.

CONCLVSIO II.

Cognitio vespertina in Angelis potest naturalis appellari. Ratio est ex fundamento posito; quia possunt Angeli per species concreatas talem rerum cognitionem habere. Nam si homines talem cognitionem possunt sibi naturaliter comparare, & per illam in cognitionem creatoris venire; quia inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, &c. quantò magis Angeli, qui perfectioris sunt naturæ. Et tales species fuerunt illis à principio congenitæ.

Ad Rom. c. 1.

Hinc

Hinc Angeli non habuerunt in sua creatione cognitionē matutinam. Quia talem cognitionem in verbo non habent, nisi beati. Et Angeli (vt infra dicetur) nō fuerūt creati beati. Append. 1. S. Bon. vbi 3.

Hinc Angeli, post glorificationem, habent cum cognitione matutina vespertinam cognitionem. Quia in proprio genere cognoscunt res. Et quia Angelus beatus amplius laudat Deum, quàm viator, non solum in sua maiestate; verùm etiam in admirabili operum varietate. Quæ quidem laus cognitionem matutinam anteponit. Non enim impossibile est duas operationes esse simul, quarum vna ordinetur ad aliam; vt voluntas simul vult finem, & illa, quæ ad finē perducunt. Potestq; idem per duplex medium, quorum vnum perfectum sit, & aliud imperfectum, cognosci. Quemadmodum eandem conclusionem per demōstrationē, & per probabilem, & topicum syllogismum cognoscere possumus. Append. 2.

Hinc, & dæmones vespertina cognitione non carēt. Quia, vt D. August. super Gen. ad litteram ait. A malis angelis, & si mali sint, non auferetur potestas naturæ. Et cùm ex natura sua habuerint potestatem cognoscendi res vespertina cognitione, per species naturæ angelicæ congenitas, non erunt tali cognitione priuandi. Append. 3. Alex. Alen. vbi 3. m. 6. D. Aug.

Septima diffic. De modo cognoscendi Angelorum.

DE hac re disserit satis clarè, & apertè S. Thom. q. citata q. 58. cæterùm, ne rem intactam omninò præterire videamur, nota sequentes propositiones. Alex. Alen. q. 26. m. 6. B. Tho. vbi 3.

Prima propositio.

Angeli multa, quæ in vno conueniunt, vel sub quadam vnitate ordinantur, simul intelligere possunt; vt subiectum, & prædicatum vnius propositionis simul intelligunt. Et ratio est, quia res est intelligibilis iuxta modum, quo similitudo sua in intellectu consistit: quare intellectus angelicus vno actu intelligere potest, quæ sub vna specie intelligibili cōtinentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hinc omnia, quæ sancti in patria in verbo cognoscunt, simul semper actualiter cognoscunt. Quia omnia per vnam Appen. 1. speciem diuinam, scilicet, essentiam cernunt.

Secunda propositio.

Angeli, quæ per diuersas species agnoscunt, non simul intelligunt. Contingit enim multa scire; vnum verò intelligere; vt Arist. 2. topic. docet. Et ratio est; quia sicut motus vnitatem sortitur à termino, ita operatio vnitatem habet ab obiecto. Et ideò, quæ per diuersas species cognoscuntur, non simul intelliguntur. *Arist.*

Tertia propositio.

Angeli non cognoscunt ratiocinando, vel discurrendo. Et ratio est; quia sicut corpora cœlestia mox à creatione vltimã suam perfectionem naturalem habuerunt, ad quam neque per motum, neq; per mutationem; vt corpora inferiora, peruenerũt, ita mentes cœlestes, seu Angeli intellectualem perfectionem discurrendo adepti nõ sunt, quemadmodum intellectus humanus, qui ex notitia principiorum' procedit ad cognitionem conclusionum. Quia illas in ipsis principiis statim cognoscere haud potest. At verò Angeli in ijs quæ naturaliter cognoscunt, omnia simul conspiciunt, quæ in illis intelligi possunt, vnde intellectus vocantur.

Append. 2. *B. Dionys.* Hinc experientia Angelis bonis, vel malis non conuenit, nisi per similitudinem; quomodo Diony. asserut dæmones per experientiam, multa cognoscere.

Quarta propositio.

Angeli non cognoscunt, siue intelligunt componendo, & diuidendo. Et ratio est; quia non cognoscunt ratiocinando, & discurrendo. Nam vt se habet conclusio ad principium in intellectu ratiocinante, ita se habet prædicatum ad subiectum in intellectu componente, diuidente, idest, propositionem construente. Nam vt intellectus noster, si statim in principij ijs actu conclusionem intelligeret, non ratiocinaretur, nec compositionem, nec diuisionem faceret, si mox in subiecto

subiecto prædicatum agnoscerer; ita Angeli, quia statim rerum essentiam agnoscunt, vlne vlteriori inquisitione, vel cõpositione, quicquid illi essentię consonum, vel dissonum est, cognoscunt. Est enim Angelus, vt B. Dionys. c. 4. de diuinis nomi. docet, speculum, pulchrum, atquè clarissimum intellectualis lucis; nihilominus compositionem, & diuisionem simpliciter, & incomplexè intelligit. *B. Dionys.*

Hinc Angeli propositiones non loquũtur, propter eorum imperfectionem; sed propter hominum eruditionem. Append. 3.

Quinta propositio.

In intellectu Angeli, siue boni, siue mali, error, vel falsitas esse non potest, nisi per accidens. Ratio est; quia Angelus non cognoscit discurrendo, nec componendo, vel diuidendo; sed quod quid est, hoc est, rei essentiam intuendo. Et quidditas rei non est principium cognoscendi de re, nisi quæ naturaliter ei conueniunt, vel de ea negantur. Atquè ita, sicut sensus non errat circa proprium sensibile, nec intellectus circa quod quid est; vt Aristot. 3. de anima auctor est. Notanter dicitur in propositione, nisi per accidens. Propterea quòd dæmones ob suæ voluntatis peruersitatem, subducentes proprium intellectum ab ordine sapientiæ Dei, sæpè de rebus simpliciter iudicant, secundum naturalem dispositionem ipsarum rerum, atquè ita decipiuntur, non circa ea, quæ naturaliter rei conueniunt; sed circa ea, quæ supernaturaliter insunt; vt si videns mortuum, dicat, eum non resurrecturum; vel cernens Christum hominem, dicat eum non esse Deum. Vnde B. Dionysius. 4. cap. de diuinis nominibus prauam esse phantasiam in dæmone affirmauit, quod in Angelis bonis locum non habet. Quia propter suam rectam voluntatem, nihil iudicant de re aliqua per cognitionem suæ quidditatis, nisi quod ei naturaliter competit, salue semper diuina ordinatione. *Arist.* *B. Dionys.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæst. VI. De amore, seu dilectione naturali Angelorum.

Alex. Alen. q.30. S.Tho. q. 60 S Bon & art. vltimo, & Ricar. & alij hac 3. dist.

HAEc. q. explicabitur, positis aliquot difficultatibus, vt est nobis in more positum. Cæterum pro maiori explicatione huius, & sequentis quęstionis, animaduerte, quæ sequuntur.

Nota.

Naturalis amor duobus modis sumitur. Vno modo, vt contra sensitiuum, & intellectiuum distinguitur. Quò quidem modo amor naturalis nihil aliud est, quàm inclinatio cuiuslibet rei in propriam naturam, & perfectionem, & bonum proprium, quo pacto amor iste etiam rebus inanimatis competit, quia res omnes per naturam bonam, quam à Deo acceperunt, benè in suum bonum, & perfectionem, inclinantur. Et hæc inclinatio est idem, cum naturali cuiusq; rei appetitu. Secundo modo accipitur amor naturalis, quatenus ab amore electiuo, & deliberatiuo differt. Et est amor naturalis isto modo, qui non ex electione, & deliberatione; sed ex natura ipsa proficiscitur. Qua ratione consideratus amor naturalis naturæ intellectuali, hominibus, scilicet, & angelis conuenit; quia homines, & Angeli naturaliter diligunt beatitudinem per voluntatem, sine aliqua electione, vel deliberatione. In quo quidem actu operatur voluntas, vt natura quædam. Et hoc modo accipit S. Thom. hic amorem naturalem, quatenus non proficiscitur à deliberatione: sed à voluntate; vt natura quædam est.

2. Nota

Hoc loco sermo est de dilectione angelorum in statu innocentiæ.

Prima diffi. Vtrũ in Angelis fuerit naturalis dilectio?

Alex. Alen. m.1 art. 1. S.Tho. ar 1. vbi suprà & alij. D. Aug.

CONCLVSIO.

HAbuerunt Angeli naturalẽ dilectionẽ. Et ratio ex Alex. & S. Tho. est, quia dilectio sequitur cognitionẽ. Inuisa enim diligere possumus, incognita nequaquã, nihilq; volitũ, nisi præcognitum. Teste D. Aug. 8. de Trinitate. c. 4. & lib. 10. c. 1. & alibi. Quare cùm Angeli habuerint cognitionem naturalem, habuerũt, & naturalem dilectionẽ.

Secunda

Secunda diffic. Vtrùm Angelus diligat se naturali dilectione?

CONCLVSIO.

ANgelus se ipsum dilectione amicitiæ, & concupiscentiæ, & complacẽtiæ diligit. Et ratio est, quia vnaquęq; res se ipsam amat; quoniam est sibi ipsi vnum, & sibi bona concupiscit, sibique complacet. Suum enim cuique pulchrum est. Alex. Alen. art. 2. §. 1. S. Thom. art. 3. vbi ſ.

Tertia diffic. Diligit se Angelus naturali dilectione propter se, vel propter Deum?

CONCLVSIO I.

GRatuita dilectione diligit se Angelus propter Deum. Et ratio est; quia in gratuita dilectione, prima diligendi ratio est Deus. Tunc enim præpositio propter dicit finem concupiscentiæ procedentis ex electione rationali, & creatura non est finis huiusmodi concupiscentiæ. Alex. Alen. art. 3. vbi ſ.

CONCLVSIO II.

Naturali autem dilectione diligit Angelus se propter se. Et ratio est; quia præpositio propter non dicit finem concupiscentiæ, sed rationem ex parte subiecti, inclinantem à natura illud ad talem actum.

Hinc non sequitur. Diligit se, ideſt, suum viuere, & intelligere propter se; ergo fruitur se. In hoc enim non est motus libidinosus; sed naturalis. Append.

Quarta diffic. In Angelis glorificatis est modò naturalis dilectio?

CONCLVSIO.

IN Angelis glorificatis non est amplius naturalis amor. Et ratio est; quia est ab amore gloriæ absorptus. Quod intellige, non quò ad substantiam, sed quò ad id, quod in eo Alex. Alen. m. 3. vbi ſ.

imper

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperfectionis erat. Lege loca, quæ Alex. ad confirmãdam conclusionem adducit, vt 1. Cor. 15. primum, quod animale est. & 1. Cor. 13. cùm venerit, quod perfectum est. Et 3. Reg. 10. de regina Saba, quæ visa domo, &c. non habuit vltra spiritum. Et Psalm. 70. introibo in potentias Domini. Et 2. Cor. 5. & si iã cognouimus Christũ, &c. Et Io. 15. Si nõ abiero, &c.

1. Cor. 15.
1. Cor. 13.
3. Reg. 10.
Psal. 70.
2. Cor. 5.
Ioan. 15.

Quinta diffi. Si in Angelis fuissent simul dilectio naturalis, & mercenaria, quo pacto inter se differrẽt?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 3. vbi s.

Distinguerentur ex parte principij, & originis. Et ratio est; quia principium, & origo dilectionis naturalis esset natura; at verò principium, & origo dilectionis mercenariæ, siue sit in angelis, siue in hominibus, est gratia. Nam gratia est, quæ mouet liberum arbitrium in his, quæ non attingunt statum perfectionis, ad diligendum Deum, propter beatitudinem; & ita propter suum commodum gratuitum.

Sexta diffic. Vnus Angelus amoren aturali diligit ne alium Angelum, sicut se ipsum?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 2. §. 3. S. Thom. art. 4. vbi s. Eccl. 13.

Diligit quidem. Et ratio est; quia similitudo est causa amoris, & vnus Angelus est alteri similis in natura. Et confirmatur Eccles. 13. omne animal diligit sibi simile, & vox (sicut) de sententia Alex. & S. Thom. hoc in loco non æqualitatem; sed similitudinem significat.

Alex. Alen. §. 4. vbi s. Arist. 8. Ethic. c. 2. & 9.

Septima diffi. Diligit ne Angelus dilectione naturali hominem ratione animæ, & ratione corporis?

Diligit sanè ratione animæ primo. Et ratio est; quia simile naturaliter diligitur à suo simili, & anima hominis similis est illi in possibilitate ad gloriã, & beatitudinẽ: corpus

corpus verò cõsequenter diligit. Quia gloriatur Angelus in præmio hominis, qui datus est ei in custodiam ratione animæ primò, & secundario ratione corporis.

CONCLVSIO II.

Magis tamen diligit Angelum, quàm animam. Et ratio est; quia quò aliquid est magis simile; eò magis diligitur, & Angelus Angelo similior est, quàm sit anima ipsi Angelo.

Octaua diffi. Vtrùm Angelus naturali dilectione magis Deum, quàm se diligat?

Alex. in art. 2 §. 2. S. Tho. art. 5. & S. Bona. q. 1. vbi s. Scot. Gabriel.

De hac re disput. Theologi in 3. d. 27. & 8. & 9. & S. Thom. 2. 2. q. 26. ibi enim est, proprius huius rei locus. Cæterum cum Alex. & S. Tho. hic breui explicabitur.

Sunt autem duæ opiniones circa hanc difficultatem. Vna S. Tho. nẽpè, q. magis diligat Deũ angelus, quàm se ipsum. Altera est opposita Scoti in 3. d. 27. q. vnica, cui adhæsit Gabriel. in 3. d. 29. q. vnica, quam opinionem multò antea defenderat Alex. Alen. vbi suprà.

CONCLVSIO.

Angelus, & quæuis creatura rationalis naturali dilectione, magis, & proprius in se, quàm in Deum fertur. Probatur ab Alex. & ab Scot. multis rationibus; quia cũ homo bonus, qui se pro Christo morti tradit, maximã difficultatem patiatur propter repugnantiã naturæ; profectò ex natura sua feretur magis in amorẽ sui, quã in Deũ. Secũdò ex Alex. quia, quod propter se diligitur, magis diligitur, quam quod propter alterum diligitur, & Deus ab Angelo naturaliter propter bonũ angeli diligitur. Confirmat autẽ Scot. hãc conclusionẽ etiam auctoritatibus sacræ scripturæ. Vt ex illo Gen. 8. sensus, & cogitatio humani cordis in malum prout sunt ab adolescẽtia sua, ideſt, à natiuitate. Et ex illo Matth. 26. Pater, si possibile est, transeat, &c. Vbi infert; ergo naturalis inclinatio Christi ferebatur in suam salutem, & conseruationem; si quidem volumas præceptum mortis à patre præfinitum recusabat. Et tandem ex Arist. 9. Ethic. c. 4. dicente. Ea, quæ sunt ad amicos, ex ijs, quæ ad nos sunt, profecta esse videntur. Sed de ijs latiùs in lib. controuersiarum.

Gen.
Matth. 26.
Arist.

Nona

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nona diffi. Vtrùm Angelus naturali dilectione magis diligat superiorem? an parem? an inferiorem?

S. Bona. q. 2. vbi 3.

SOlus D. Bona. hanc difficultatem tractat. Et cum eó nota, aliquid magis diligi vno trium modorum. Primo ratione boni optati; vt quando aliquis alicui maius bonum optat. Secundo ratione affectus intensioris; vt cùm aliquis alicui magis afficitur, & libentiùs cum eo conuersatur. Et hoc modo aliquis magis diligit compatriotas suos, qui magis sibi in moribus conformantur. Tertio ratione maioris effectus impensi, quo modo ille magis diligitur, cui maius beneficium, vel plura ab amico exhibentur, & de quo maior solicitudo habetur. Quemadmodũ mater magis solicita est circa filium tenellum, quàm circa adultum, propter maiorem indigentiã.

CONCLVSIO I.

Angeli medij plus diligunt superiores primo modo. Et ratio est, quia optant eis maius bonum: sicut Deus dat eis maius bonum.

CONCLVSIO II.

Angeli secundo modo plus diligunt Angelos qui sunt sui ordinis. Et ratio est; quia magis optant cum eis conuersari. Sic enim Deus ordinauit.

CONCLVSIO III.

Angeli tertio modo plus sibi inferiores diligunt. Et ratio est; quia plura beneficia eis præstant, eos illuminando.

Decima diffic. Vtrùm dæmones naturali dilectione se, & Deum diligant?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 3. vbi 3. Ad Ephes. 5.

DÆmones naturali dilectione se ipsos diligunt. Ratio est; quia nullus, quantumuis malus, seipsum odio habet. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. Quoniam cùm peccator ex libidine diligat, quod diligit; libido autem non sit sine substrata natura, necessariò ex consequenti,

sequenti, natura dictante, diliget se. Similiter etiam & pessimi dæmones. Nec tibi molestiam inferat, quòd dæmones, & damnati vellent non esse, & desperati homines volunt non esse. Non enim vellent non esse simpliciter, sed non esse in illa miseria. Vnde desperati homines volunt mortem: quia vellent sine illa miseria esse.

CONCLVSIO II.

Dæmones actualiter non diligunt dilectione naturali Deum; sed habitualiter. Et ratio est; quia vis dilectiua ita est sopita in ipsis per peccatum, quòd in actum naturalis dilectionis non excitatur. Exiret autem in actum, nisi esset cõtrarius appetitus, qui dominatur in vi illa, respectu illius, per quem conseruatur in esse. Et confirmatur à simili: nam sicut in homine infecto odio graui alterius hominis, natura non potest inclinare liberum arbitrium illius ad hoc, quòd diligat eum naturaliter, multò minùs inclinabit in dæmonibus ipsos ad hoc; vt diligant Deum, etiam naturaliter. Quoniã multò magis sunt odio infecti contra Deum, quàm sit vnus homo aduersus alium. Cùm de illis scriptum sit; superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Psal. 73.

Quæst. VII. De dilectione electiua Angelorum.

AD pleniorem huius quæstionis declarationem, quæ (vt aliæ) positis aliquot difficultatibus, declarabitur, sunt aliqua prænotanda. Alex. Alen. q. 31.

In angelis, & hominibus est dilectio naturalis, scilicet, electiua, & deliberatiua. Naturalis dilectio est circa finem; quia naturaliter Angeli & homines finem, & beatitudinem in communi appetimus; at verò media, quibus finem consequimur, electiua dilectione desideramus, & optamus. Cæterùm quia sunt multa media, & varia, quibus ad finem optatum peruenimus, inde datur locus electioni mediorum. S. Tho. S. Bona. & alij in locis. q. 6. citatis. 1. Nota.

Hinc ortum habent tot hominum status, tot viuendi modi, totque hominum studia, tantaque operationum varietio. Appen. I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Nota. Licet in Angelis, & hominibus sint dictæ electiones; est tamen inter illos maximum discrimen. Quoniam Angeli per naturam ex parte intellectus determinantur ad omnem veritatem naturalem: ex parte autem voluntatis non determinantur ad omne bonum naturale. Et ratio est, quia cognitio fit per hoc, ꝙ obiectum cognitum est intra naturam cognoscentem per speciem intelligibilem ipsius obiecti: & quoniã Angeli natura sua sunt perfectissimi, & habent in se omnia obiecta naturalia per species, vt supra in q. de cognitione Angelorum retulimus, determinantur ad omnem veritatem naturalem per naturam suam. Verumtamen ex parte voluntatis non trahit res intra se, sed voluntas ipsa inclinatur, & fertur ad res extra. Modus namquè operandi voluntatis est contrarius modo operandi intellectus.

3. Nota. Inter bona exteriora, quædam sunt magna, & perfecta bona, ad quæ naturaliter inclinatur, & fertur Angelus, & ex consequenti eius voluntas: vt ad beatitudinem, & perfectionem naturalem naturaliter Angeli voluntas inclinatur. Alia sunt bona exigua, & imperfecta, quæ in se non habent aliquã vtilitatem, nisi quatenus conferunt ad finem, quæ hac de causa dicuntur vtilia. Hæc bona, quæ sunt media ad finem consequendum, non rapiunt ad se voluntatem: & ideo voluntas non inclinatur ad huiusmodi bona naturaliter: sed per electionem, & deliberationem sponte sua, & deliberata electione. Et quòd ad hæc naturaliter Angelus non feratur, non arguit in Angelo aliquam imperfectionem: sed indicatur imperfectio, & exiguitas huiusmodi bonorum.

Append. Hinc colligitur, ad perfectionem Angeli pertinere, ꝙ in omnem veritatem, & in omnem perfectionem intellectus naturaliter feratur: non autem, vt ex parte voluntatis naturaliter feratur in omne bonum: sed in quædam naturaliter: in quædam verò electione.

4. Nota. Homines, qui inter res intellectuales infimæ sunt naturæ, & substãtiæ, sicut non inclinantur in omne bonum, per voluntatẽ: sed quædam naturaliter diligunt, quędam per electionẽ: ita eorum intellectus naturaliter non cognoscit, & fertur in omne verum; sed quædam vera determinat eorum intellectus naturali

naturali cognitione; vt sunt principia: quædã autẽ vera agnoscunt nõ naturaliter; sed per discursum, & per syllogismum: vt sunt conclusiones ex principiis deductæ.

5. Nota. Duplex est electio. Vna, quæ ex pertractatione rationum in vtrãq; partem in ipso dubitante fit, & hæc est propria hominis, qui non statim prævidet, vel æstimat hoc esse illo melius. Quemadmodũ Angeli, qui citissimè vident, quid melius sit. Altera est electio, quæ emanat ex iudicio statim habito de bono, vel meliori, quæ in Angelis reperitur.

Prima diffic. Vtrùm dilectio electiua, siue rationalis sit in Angelis?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 1. S. Tho. art. 2. vbi 3. EST quidẽ in Angelis talis dilectio. Et ratio est; quia cũ Angelus habeat potestatẽ cognoscẽdi ex intellectu, vel ratione bonum, & malum, & inter bona, quod illorum sit melius, habebit planè eligendi, & præeligendi potestatẽ. Et cùm ex huiusmodi electione, vel præelectione, sequatur dilectio, erit in Angelis huiusmodi dilectio, quatenus eligere est alterum alteri præoptare.

Secunda diffic. Vtrum Angeli dilectione electiua Deum diligant?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 2. DIlectio electiua non est in Angelis respectu Dei, quatenus finis vltimus est. Ratio ex primo nota. huius conclusionis est: quia dilectio electiua nõ est finis, sed eorum, quæ sunt ad finem, & cùm Deus sit finis vltimus, non erit dilectio electiua respectu illius. Hoc enim distinguitur dilectio a voluntate, quòd voluntas est communiter, & finis, & eorum, quæ sunt ad finem. Quare cùm Deus sit finis non erit eius electio. Nemo enim deliberat. Vtrum velit Deum naturaliter? Et cùm dilectio electiua ex electione oriatur, neque erit respectu Dei electiua dilectio; poterit tamen esse electio, inquit Alex., sub particulari ratione, vt est omnium creator, & rector, gratiæque, & gloriæ largitor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. Vtrùm Angelus dilectione electiua potuerit præ se ipso, Deum diligere?

CONCLVSIO I.

Alex Alen. m. 3. vbi 5.

POterat Angelus ex solo libero arbitrio, sine gratiæ admiculo, diligere Deum dilectione electiua, præ se, quatenus summè bonus, & summè diligendus est. Et ratio est; quia Angelus ex pura intelligentia sibi data potuit cognoscere Deum; vt summè ens est, & summè bonus, & summè diligendus; se autem non summè bonum esse. Et cùm ex cognitione sequatur amor, siue dilectio; quia nihil volitum quin præcognitum, potuit profectò dilectione electiua etiã si gratia gratum faciens non adesset, Deum super omnia diligere.

CONCLVSIO II.

Deum autem sub ratione particulari creatoris, glorificatoris, &c. non potuit præ se, ex solo libero arbitrio, sine gratia diligere. Ratio est; quia diligere Deum propter se, & super omnia est actus charitatis; charitas autem non est sine gratia gratum faciente. Quamobrem sine tali gratia, ex solo libero arbitrio, non poterit Angelus Deum præ se ipso diligere?

Quarta diffic. Vtrùm Angelus diligat se dilectione electiua, & alium Angelum?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. m. 4. vbi 5.

NOn repugnat dilectioni rationali, siue intellectuali; vt Angelus se ipsum diligat. Ratio est, quia Angelus diligẽdo se dilectione rationali, siue intellectuali assimilatur Deo, cuius est summa dilectio, & cuius est diligere se. Et cùm multò maior sit indiuisio inter diligentem, & dilectũ, quãdo Deus diligit se (quia est summa indiuisio') quàm sit inter diligẽtẽ, cũ Angelus diligit se, non repugnabit planè dilectioni rationali, siue intellectuali, ℣ Angelus diligat se. Quid? ℣ vt idem Alex. ait. Angelus diligens se, est alter, in quantum diligit, & in quantum diligitur. Quia diligit suum esse, & suam vitam, quæ est altera ab ipso.

CON-

CONCLVSIO II.

Diligit vnus Angelus alium electiua dilectione. Et ratio est; quia sunt eiusdem naturæ. Participatio enim eiusdem naturæ est ratio dilectionis naturalis, similiterq; natura ad diligendum sibi simile inclinat. Omne enim animal diligit sibi simile. Et participatio eiusdem naturæ, vt cadit sub iuditio debiti diligendi, est ratio dilectionis electinæ. Nam intellectus Angeli, cognoscentis aliquid esse simile alteri, iudicat illud deberi ab illo diligi. *Eccl 13.*

Distinct. IIII.

Sententia huius dist. in qua Magister de statu, in quo fuerunt creati Angeli, disputat, aliquot positis quæstionibus, intelligetur. Ad quarum notitiam legendi sunt doctores scholastici in hac. 4. &. 5. dist. sequenti. S. Thom. q. 62. Alex. Alen. q. 29. art. 7. S. Bonauentura art. 1. q. 1. Scot. & Durand. quæst. 1.

Quæst. I. Vtrùm Angeli fuerint creati beati?

BEatitudo est duplex. Vna supernaturalis, de qua in. 2. p. florum. 4. lib. propè finem egimus. Altera est naturalis, quæ iuxta sententiam D. Bonauen. vbi suprà est carentia omnis mali culpæ, & pœnæ, & possessio omnium, quæ tali naturæ conueniunt. *Doct. vbi suprà.*

CONCLVSIO I.

Angeli fuerunt creati beatitudine naturali præditi. Ratio est; à definitione posita beatitudinis naturalis. Caruerunt enim omni culpa, & pœna, & bonis suæ naturæ conuenientibus abundarunt. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona Gen. 1. Secundo quia habuerũt naturalem cognitionem Dei; vt suprà diximus. Et beatitudo naturalis, teste Aristot. in Ethic. in cognitione, & contemplatione primæ causæ consistit, quod non conuenit hominibus, qui per discursum talem cognitionem acquirunt. Et D. August. de natura, & gratia, inquit, Angeli creati sunt in beatitudine. *Gen 1. Arist. D Aug.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Angeli non fuerunt creati in beatitudine supernaturali. Patet conclusio. Primo; quia meruerunt suam beatitudinẽ, quæ est præmium, quod propter meritum datur. Lex enim posita libero arbitrio est; vt nemo, nisi per proprium laborẽ, hanc summam fœlicitatem assequatur. Secundò, quia beatitudo cœlestis amitti non potest, nec videns Deum potest peccare; cùm in illo obiecto beatifico ratio aliqua mali reperiri haud possit: & si à principio Deum vidissent, à beatitudine non cecidissent; vt multi (sicut fides docet) ceciderunt. Tertiò, quia non est verisimile, quòd Deus tam ineffabile bonum Angelis prævaricaturis, quos in æternum a regno cœlorum erat relegaturus, concesserit. Quid? quòd hoc priuilegium videndi Deum à principio suæ creationis soli animæ Christi; vt omnes sancti docent, fuit concessum. Lege D. Aug. D. Auguſt. 12. de ciuitate Dei. cap. 6. & lib. de ecclesiasticis dogmatibus hæc scribit verba. Angeli, qui perseuerarunt, Nota, bonum, quod nunc habent, non possident natura. Quare non fuerunt in suâ creatione hac beatitudine prædicti.

Affirmantibus autem D. Auguſt. sentisse angelos à principio fuisse ista beatitudine supernaturali beatos, respondeti potest. Primò sensum D. Auguſt. fuisse quod omnes D. Aug. Angeli à principio suæ creationis, cognouerunt res in verbo; cognitione tamen naturali, non beatifica, quæ cognitio dicitur etiam matutina, & est perfectior, quàm cognitio naturalis. Vel respondetur secundò, duplicem esse cognitionem matutinã, vnam de qua præcedenti quæst. actũ est, alteram per reuelationem, quæ fuit in omnibus, qua perfectiori modo cognouerunt res in verbo omnes Angeli, quàm per cognitionem vespertinam in se ipsis, & in proprio genere. Vel respondetur tertiò, si placet. D. Auguſt. fuisse huius sententiæ, scilicet, quòd omnes Angeli fuerint in principio beati, verùm beatitudine rapta, non firma: ita vt sicut D. Paul. fuit beatus in raptu, ita fuerint Angeli beati: sed quosdam per malam voluntatem cecidisse: alios verò per bonam voluntatem permansisse. Quartò sunt, qui dicant. D. Auguſt. scripsisse cognitionem matutinam tã in bonis, quàm in malis

sis Angelis fuisse non ex propria, sed ex aliorum sententia.

Hinc colligitur Angelos creatos fuisse viatores; vt possent vitam æternam mereri, vel demereri. Quòd colligitur ex sacra scriptura apertè, præsertim ex illo loco Ezechiel 28. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, &c. Vbi de Angelo, qui per iniquitatem voluit sanctificationem suam, dicitur accepisse non minora charismata, & dona supernaturalia, quàm boni angeli: paulò post sequitur in textu. Et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. Quem locum declarans. D. Gregor. 32. moral. c. 24. & 15. per foramina intellexit intellectum, & voluntatem Angeli, quæ præparata fuerunt per gratiam, vt repleri possent, referens ad eum statum, de quo dicitur. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Append. 1. Ezech. 28. D. Greg. Psal. 16.

CONCLVSIO III.

Angeli in instanti suæ creationis beatitudinis supernaturalis inchoationem per fidem supernaturalem, spem, & charitatem, acceperunt. Probatur conclusio; quia etiam homines hac beatitudine inchoata beati in sacris literis appellantur. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Lege D. Auguſt. lib. 11. de ciuitate Dei cap. 9. &. 11. &. 13. & lib. confessionum cap. 19. &. 12. lib. cap. 11. Et hoc modo intelligendi sunt omnes sancti, affirmantes, angelos omnes creatos fuisse beatos, de beatitudine, scilicet, inchoata per fidem, &c. & non de perfecta, quæ habetur per claram Dei visionem. S. Tho. 2. 2. q. 3. art. 1. Ioan. c. 20. B. Aug.

CONCLVSIO IIII.

Beatitudine perfecta potuerunt Angeli, secundum absolutam Dei potentiam, in primo instanti esse beati. Ratio est; quia ab instanti suæ creationis fuerunt beatitudinis capaces, & Deus potens beatitudinem illis dare.

Hinc secundum legem Dei ordinatam non fuerunt beati, vt dictum est. Quia lege Dei ordinata cautum est; vt meritum præcedat præmium. Append. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæst.II. Vtrùm Angeli fuerint creati in gratia?

S.Thom. Scot. Dura. hac dist. Alex. Alen. S.Bona. Ricar. Vgo de.S. Victo.

INtelligitur.q.de gratia gratum faciente,quæ nos iustos facit,& Deo charos,& gratos reddit. Et sunt de hac re duæ opiniones oppositæ.Vna affirmans.S.Tho. q. 62. & Scot. Altera negans Magistri & Alex.Alen.q. 19.m. 2. & D. Bon. art.1.q.2.vbi suprà. & Ricardi hac dist.art. 1. q. 2. & Vgonis de sancto Victo .lib.1.de sacra.q.2. & aliorum. Certò autem sciri non potest, quæ opinio istarum verior sit cùm. q. sit de facto,quod ex sola voluntate diuina pendet. Licebit tamen vtramquè amplecti opinionem: quia hactenus nihil ab ecclesia circa quæst. hanc definitum est. Nequè ex sacra scriptura per necessariam consequentiam altera istarum opiniorum colligitur.

CONCLVSIO I.

Angelis, tam bonis, quàm malis diuina voluntas gratis, ante peccatum, gratiam iustificantem, charitatem, à qua mali liberè defecerunt, concessit. Hanc conclusionē omnes sancti patres, & doctores confitentur; quoniam expresse ex sacra scriptura colligitur, & ab omnibus est necessariò amplectanda. Quemamodum sacrosanctum concilium Tridenti. præcipit sessio. 4. dicens. Nemo, contra vnanimem consensum patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat. Sunt autem loca, inter alia, ex quibus apertissimè conclusio infertur, quæ sequuntur. Nam Isaiæ. 14. legitur. quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris. Cui simile est testimonium Luc. 10. videbam Satanam,sicut fulgur, de cœlo cadentem. Vnde colligitur Luciferum cecidisse ab eo statu, in quo conditus fuerat, & amisisse dona supernaturalia, quibus à Deo fuerat illustratus; vt constat Ioann.8.dicente Christo Iesu; & in veritate non stetit. Tum etiam probatur Ezechiel. 18. to signaculum similitudinis, &c. vsquè polluisti sanctificationem tuam. Vnde apertissimè infertur Angelum, ante peccatum, habuisse sanctificationem, quam perdidit per pecatum, licet naturalia integra permanserint. Gressus autē, quibus perfectus in hoc loco ambulasse dicitur, sunt intellectus, & voluntatis, quæ fidei,

Isaiæ.14. Luc.10. Ioan.8. Ezechiel.18.

fidei, & supernaturalis sapientiæ lumine fuerūt illuminatę, & charitatis igne inflammatæ. Iuxta illud psalm. 103. Qui facis Angelos tuos spiritus,& ministros tuos ignem vrērem. Lege.D.Dionysi. c. 4. de diuinis nominibus. Hanc conclusionem docent D. Basil. explicans illud psal. 32. verbo domini cœli firmati sunt.D. Damascen. lib. 2. fidei Ortod. cap. 3. D.Hieron.in comment. Oseæ.c.3. D. Bernard.multis in locis.B.Isidor. lib. de summo bono. Ratione etiam confirmatur: nam si primi parentes habuerunt, ante peccatum, gratiam iustificantem quam per peccatum amisserunt; vt concil.Trident.sess.5,in decreto de peccato originali docet; habuerunt quoq;, & Angeli, ante peccatum, gratiam & charitatem: vt habet conclusio.Non enim videtur rationi consentaneum, negare Angelis ante peccatum, quod hominibus fuerat concessum.

Psal. 103. D. Dionys. Basil. Psal. 32. Damascen. Hieron. Bernar. Isidor.

Silentio tamen non est in præsentia inuoluendum, testimonia sacræ scripturæ citata esse ad litteram intelligenda; vt D.August.11.de ciuitate Dei.cap.15.& D.Hiero. in comm. super Ezechiel.cap.28. docent.Quia non solùm in his locis: verùm etiam in alijs multis sacræ scripturæ dæmones principes, & reges appellantur. Vt psalm. 81. sicut vnus de principibus, cadetis. Et Angeli præfecti prouincijs, & regnis, principes etiam vocantur: vt Græcorum principes, & Persarum, vt Daniel. 10. Princeps regni Persarum restitit mihi 20. &vno diebus. Et Matthæ. & 12. Marc. 3. Et Luc. 12. in Beelzebub principe dæmoniorum dicebāt Pharisæi, Christum eijcere dæmonia.Et Ioan.12.nunc princeps huius mundi.Et c.12.venit enim princeps huius mundi. Et cap. 15. iam princeps huius mundi.Et ad Ephesi. 6. non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.Lege etiam præter doctores citatos,D.Gregor.32. moral.cap.24. &. 25. Et D.Bernard. passim; præsertim sermone.116. qui omnes in sensu literali locum Ezechiel citatum declarant. Tum etiam quia idem locus duplicem sensum literalem habere potest. Quid? quòd etiam si esset sensus mo-

Nota. D. Aug. D. Hiero. Psal. 81. Daniel. 10. Matth. 9. & 12. Mar. 3. Luc. 12. Ioan. 12. 14. & 15. Ad Ephes. 6. D. Greg.

ralis, cùm auctoritas sanctorum vnanimiter exponentium

Universidad de Deusto
Biblioteca

hunc locum, de dæmone illum interpretentur, firmissimū inde argumentum colligitur, cui contradicere (vt constat ex consil. Trident. modo citato) non licet.

Append.

Hinc constat, dictam conclusionem ex communi doctorum sententia collectam fuisse, nempè, quòd, ante peccatum, fuit illis collata gratia. Controuersia tamen est, vt in principio. q. diximus; an illam fuerint in primo instanti suæ creationis consecuti; cuius controuersiæ pars affirmans est multò probabilior, quæ se quenti conclusione continetur.

CONCLVSIO II.

D. Aug. Angeli omnes in primo instanti suæ creationis habuerunt gratiam. Hæc conclusio in primis est. D. August. 12. de ciuitate Dei cap. 9. vbi expressè docet, Angelos creatos fuisse cum voluntate recta, & amore casto, simulq; Deum condendo naturam, largitum fuisse gratiam. Quam sentētiam sequitur Isidorus in lib. de summo bono. Et. B. Damascen. lib. 12. ait. Per verbum Dei omnes angeli creati sunt, & à Spiritu sancto per sanctificationem perfecti. Quare in gratia creati. Et B. Hieronym. super illa verba Oseæ. cap. 3. diligunt vinacia vuarum, docet, per vinacia intelligendos esse dæmones, qui creati fuere cum maxima pinguedine Spiritus sancti, & per superbiam arefacti, è cœlo ceciderūt. Quo quidem testimonio nihil clariùs dici potuit. Tandem confirmatur ratione; quia sicut res corporales à principio. fuerunt productæ cum rationibus seminalibus, ad producendos effectus naturales: iuxta illud Genesi. 1. ecce dedi vobis, &c. Quæ habent in semetipsis sementem generis sui, similiter in super naturalibus theologandum est, & affirmandum, in angelis beatitudinem productam fuisse secundum rationem seminalem, id est, secundum gratiam, quæ à D. Petro. 1. Petri. 1. semen nuncupatur. Nam renati, inquit, non ex semine corruptibili, &c. Et 1. Ioan. 3. semen ipsius, &c. Sic enim se habet gratia ad effectum meritorium; sicut ratio seminalis ad effectum naturalem. Et D. autem August. 3. super Genesi. ad literam dicens, primò informiter esse naturam angelicam creatam, intelligendus est, per com-

S. Isido. B. Dama. B. Hiero. Ose. c. 3. Gen. 1. 1. Pet. 1. 1. Ioan. 3. B. Aug.

comparationem ad plenam gratiæ perfectionem, seu gloriæ visionem. Verùm de his latiùs in lib. controuersiarum.

Difficultas. Vtrum Angelis fuerit gratia secūdum capacitatem suæ naturæ collata?

CONCLVSIO I.

S. Tho q. 62. art. 6. DEus, per solam suam voluntatem, libere largitus est Angelis suam gratiam. Probatur conclusio multis sacræ scripturæ testimonijs, ex quibus apertissimè colligitur. Nam. 1. ad Corint. 12. loquens. D. Paul. de gratijs spiritualibus, inquit. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Quare ex voluntate Dei, & non ex naturæ nostræ capacitate donantur munera supernaturalia. Iuxta illud Ioan. 3. spiritus vbi vult spirat. Et Iacobi. 1. voluntariè genuit nos verbo veritatis. Et Ioan. 1. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c. Et ad Ephesi. 4. vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. Tandem quia Deus ex liberalitate sua potuit dare, & de facto dedit maiorem gratiam quibusdam hominibus, quàm Angelis, vtpote homini Christo, & sanctissimæ Virgini eius matri, & forte alijs nonnullis; vt manifestè ostenderet dona gratiæ non à creatura, sed à solo Deo esse.

1. Cor. 12. Ioan. 3. Iacobi. 1. Ioan. 1. Ephes. 4.

CONCLVSIO II.

Voluit nihilominus Deus melioribus, & maioribus Angelis in naturâ, maiorem gratiam, iuxta maiorē capacitatē dare. Et ratio est, quia diuina liberalitas, quantum est ex se, cuicunque creaturæ sua beneficia largitur, secundum cōditionē naturalē ipsius creaturæ; nisi creatura ipsa ponat obicē. Et quādo, angelis in primo instanti fuit gratia infusa, nullus ex parte ipsorū erat obex. Deinde, quia nobilior potētia naturalis est capax maioris gratiæ, & in angelis nō est æqualis potētiæ naturalis nobilitas. Et vt domifactor ex eo, q̄ aliquos lapides pulchriùs, & decētius aptat, videtur eos ad honoratiorē partē domus ordinare, ita Deus Opt. Max. artifex sūmus, angelos, quos altioris naturæ fecit, ad maiora gratiarum

dona

dona ordinauit. Et hoc, vt dictum est, ex mera Dei voluntate & non quòd deberetur illis ratione melioris naturæ.

Hinc confutatur error Pelagij, qui gratiam, & gloriam, debitam esse, secundum rationem naturalem, asserebat.

Hæresis.

Quæst. III. Vtrùm boni Angeli fuerint præscij suæ confirmationis, & mali sui casus?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. tota q. 25. S. Bona. art. 2 p 1 & 2. Durand. q. 3. vbi 3. B. Aug.

ANgeli boni, neq; præuiderunt, neq; habuerunt præscientiam suæ confirmationis, & stabilitatis in primo instanti suæ creationis, quam quidem modò habent. Et ratio est; quia si præscij fuissent, necessariò permansissent, & si necessariò permansissent, permanere non fuisset illis imputatum ad meritum. Modò autem talem præscientiam habent; vt B. August. 11. de ciuitate Dei docet, dicens. Ipsi certi sunt suæ fœlicitatis æternæ, &c. Et ad Orosium scribens ait. Omnes Angeli creati sunt æquales: sed cadentibus illis per superbiam, cæteri Domino pia obedientia cohæserunt, accipientes certam scientiam suæ stabilitatis, quod illi nunquàm habuerunt & sic gratia Dei circundati; vt non possint cadere à beata vita.

CONCLVSIO II.

Poterant tamen per coniecturam credere, se beatitudinẽ habituros, Et ratio est; quia effectus, qui prouenit à causa contingente: determinata tamen magis ad producendum effectum, quàm ad oppositum, potest in illa per probabilem cõiecturam sciri, & beatitudo à tali causa dependet, scilicet, à libero arbitrio; determinato tamen magis ad consequendam beatitudinem, ad quã erat natura angelica creata, & peliuis, atq; prona, & gratiam quoq; adiutricem habebat.

CONCLVSIO III.

D. Ansel.

Mali Angeli non fuerunt præscij sui casus. Probatur cum D. Anselm. in lib. de casu. Scientia non est, nisi cùm aliquid certa ratione intelligitur; sed quod potest non esse, non potest certa ratione intelligi esse; potuit autem esse, vt non caderet Lucifer; quare non potuit tunc certa ratione casum

casum suum intelligere; ergo neque scire; & ex consequenti, neque præscire. Secundò probatur, aut casus præscitus placuit angelo malo, & tunc iam inesset culpa; aut displicuit, & tunc esset pœna; impossibile autem est, ante primum peccatum angeli, fuisse culpam, aut pœnam. Quia primum implicat contradictionem, & secundum videtur iniustitiam importare. Nam tunc pœna præcederet culpam. Lege eundem Anselmum ibidem dicentem: potuit intelligere diabolus, cùm esset rationalis creatura, quòd iustè puniretur, si peccaret; sed quoniam iudicia Dei abissus multa, & inuestigabiles viæ eius, nequiuit comprehendere, quod Deus faceret, quod iustè facere posset. Lege etiam D. August. de correptione, & gratia, & D. Bernardum de gradibus humilitatis.

Ad Rom. 11. D. Aug. D. Bern.

Prima diffic. Fuit ne saltim reuelatus Angelis malus suus casus?

CONCLVSIO I.

Doct. vbi sup.

DE facto non reuelauit illis Deus suum casum. Et ratio est, quia, si Angeli præsciuerunt casum suum, vel voluerunt, vel noluerunt illum; si noluerunt, & euitare voluerunt, & non potuerunt, miseri essent creati. Quòd si voluerunt casum, peccauerunt, atque ita fuerunt in miseria creati, quod non est dicendum, vt ex superioribus constat, & statim dicetur.

CONCLVSIO II.

Dura. hic. Isaiæ. 38. Ionæ. 3.

Potuit Deus, secundum suam absolutam potentiam, reuelare illis suum casum, & tunc nec in miseria, nec in pœna fuissent. Ratio est, quia licet sequatur pœna ex iis, quæ nobis nolentibus accidunt; potuisset tamen Angelus nolle peccatum, & nolle damnari, & tunc nullus fuisset subsequutus dolor. Nam poterat Angelus intelligere esse dictum reuelatum per comminationem; vt patet exemplo Ezechiæ, & Niniuitarum. Poterat etiam Deus facere, vt dolor non sequeretur. Et quamuis in nobis nolentibus sit tristitia; non tamen ita est in beatis; qui quidem nollent nos peccare; & tamen, nobis delinquentibus, minimè tristantur. Imo, & dæmo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæmones, quamuis optent, & intendant; vt peccemus; nobis tamen peccantibus, non gaudent. Quia damnati non sunt gaudij participes.

DVB. Potuisset ne Deus de potentia absoluta creare Angelos in pœna, & dolore?

Isaiæ. 45. Respondeo. Potuisset; neque hac de causa esset iniustus iudicandus. Non enim dicit vas figulo. Cur me sic fecisti?

Secunda diffic. Fuerunt ne creati miseri?

CONCLVSIO.

Doct. vbi s. & Scot. q. 2. Alex. Alen. q. 109. m. 1. art. 4. Gen. 1. S. Tho. Dur. NOn fuerunt Angeli in miseria creati. Ratio est; quia miseria, aut est peccatū, aut pœna, & iis angeli in sua creatione caruerunt. Peccatum enim tunc non habuerunt: nam Deus esset tunc auctor mali. Et quæ Deus fecit, erant valde bona. Neque habuit in sua creatione pœnam: nam pœna præsupponit peccatum, siue culpam, quam (vt dictum est) non habuerunt. Lege. S. Tho. 1. 2. q. 87. artic. 7. Duran. in hoc lib. dist. 30. q. 1. & distin. 37. q. 3. vbi quomodò pœna pro culpa, & sine illa infligatur; vt in Iob. & in cæconata Io. 9. cum D. August. docet.

Ioan. 9. Hæresis. Hinc confutatur hæresis Manichæi dicentis, Deum esse mali autorem.

Tertia diffic. Fuerunt ne Angeli creati perfecti?

LEge Magistrum hac dist. Perfectum dicitur aliquid esse tribus modis. Primo modo perfectum secundū tēpus: vt quando res aliqua habet id, quod tempus requirit, dicimus esse perfecta. Et ita parvulus dicitur esse perfectus, secundum tēpus, quāuis ratione non vtatur, non tamen adultus esset perfectus, si ratione non vteretur. Similiter homo in originali peccato natus dicitur imperfectus; quia cōueniebat illi habere gratiā, si Adæ peccatum non obstitisset. Secūdo dicitur perfectū secundum naturam, quomodo sancti in resurrectione erunt perfecti; quoniam habebunt omnem perfectionem

ctionem suæ naturæ possibilem. Tertio dicitur vniuersaliter perfectum; vt Deus Opt. Max. cui, cum nulla desit perfectio, dicitur vniuersaliter perfectus.

CONCLVSIO.

Angeli in sua creatione fuerunt secundum tempus perfecti. Et ratio est: quia habuerunt (vt suprà diximus) gratiam concreatam, cuius tunc erant capaces.

Distinct. V.

In qua Magister de conuersione bonorum Angelorum, & de malorum auersione, tractat. Explanabitur eius litera sequentibus quæstionibus.

Quæst. IV trum Angeli boni meruerint beatitudinem?

Alex. Allen. q 29. art 7. S. Tho. q. 62. art. 4. S. Bona. art. 3 q 1 & 2. Scot. q. 1. & 2. Duran. q. 3. Gabriel q. vnica, & reliqui hac distinct. 1. Timot. 2. 2. ad Cor. 3. Apoc 21. D. Aug. B Greg. B. Anselm. NOn defuerunt, qui dicerent, Angelos nunquā meruisse beatitudinē, quā modò habent. Quia non videtur rationi consonum, vt tam breui tempore, & absq; labore, tantum bonum, quantum est beatitudo, meruerint.

CONCLVSIO.

Angeli beatitudinem, quam modò habent, meruerunt. Ratio est; quia est lex à Deo firmissimè ordinata, vt nulla creatura rationalis, nisi per proprium opus, beatitudinem supernaturalem consequatur. Vt constat. 1. ad Timot. c. 2. non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et 2. ad Cor. 3. vnusquisq; propriam mercedem accipiet, secundum suū laborem. Et licet isti loci de hominibus loquantur, de angelis etiam sunt intelligendi: vt constat Apoc. 21. vbi dicitur; in cœlesti Hierusalem eandem esse homilis, & Angeli mensuram. Tū etiā quia, vt mali per demeritum pœnā, & boni per meritū cōsecuti sunt præmiū. Et quia perfectius multò est præmiū ex meritò, quā sine illo obtinere. Hāc cōclusionē cōmunis scholā theologorū tenet. Et D. Aug. lib. de corruptione, & gratia c. 10. & lib. 11. de ciuitate Dei. c. 9. per multa cap. & lib. 12. c. 9. & 4. super Gen. c. 22. & 24. expresse docet, habuisse cognitionem maturinā per hoc quòd se, & actum suum in Deum retulerunt. Et B. Greg. lib. 32. moral. c. 24. & 25. Et B. Anselm. de casu diaboli eandem amplectuntur.

Prima

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima diffic. Fuitne data Angelis beatitudo per merita anteà exhibita, vel postea exhibenda?

Doct. vbi supra.

OPinio quorundam fuit, Angelos meruisse beatitudinem, quam habent, per obsequia, quæ, iam beati effecti, Deo per obedientiam, & reuerentiam præstiterunt. Quam opinionem sequitur Magister hoc loco, in quem meritò firmissimis argumentis Scot. vbi suprà inuehitur. Nequè enim talis opinio est tenenda.

Funda. Scoti.

Si finis rei creatæ est intra facultatem naturæ, tunc natura finem, quem non habet, efficiendo illum per suam operationem, potest consequi; vt finis medici, qui est sanitas, à medico efficitur. Hoc expresse docet Arist. 2. de cœlo. At verò si finis excedit facultatem naturæ, non efficit natura finem; sed per actionem meritoriam consequitur illum. Vel dic vno verbo, operatio vel est efficiens suum finem; vt medicatio respectu sanitatis, quæ illam efficit; vel est meritoria sui finis, vt actus meritorius est operatio, qua non efficimus beatitudinem, quæ est finis hominis; sed meremur, & consequimur illam.

Arist.

CONCLVSIO.

S. Bona. d. 3. art 3 q. 2.

Angeli in via prius meruerunt beatitudinem, quàm illam assequerentur. Hæc conclusio ab omnibus theologis recipitur. Et probatur primò ex fundamento iacto; quia cùm beatitudo sit finis hominis, eius facultatem excedens, nec possit per suam operationem illam efficere, necessariò per operationem meritoriam debet illam habere. Et cùm illa operatio debeat præcedere, sequitur angelos priùs meruisse, quàm beatos fuisse. Deinde, quia non sunt simul moueri, & motum esse, vel in via esse, & in termino existere: & per meritū Angeli erant in via ad vltimum terminum, scilicet, ad assecutionem vltimi finis, nempè beatitudinis. Quare non sunt simul meritum, & præmium, sed meritum cùm sit præcisum medium ad assequendum vltimum finem, debet illum tempore antecedere. Nam in omnibus artificialibus in quocūq; agente libero medium præcedit tempore finem. Ridiculum enim

enim esset, obtento iam fine, media ad illum consequendum apponere. Nam quis non rideret obtinentem suprema sedem, si illum ambire suffragia ad eius consecutionem prospiceret? Si enim illam habet, quorsum nititur obtinere. D. Bonau. vbi suprà dicit meritum præcedere, non tempore; sed natura. Quem sequitur Marsil. q. 4. artic. 2. dicens, hanc fuisse opinionem S. Thomæ in 2. distinct. 5. q. 2. art. 2. Intelligenda est conclusio hæc communis de lege; quia, citra legem, posset Deus acceptare actum beatificum, tanquā meritorium, ad augmentum gloriæ. Non enim implicat contradictionem.

D. Bona. Marsil.

Secunda diffic. Vtrùm Angeli meruerint in primò instanti, vel fuerit aliqua mora inter creationē, & beatitudinem?

DIfficultatem hanc obscurissimam admodum reddit maxima opinionum varietas. Nam doctores inter se repugnant, nec satis sibi ipsis constant. Nam prima opinio dicit, esse duo instantia, vel duas moras, seu morulas (sic enim illas appellat Scotus) & in primo instanti Angelos habuisse actum meritorium, & in secundo bonos effectos fuisse beatos, & malos damnatos. Hanc sequitur Ferrariensis. 3. contra gentes. c. 110. quam, vt sibi videtur collegit ex S. Thom. art. 5. & 6. citatis.

Alex. Alen. vbi 5. S. Tho. q. 62. art. 5. & q. 63. art. 5. & 6. S. Bonau. Scot. q. 2. Duran. q. 2. & alij hac 5. dist. Ferrarien. Marsil. Scotus has opiniones refert.

Secunda opinio est Caiet. vbi suprà S. Thom. ponentis. 2. instantia, vnum, in quo omnes fuerunt in via. Alterum in quo fuerunt in via per meritum, & demeritum, & simul in termino, per quandam meriti, vel demeriti consummationē.

Tertia fuit D. Bonau. vbi suprà; cui adhæsit Marsil. q. 4. art. 2. qui opinabatur, in prima mora creatos fuisse in puris naturalibus, & in secunda simul meritum, gratiam, & gloriam obtinuisse.

Quarta opinio fuit asserentium esse tres morulas, qui tribus diuersis modis illas declarant. Et primus modus est Ma-

gistri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gistri, asserentis in prima morula fuisse Angelos creatos in puris naturalibus, in secunda malos peccasse, & bonos, absque gratia, benè libero arbitrio vsos fuisse, & in tertia malos fuisse damnatos, & bonis, propter merita præuisa exhibenda, datam fuisse gratiam, & gloriam. Secundus modus constituit in primo instanti, siue morula omnes in puris naturalibus, in secundo bonos in gratia, & malos in culpa. Et in hoc differt, vt patet à secunda morula primi modi: quia ibi absque gratia ponebantur, & in tertio instanti in termino bonos, scilicet, in gloria, & malos in supplicio. Tertius modus ponit in primo instanti bonos, & malos fuisse in gratia creatos, & omnes per actum elicitum in Deum meruisse, & in secundo bonos in merito incæpto perstitisse, & malos defecisse, & in tertio in termino fuisse. Quinta opinio constituentium quatuor morulas est bipartita; nam quidam ita distinguunt morulas Angelorum, vt dicant; in prima omnes fuisse in puris naturalibus creatos, in secunda malos peccasse, in tertia bonos gratiam recepisse, & meruisse, & in quarta fuisse in termino. Alij verò in prima in puris naturalibus, in secunda omnes in gratia fuisse asserunt, in tertia bonos meruisse, & malos peccasse, & in quarta in termino extitisse affirmarunt. Hactenus de opinionibus circa negotium salutis, & reprobationis Angelorum viatorum.

1. Funda. Primum instans, siue prima mora creationis Angelorum viatorum, omnibus, tam bonis, quàm malis, æqualis fuit. Hoc funda. est D. Aug. super Gen. vt refert Scot. loco citato, dicentis. Deus non distinxit inter bonos, & malos Angelos, antequàm ipsi discernerent inter se ipsos, per suos actus. Quare omnes tam boni, quàm mali in primo instanti fuerunt æquales, & vniformes, scilicet, vel in gratia, vel in puris naturalibus. Et patet à simili in hominibus, quibus omnis via est æqualis. Neq; enim Deus inter homines discernit, quin prius ipsi, per suos actus discernant inter sese.

2. Funda. Angelorum moræ fuerunt partes temporis nostri continui, & non fuere instantia temporis discreti. Reuoca prius in memoriam, quæ suprà in hoc lib. de tempore Angelorum diximus. Nam opinio S. Tho. fuit, tempus angelorum non esse

esse cõtinuum; sed discretũ: ita vt nihil aliud sit, quã successio diuersarũ cogitationũ, siue affectionũ voluntatis. Ita q; de sententia eiusdem prima mora fuerit prima operatio intellectus, & voluntatis, qua omnes conuerterunt se in Deum. Secunda autem mora fuit electio voluntatis, qua boni elegerunt perseuerare in dilectione Dei, & mali in dilectione sui. Et hæc successio diuersarum operationum immanentium tempus Angelorum ab illo nominatur. Scot. verò non intellexit per has moras Angelorum dictas operationes sibi succedentes; sed tempus nostrum; diuersimodè tamen. Quia vltima mora respondet toti tempori beatitudinis, nempè, æternitati. Prima verò mora est quædam pars temporis, licet breuissima, in qua omnes Angeli habuerunt bonum motum liberi arbitrij in Deum. Vel fuit fortassis ista prima mora instantanea. Quoniam vt infrà dicetur, poterant Angeli in primo instanti creationis actum rectum, & meritoriuu in Deum elicere. Secunda autem mora necessariò fuit tempore breuissimo. Et ratio Scoti est, quia in hac secunda mora fuerunt varia, & successiua malorum Angelorum peccata. Si quidem priùs peccauerunt in Deum, & secundò tentauerunt bonos Angelos. De qua tentatione legitur Apocal. 12. Factum est prelium magnum in cœlo. Et fuerũt quoq; duæ operationes bonorum Angelorum, vtpote conuersio in Deum, & tentationis resistentia. Hinc colligo argumẽtum, quo fundamentum dilucidatur. Angeli mali commisserunt duo peccata, quæ non poterant esse simul; quia duæ operationes nequeunt esse simul in eodem instanti, sed in duobus instantibus. Et cùm inter duo instantia interueniat tempus, necessariò fuit secunda mora quædam pars temporis nostri continui; vt in fundamento habetur.

S. Tho. vbi ſ. ad 4.

Apoc. 12.

Cùm de via Angelorum, antè quam essent in termino, nihil expressè in sacra scriptura habeatur, nihilque sit ab ecclesie diffinitum; & certum sit Angelos aliquando fuisse viatores, quemadmodum homines (aliter enim non potuissent demereri, sicut demeruerũt; vt Io. c. 5. habetur; Erat homicida ab initio) ideò non erit hæreticum has morulas negare. Nam, licet, certum sit, Angelos fuisse creatos, non tamen certum est,

3. Funda.

Ioan. c. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando fuerint creati. Verùm; quia communis doctorum sententia, qui has morulas constituunt, affirmat, fuisse simul cum cœlo empyreo creatos, esset temerarium morulas dictas negare. Quoniam esset torrenti doctorum contradicere.

Append. *Ludoui. Viues cautè legendus.*

Hinc cautè legendus est Ioann. Ludouicus Viues, vir alioquin eruditissimus, qui in cap. 11. lib. 11. de ciuitate; irridet Theologos, causam Angelorum per has breuissimas temporis moras definientes.

CONCLVSIO.

Ponendæ sunt necessariò tres Angelorum morulæ, duæ in quibus fuere viatores, & tertia, in qua tam boni, quàm mali in termino extiterunt. Hanc Scoti conclusionem multi ex recentioribus Thomistis amplectuntur. Et probatur ex fundamentis positis hac ratiocinatione. Angeli fuerunt in prima mora æquales, vt ex primo fundamento constat, & in secunda mora inæquales, & in vtraquè fuerunt viatores; ergo necessariò ponendæ sunt tres morulæ in via Angelorum, vt habet conclusio. Sequela patet; quia, cùm non possit esse vnum, & idem instans, in quo Angeli fuerunt æquales, & inæquales (quoniam tunc contraria simul de eodem verificarentur) necessariò erunt ponenda duo instantia, siue duæ moræ. Minor verò, scilicet, quòd in vtraquè mora fuerint in via, probatur; quia esse tantùm duas moras vnam in via, in qua omnes meruerunt, & alteram in termino, in qua mali peccauerunt, est impossibile, & contra sacram scripturam. Propterea quòd, perseuerantes in gratia vsquè ad terminum, tunc peccare haud possunt. Iuxta illud Matthæ. 10. & 24. qui perseuerauerit, vsquè in finem, hic saluus erit. Quia, vt homo in instanti mortis non potest peccare, quoniam est in termino; similiter nequè Angelus poterat. Verùm de his copiosiùs in lib. controuersiarum.

Matth. 10. & 24.

Tertia

Tertia difficult. Vtrùm Angelus potuerit per vnum actum mereri beatitudinem?

CONCLVSIO.

ANgeli boni per vnicum actum dilectionis in Deum meruerūt beatitudinē. Ratio est; quia Deus prōptior est ad remunerandum, quàm ad puniendum, & cùm Angeli mali meruerint vnico actu suam pœnam, & boni similiter suam gloriam mereri potuerunt.

S. Tho q. 62. act. 5. & q. 63. art. 3.

Quarta diffic. Potuerunt ne mereri suam beatitudinem in primo instanti?

DE hac difficultate infrà in difficultate; vtrum mali in primo instanti potuerint peccare?

Quinta diffic. Vtrùm Angelus indiguerit gratia, vt conuerteretur in Deum?

CONCLVSIO.

NEcessaria fuit gratia angelis, vt in Deum, quatenus est obiectum beatitudinis supernaturalis, conuerterētur. Hanc conclusionem fides catholica docet: quia necessarium est supernaturale auxilium, quo mens eleuetur ad supernaturalem beatitudinem; vt illam rationalis creatura promereatur. Vnde B. Augustin. lib. 12. de ciuitate Dei. cap. 9. inquit. Impium est dicere, q̄ Angelus se fecerit meliorē propriā voluntate, quàm à Deo factus sit.

S. Tho. q. 62. ar. 2. & q. 1. 2. q. 109. & in 2. hac dis. q. 3. artic. 1. & D. Bona. art. 3. q. 1.

Ex hac q. colligitur erasse omninò in commētarijs super Nazianz. in oratione secunda de paschate, Niscetam, qui asseruit Angelos, ante resurrectionem Christi, non fuisse in gratia stabiles, neq; vidisse diuinam essentiam. Est enim hæresis manifesta, cùm script. sacra oppositum expressè doceat. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris mei. Et Luc. 1. dixit Gabriel. Ego Gabriel, qui sto ante Deū. Et Tobiæ 12. dixit Raphael. Ego sum vnus ex 7. qui stamus ante Deum.

B. Aug. Append. Error. Matth. 18. Luc. 1. Tob. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sexta diffic. Vtrùm Angeli beati possint à beatitudine cadere?

Alex. Alen. q. 23. &. 29 S. Tho. q. 67. art. 8.

Sensus tituli est. Vtrùm Angeli beati per peccatum, beatitudinem, quã habent, amittere possint?

CONCLVSIO.

S. Bon d. 11. art 2 q. 3. Scot. in. 1. d. q. 1. & in. 4. d. 49. q. 9. & d. 7. q. 1. & Gabriel ibidem, & alij dist. citatis. 1. & 4. lib. Isaiæ. c. 23. & 65. & 66. 1. Petri. 1. Ad Ephesi. c. 5. Apoc. 21. D. Aug.

Non solum erroneum, verùm etiam hæreticum esset asserere Angelũ beatum, nunc per peccatum posse beatitudinẽ amittere. Est enim primum contra sacram scripturã multis in locis. Legitur enim Isaiæ. 23. erit opus iustitiæ, pax, & securitas vsq; in sempiternum. Et. c. 65. nõ erunt in memoria priora; sed gaudebitis, & exultabitis vsq; in sempiternum. Et c. 66. sicut cœli noui, &c. sic stabit semen vestrum, & nomẽ vestrum. Et. D. Petrus appellat beatitudinem, hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilẽ. Et ad Ephesi. c. 5. à D. Paulo ecclesia triumphans, sancta, & immaculata & sine ruga, & non habens maculam; & glorioſa nominatur. Et tandem Apoc. 21. de beatis legitur. Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra, &c. Secundò asserere, posse Angelos beatos peccare; esset cõtra communem opinionem doctorum scholasticorum, qui de hac re in hac dist. & in primo. d. 1. & d. 49. 4. disputant. Et tandem cõfirmatur ratione cum D. August. in Enchiridio. c. 105. quia cùm beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, erit planè stabilis, & securissima; & inamissibilis possessio. Alioquin, si per peccatum illam amittere possent, non haberent omne bonum desideratum 2. cùm perpetuitate beatitudinis, quæ potissimum bonum est; carerent. Deinde confirmatur ratione, in qua omnes doctores conueniunt; quia Angelus quicunq; beatus dilectione beatifica necessariò diligit Deum super omnia, & ita non potest peccare. Quoniam semper est in illo actu. Qui enim actu diligit Deum super omnia, simpliciter nequit peccare, neque etiam venialiter.

Hinc quãuis possimus nos in hac vita adimplere præceptum hoc dilectionis Dei super omnia, ita, vt potiùs mortẽ, quàm

Append.

quam mortale peccatum eligamus, non tamen tanta potest esse in hac vita virium recollectio vt saltem venialiter peccare non possimus.

DVB. I. Vnde nam habet beatus, vt non possit peccare?

Quatuor sunt circa hoc dubiũ sentẽtiæ. Prima Gabrielis. q. 1. vbi suprà, vbi docet impeccabilitatẽ in Angelo nõ prouenire ex libero arbitrio Angeli, neq; ex Deo clare viso, sed ex eo, q; Deus producit in beatis istã visionẽ beatificã, ita, vt nihil cõcurrat, ex parte volũtatis, vel intellectus, & quia per gratiã suã semper illã cõseruat. Vnde de sentẽtia illius sit; vt beati nõ possint peccare: & q; eorũ volũtas nõ possit aliquẽ actũ beatitudini cõtrariũ admittere, neq; ab illa fruitione desistere. Hæc tamẽ opnio est omninò in exiliũ relegãda; tãquã ineptissima, pace tãti viri dixerim. Quia cognitio, & amor sunt operationes vitales. Iuxta illud Ioan. 17. hæc est vita æterna, vt cognoscant te solũ Deũ, &c. Et ideò anima necessariò debet concurrere actiuè per suas potentias ad huiusmodi operationes. Atq; ita nõ solus Deus producit, & potentiæ solummodò patiuntur. *Ioan. 17.*

Hinc, si intellectus Angeli nihil ageret cognoscendo, & voluntas non efficeret aliquid amando, non magis moueretur, quàm si essent in re aliqua mortua collocatæ. Append.

Durand. Durar. loco citato opinatur Angelum non posse peccare: quia, cùm videndo Deum, videat omnes rationes, & circunstantias rerum, quas debet eligere, & sit prudentissimus in rebus agendis non potest peccare. Quoniam omne peccatum accidit ex imprudẽtia. Optima ratio, quam ex. S. Tho. 4. contra gent. c. 92. desumpsit.

Scot. vbi s. Scot. verò existimat Angeli voluntatẽ cõcurrere ad dilectionẽ; nihilominus tamen trab extrinseco esse, q; necessariò producat illũ actũ. Vnde si à Deo volũtas relinqueretur, posset, cũ sit liberæ, ab illo actu cessare, tametsi intellectus Deũ videat. Atquè ita ab extrinseco euenire, vt non possit peccare: quia Deus dulciter, ab suauiter necessitat voluntatem ad id, quod voluntas maximè appetit, & in quod præcipuè

Universidad de Deusto
Biblioteca

inclinatur, & est prona, & procliuis, nempè, ad Dei amorē. Hoc maximè probatur.

S. Thom.

Opinio S. Tho. affirmat vltra hoc ab intrinseco, scilicet, ab ipsa natura, & inclinatione voluntatis, prouenire, vt ab actu dilectionis Dei super omnia non cesset. Quia nihil potest voluntas velle, nisi sub ratione boni, neq; cessare à dilectione Dei nisi sub ratione boni, & nulla ratio boni apparet, per quam voluntas beati ab actu diligendi Deum cesset. Nulla enim est fatigatio, neq; aliquis sopor, neq; potest offerri maius bonum, per quod ab illo actu desistat. Quare ab intrinseco habet, vt à dilectione Dei cessare non valeat; sed de his latiùs in lib. controuersiarum.

Orig. cauendus.

Error.

Nota.

Alex. Alen. q. 29. m. 1. art. 3. & Magister. d. 25.

2. Cor 3.

Ioan. 8.

Ad Rom. 8.

D. Auguſt.

D. Bernard.

Hinc Orig. homil. 13. super Lucam errauit dicens, Angelum beatum posse peccare, & angelos custodes aliquādo in culpam incidisse, eò quòd negligentes in custodiendo extiterint. Et ad maiorem intelligentiam animaduerte triplicē esse libertatem. Nam vna est, quæ opponitur seruituti, & hanc habet beatus: quia à miseria pœnæ, & culpæ est liber. 2. Corint. 3. vbi. spiritus Domini, ibi libertas. Et Ioan. 8. si filius nos liberauit. &c. Ad Rom. 8. ipsa creatura liberabitur, &c. Altera est libertas complacentiæ, quæ opponitur coactioni, & hanc habent quoq; beati in actu beatifico. Nam, etiam si necessitentur, sibi tamen in illo actu complacent. Qua quidem libertate Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum. Et ita intelligendus est D. August. 1. retract. cap. 8. quando ait. Nihil est tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas; quia complacet in suis actibus. Et D. Bernard. in lib. de libero arb. nihil ita liberum est homini, sicut ipsa voluntas.

Tertia est libertas necessitati opposita; quæ rursus est duplex; contrarietatis vna, & contradictionis altera. Quæ libertas tertia, quò ad actus beatificos, non est in beatis: quia nec potest beatus peccare per libertatem contrarietatis, nequè potest non elicere actum per libertatem exercitij, quæ est contradictionis.

DVB.

DVB. II. Erit ne saltem in Angelis beatis timor?

CONCLVSIO.

TImor cadendi à beatitudine nō habet in beatis locum; Et ratio est; quia timor seruilis, siue pœnæ nullo modo ibi erit propter beatitudinis securitatem. Quoniam tunc non essent securi, nec esset ibi satietas, contra illud Psal. 16. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Benè tamen ibidem filialis timor reperietur, qui est timor de malo, quod est Deo non subijci. Hoc enim est homini possibile propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem. Verùm fit sibi impossibile propter gloriæ perfectionem. Et ita intelligendus est locus Iob. 26. columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutū eius. Pauent quidem; vt timore filiali, aut in contemplatione Dei incomprehensibilis ab eis, vt supra se existētis. Lege cap. hi duo de cons. d. 1.

Psal. 16.

Iob. 26.

Hinc timor mali in via est omninò possibilis; in patria verò est possibilis ex parte naturæ, & impossibilis ex parte gloriæ.

Append.

Septima, & vltima difficult. Vtrùm Angeli possint proficere in beatitudine?

CONCLVSIO.

HAereticum est asserere, homines beatos posse, per meritum, in beatitudine essentiali proficere. Et ratio est; quia oppositum, nempè, quòd non possint mereri, ex multis locis scripturæ sacræ, colligitur. Nam Eccles. 9. dicitur. Quodcūq; facere potest manus tua, instanter operare, &c: Et ibidem cap. 11. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit. Vnde beatus homo, & Angelus fixi & ampliùs non proficientes, manebunt: quia, post obitum, non est opus meritorium. Et Ioa. c. 12. dixit Christus Iesus. Ambulate, dum lucem habetis; vt

S. Tho. vbi 3. art. 9.

D. Bona. vbi suprà. q. 2.

Eccl. 9.

Eccles. 11.

Ioan. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 9. non vos tenebræ compræhendant. Ex quo loco colligitur, finita vita, finiri merendi opportunitatem. Et Ioan. 9. venit nox, quãdo nemo potest operari, intellige meritoriè. Et. 2. ad 2. Cor. 5. Cor. 5. omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ. Et ad Galat. 6. Ad Galat. 6. dũ tempus habemus, operemur bonum, scilicet, meritoriè. Et in psal. 113. Psal. 113. non mortui laudabunt te, Domine, neq; omnes, qui descendunt in infernum. Vbi per infernum sepultura intelligitur: vt Gen. 44. deducetis canos meos cum mærore ad inferos. Et non laudabunt te (laude, scilicet, meritoria) qua essentialem beatitudinem dum lucem habemus, promeremur. Gen. 44.

CONCLVSIO II.

Est error manifestus affirmare posse Angelos per meritũ in beatitudine essentiali proficere. Et ratio est; quia, vt dæmones in inferno blasphemantes non demerentur pœnæ essentialis augmentum; ita neq; angeli beati, per sua obsequia, merentur beatitudinis profectum. Tum etiam quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & vbi est status perfectus, ibi non est profectus.

DVB. III. Quid de profectione beatitudinis accidentalis?

REspondeo: D. Bonau. vbi suprà, in hanc declinat sententiam; vt dicat, Angelos per bona opera, quæ ministrando alijs faciunt, gaudium, siue beatitudinem accidentalem mereri, & in illa proficere. Iuxta illud Luicæ. 15. Luc. 15. gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. At verò. S. Thom. loco citato, tale meritum negat. Affirmat tamen profectum gaudij redundare ex habitu essentialis beatitudinis. Proficiscitur enim vt fructus ex tali beatitudine.

Magister cautè legendus. Hinc Magister est cautè legendus distinct. 5. &. 11. vbi tenet, Angelos in beatitudine essentiali per meritum proficere.

Quæst.

Quæst. II. De aduersione, siue peccato malorum Angelorum.

Hæc quæst. absoluetur, aliquot difficultatibus positis. Circa quam legendi sunt doctores dist. 5. &. 6. huius 2. libri. Alex. Alen. q. 109. & 110. & alij infra citãdi.

Prima diffic. Vtrùm Angelus potuerit peccare?

CONCLVSIO.

CVm de fide tenẽdum sit, Angelum peccasse: dubium non est, peccare potuisse. Prima pars conclusionis in multis locis sacræ scripturæ expressè habetur. Nam legitur Iob. cap. 4. in angelis suis reperit prauitatẽ. Et Isaiæ 14. quomodo cecidisti Lucifer, &c. Et Ezechiel. perfectus in vijs tuis ambulasti, donec inuenta est in te iniquitas. Et Ioan. 8. dicitur diabolus homicida ab initio, & mendax, & mendacij pater. Et 1. Ioan. 2. ab initio diabolus peccat. Et in epistola canonica Iudæ, Angelos, qui non seruauerũt suum principatum, &c. Ex hac prima parte conclusionis sequitur secunda: nam à facto ad possibile, firma est consequentia. Si enim de facto peccauerunt, proculdubio peccare potuerunt. Confirmatur conclusio ratione: quia deficere à rectitudine actus est peccare, & omnis voluntas creata à regula, quam suprà se habet, quæ diuina voluntas est, potest deficere, & ex consequenti peccare. Sola enim diuina voluntas, quia est sibi regula in operando, non potest à rectitudine actus deficere. Nam si manus sciendens ligna esset sibi regula scindendi, scindendo non posset deficere.

Alex. Alen. vbi s. S. Tho q. 63. art. 1. Dura. d. 5. &. d. 23. q. 1 S. Bonauent. hic. d &. d. 24. & Scot. eadem. d & alij ibidem. Iob. c. 4. Isaiæ. 14. Ezechi. 28. Ioan. 8. 1. Ioan. 3. Iudæ.

Secũda diffic. Potest ne fieri; vt sit aliqua creatura, quæ ex natura sua sit impeccabilis?

Doct. vbi s. Alex. Alen. q. 13. m. 2. &. 4. Lege etiam Scot. dist. 20.

AD pleniorem cognitionem huius difficultatis sunt præmittenda, quæ sequuntur.

Finis creaturæ rationalis, siue intellectualis duplex est. Vnus naturalis, supernaturalis alter. Naturalis est Deus vt prin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt principium, & finis naturæ, cognitus quidem, & dilectus viribus naturæ super omnia. Supernaturalis verò finis est ipsemet Deus; vt principium, & finis supernaturalium donorum: sicut est clarè, & manifestè cognitus, super omnia dilectione, tali fini supernaturali proportionata, dilectus.

2.Nota.

Ad Rom.6. Deus; vt finis supernaturalis est, est improportionatus tã homini, quàm Angelo, & illorum facultatem vincit, ac superat. Vt.B.Paul.ad Rom. 6. docuit dicens. Gratia Dei vita æterna. Lege in florib. 4. lib. q. de beatitudine in fine. 2. partis, & S.Thom.q.12.p.p.art.1.

3.Nota Angelus potest viribus naturæ cognoscere Deum, finem naturalem, & omnia, quæ habent necessariam connexionẽ cum tali fine, & quæ à tali fine auertunt; atq; ita potest naturaliter dilectione efficaci, & diuturna, Deum super omnia diligere; atverò homo, cùm sit ex principijs contrarijs compositus, non potest eadem, quæ Angelus naturaliter cognoscere, neq; dilectione prædicta, sicut Angelus, Deum naturaliter super omnia, diligere.

CONCLVSIO I.

Angelus circa Deum finem supernaturalem non potest esse impeccabilis ex natura sua; benè tamen per gratiam. Communis schola Theologorum hanc conclusionem defendit. Et confirmatur primò multorum sanctorum patrũ auctoritatibus. Nam. D. Hieron. lib. de filio prodigo ad Damascenum docuit, solum Deum esse, in quem peccatum cadere

D. Hiero.

B. Anselm. non potest. Et. B. Anselmus lib. cur Deus homo, scripsit creaturam non esse impeccabilem per naturam; quia non est

B.Aug. Deus. Et D. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 13. & lib. 34. confessionum. c. 11. & lib. 12. de ciuitate Dei. cap. 6. & de fide ad Petrum. c. 3. &. 25. vbi affirmat, stabilitatem in bono, & impeccabilitatem non concedi alicui creaturæ ex natura; sed ex gratia. Vt fuit sanctissimæ Virgini, & confirma

B Damasc. tis in gratia tale, ac tantum, supernaturale donum, super additum. Eidem sententiæ fuerunt, &. B. Damascen. lib. 2.

B Greg. de fide. c. 3. Et. D. Greg. lib. 5. moral. c. 27. explicans illa verba. qui seruunt ei, non sant stabiles. Et. D. Gregor. Nazian.

D. Greg Nazian. lib. de libero arb. Et. D. Dionysi. de diuinis nominibus, quos

D. Dionysi.

citat

citat S. Thom. q. 24. de verit. art. 7. vbi ex professo disputat de hac re. Et ratio est ex Dionysi. quia sicut repugnat creaturæ esse, & esse summum bonum; ita repugnat esse creaturam, & non esse capacem mali, si suæ naturæ relinquatur. Nam cum quocunque bono particulari potest reperiri malũ; vt D. Dionysi. loco modò citato docet. Tum etiam quia creabile, & vertibile conuertuntur, teste D. Aug. in loco de ciui- D. August.
tate Dei modò citato.

CONCLVSIO II.

Circa Deum finem naturalem inest Angelo naturaliter impeccabilitas. Ratio est; quia potest viribus naturæ cognoscere Deum finem naturalem, & omnia, quæ cum illo necessariam connexionem habent, vel ab illo auertunt. Constat ex. 3. nota. & cum tali cognitione non potest esse obliquitas in actu voluntatis Angeli. Tum etiam; quia potest Deus facere; vt habeat Angelus rationem, in qua nec error, nec ignorantia, reperiatur, & hanc ob causam voluntas deficere non possit; quoniam semper erit recta ratio.

Hinc secunda conclusio non quadrat homini propter ra- Append.
tionem conclusionis; vt in tertio notabili habetur. Quamobrem Deus; vt homo posset eum super omnia diligere, cognitione adhoc sufficienti illum cognoscendo, disponens omnia suauiter, homini in sui conditione originalem iustitiam, qua hæc naturæ infirmitas sanaretur, concessit.

Tertia diffic. Qualis defectus præcesserit in intellectu Angeli primum illius peccatum?

MEritò hoc quæritur: quia in voluntate non potest esse defectus, quin præcedat in intellectu. Iuxta illud Arist. omnis peccans est ignorans. Et illud Prouerb. Errant, qui operantur malum.

Doct. vbi supra. Arist. Prou. 14.

Error, ignorantia, & actualis inconsideratio, licet penes 1. Nota.
nomina aliquando confundantur, re tamen ipsa maximè distinguntur. Nam error, siue errare est falsa pro veris, aut vera pro falsis iudicare, Ignorantia, seu ignorare, est nescire illa,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ scire tenemur; vt si quis ignoraret fornicationem simplicem esse peccatum, vel contractum vsuræ esse illicitum. Actualis autem inconsideratio est, quando aliquis nec errat, nec ignorat aliquid, sed non animaduertit aliquam circũstãtiam debitam; vt cùm ratio boni in specie, modo, & ordine consistat (vt auctor est D. Aug. in lib. de natura boni) inconsideratio actualis, vel ordinis, vel speciei, vel modi, erit defectus. *D. Aug.*

2. Nota. Error practicè loquendo, vel contingit ex habitu; vt in homine intemperato, qui propter prauum habitum inclinatur; vt iudicet hic, & nunc esse bonum fornicari, vel nascitur error ex passione, vt in homine incontinente, qui ex passione iudicat nunc esse peccandum.

3. Nota. Peccare contingit duobus modis. Primo per electionem mali, quod apparet bonum, vt si quis tanquàm bonum eligat fornicari. Secundo per electionem boni non seruando modum, vel ordinem, vel speciem boni, in quibus ratio boni consistit: vt si quis, non seruato ordine, & modo, ab ecclesia instituto, oraret.

CONCLVSIO I.

Angelus nec peccauit, nec peccare potuit per electionem mali obiecti, præcedente errore, vel ignorantia in eius intellectu. Et ratio est: quia natura angelica erat immunis ab errore, & ignorantia, & passione, & habitu prauo, subducente rationem à rectitudine. Quoniam hæc in nobis habent rationem pœnæ: propterea quòd nascimur filij iræ. Et ad Rom. c. 1. qui cùm Deum cognouissent, &c. vsque in reprobum sensum, Et cùm in Angelis, ante primum peccatum, non fuerit aliqua culpa, nec præcesserit aliqua istarum pœnarum. *Ephe. 2.* *Ad Rom. 1.*

CONCLVSIO II.

Peccauit Angelus per electionem boni obiecti appetendo illud sine modo & ordine diuinæ regulæ, propter illius inconsiderationem. Et ratio est; quia vel peccauit appetendo suam beatitudinem naturalem, non referendo in Deum, vt finis supernaturalis est (debuerat enim hoc considerare; vt auctor est S. Tho. 3. contra gẽtes. c. 169. & in p. p. q. 23. art. 3.) vel peccauit, quia beatitudinem supernaturalem appetiuit, non considerando, quòd ex gratia, & meritis debebat illam appetere, ita sen- *S. Thom.*

ita sentiſit D. Bon. & Dur. vbi sup. atque ita peccauit, præcedẽte in eius intellectu debiti ordinis, & modi inconsideratione. *D. Bona.* *Durand.*

Quarta diffic. Vtrùm Angelus in primo instanti suæ creationis potuerit peccare?

HAec difficultas non habet locum, si loquamur de Angelis, quatenus fuerunt creati in gratia: quia impossibile est, vt in eodem instanti essent in gratia, & in peccato: cùm peccatum sit priuatio gratię. Neque intelligitur de facto: nam suprà diximus, omnes creatos fuisse in gratia, & in hoc sensu Alex. Alen. S. Tho. & omnes conueniunt. Sed est intelligendus titulus de Angelis, si fuissent creati in puris naturalibus, & de possibili. Non enim quæritur: an peccauerint? sed an peccare potuerint? & in hoc sensu sunt duæ contrariæ opiniones. Nam S. Thom. negat, cui videntur D. Bonauentura, & Dura. subscribere. Scot. autem affirmat, quem sequuntur Gregor. Arim. Marsil. d. 3. Gabriel dist. 4. & alij. Alex. Alen. vtriusquè partis argumenta soluit. *S. Tho. q 63. art. 5.* *S. Bona. d. 3. artic. 2. q. 2.* *in 2. p. dist.* *Duran. dist. 5. q. 2.* *Scot. dist. 5.* *Alex. Alen. q. 109. m. 1.*

Omnis operatio primæ causæ liberæ, quæ incipit cum ipsa re, est quoquè libera: sicut est secunda operatio. Neque est Deo, quamuis sit mala, tribuenda. Probatur primò auctoritate D. August. 11. de ciuitate Dei cap. 13. dicentis. Qui dicunt Angelos à principio fuisse malos, non sentiunt cum Manichæis, ponentibus vnum Deum malum, qui immediatè esset causa mali: quare operatio prima Angeli mala de sententia D. August. non est auctori naturæ tribuenda. Secundo; quia peccatum Angeli in primo instanti non esset effectus: sed defectus alicuius circunstantiæ debitæ in esse: sicut est quodcunquè aliud peccatum pro formali: & per consequens non esset tribuendum Deo, qui est prima causa, cuius est efficere, & non deficere: nam peccati causa deficiens, & non efficiens causa nominatur. Tertiò, quia si peccatum commissum ab Angelo in primo instanti suæ creationis ideò est tribuendum Deo: quoniam causatur Angelus in eo instanti à Deo; perinde, & peccatum, *1. Fundam. Scoti est.* *D. Aug.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in quocunque instanti ab Angelo commissum esset Deo tribuendum. Propterea quòd in quocũque instanti conseruatur à Deo, & conseruare est causare; vt auctor est D. August. 7. super Gen. vbi docet, Deum, non solùm esse causam vniuersalem in causando aliquam creaturam; verùm etiam in conseruando illam, quare conseruare erit causare. D. Aug.

2. Fundam. Voluntas Angeli in principio suæ creationis fuit libera. Hoc fundamentum ab aduersariis conceditur. Et ratio est; quia si non fuisset libera, eius prima operatio non fuisset meritoria, cùm sit de ratione meriti arbitrij libertas.

3. Funda. Hoc differt libertas à deliberatione, quòd libertas est indeterminatio voluntatis ad vtrumlibet oppositorum, deliberatio autem est consultatio intellectus inter duo extrema, quod illorum sit eligendum, sine qua deliberatione plena, aut semiplena non est meritum.

4. Funda. Deliberatio vel est plena, vel semiplena. Plena est, quæ præsupponit plures intellectiones, & cõparationes vtriusque extremi; vt si aliquis deliberans de coniugio comparet illud ad vitam cœlibem, & comparet vtriusque vitæ commoda, & incommoda, & posteà eligat alteram vitam, erit tunc plena deliberatio. Quia ex multis præuiis cognitionibus, & collationibus efficitur. Semiplena autem deliberatio est, quæ præsupponit vnam tantùm intellectionem, distinctam subiecti; vt quæ fieret, præuia tantùm apprehensione vitæ coniugalis, si statim quis illam eligeret, esset semiplena deliberatio: quam potuit habere Angelus in primo instanti suæ creationis. Nam præuia cognitione sui ipsius, potuit amare se, plusquàm Deum amore amicitiæ, & ita peccare; vt infrà dicetur.

5. Funda. Scoti est. D. Diony. Maior deliberatio ad merendum, quàm ad peccandum desideratur. Et ratio est, quia cùm meritum sit ex integra causa, teste D. Diony. ideſt, ex omnibus circunstantiis; peccatum autem pro formali sit defectus alicuius circunstantiæ debitæ in esse, maior deliberatio requiretur ad apponendas omnes circunstantias alicui actui debitas, quàm ad deficiendum in aliqua debitarum circunstantiarum.

6. Funda. Voluntas Angeli, etiam de sententia aduersariorum, in primo

primo instanti creationis fuit indeterminata, & libera, saltem quò ad exercitum: licet non quò ad specificationem actus.

Hinc quamuis in primo instanti, vt aduersarij confitentur, Angelus non potuit velle malum, fuit tamen libera eius voluntas, quò ad bonum, scilicet, quò ad amandum, vel non amandum bonum, quæ vocatur libertas quò ad exercitium. Append.

7. Fundam. Prima Angeli operatio fuit cognitio sui, & amor sui. Et ratio est, quia priùs Angelus seipsum, quàm alia intelligit; & priùs naturaliter in amorem sui, quàm aliorum, fertur.

CONCLVSIO I.

Angelus in primo instanti suæ creationis potuit in peccatum commissionis cadere. Probatur primò; quia cùm habuerit libertatem ad merendum; vt constat ex secundo fundamento, habuit quoquè ad peccandum. Propterea quòd, vt in quinto fundamento probatum est, maior libertas, & deliberatio ad merendum, quàm ad peccandum desideratur. Neque hinc sequitur tale peccatum esse Deo autori naturæ tribuendum; quia prima Angeli operatio est autoris naturæ. Nam eandem ob causam non potuisset Angelus in primo instanti mereri; quoniam actus meritorius est proprius merentis, & primus actus (vt aduersarij fatentur) est autori naturæ tribuendus, quod in primo fundamento falsum esse probauimus. Secundo confirmo conclusionem; quia nõ maiorem; sed potius maiorem libertatem habuit Angelus in primo instanti suæ creationis, quàm habet homo in primo instanti vsus rationis. Et cùm homo in primo instanti vsus rationis possit peccare mortaliter, & de facto peccet mortaliter; si tunc statim in Deum non conuertatur, vt S. Thom. docet. Cur non poterit, & Angelus in primo suæ creationis instanti peccare? Tertiò quia in primo instanti creationis potuit se amore amicitiæ, plusquàm Deum, diligere; vt ex septimo fundamento patet. Propterea quòd cùm eandem potentiam habuerit, & indeterminatam in primo, & in secundo instanti: & in secundo peccauerit, diligendo se plusquàm Deum, potuit, & in primo eodem modo peccare. S. Tho. 1. 2. q. 89. art. 6.

CONCLVSIO II.

Angelus in primo instanti suæ creationis potuit in pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum omissionis cadere. Hanc conclusionem multi Thomistarum amplectuntur, & vt apertiùs conclusio demonstretur, sunt aliqua prænotanda.

1. Nota. Peccatum commissionis est actus positiuus alicuius rei prohibitæ; vt actus fornicationis, vel furti, &c. vel est transgressio alicuius præcepti negatiui: peccatum verò omissionis est cessatio ab actu, quem aliquis ex præcepto elicere tenetur; vel est transgressio præcepti affirmatiui: vt si quis omittat confessionem, vel orationem, quando est sub præcepto.

2. Nota. Peccatum omissionis non præsupponit necessariò actum positiuum voluntatis. Exempli gratia ad hoc, q̃ aliquis omittat confessionem, tempore, quo est sub præcepto, non necesse est, vt habeat hunc actum: nolo confiteri. Et ratio est, quoniã satis est, q̃ non confiteatur tempore, quo confiteri tenebatur; quamuis nolitionem confessionis non eliciat. Et confirmatur, sitira, quòd aliquis ex obliuione culpabili dimidiauerit confessionem; quia non sufficienter suam conscientiam examinauit, iste talis in aliquo euentu mortaliter peccaret, peccato omissionis; quia non, vt decebat, conscientiam discussit; & tamen nullum habuit actum voluntatis positiuum. Oppositum tenet Caiet.

3. Nota. Potuit Angelus in primo instanti creationis habere præceptum diligendi Deum, & eliciendi hunc actum diligendi Deum super omnia. Ijs ita constitutis. Probatur conclusio. In illo primo instanti fuit voluntas Angeli libera, & indeterminata, quò ad exercitium illius actus: vt constat ex sexto fundamento: ergo potuit illum actum omittere. Ratio huius consequentiæ est: quia omnis potentia indeterminata quò ad exercitium, potest illum actum dimittere: alioquin non esset indeterminata ad talem actum. Vnde si potuit actum dilectionis super omnia, sub præcepto impositum dimittere, potuit in omissionis peccatum cadere. Reliqua ad hanc difficultatem pertinentia in libro controuersiarum explicabuntur.

Quinta diffic. Peccauit ne Angelus ante hominis creationem?

HAnc difficultatem mouet noster Alexand. & cum illo dissoluetur. *Alex. Alen. vbi suprà.*

CONCLVSIO I.

De sententia illorum, qui successionem dierum ponebant, prius peccauit Lucifer, quam homo esset conditus. Probatur autoritate Isidori in lib. de summo bono dicentis. Prius de cœlo cecidit diabolus, quàm homo conditus fuit. Et cecidit per peccatum: ergo præcessit peccatum. Et in hac sententia fuerunt B. Hiero. & D. Greg. vt Alex. ibidem refert. *Isidorus.*

CONCLVSIO II. *B. Hieron.*

Iuxta opinionẽ verò eorũ, qui omnia simul creata fuisse affirmant, prius fuit homo conditus, quàm peccaret diabolus. Probatur: nã Iob. 40. dicit. Ecce Behemoth, quẽ feci tecũ, &c. *D. Greg.* *Iob. 40.*

Hinc, si simul factus fuit cum homine, & peccatũ subsecutũ fuit diaboli creationem, secutum etiam fuit hominis conditionẽ: quare, ante peccatum angeli, fuit homo creatus. *Append.*

Sexta diffic. Quæ peccata possunt Angeli peccare?

NOta cum Alex. loco citato, duobus modis aliquis dicitur peccator, vel per causalitatẽ, vel per inhærentiã. *Alex. Alen. q 109. m. 10.*

Quod S. Tho. dicit secũdũ reatũ, ideſt, secundũ obligationem ad pœnam illius peccati, vel secũdum affectum, ideſt, formaliter.

CONCLVSIO I. *S. Tho. q. 63.*

Omnia peccata, quæ homines committunt, secundum reatum, Angelis malis imputantur. Et ratio est; quia vt communis sanctorum sententia tenet, cùm omnes homines ad omnia genera peccatorum inducant; ideò omnium peccatorum reatum incurrunt. *art. 2.*

Hinc malus Angelus diabolus, ideſt, tentator, & Sathan, quod est idem, quod calumniator, & seductor, & hominum aduersarius nominatur. *Append. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Appen. 2. Hinc in diuinis literis dæmones nomina sortiuntur ex peculiaribus vitiis, ad quæ deputantur. Vt Tobiæ c. 3. dæmon, qui interfecit septem viros, qui explendæ libidinis gratia ad Saram accedebant, Asmodæus vocabatur. Qui Oseæ c. 4. spiritus fornicationum appellatur. Et dæmon qui inducit ad auaritiam. Matth. 6. & Luc. 16. Mamona iniquitatis dicitur. Et Matth. 10. & 12. & Marci 3. & Luc. 11. Dæmon inducēs ad inuidiam Beelzebub vocatur. Et Iob. c. 40. Lucifer, qui ad superbiā incitat Leuiathā, & rex super omnes filios superbiæ, nuncupatur. Lege D. Hieron. in locum ad Ephes. 6. non est nobis colluctatio. Et Magistrū dist. 6. Et D. Greg. homil. 34. qui de bonis angelis ait. Idcircò priuatis nominibus censentur; vt signetur per vocabula, etiā in operatione, quid valeant.

Tobiæ c. 3.
Oseæ c. 4.
Matth. 6.
Luc. 16.
Matth. 10. & 12.
Marc. 3.
Luc. 11.
Iob. 40. & 41.
D. Hiero. Eph. 6.
D. Greg. Homil. 34.

CONCLVSIO II.

In Angelis, secundum affectum, reperiri non potest, nisi peccatum ex parte obiecti spirituale; vt est superbiæ, & inuidiæ peccatum. Et ratio est; quia spiritualis natura non afficitur, nequè inclinatur, nisi ad ea, quæ in rebus spiritualibus inueniri possunt, in quibus eatenus est peccatum, quatenus in tali affectu superioris regula non seruatur. Et colligitur conclusio ex sacris literis. Nam de eius superbia legitur Isaiæ. 14. detracta est ad inferos superbia tua. Et de inuidia Sap. 2. habetur. Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Vnde D. Aug. lib. 14. de ciuitate Dei ait. Angelus non est fornicator, aut ebriosus, nequè aliquid huiusmodi; est tamen superbus & inuidus.

Isai. 14.
Sap. 2.
D. Aug.

Append. 3. Hinc propriè, & in rigore loquendo, auaritia, ira, accidia, gula, & luxuria, &c. in Angelis reperiri haud possunt. Propterea quòd, id genus peccata propriè loquendo, circa bona, vel mala corporalia exercentur.

Append. 4. Hinc locus ille Gen. 6. Videntes filij Dei, &c. non erit de Angelis malis interpretandus. Quia ad hoc peccatum, & ad alia, quæ in prima appendice numerantur, perpetranda, necessariò requiruntur operationes vitales, quas mali Angeli in corporibus assumptis: vt infrà dicetur, exercere non valent. Quoniam illis corporibus solùm, vt motores mobilibus vniuntur.

Gen. 6.

Septima

Septima diffic. Vtrùm diabolus Dei æqualitatem appetere potuerit?

SAnctus Tho. diffitetur esse possibile, diabolum appetisse æqualitatem Dei, quò ad naturam; Scotus verò confitetur potuisse appetere æqualitatem Dei per naturam. Quia potuit velle esse Deus. Alex. & D. Bona. quodāmodo potuisse illam appetere concedunt. Lege Duran. loco citato.

Alex. Alen. q. 109. m. 2. & 3.
S. Tho. q. 63. art. 3.
S. Bona. d. 5. art. 1. q. 2.
Scot. d 6. q. 1.
Duran. d. 5. q. 1.

Quæstio est difficilis; reddetur tamen, perspicua, & facilis si diligenter sequentia fundamenta perpenderis.

Actus voluntatis, vel est simplex, qui dicitur alio nomine volitio efficax; vel est sub conditione, qui actus complacentiæ nominatur. Volitione autem simplici, & efficaci, quæ possibilia dumtaxat sunt, velle possumus: vt infirmus, gratia exempli, sperans naturaliter sanitatem, vult illam simpliciter, & efficaciter. Quamobrem, quærit media ad illam cōparandam; volitione verò sub conditione, siue complacentiæ, possumus etiam impossibilia velle, vt infirmus à medicis destitutus, qui naturaliter desperat de salute recuperanda, vult sub conditione salutem, si esset possibilis, & complacet sibi talis volitio, & in eius cōtemplatione delectatur; media tamen ad illam habendam non quærit.

1. Funda.

Hinc, hoc discrimen inter volitionem absolutam, & conditionatam, est, q̄ simpliciter absolutè volita obtineri possunt; & ideò media ad illa consequenda apponuntur. At verò sub conditione volita plerūque non obtinentur: & ideò media, vt habeantur, non adhibentur: sed solùm volumus illa volutatē complacentiæ, & sub conditione, scilicet, si hoc esset possibile.

Appen. 1.

Meritum, atq; demeritum, non solùm circa volitionem absolutam, & simplicem, siue efficacem, sed etiam circa cōditionatā habent locū. Et ratio est: quia damnati peccant, odio habentes Deū, & eius annihilationem appetentes; & tamen nolunt illam absolutè; sed sub conditione, nempè, si esset possibile, esse alium Deum, & non eum, qui modò est.

2. Funda.

Aliquis potest appetere annihilationē sui, propter nimiū

3. Funda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erga se ipsum amorem. Confirmatur ex exemplo eorum, qui existimantes deterius malum esse perpeti calamitates huius vitæ, quam mori, præ nimio amore sui, vt præsentes miserias fugiant, eligunt non esse in rerum natura, mortem sibi inferentes.

Arist. Voluntas nó solùm possibilia, verũ & impossibilia potest appetere. Arist. est. 3. Ethic cõstat exemplo damnatorũ, qui vellent Deum non esse; & tamẽ intelligunt, hoc esse impossibile. Et q velit Deũ nõ esse, patet. Quia habens odium, quantum in se est (vt Arist. 2. retho. docet) vult destructionẽ eius, quẽ odio prosequitur. Et dæmones actuale Dei odium semper habent. Iuxta illud psal. superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Et confirmatur; nam si Lucifer interrogaretur: an vellet Deum non esse? Non responderet, vellẽ esse; quia esset actus dilectionis Dei, quem non potest, habere: sed responderet: vellem non esse, & ex consequenti vult aliquod impossibile.

Arist.

Psal.73.

Vt est duplex amor, nempè, amicitiæ, & concupiscentiæ: ita quodcũquè ens potest altero istorum amorum diligi & concupisci. Vnde poterit aliquis concupiscere sibi diuinitatem: quia obiectum amoris concupiscentiæ est.

5. Fundam.

CONCLVSIO I.

Angelus potuit appetere æqualitatẽ Dei in natura, i desit, potuit habere hunc actum, volo esse Deus, volitione inefficaci, & cõditionata. Probatur primo autoritate Arist. 3. Ethi. dicẽtis, volũtatẽ, scilicet cõditionatã, esse impossibilium. Secũdo patet cõclusio ex. 1. & 4. fundamẽto. vbi exemplis positis, demõstratũ est, posse nos velle aliquod impossibile sub cõditione, & inefficaciter. Et cũ creaturã esse Deo æqualẽ in natura, sit impossibile, potuit sub conditione, scilicet, si esset possibile, & inefficaciter esse volitũ. Postremò cõfirmatur. Ita impossibile est, Deum non existere, sicut est, creaturam esse Deo æqualẽ in natura: damnati autẽ appetũt de facto inefficaciter, & sub cõditione, Deũ nó esse: vt cõstat ex quarto fundamẽto: quare sub eadẽ cõditione potuit Angelus se Deũ esse desiderare. Thomistæ hãc cõclusionem nó negabũt: quoniam illi loquuntur de volitione absoluta, de qua non est

Arist.

inter

inter nos, & illos dissidium, cùm omnes, volũtate absoluta, posse aliquem velle aliquod impossibile, fateantur.

CONCLVSIO II.

Si Angelus volitionem cõditionatam æqualitatis Dei in natura habuisset, mortaliter peccasset. Ratio est, quia esset inordinatus amor sui ipsius, vt ex primo fundamento cõstat. Talem autem volitionem inordinatam, & inefficacem, & conditionatam posse esse mortale peccatum, exemplo damnatorum in secundo fundamento fuit demonstratum. Reliqua, quæ hic desiderantur, in lib. controuersiarum habẽtur. Verùm dum, fauente Christo Iesu, in lucem ædituſ, ad maiorem declarationem, & solutionem argumentorum opinionis contrariæ, nota sequentes propositiones.

Prima Propositio.

Duplex est notitia. Vna apprehensiua tantùm alicuius propositionis, vt est notitia huius propositionis, bonum est habere sanitatem. Altera est notitia iudicatiua, quæ etiam practica nominatur, propterea quòd dictat de medijs, ad aliquem finem consequendum. Est enim iudicium practicũ integer discursus, vel notitia dictans de medijs, vt est totus iste discursus. Bonum est habere sanitatem, & hæc habetur ambulando post cœnam, quare volo post cœnam deambulare. Et hanc notitiam practicam iudicatiuam non habuit Angelus. Non enim appetiuit efficaciter esse Deus: & ideò non qua fuit media.

Secunda Propositio.

Electio voluntatis est duplex. Vna inefficax, quæ simplicẽ intellectus apprehensionẽ præsupponit: Et vocatur inefficax: quia non apponimus media ad consequendũ id, quod volumus; eò q illud esse nobis impossibile arbitramur: vt si pauperculus aliquis abiectus papatum desideraret, cùm moraliter ei impossibile sit tantam dignitatem obtinere. Altera verò voluntatis electio est, quæ non habetur, nisi de re possibili, & hæc iudicium practicum ad inuestigationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

mediorum præsupponit, vt si aliquis Cardinalis in potentia propinquus ad papatum illum desideret, & media ad illum habendum inquirat, & inuestiget.

Append.2. Hinc non semper voluntas præsupponit iudicium practicum de mediorum inuestigatione, nisi quãdo fuerit efficax, atquè rerum possibilium.

Append.3. Hinc nolendum aliquod impossibile voluntate inefficaci, simplex eius apprehensio erit satis.

Tertia Propositio.

Quemamodum intellectio est duplex; vna absoluta, vt notitia incomplexa obiecti simplicis, v.g. eorum; altera comparatiua, quæ est notitia alicuius complexi, idest, propositionis possibilis, siue impossibilis, vt si comparet intellectus albedinem cum corno, & cõponat hanc propositionem, cornus est albus simpliciter; etiam, & volitio est duplex. Vna absoluta, & altera comparatiua alicuius incõpossibilis. Quia potest aliquis velle hæc extrema, nempè cornum, & albedinem coniungi. Et hæc volitio non est non entis; sed alicuius entis, nempè, extremorum inconpossibilium, si vnio eorum esset possibilis. Eodem modo theologandum est in proposito; si Iuciferhaberet hanc volitionem, volo esse Deus, non esset volitio non entis; sed entis, nempè deitatis.

Quarta Propositio.

Posset aliquis absque errore intellectus habere assensum huius, bonum est aliquam presonam esse æqualem Deo. Et ratio est; quia filius Dei est æqualis Deo Patri.

Hinc potest similiter absq; errore intellectus apprehendi

Append.4. ista, æqualitas Dei est possibilis; non tamen cogitando, vel iudicando de medijs. Propterea hæc est simplex apprehensio

Quinta Propositio.

Dato per impossibile, quòd in diuinis non esset æqualitas personarum, posset primus Angelus sine errore simpliciter apprehendere æqualitatem Dei. Quia posset apprehendere duos Deos æquales. Et in ista simplici apprehensione, non esset

esset error, & veritas, siue falsitas. Ratio est; quia veritas, & falsitas solùm in compositione, & diuisione, idest, in propositione affirmante, vel negante reperiuntur. Et qui cogiteret alium Deum Deo nostro æqualem, non componeret propositionem; sed solùm alterius Dei notitiam formaret: quare non erraret simpliciter apprehendendo.

Sexta Propositio.

Potest aliquis, volitione conditionata, velle antecedens & nolle consequens, etiam si consequentia sit per locum intrinsecum. Illustro exemplo, vt potest velle homo, si esset possibile, esse absquè risibilitate.

Octaua diffic. Quale fuit primi Angeli peccatum?

CVm in sacris literis quale fuerit peccatũ Angelorum non exprimatur, quod inter mirabilia sacræ scripturę à D. August. lib. 1. de mirabilibus sacræ scripturæ c. 2. refertur. Ideò circa difficultatem hanc inter doct. orta est maxima opinionum varietas. *D. Augu.*

Prima opinio est nostri Alex. q. 109. m. 2. qui affirmat tale peccatum fuisse superbiam, cuius radix, inquit, auaritia, vel cupiditas est; quatenus in Angelo fuit appetitus propriæ excellentiæ. Quod confirmat autoritate D. August. super Gen. ad litteram dicẽtis. Auaritia radix omnis mali, & subdit ibidem istam auaritiam esse, non qua amatur pecunia; sed qua potestas propria amatur. *Alex. Alen.* *D. Aug.*

Secunda opinio est S. Tho. qui docet peccatum Luciferi fuisse appetere æqualitatem Dei, non in natura; sed in beatitudine. Et hoc duobus modis, vel quia voluit beatificari in sola cognitione, & amore suæ essentiæ; sicut Deus. Vel quia appetiuit beatificari in diuina essentia; atq; hoc non ex dono Dei, sed ex proprijs viribus, & quasi ex debito. Nam petebat beatitudinem, quasi ex iustitia sibi debitam, & vtrũque fuit superbiæ peccatum. *S. Tho. vbi 5.*

Tertia opinio est D. Bona. q. 2. vbi suprà, hic tenet fuisse Luciferi peccatũ, velle æqualitatẽ Dei, quò ad præsidẽtiam. Quia appetijt sua autoritate, & non Dei alius præesse. *S. Bon. vbi 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ricard. Quarta opinio fuit Ricar. dist. 5. existimantis, peccatum Luciferi fuisse inordinatum amorem propriæ excellentiæ, & reduci proprijssimè ad peccatum superbiæ.

Scot. d. 6. q. 2. Quinta opinio est Scoti cuius literâ explicat Gabr. el, qui defendit in summa, primum Angeli peccatum ex parte fuisse superbiam, & ex parte luxuriam. Et nota ad eius opinionem intelligendam, quòd quando Scotus affirmat appetitum inordinatum beatitudinis, vel amorem inordinatum concupiscentiæ illius, pertinere ad luxuriam, expresse confitetur locutum fuisse de luxuria impropriè, quatenus appetitus inordinatus cuiuscunquè rei delectabilis luxuria, nominatur. Et cùm constet beatitudinem esse summum delectabile, cùm in eius consecutione summa omnium fœlicitas, & delectatio sita sit, hinc eius inordinatum appetitum, vel inordinatum amorem concupiscentiæ, luxuriam appellant. Et licet non explicauerit, ad quod genus peccati talis appetitus beatitudinis summæ delectabilis reducatur; ex ijs tamen, quæ in eadem quæst. tradidit, facilè colligitur, reduci ad eã speciem superbiæ, quæ est appetitus inordinatus propriæ perfectionis. Propterea quòd idem est appetere inordinatè perfectionem, & beatitudinem appetere. Quia beatitudo nihil aliud est, quàm bonum perfectum, & consummatum. Et quando huiusmodi luxuriæ appetitus est cũ singularitate, & excellentia quadam in ordine ad alios, pertinet ad præsumptionem; quãdo verò appetitur honos, & gloria, quæ est in honorante, tanquã testimonium quoddam perfectionis, & excellẽtiæ, inordinatè concupitæ, & desideratę, est vanæ gloriæ peccatũ. Et fuit tandẽ superbia; quia fuit inobedientia.

Dura. vbi. 5. Sexta opinio est Durandi vbi sup. propè finẽ, qui arbitratur, peccatum Luciferi fuisse alicuius præcepti sibi impositi, & nobis ignoti, transgressionem. Nam sicut homini, inquit, in statu innocentiæ fuit præceptum abstinentiæ à fructu arboris vetito impositum, per cuius transgressionem fuit Adã mortis reus: ita Lucifero fuit impositum præceptum, ob cuius trangressionem fuit gehennæ reus; quod quidem præceptum quale fuerit ignoramus.

2. Nota. Superbia, vel sumitur generaliter, pro vt inuenitur in quocũquè

cũquè peccato, & hoc modo sumpta nihil aliud est, quàm in obedientia, & contemptus legislatoris. Nolle enim obedire frequentissimè superbia nominatur, Propterea quòd inobediens non vult alijs subesse, quod est humilitatis actus. Vel sumitur secundò, quatenus à cæteris vitijs capitalibus distinguitur. Et tunc à sanctis ita describitur, est inordinatus amor propriæ excellentiæ, nempe, propriæ magnitudinis præcæteris. Quod quidem accidit, quando aliquis in re aliqua magni honoris vult cæteros superare. *Gab. vbi sup. prà.*

Gradus, seu species superbiæ quatuor sunt. Prima est, quando aliquis existimat, sine auxilio, etiam generali, se obtinuisse bona fortunæ, vel honoris, vel scientiæ, &c. quæ habet ita; vt pro his bonis nullas Deo agendas esse gratias arbitretur. In quos inuehitur Apostolus. 1. ad Corinth. cap 4. dicens. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non? acceperis. Secunda species, siue gradus est, quando aliquis dona sibi à Deo collata fuisse intelligit; verum non ex dono Dei, sed ex suis meritis, & de iustitia. Et ob hanc causam Deo gratias non agit. Quos apertissimè conuicit D. Paul. agens Deo gratias pro beneficijs in eum collatis, dum ait. 1. ad Corinth. 15. gratia Dei sum id, quod sum. Et ibidem. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per dominum nostrum Iesum Christum. Et alibi sæpe. Tertia species, siue gradus est, quando quis alios contemnit præ se, & præ bonis, quæ verè ipse solus habet, & ideò cæteros despicit, & vilipendit. Talis fuit Pharisæus Luc. 18. qui orans, dicebat. Gratias ago tibi: quia non sum, sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Quarta species, siue gradus est, quando aliquis iactat se de bonis, quæ verè non habet. Hos quoquè cõfundit D. Paul. 2. ad Corinth. 12. quando ait. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem; ne quis in me existimet suprà id, quod videt in me. Lege apud D. Gregor. lib. 13. moral. cap. 7. hanc diuisionem. *2. Nota.* *1. Cor. 4.* *1. Cor. 15.* *Luc. 18.* *2. Cor. 12.* *D. Greg.*

CONCLVSIO.

Primum Angelorum peccatum fuit superbia. Colligitur hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc cõclusio ex varijs sacræ scripturæ locis. Vt ex illo Eccl. 10. Initium omnis peccati est superbia. Et ex illo Iob. 41. omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. Et ex illo Isaiæ, vbi loquens de dæmone ad litteram sub figura regis Babylonis, vt suprà, diximus, ait. Detracta est ad inferos superbia tua. Et declarans modum suæ superbiæ, subiungit. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, &c. vsq; ad similis ero altissimo. Infertur quoq; ex illo Ezechiel. 28. vbi de dæmone ad literam sub figura Regis Tyri, dicitur. Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei. Itẽ Christus redemptor noster Luc. 10. discipulis dicentibus, domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo; ne hinc in superbiam eleuarẽtur, cõtinuò dixit. Videbam Sathanã, sicut fulgur de cœlo cadentẽ, Quasi diceret. videte; ne vobis hæc elatio causa similis ruinæ sit. Et 1. ad Timot. 3. admonẽs D. Paul. ne eligatur Neophytus in episcopum; ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Ex ijs, & alijs locis ferè omnes sancti qui de hac re verba fecerunt, cõclusionem positam eliciunt. Verùm si per otium licebit, lege D. Aug. 10. super Gen. ad literam à cap. 14. per multa cap. Et. 12. de ciuitate Dei c. 6. Et lib. 14. c. 13. &. 18. Et lib. de natura & gratia c. 16. Et in lib. de vera religione. Et D. Hieron. super cap. citatum Ezech. 28. D. Anselm. lib. de casu diaboli c. 4. Isidor. in lib. de summo bono. B. Basil. homelia, quòd Deus non est auctor mali. B. Ambrosi. super psalm. 36. in locum. Vidi impium superexaltatum. Et super psalm. 118. super illa verba. Increpasti superbos. D. Gregor. 34. moral. à cap. 14. per plura capita. Et B. Bernard. passim, vbi de peccato Angeli tractat.

Eccl. 10. *Iob. 41.* *Isaiæ. 14.* *Ezech. 28.* *Luc. 10.* *Isai. 14.* *1. ad Timot. 3.* *D. Aug.* *B Hiero.* *B. Anselm.* *Isidor.* *B. Basil.* *Psal. 36.* *Psal. 118.* *D. Greg.* *D. Bernard.*

CONCLVSIO II.

Peccatũ superbiæ peccauit, eò q; voluit esse in prælatione creaturarum Deo æqualis. Hæc est D. Bonau. vbi suprà. Et probatur ratione; spiritus nequam perseuerat in inferno in eisdẽ peccatis, quæ in via cõmisit, vt infrà declarabitur: nõ do autẽ frequentissimum Luciferi peccatũ est idololatria, vt constat ex multiplici idololatria inter gentes ante aduẽtum Christi.

Christi. Et ex Matth. c. 4. hæc omnia, dixit Lucifer Christo, tibi dabo, si cadens adoraueris me. Quare potissimum eius peccatum in via idololatria fuit: eò q; concupiuit omnibus creaturis, tanquàm si esset Deus, præesse. Nequè facessit negotium locus B. Anselmi, quem citat S. Thom. vbi ait. Primus Angelus appetiuit illud, ad quod peruenisset, si extitisset, &c. Hic enim locus pro nobis facit: nam si perstitisset, peruenisset ad hunc statum; vt præesset secundum Deum aliis Angelis inferioribus. Quia ipse erat supremus, vt infrà dicetur. Peccauit autem, quia concupiuit dominari cæteris, & tanquàm Deus, adorari.

Matth. c. 4. *B. Anselm.*

DVB. 1. Cur scriptura sacra non facit mentionem expressam de hoc peccato, sicut de peccato, quo hominem tentauit?

REspondeo cum Alexand. Quia angelicum vulnus Deus non prædestinauit curare: sicut hominis vulnus, siue peccatum. Secundò; quia per magnitudinem pœnæ voluit à peccatis hominem deterrere. Propter peccatum enim primi hominis punitum est totum genus humanum: atuerò propter peccatum primi Angeli ipse solus à principio fuit punitus.

Alex. Alen. q. 109. m. 8.

Hinc, eius pœna à principio fuit præparata: vt habetur Isaiæ. 30. cap. Præparata est enim ab heri Tophethi, ideſt, à conditione mundi. Et Matth. c. 25. discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Nihilominus tamen arbitratur Alexand. fuisse implicitè peccatum primi Angeli insinuatum, quando dixit Moyses, Genesi. 1. Et diuisit Deus lucem à tenebris; quia illa diuisio designat pœnam, quæ immediatè secuta est ad culpam.

Append. *Isaiæ. c. 30.* *Matth. 25.* *Gen. 1.*

DVB.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. II. Cur de peccato Angeli fuit facta mentio sub figura Regis Babylonis, & Regis Tyri, & de peccato hominis manifestam facit mentionem?

Isaiæ. 14.
Ezechie. 28.
Alex. vbi 5.

REspondeo cum eodem Alex. peccatum diaboli fuit sub figuris relatum; ne propter sui immanitatem, homo attendens diaboli peccatum, nequè remissum, neq; remittendum forè, & credens idem de suo peccato futurum, exemplum desperationis acciperet. Peccatum verò hominis decuit; vt manifestè diceretur; vt homo expressè sciret, quo modo morbus, siue vulnus, siue peccatum exordiū sumpserit, & quo modo ab ipsa summa sapientia medicina conuenientissima adhibita fuerit. Nam vbi abundauit delictum,

Ad Rom. c. 5.

superabundauit & gratia.

Nona diffic. Vtrùm peccato superbiæ primi Angeli fuerit annexum aliud peccatum?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 109. m. 9.
S. Tho. q. 63. art. 2.
Sap. 2.
D. Augustin.

FVit illi peccato annexum inuidiæ peccatum. Constat ex lib. sapientiæ c. 2. inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et ex D. Augustin. in lib. de virginitate, superbiam sequitur inuidia, tanquam filia pedissequa, eam enim continuè parit. Nequè vnquā est sine tali prole, atquè comite. Quibus duobus malis, superbia, scilicet, & inuidia, diabolus est diabolus. Hinc sic colligo argumentum. Si inuidia est comes, & proles superbiæ, ergo comisit immediatè peccatum inuidiæ. Hæc est etiam communis sententia sanctorum Cypriani libro de zelo, & liuore, & sermone de sapientia. Et Basil. in sermone de inuidia. Et D. Bernard. super cantica, & alibi passim, vbi de peccato Angelorum disserit.

Cypria.
Basil.
Bernard.

Decima difficult. Respectu cuius fuit ille inuidiæ motus?

CONCLVSIO.

REspectu hominis, quem existimauit participaturum gloriam, à qua ipse cecidit. Et ratio est; quia, cùm non fuerit talis motus respectu alterius Angeli; quoniam non erat locum eius occupaturus; sed proprium locum: fuit profectò respectu hominis; ne locum eius occuparet. Vnde D. Aug. in q. vet. test. ex transgressione illis deitatem spopondit, à qua ipse deaffectatus deiectus est.

Alex. vbi 5.
D. Aug.

DVB. III. Quomodo potuit talis inuidia respectu hominis esse?

RAtio dubitandi est; quia inuidia respectu superioris, vel paris dicitur. Et homo Angelo inferior est. Respondeo cum D. Augustin. super Gen. ad litteram, quem citat Alex. inuidia non tantùm est respectu superioris, qui excellit, sed etiam respectu paris; ne excellat; & inferioris, ne æquetur. Et homo licèt esset Angelo paulò inferior; vt in psalmo dicitur: erat tamen æqualis, & par illi. Quia erat participaturus eandem gloriam, quam habiturus erat ipse, si stetisset. Quod confirmare videtur D. Augustin. in q. ve. te. vbi ait. Præuidit; quia ad accusationem eius factus est homo, vnde sua subtilitate id egit, vt in eandem præuaricationem, in quam ipse ruit, induceret; vt accusatorem participem suæ damnationis efficeret.

Alex. ibidē.
D. Aug.
Psal. 8.
D. Aug.

DVB. IIII. Fuit ne peccatum inuidiæ simul cum peccato superbiæ?

REspondeo. Nequaquam, etiam de sententia eorum, qui dixerunt omnia creata fuisse simul; sed fuit statim, post peccatū superbiæ. Quo modo intelligēda est

Alex. Alen. vbi 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Aug. auctoritas citata D. Aug. in lib. de virginitate. Superbia inuidiam continuè parit. Et non quòd continuè, & simul vtrũq; peccatum commiserit; sed interueniente tempore inter instans, seu morulam, qua in superbiam elatus est, & instans, quo inuidia fuit concitatus. Nam sicut pedissequa dicitur dominam suam comitari, cùm eam immediatè sequitur; ita inuidia comes est superbiæ. Quia nullum aliud peccatum immediatè secutum est. Et hoc voluit D. Augustl. significare loco citato, quando auaritiam superbiæ pedissequam nominauit.

D. Aug.

Vndecima diffic. Fuit ne peccatum primi Angeli remediabile, vel irremediabile?

Alex. Alen. q. 109. m. 4. art. 1.

HActenus quodnam fuerit peccatum primi Angeli declaratum fuit, nunc quale sit explicabitur.

1. Nota. Hoc differt irremissibile ab irremediabili, quòd irremissibile ex parte sui non habet causam motricem ad remissionem: at verò irremediabile dicitur illud, quod nequè perse, nequè per alium, potest remedium recipere. Quemadmodum habuit remedium peccatum originale per alium, sicut per alium fuit contractum. Et actuale hominis peccatum, quod, vt ab homine perse committitur, ita illi ab eodem homine, mediante gratia, per pœnitentiam, remedium adhibetur.

2. Nota. Irremissibile sumitur bifariam. Primò, quod non remittetur. Secundò quod non potest remitti. Et rursus primo modo dicitur dupliciter: vel quia non est in statu remissionis receptibili, vt est anima post mortem: quoniam tunc non est locus merendi, vel demerendi. Vel secundò, quia licet sit in statu merendi; non tamen est in statu, in quo possit veniam petere; propter mentis indurationem, & desperationem. De quib. D. Augustl. in lib. de mirabilibus, & ait. Ad cumulum peccati sui desperant.

D. Aug.

CONCLVSIO.

Peccatũ primi Angeli fuit irremediabile, & irremissibile. Et

Et ratio est; quia non est in Angelo malo causa motrix ad remissionem. Et quia non est in statu remissionis receptibili, vt ex 1. & 2. notabili constat. Et tandem, quia Angelus solum modò spiritus est. Vnde D. Gregor. Angelorum spiritus, idcirco irremissibiliter peccauerunt; quia Angelus sua malitia cecidit. Et tantò robustiùs stare poterat, quantò carnis fragilitas illum non grauabat.

D. Greg. 4 lib. moral.

Hinc hominis peccatum dicitur remissibile. Quia per carnale corpus aliquid, quo semetipso minor esset, accepit. Vnde dicitur Iob. 10. memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me. Et in Psalm. 77. recordatus est, quia caro sunt.

Append. Iob. 10. Psal. 77.

Duodecima diffic. Tale peccatum dici ne poterit in Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum?

RElege primùm difficultatem. 1. artic. 1. qnæst. 1. de pœnitentia in 4. lib. florum de peccato in Spiritum sanctum.

Alex. Alen. q. 109. m. 4. art. 2.

Peccatum Angeli maximè dicitur irremissibile. Propter statum personæ Angeli, vt in proxima difficultate diximus: peccatum verò in Spiritum sanctum dicitur irremissibile, omissis aliis causis, ratione additionis peccati ad peccatum; quam ob causam vocatur peccatum ex certa malitia.

1. Nota. 2. Nota.

Peccatum ex infirmitate carnis dicitur in Patrem. Quia Patri attribuitur potentia. Et peccatum ex ignorantia ex parte intellectus dicitur in filium. Quia Filio attribuitur sapientia. Et peccatum ex malitia ex parte affectus dicitur in Spiritum sanctum, cui bonitas attribuitur.

3. Nota.

Infirmitas, ignorantia, & malitia præsupponunt culpam, ex qua velut ex propria causa emanant; vt in fine in materia de peccatis in 2. p. huius lib. 2. patebit.

4. Nota.

CONCLVSIO.

Primum Angeli peccatum non potest peccatum in Patrem, vel in Filium, vel in Spiritum sanctum appellari. Ratio communis trium partium huius conclusionis est; quia cùm in Angelo non præcesserit culpa aliqua primum pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

carum (iam enim non diceretur primum) nec præcesserunt infirmitas, & ignorantia, & malitia, quæ sunt effectus culpæ, & pœnæ, propter illam inflictæ, ratione quarum peccatum dicitur esse vel in Patrem, vel in Filium, vel in Spiritum sanctum; vt ex prænotatis constat.

Decimatertia diffic. Potuit ne primum Angeli peccatum esse veniale?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi 5. art. 3.

NEc potuit Angelus primo, nec consequenter, venialiter peccare. Et ratio est; quia; vt modò diximus, nulla in eo fuit infirmitas, vel ignorantia, quæ sunt dispositiones, per quas peccatum redditur veniale. Tum etiam propter excellentiam sui status. Et propter suã malignitatẽ.

Vltima diffic. Vtrùm primum Angeli peccatũ fuerit causa aliorum peccatorum?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 109 m. 6. S. Tho. q. 63. art. 8. S. Bona. d. 5. art. 2. q. 2. Dura. dist. 6. q. 2. Isaiæ. 51.

PRimum Angeli peccarum dicitur causa aliorum peccatorum per occasionem, & non per necessitatem. Et ratio est; quia homo tanta arbitrij libertate fungitur; vt peccare & non peccare, sequi suggestionem dæmonis, & non sequi, sit in eius voluntate. Tum etiam; quia non omnia peccata ex suggestione dæmonis proueniunt. Circunscripto namquè fomite, & diaboli suggestione, potest liberum hominis arbitrium peccare. Cum sit ex natura sua vertibile, & deffectibile, & à libero arbitrio diaboli non dependeat. Et confirmatur ex glo. super illud Isaiæ. Incuruare, vt transeamus. Vbi dicitur debilis est hostis, qui non potest vincere, nisi volentem vinci. Vnde apertissime colligitur, voluntatem humanam non esse diaboli voluntati subiectam; & ex consequenti, peccatũ Angeli non esse omnis peccati causam per necessitatem. Lege D. Aug. serm. 197. de tempore, & habetur in dominica 4. post pentecost.

D. Aug.

Distinct.

Distinct. VI. Et VII.

Quæst. 1. De primo Angelo peccante.

Alex. Alen. q. 109. m. 1. per. 4. art. S. Tho. q. 63. art 7. S. Bona. d. 6. art. 1. q. 1. Dura. d. 5. q. 1. Doct. vbi su prà. D. Damas. D. Aug.

HAEC Quæstio erit perspicua, si priùs aliquot difficultates elucidentur.

Prima diffic. Vtrùm Angelus, qui primo peccauit, fuerit ex superiori ordine Angelorum?

CIrca hanc difficultatẽ fuit opinio D. Damas. lib. 2. suæ theolog. c. 3. asserẽtis, fuisse ex his angelicis virtutibus, quæ præerant terrestri ordini, & cui terra commissa erat. Hæc opinio non est improbabilis, nequè aliquid erroris habet. Nam D. August. 3. lib. super Genesi. ad literam cap. 10. referens eandem sententiam, nequè approbat, neq; reprobat illam.

CONCLVSIO.

D. Greg. Iob. Ezech. 28. 1. Cor. 8. Ezech. 31. D. Greg. homi. 32. & Luc. 15. D. August.

Primus Angelus, qui cecidit, fuit cæteris omnibus nobilior atq; perfectior. Hæc conclusio est D. Gregor. qui tenet, Luciferum fuisse ex supremo ordine Seraphinorum. 12. lib. & lib. 32. moral. c. 24. & 25. Et probat ex illo Iob, ipse est principium viarum Dei, idest, primũ & præcipuum inter omnia effecta Dei. Deinde probatur ex illo Ezechiel. 28. tu Cherub extentus & protegens, &c. Et vocatur Cherub. 1. plenus scientia, & non Seraphim. 1. ardens, siue incendens. Quia scientia, quæ inflat, potuit illi esse ruinæ occasio; non autem charitas, quæ ædificat. Et idem Ezechiel cap. 31. cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei; & vsquè omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius. Item confirmat hanc conclusionem idem B. Greg. homilia 34. super locum Luc. 15. quis ex vobis homo, qui habet centum oues, &c. Quam etiam tenent D. August. lib. 1. de mirabilibus sacræ scripturæ. Et in lib. q. vet. test. vbi dicit. Lucifer erat, quasi princeps multorum, inter quos clarior erat, quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quorum societate ad impium descendit certamen. Et Isido-
B. Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 12. Et D. Dionysi. lib. 6. de diuin.
D. Dionysi. nominibus cap. 2.

Secunda diffic. Vtrùm primus Angelus fuerit malus à natura?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 1. art. 4. & 5. & S. Tho. art. 4. vbi 5. NEquaquàm fuit creatus malus. Hæc conclusio colligitur à D. August. 11. de ciuitate Dei ex illo loco Ezechiel. 28. ambulasti perfectus in vijs tuis à diebus conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Et est definita
D. Aug. Ezech. 28. Gen. 1. in concil. Carthag. 4. c. 1. & in concil. Bracar. 1. & in c. firmiter de summa Trinit. Et fid. cathol. & à Leone Papa epist. 91. cap. 1. Et probatur Gen. 1. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Et ratione confirmatur; quia cùm auctor naturæ sit infinitè bonus, nihil mali ab eo emanare potuit. Idemquè tenendum est de cæteris Angelis, qui omnes fuerunt natura boni.

Hæresis. Hinc confutatur hæresis Manichæorum, & Priscillianistarum, qui docebant diabolum ex sua natura malum esse, nequè posse esse bonum. Lege Castrum contra hæreses verbo diabolus, hæresi prima.

Tertia diffic. Vtrùm primus Angelus fuerit causa lapsus cæterorum?

Alex. Alen. m. 6. S Tho art. 8. vbi suprà. D Bonauen. d 5. art. 2. q. 2. Duran. d. 6. q. 2. Apoc. 12.

CONCLVSIO.

LVcifer tenrauit cæteros Angelos, quorum quidam sibi adhæserunt, & sunt damnati; quidam verò restiterunt, & ad beatitudinem assumpti fuerunt. Conclusio hæc expressè habetur Apocal. c. 12. Nam ad literam de Lucifero scribitur. Draco magnus, &c. & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Quem locum explicant sancti de tentatione Luciferi, qua sibi adhærentes prostrauit. De resistētia verò, & victoria bonorum angelorū legitur

legitur in eodem cap. Factum est prælium magnum in cœ- *Apoc. 12.*
lo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, &c. quorum victoria insinuat Angelos bonos adhæsisse Deo, & noluisse suggestioni Luciferi præbere assensum. Et ratione probatur conclusio: quia consentientes Lucifero facti sunt eius ministri, & serui, & illius imperio subiecti. Quod Chri- *Matth. c. 25.*
stus Matth. 25. insinuauit dicens, Ite maledicti in ignē æter- *Psalm. 103.*
num, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, ideſt, ministris. Et iuxta illud psal. 103. qui facit Angelos suos spiritus, ideſt, *2. Pet. 2.*
ministros Et B. Petrus. 2. Petri. 2. etiam docuit quādo dixit, à quo quis superatus est, eius seruus est. Quo autem modo fuerit causa peccati aliorum, in vltima difficultate proximæ præcedentis. q. fuit expositum.

Quarta diffic. Vtrùm Lucifer alijs malis Angelis præsit?

CONCLVSIO.

LVcifer præst alijs dæmonibus, estq; inter illos prælationis ordo. Hæc conclusio est de fide. Et constat Iob. *Alex. Alen. q. 37. S. Th. q. 109 art. 2. S. Bonau. q. vltima d. 6. Duran. q. 3. dist. 6. Iob. 41. Matth. 12. Luc. 11. ad Ephes. 6. Luc. 11.*
41. ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Et Matth. 12. & Luc. 11. in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et ad Ephes. 6. non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates. Et ratio est; quia congruit naturæ dæmonum, & diuinæ sapientiæ. Nam, vt naturæ inferiores sunt subordinatæ superioribus; ita actiones inferiorum sunt actionibus superiorū subiectæ. Et quia exercitus sine duce non est fortis ad vincendū. Estque inter illos talis concordi, & subiectio in malum hominum, vt stet illorum regnum. Aliter enim si Sathan Sathanam eijcit, quo modo stabit regnum eius?

Dubitabis. Est ne prælatio hæc dæmonibus naturalis: an violenta? an ex electione?

CONCLVSIO II.

Dub. 1. NEq; violenta, neq; ex electione, sed natura, & diuina institutione est. Cōclusio est D. Bon. vbi sup. Et ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius est; quia sua conditione data est eis, inquit, vis ministratiua, & potentior vni quàm alij. Et Deus ordinauit: vt minùs potens, & sapiens, magis potentibus, & sapientibus subesset in ministrando. Quod visus est innuere. S. Thom. vbi suprà, quando dixit. Quia quorum naturæ sunt subordinatæ, etiam actiones debent esse subordinatæ. In hoc enim cõsistit ratio prælationis. Prouenit etiam ex ordinatione diuinæ prouidentiæ, & sapientiæ, quæ nihil in suis operationibus inordinatum reliquit. Sunt enim dæmones, quasi tortores, & executores diuinæ iustitiæ: & ideò debet inter illos esse prælationis ordo.

CONCLVSIO III.

Dæmones, propria etiam voluntate, consenserunt in illius prælationem, qui à natura illis erat prælatus. Alexand. est vbi suprà. m. 3. Et ratio est, quia licet sint superbi, & alijs subiici recusent: nihilominus tamen: vt commodius possint homines à Deo auertere, libenter se subijciunt gubernationi, & imperio illius, quem adhoc, & potẽtiorem, & callidiorem agnoscunt: vt patet exemplo latronum, qui voluntariè vni, tanquàm capiti, se subijciunt.

Append. Hinc non est idem dæmon, qui simul tempore tentat vnũ hominem Madriti, & alium Romæ de luxuria, vel de alio quouis vitio, cui est deputatus: sed habet alios sub se, qui ex eius commissione diuersos homines diuersis in locis de luxuria tentant. Quemadmodum, considerato infinito Dei erga homines amore, piè credendum est, dispositos esse Angelos sanctos à Deo, & præfectos particularibus virtutibus, qui alijs, præfecti cùm sint, committunt: vt ad virtutes, quibus sunt à Deo ordinati diuersos homines in diuersis locis excitent, & inflamment, siue incendant. Hæc gloss. Orig. super verba Iosuæ. c. 11. omnes enim bellando cœpit.

Orig. *Iosuæ. c. 11.*

Dub 2. Dubitabis iterũ. Prælatio dicta est ne de iure, an de facto? *D. Bona.* D. Bonau. cui subscribere videntur Ricard. & S. Thom. tenet *Ricar. d. 6. & S. Tho in 2. d. 6. art. 4.* prælationem dæmonum non esse de iure. Quia non seruauerunt, inquit, ius: sed fregerunt fœdus sempiternum.

Nota in dæmonibus aliquid dupliciter inueniri, vel secundum eorum peruersam, & iniquam voluntatem, vel secundum eorum naturam, & secundum Dei ordinationem.

CONCLVSIO IIII.

Prælatio in dæmonibus primo modo, ideſt, relata ad eorũ peruersam voluntatem, iniusta, & iniqua est. Quia eorũ voluntas est iniqua, & semper ad malum proclinis, & prona.

CONCLVSIO V.

Prælatio in dæmonibus secundo modo, id est, relata ad eorum naturam, & ad Dei ordinationem, est de iure, & iustissima. Et ratio est, quia licet dæmonum voluntas mala, & iniqua, & iniusta sit: iustè tamen accipit à Deo potestatem. Hæc ratio est D. August. lib. 3. de Trinit. c. 9. D. *Aug.*

Quinta diffic. Est ne Lucifer caput malorum Angelorum, & hominum peccatorum?

CONCLVSIO I.

EST caput malorum Angelorum, & illi membra eius appellantur. Hæc conclusio colligitur ex illo loco Habac. 3. percussisti caput de domo impij. Vbi gloss. sicut ecclesiæ, & omnis viri caput est Christus: ita cunctorum dæmonum, qui in hoc sæculo dimicant, caput est Beelzebub. Vnde membra etiam illius vocantur. *Alex. Alen. q. 109. m. 7. art. 1 & 3. Habac. 3.*

CONCLVSIO II.

Dicitur quoquè eorum pater, & ipsi eius filij. Et ratio est, quia imitantur illum. Et confirmatur auctoritate gloss. super illud psalm. 81. Facti sunt in adiutorium filijs Loth. Vbi dicit. Filij Loth, sunt Angeli apostatæ, qui sunt filij declinationis. Quia veritatem declinando, in satellitium diaboli discesserunt. Et Ioann. 8. vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Dicuntur etiam, & illius ministri, quatenus eius voluntatem, & imperium faciunt. *Psalm. 82. Ioan. 8.*

CONCLVSIO III.

Est similiter caput malorum hominum, & ipsi eius membra. Patet ex gloss. super Iob. 18. memoria illius pereat de terra. Vbi legitur, de vno quoquè iniquo dicitur, vt ad caput, ideſt, ad diabolum vertatur. Et quia ratione naturæ *Iob. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

spiritualis, quæ est in ipsis membris, recipitur influentia suggestionis à diabolo, tanquam à capite. Ratione etiam cõsentus præstiti fiunt diaboli membra.

Append. Hinc, & filij, & ministri illius dici possunt. Propter rationes secundæ conclusionis.

Dices. Est ne caput malorum hominum, secundũ omnia

Dub.3. peccata?

CONCLVSIO I.

Ratione præeminentiæ in malo, in quolibet peccato po-

Alex. vbi. ꝫ. art.4. test dici omnium malorum caput. Et ratio est; quia in omni peccato mortali efficitur peccator subditus diabolo, & hac ratione potest dici caput.

CONCLVSIO II.

Ratione suggestionis mali, cui præbetur assensus, non dicetur caput omnium malorum in omni genere peccati per imitationem, & suggestionem. Probatur. Et primò q; non fit caput per imitationem in omni genere peccati; quia (vt suprà diximus) non omne genus peccati committit. Deinde, neq; per suggestionem dicetur esse caput vniuersaliter; quia non omne peccatum procedit per suggestionẽ. Quod pro-

Cassiod. bat Alex. auctoritate Cassiodor. Et licet diabolus suggerat aliquod genus peccati, non propter hoc homo illo genere peccati peccat; sed suo proprio motu.

Petes rursus. quo vinculo mali homines cum suo capite

Dub.4. Lucifero vniuntur?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. Peccatum mortale est vinculum, quo mali cum suo capi-

vbi.ꝫ. art.5. te vniuntur. Et ratio est; quia per vnionem voluntatis con-

1.Cor.6. formatur se membrum suo capiti, insequendo ipsius voluntatem. Sicut enim dicitur, qui adhæret domino, vnus spiritus est, nempè, propter vnionem voluntatis; ita potest à simili dici, qui adhæret diabolo, vnus spiritus est cum eo, propter

Gen.34. voluntatis vnitatem. Quæ quidem vnitas insinuatur Gen. 34. vbi dicitur. Cõglutinata est anima eius cum ea. Sichem enim diabolum, & Dina animam peccatricem significat.

Dub.5. Quæres. Potest ne idem homo esse Christi, & diaboli membrum?

CON-

CONCLVSIO I.

Nequaquàm potest aliquis homo esse simul Christi, & Alex. Alen. diaboli membrum. Et ratio est; quia propriè membrum vbi.ꝫ.art.7 Christi dicitur esse per gratiam, & charitatem. Amor enim Christi cum contemptu sui facit membrum Christi, & amor sui cum contemptu Dei efficit diaboli membrum. Et vt im possibile omninò est istos duos amores esse simul, ita impossibile est cũdẽ hominem simul esse membrũ Christi, & mẽbrũ diaboli. Et sicut impossibile est duob⁹ dñis seruire. Mat. Matth.6. 6. & simul in peccato mortali, & in gratia existere, ita, &c.

CONCLVSIO II.

Potest idem homo simul esse diaboli, & ecclesiæ mẽbrũ. Et ratio est; quia ecclesia est congregatio fidelium, & fideles dicuntur omnes, qui fidei sacramentum susceperunt. Neq; enim per peccatum mortale, quo (vt dictum est) membrum diaboli homo efficitur, fides amittitur: vt concil. Trid. sess. 6.cap.15.& can.28.docet.

Et animanduerte membrum ecclesiæ dici bifariam. vel me rito; vt qui habet fidem formatam, dicitur membrum eccle- Nota. siæ merito, & simpliciter membrum, & qui ita est membrũ ecclesiæ, est simul membrum Christi, & è conuerso. Vel numero: vt qui est membrũ ecclesiæ, per fidei sacramentum; & dicitur membrum secundum quid. Quod quidem non est in corpore ecclesiæ, vt ibi remaneat, si in peccato obduretur: sed tanquàm malus humor; vt inde expellatur. Vt auctor est D.Aug. apud Alex. loco citato. Lege etiam concil. Trid. D.Aug. sess. allegata. Et Cast. verb. ecclesia hæresi.1. Castro.

Interrogaberis iterum. Potest ne membrum Christi mẽbrum diaboli fieri, & è contrario? Dub.6.

CONCLVSIO.

Potest, qui membrum est Christi, fieri membrum diabo- Alex. Alen. li, & è contrario, qui diaboli est membrum, fieri Christi mẽ- vbi.ꝫ. art.6. brum. Hæc conclusio est de fide. Et potest infinitis sacræ scripturæ testimonijs probari. Et est definita in concil. Trid. sess.6.c.14.& can.23.

Inquires vlteriùs. Lucifer, qui est malorum caput, est ne Dub.7. vna persona cum illis?

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi 3. art. 2. Non in esse naturali, sed in esse morali quodāmodo vna persona esse dicūtur. Probatur auctoritate glossæ super illud Iob. 9. vultum iudicium eius operit. Vbi habetur. Diabolus cum suis sequacibus vna persona est. Quod est intelligendum impropriè, & secundum translationem.

Iob 8.

Dub. 9. Per contaberis deinceps. Antichristus erit diaboli membrum?

Alex. Alen. vbi sup. m. 8. Ratio dubitandi est: quoniam impossibile est idem esse membrum, & caput eiusdem corporis, & Antichristus caput malorum hominum dicitur; vt tenet glossa super illud ad Thessal. Ostendens se, tanquàm sit Deus. Et super illud Iob. 21. interrogate quemlibet de viatoribus. Et in locum eiusdem Iob. 34. qui regnare facit hominem hypocritam.

2. ad Thess. 2.

Iob. 21.

Iob 34.

CONCLVSIO I.

Antichristi caput malorum erit. Probatur ex gloss. citata. Tum etiam quia in eo habitabit diabolus per malitiæ plenitudinem. Nam, vt in capite est præeminentia ratione originis motuum; ita in eo erit præeminentia malitiæ respectu aliorum. Quam ob causam dicetur esse malorum hominum caput. Vnde à diabolo habebit, quòd sit caput.

Append. Hinc licet Antichristus sit caput, & diabolus sit caput; nō tamen erunt duo capita. Quia vnum est propter aliud, & ab alio ratione plenitudinis, & præeminentiæ malitiæ; vt modò diximus.

CONCLVSIO II.

Erit quoquè Antichristus principale diaboli membrum. Et ratio est; quia cùm in ipso inhabitatura sit plenitudo malitiæ, potentiùs ad seductionem operabitur.

Dub. 9. Petes vltimò. Erit ne Antichristus caput malorum hominum, qui illum præcesserunt?

CONCLVSIO.

Erit etiam præcedentium caput. Propter præeminētiam malitiæ; vt dictum est. Quia ministerium iniquitatis iam in suis membris operatur, quæ à B. Ioann. Antichristi vocantur. Ait enim Antichristus venit iam. Antichristi multi sunt. Vbi Beda Antichristi sunt omnes hæretici, & qui

1. Ioan. 2.

Beda.

fidem

fidem quam confitentur, actibus destruunt, & omnes contrarij Christo, qui venturo suo capiti reddunt testimonium. Et glossa super illud, nouissima hora est; ita habet. Huius nequissimi capitis iam multa membra præmissa sunt, à quibus est cauendum. *1. Ioan. 2.*

Quæst. II. De minoribus Angelis Luciferi sequacibus.

Alex. Alen. q. 110. m. 1. &. 2.

HVius q. intelligentia ex declaratione sequentium difficultatum pendet. *S. Tho. q. 63. art. 8.*

D Bona. d. 3. art. 2. q. 1. & 2. & d. 6. art. 1. q. 2.

Prima diffic. Vtrùm peccatum inferiorum Angelorum fuerit superbia?

Duran. d. 6. q. 2. & alij dist. 6. & 7. Ricard. d. 5. doct. vbi suprà Et S. Bona. de. 5. art. 2.

RElege primùm species, siue gradus superbiæ suprà in difficultate de primo peccato Luciferi; an fuerit superbia? positos.

Nota secundò, hoc esse superbo proprium; vt nulli omninò velit subesse, quòd si necessariò subesse debet, illi se subijcit, à quo expectat se aliquam excellentiam posse consequi. *1. Nota.*

CONCLVSIO.

Angeli inferiores commiserunt peccatum superbiæ in primo gradu, volentes suam beatitudinem sine meritis, & sine auxilio Dei; sed solius Luciferi obtinere. Et quia hanc se posse obtinere adhærentes Lucifero, omnium angelorum maximo arbitrabantur, secuti sunt illum. Hanc conclusionem confirmant Alexand. Et D. Bonau. auctoritate D. Greg. 2. moral. & Hugonis de sancto Victore. Et B. Anselm. in lib. de casu diaboli, qui dixerunt appetiuisse beatitudinem, non seruando iustitiam. *2. Nota. D. Greg. Hugo. B. Anselm.*

Secunda

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Vtrùm de omni ordine Angelorum fuerint aliqui peccantes?

CONCLVSIO.

Doct.vbi suprà.
Alex. m.3.
S.Tho.art.9. ad.3.
D.Bon. dist. 6.art. 1.q. 2.
Dura. loco cit tato.
Hugo de S. Victor.
Dub. 1.
Alex. Alen. & S. Thom.
S.Bonau.vbi suprà.
Ezech.28.
Ephes.6.
Alex. Alen. m.4.
S Tho art. 9. vbi suprà.
Hugo.
4 Reg.6.

DEquolibet ordine ceciderunt aliqui Angeli per peccatum. Hæc conclusio expressè traditur ab Hugone in libro de sacramẽtis. Et ratio est; quia si de supremo ordine aliqui auulsi sunt; vt fuit Lucifer, credendum profectò est, alios ordines omnes aliquam ruinam passos fuisse.

DVB. I. Quare in sacris literis non dicitur cecidisse aliquem ex ordine Seraphinorum, & Thronorum, sicut legitur de Cherubim Ezechiel.28. Tu Cherubim: Et de principatibus, & potestatibus ad Ephes.6. Non est nobis colluctatio, &c? Respondeo. Ex omnibus ordinibus; vt dictum est, aliqui ceciderunt; non tamen nomine Cherubim, & Throni nominantur. Quia hæc nomina solis bonis Angelis sunt propria; nam Seraphim charitatis incendium nominatur. Et Thronus dicitur sedes, vbi Dominus requieuit ad iudicãdũ; alia verò nomina sunt bonis, & malis Angelis cummunia.

Tertia difficult. Fuerunt ne plures, qui ceciderunt, quàm qui permanserunt?

CONCLVSIO.

PLures Angeli steterunt, quàm ceciderunt. Et ratiõ est, quia quæ contra naturalem inclinationem, & propẽsionem sunt, frequentius in paucioribus reperiuntur, & accidunt. Et peccatum in Angelis fuit cõtra eorum naturalem inclinationem: quoniam in primo statu, qui erat magis conformis eorum inclinationi, potius ordinati erant ad standũ in bono, quàm ad peccandum. Atquè ità pauciores ceciderunt. Quod confirmat Hugo de sancto Victore exponens locum. 4. Reg.6. noli timere: Plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis; de bonis Angelis, qui nobiscum sunt in auxilium, & de malis, qui nobis aduersantur.

Quarta

Quarta diffic. Peccauerunt inferiores Angeli simul cum Lucifero, vel post?

REuocãda sunt in memoriam quæ suprà diximus, quærentes; vtrum Angeli in primo instanti suæ creationis potuernit peccare? Circa hanc difficultatem maxima fuit inter doctores controuersia, vt refert Alex. Alen. Quidam enim opinati sunt simul, & vnico temporis instanti cũ Lucifero peccasse. Hanc opinionem videtur sequi Alexan. eiũ sola argumenta oppontæ opinionis soluat, quam S. Thom. & eius discipuli amplexi sunt. Contraria opinio fuit cuiusdam propositi, vt dicit Alexander, qui tenuit fuisse aliquam temporis distantiam, sed imperceptibilem, cui opinioni adhæsit D. Bonau. quam clarius explicauit, & defendit Scot. noster, dicens, secundam moram, in qua mali peccauerunt, esse distinguendam in varias morulas, idest, in varia instantia.

Alex. Alen.. vbi 5. m 5.
S. Tho.q.63 art. 5. & 6.
Scot. d.5.q.2.
S Bona d. 5. art.2.q.2.

CONCLVSIO.

Inferiores Angeli simul in eodem instanti indiuisibili cũ Lucifero non peccauerunt. Hanc conclusionem ita probat Scot. Operatio intellectus, & voluntatis Luciferi, volentis se Deo æquare fuit alia ab operatione exhortandi cæteros; vt sibi adhærerẽt, & fuerunt successiuè, & vna aliam præsupponens; non fuerunt igitur in eodem instanti temporis; sed in diuersis factæ. Similiter etiam prælium bonorum Angelorum successit tentationi Luciferi; quare non in vno, sed in diuersis instantibus fuerunt factæ. Quod autem dictæ operationes fuerint successiuè, patet: quia actus distinguntur numero ad numericam obiectorum distinctionem, ex Arist. 3. de anima, & obiectum peccati Luciferi fuit ipseimet Lucifer; & amor inordinatus suæ propriæ excellentiæ: obiectum verò tentationis fuit aliorum subuersio: quãobrem fuerunt distincti actus numero, & vnus alteri succedens. Et quando D. Dama. & alij affirmant omnes angelos simul peccauisse, intelligendi sunt in eadem temporis mora, non tamen in eadem morula, siue instanti; vt dictum est, sed de ijs fusius in lib. controuersiarum.

Arist.

Quinta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. Fuit ne prælium inter bonos Angelos, & malos?

Alex. Alen. q.41.m.6. art.3. S.Th. q.113. art.4. & in 2.dist.11.q. 2.art.5.

Hæc difficultas tractatur, quia in proxim difficultate facta est talis prælij mentio.

CONCLVSIO.

Factum fuit maximum prælium in cœlo inter bonos, & malos angelos. Hæc conclusio est de fide, & habetur expresse Apoc. 12. vbi ita legitur. Factum est prælium magnum in cœlo, Michael, & angeli eius præliabantur cum draçone, & draco pugnabat;& angeli eius,&c.

Apoc.12.

DVB. II. Quotuplex est Angelorum prælium, siue pugna?

CONCLVSIO I.

TRiplex est pugna siue resistẽtia Angelorum, & prima est boni Angeli cum malo. Et ratio est: quia Angelus bonus resistit malo, & cum illo pugnat, quando nocendi potestatem cohibet: De qua pugna legitur Apoc. 20. vidi Angelum descendentem de cœlo. Et paulò pòst. Et appræhendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus,& Sathanas, & ligauit illum per annos mille, ideſt, eius potestatem impediuit, ne quantum vult tentaret. Et nota hoc loco angeli mali potestatem esse principaliter à Deo ligatam; ab angelo autem bono, & ab homine instrumentaliter ligari; quatenus Angeli, & homines sancti Dei virtute dæmones arctant,& expellunt.

Apoc. 20.

CONCLVSIO II.

Secunda pugna est mali angeli cũ bono. Et ratio est; quia malus Angelus conatur impedire id, quod bonus facere intendit; nec tamen prævalet. Constat Apoc. 12. Draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neq; locus inuentus est eorum ampliùs in cœlo.

Apoc.12.

CONCLVSIO III.

Tertia pugna est boni Angeli cum bono. Hæc conclusio expresse habetur Daniel. 10. vbi angelus princeps Iudæorum loquens

Daniel. 10.

loquens de Angelo principe Persarum, ita ait. Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus. Quæ quidem pugna charitati, & vnitati, quæ est inter Angelos, non repugnat. Lege D. Gregor. in moralib. super hunc locum, & lib. 17. moral. cap. 8. super illa verba: qui facit concordiam in sublimibus suis. & cap. 9. eiusdem lib. Lege etiam in prima parte florum super lib. 4. eundem locum, & S. Hieron. n 10. cap. Daniel. & Lyram super idem cap.

D. Greg. Iob. 25. D. Hiero. Lyra.

DVB. III. Prælium factum in cœlo, fuit ne reale, & corporale? an intentionale, & mentale?

PRæter genera bellorum, quæ in nobis ad potentiam executiuam exteriorem pertinent, sunt & alia genera, quæ ad aliquas operationes immanentes, & interiores spectant. Quorum primum est inter appetitum sensitiuum, & intellectiuum; quoniam isti duo appetitus ad opposita inclinantur. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Secundum est inter intellectum, & voluntatem, quando, scilicet, intellectus aliquid faciendum indicat; voluntas tamen renuit. Tertium est inter voluntatem, & voluntatem, non vnius ad se ipsum. Quartum est inter intellectum, & intellectum ratione contrariarum opinionum, propter rationes oppositas.

Nota. Ad Gal. 5.

CONCLVSIO.

Bellum Angelorum fuit triplex. Probatur conclusio ex tribus, quæ in eorum intellectuali natura reperiuntur, quæ sunt ratio, voluntas, & facultas. Nam per rationem electi,& reprobi contraria sentiebant, & per voluntatem ad contraria afficiebantur, & per facultatem ad opposita nitebantur. Angeli namquè electi de Deo, dequè eius gratia, & gloria sublimiter sentiebant, & erga hæc afficiebantur; at verò mali Angeli ex opposito se habebant. Et ita intelligenda est Michaelis cum diabolo de corpore Moysi altercatio. Iudæ. c. 1. Lege can. si igitur. 24. q. 3.

Iudæ.c.2.

DVB.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dub.

DVB. IIII. Prælium Michaëlis cum dæmone de qua materia fuit?

REspondeo cum Henrico de Asia super Gen. Lucifer, cùm esset cæteris angelis natura excellentior; vt constat Isaiæ. 14. & Ezechiel. 28. sub Typo superbissimorum Regum Terræ eleuatus in incredibilem superbiam, dicebat in corde suo. Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris sui, à me ipso, & sine initio sum. Et ita ambiebat in cœlum ascendere; vt cœli imperium teneret, & ab omnibus, vt Deus adoraretur. Et habito in se concilio, dixit. Ego sum plenus sapientia, persuadebo omnibus Angelis, qui sine vlla contradictione credent mihi dicenti; Ego sum Deus. Quæ omnia illis tempore imperceptibili (vt suprà diximus) prædicauit; vt angelorũ vniuersalitas sibi obediret. Verùm enim verò Deus, qui non permittit creaturam suprà id, quod potest, tentari, suscitauit vnum de Archangelis, qui constantissimè ei diceret. Non es tu Deus; sed qui te, & omnes nos creauit: & ideò vocatus est Michael, qui interprætatur, quis sicut Deus noster. Hic enim est, qui creauit nos. Et tunc factũ prælium magnum in cœlo.

Isaiæ 14. Ezech. 28.

1. Cor. 10.

Sexta diffic. Fuit ne minùs peccatum inferiorum Angelorum Luciferi peccato?

CONCLVSIO.

MAius fuit Luciferi peccatum inferiorum Angelorum peccato. Probatur; quia quantò fuit maior eius claritas, tantò maius est peccatum, quo ab illa claritate cecidit. Vnde glossa super illud psalm. 103. Draco iste, quem formasti, &c. ait. Qui cæteris inesse erat excellentior, factus est in malitia maior. Et quia eius libido in appetitu fuit maior, fuitque peccati inuentor, ad nullius imitationem peccans; sicut cæteri Angeli, qui ad eius imitationem peccauerunt.

Alex. Alen. vbi s. m. 6.

Psal. 103.

Septi

Septima diffic. Vtrum peccatum inferiorum Angelorum fuerit irremediabile?

CONCLVSIO.

FVit istorum Angelorum irremediabile, & irremissibile peccatum, sicut Luciferi peccatum. Vide rationes suprà de irremissibilitate peccati Luciferi. Nam vt hominis peccatum post mortem est irremediabile, ita & Angelorum peccatum, post eorũ casum, est irremediabile. Quod enim est homini mors, hoc est Angelo casus. Lege D. August. & Gregor. & B. Anselm. apud Alex. vbi suprà.

Alex. Alen. m. 7. vbi s.

Ratio est.

D. Damas.

D. Aug.

D. Greg.

B. Ansel.

Octaua difficul. Vtrum Angeli mali ita sint in malo obstinati, vt per veram pœnitentiam non possint conuerti in bonum?

QVod hic de malis dicetur, de damnatis hominibus est quoq; intelligendum. Lege suprà difficultatem, vtrum boni Angeli possint peccare, vel à beatitudine cadere?

Alex. Alen. q. 118. m. 2. art. 1. & 4.

S. Tho. q. 64. art. 2.

Doct. d. 7.

S. Bona. ar. 1

Scot. q. vnica

Dura. q. 2.

Gabri. q. 1.

CONCLVSIO.

Angeli mali ita habent voluntates ad malum defixas, vt inde per veram pœnitentiam extricari nullo possint. Hanc conclusionem fides catholica docet. Et probatur Ecclesiast. 11. si ceciderit lignũ ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocũque loco ceciderit, ibi erit. Hinc colligit ecclesia statum futurũ, siue bonum, siue malum fore æternũ. Et confirmatur Apoc. 20. cruciabuntur die, ac nocte, in sæcula sæculorum. Et Isaiæ c. 8. ecce tribulatio, & tenebræ, &c. Et cap. 66. vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et Matth. 25. ibunt hi, &c. Et Marci 9. bonum est tibi debilem, &c. vsq; in ignem inextinguibilem. Et est definita cap. firmiter de summ. Trinit. & fide cathol.

Eccles. 11.

Apoc. 20.

Isaiæ. c. 8. & 66.

Matth. 25.

Marci. 9.

Hæresis.

Hinc confutatur error Orig. asserentis, omnem voluntatem creaturæ, propter libertatem arbitrij, posse flecti in

Orig. cauēd.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonum, & in malum, excepta anima Christi propter verbi vnionem. Vnde Angeli beati miseri, & miseri beati esse possent: quod est hæreticum.

Dub. Quæ nam est causa obstinationis dictæ?

Dub. Doct. vbi supra. Quod hîc in dubium vertitur, est, an conueniat obstinatio Angelis malis solùm conditione status pœnalis, in quo sunt, an ex conditione suæ naturæ? Opinio S. Thom. fuit, quòd illis ratione suæ naturæ conueniat. Alij autem affirmant ratione status, in quo sunt, competere illis obstinationem in malo: sed in assignanda ratione non conueniunt inter se. Aureolus (vt refert Marsil.) opinatus fuit, ideò ratione status fuisse obstinatum; quia Deus solus efficit quemdam habitum prauum inclinantem ad malum in malo Angelo, & semper conseruat illum. Vnde nunquàm resipisceret. Hæc autem opinio est impia: quia Deum facit mali conseruatorem, & auctorem, contra illud Oseæ. 13. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.

S. Thom.

Aureolus erranit d. 7. q. 1.

Oseæ. 13.

Gabriel erra uit. Gabriel vbi suprà, tamquàm probabile arbitratur, causam fuisse: quia in malo angelo est odium Dei ab ipso Deo productum, & conseruatum. Hæc etiam opinio est erronea, & impia, & indigna homine Christiano. Et ratio est: quia cùm odium Dei sit intrinsecè malum, horrendum est dicere, à Deo esse, & conseruari. Nec valet ratio, quam ipse affert, dicens, illum actum non habere rationem culpæ, sed pœnæ: quia culpa ab odio Dei, quod est intrinsecè malum, separari non potest.

Marsil. Marsil. q. 5. art. 2. existimauit causam esse, eò quòd Deus statuit non concurrere cum dæmonibus ad ali[illegible] opus bonum, in pœnam peccati.

Scoti opinio. Quæ opinio videtur esse Scoti, qui opinatur, causam obstinationis esse: quia de lege non dabitur auxilium Angelis malis: vt pœnitentes de malo, resipiscant. Hæc de opinionibus.

1. Funda. Triplex est status cuiuscunquè creaturæ, nempè, viatorum, beatorum, & damnatorum. Status autem in communi est lex diuina de concurrendo, vel non concurrendo cum rationali creatura ad bonum. In particulari vero status viatorum est lex diuina de concurrendo cum viatore ad actum pœnitentiæ, quotiescunquè viator pœnitere voluerit: vt Ezechiel. 18. nolo mortem peccatoris: sed vt conuertatur, & viuat. Et alibi vult omnes homines saluos fieri. Status autem beatorum, siue comprehensorum, nihil aliud est, quàm quòd confirmati in gratia sint impeccabiles. Quæ quidem confirmatio est lex diuina, de nunquàm deserendo comprehensorem: vt possit cadere, & de concurrendo cum illo ad omne opus bonum. Lege in florib. 4. in materia de beatitudine. Tertius status, scilicet, damnatorum est lex diuina de non concurrendo cum damnatis ad pœnitentiam.

Ezech. 18. *1. Timot. 2.*

Quæ habetur Eccles. 11. si ceciderit lignum, &c. Et Isaiæ. 66. vermis eorum, &c. & Matthæ. 25. ibunt damnati in ignem æternum.

Eccl. 11. *Isaiæ. 66.* *Matth. 25.*

In secunda mora Angelorum fuerunt multæ morulæ. Hoc fundamentum fuit suprà probatum. Habuerunt enim maligni spiritus multas cogitationes successiuas, & illarum operationum obiecta fuerunt diuersa, quare non potuerunt simul esse, sed successiuè. Contingit enim multa simul scire (ideſt simul multos habere habitus scientiarum) intelligere verò vnum, hoc est, non simul habere plures cogitationes, & plures actus.

2. Funda. *Arist.*

CONCLVSIO.

Præcisa, & immediata causa obstinationis reproborum spirituum est eorum status, nempè, damnationis status. Hanc conclusionem communis doctorum sententia approbat. Et præsertim Caiet. in artic. citato illam concedit. Et ratio est: quia status reproborum spirituum est, sicut constat ex primo fundamento, vt de lege, & de potentia ordinaria Dei pœnitere non possint. Et confirmatur, posito discrimine inter obstinatos in via, & in inferno: quia illi de lege possunt pœnitere: at verò damnati de lege pœnitere haud possunt, vt in eodem primo fundamento patet.

Hinc, quemadmodũ damnati de potentia ordinaria conuerti nõ possunt, non ob aliud, nisi quia Deus fecit legem de non concurrendo cum damnatis ad eorum conuersionem: ita præscitus finaliter de lege non conuertetur, propter eius demerita præuisa: non tamen ante finem. *Append. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. 2. Hinc obstinatio dæmonum duplicem habet causam, vnã deficientem, & est Deus, negans illis auxilium ad pœnitendum, alteram demeritoriam, scilicet, peccata dæmonum.

DVB. V. *Per quid Angelus mutauit statum?*

Doct. vbi. 3. TOta controuersia inter S. Thom. & Scorum est, per quid Angeli mutauerunt statum, aut quomodo transierunt à statu viæ ad beatitudinis, vel dãnationis statum. S. Thom. tenet post primum peccatum mutauisse statum; quia post illud peccatum iam non erant viatores. Scot. verò tenet, non fuisse primum peccatum causam transitus à statu viæ, ad statum damnationis. Quæ autem de eius sententia fuerit causa mutationis huius status in hac distinct. non insinuat, colligitur tamen ex dictis in. 4. &. 5. dist. suprà de secunda angelorum mora.

Nota. Animaduerte cum Durand. vbi suprà Angelis, qui habẽt scientiam concreatam, datum fuisse breuissimum tempus viæ; at verò hominibus, qui acquirunt cognitionem à rebus, præfixum fuisse longissimum viæ tempus; quare de sententia illius, Deus statuit Angelis legem; vt vnam tantum haberent moram, post creationem, in qua operarentur. Et cõfirmatur; quia sicut homini, post creationem, datum fuit breuissimum tempus, quo in statu innocentiæ stetit, & angelis fuit breuissimum tempus viæ.

CONCLVSIO I.

Angeli, post primum peccatum, adhuc fuerunt viatores, & potuerunt pœnitere. Probat Scot. hanc conclusionem auctoritate *D. Augustini.* D. Augustin. de fide ad Petrum. c. 5. vbi ita ait. Si possibile esset, vt humana natura, quæ, postquam à Deo auersa est, voluntatis perdidit bonitatem, ex se ipsa rursus eam habere posset, multi possibilius hoc haberet natura angelica, quæ quantò minùs grauatur corporis terreni pondere, tantò magis hac esset prædita facultate, & hæc habere posset. Cæterum, cùm hæc auctoritas nec S. Thom. refragetur, neque Scoto suffragetur: quia D. Aug. loquitur sub conditione; & non

& non absolutè, perspicuum est; quòd si homo posset ex viribus naturæ conuerti ad Deum, multò magis posset Angelus, cùm sit perfectioris naturæ: sed neuter potest. Ideò probatur conclusio ratione: Angeli in secunda mora fuerunt viatores, & hæc fuit successiua, & non instantanea: vt in secundo fundamento proximæ difficultatis probatum est: ergo potuerunt in illa secunda mora pœnitere.

CONCLVSIO II.

Causa transitus Angelorum à statu viæ, ad statum damnationis, non fuit primum peccatum: sed perseuerantia in illo, & in alijs peccatis, vsquè ad tempus præfixum eis ad pœnitendum. Quod quidẽ tempus fuit finitum, fuitquè vltimum instans secundæ moræ. Et ratio est, quia post primum peccatum potuerunt Lucifer, & alij mali Angeli pœnitere: vt in prima conclusione probatum est. Quare illud peccatum non fuit causa existendi extra viam: sed perseuerantia in eorum peccato, vsquè ad vltimum instans secundæ moræ, in quo instanti secundum legem diuinam fuit tempus viæ angelorum finitum.

Append. 2. Hinc sicut confitemur homines damnari non solùm propter peccata, verùm etiam propter finalẽ impœnitentiam, eò q. ex præcepto tenẽtur pœnitere, & nõ pœnitẽt: ita fatendã est, Angelos malos fuisse damnatos, non solùm propter primum peccatum, verùm etiam propter finalem impœnitentiam, vt dictum est.

Append. 2. *B. Damas.* Hinc locus B. Damasceni, quem pro se S. Tho. & eius discipuli allegant, nempè, quòd hominibus fuit mors, hoc fuit Angelis lapsus, intelligendus est non de primo peccato: sed de perseuerantia in illo, & in alijs, vsquè ad vltimum instans secundæ moræ. Sed de ijs in lib. controuersiarum.

Nona diffic. Vtrum mali Angeli possint meritorie operari?

Scot. & alij vbi. 5. HAnc difficultatẽ tractat Scot. vbi sup. art. 2. & declarat, quam ob causam mali angeli non possint meritorie operari. Et sunt præmittenda quædam fundamenta vtilissima, quæ in eadem q. ab Scot. proponuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Funda. Primum fundam. omnis actus præter bonitatem entitatiuam, siue entis, triplicem potest habere bonitatem. Nam vel est actus bonus ex genere, vel moraliter bonus, vel bonus meritoriè. Actus ex genere bonus est res, vel operatio licita, id est non prohibita, vel de cuius quidditate non est aliqua malitia & si fuerit mala, erit ab extrinseco ratione alicuius circũstantiæ. Illustro rem exemplo; dare eleemosynã, aut dicere veritatem, sunt actus boni ex genere; quia nõ sunt prohibiti, nequè in sua quidditate malitiam aliquam includũt, quãuis ab extrinseco propter aliquam circunstantiam, quæ non est de ratione istorum actuũ, possint esse mali; vt si daretur eleemosyna, propter vanam gloriam, vel si dicatur alicui veritas contumeliosa: vt si quis exprobraret alicui veram ebrietatẽ, aut incontinentiam &c. Actus moraliter bonus est actus, non solùm ex genere bonus; verùm debitis circunstantijs tẽporis, scilicet, loci, finis, & personæ vestitus, & ornatus: vt si debito loco, tempore, & vero pauperi: vt ei subueniatur, eleemosyna tribuatur. Actus bonus, & meritorius est actus bonus ex genere, & moraliter, & elicitus ab existente in gratia, & propter Dei amorem.

2. Funda. Secundum fund. Bona hæc primi fundamenti habent se, sicut superiùs, & inferiùs; ita q̃ inferiùs, siue minus vniuersale bonũ non potest esse aliquo modo sine superiori; benè tamen è contra. Et ratio est; quia bonum morale non potest esse, quin sit bonum ex genere, nec meritorium bonum esse potest, quin sit morale bonum. Et probatur; quia bonũ morale, & meritorium præcipuam bonitatem à fine desumunt, iuxta illud. Si oculus tuus nequam est &c. Nam si non fuerit actus bonus ex genere, est peccatum, & ex consequenti non potest referri in bonum finem. Perinde etiam si fuerit malus moraliter priuatiuè, aut positiuè; vt statim dicetur, erit peccatum, & per consequens non potest in Deum referri, quod est de ratione meriti.

Matth. 6.

3. Funda. Tertiũ fund. Triplex quoq; est malus actus; triplici actui bono oppositus. Primus est actus intrinsecè, siue ex genere malus nempè, ex sua quidditate malus: vt est mentiri, furari, &c. Secundus est actus moraliter malus; vt est actus ex genere

genere bonus, effectus malus; quia deest illi circunstantia aliqua, debita inesse; vt si detur eleemosyna propter malum finem, scilicet, inanem gloriam, &c.

4. Funda. Quartum fund. ex triplici malitia, siue malo actu, siue ex triplici malo dicto, in tertio fundam. Primum, scilicet, malũ ex genere sumitur vno modo contrariè tantùm ad bonum ex genere; vt mendacium, & veritas, & odium Dei, & eius amor, opponuntur contrariè: & medium, quod inter illa dabitur, erit etiam bonum, aut malum ex genere; vt inter mẽdacium, & veritatem datur medium, scilicet, verbis amphibologicis veritatem cœlare: Quiquidem actus medius impossibile est, quin sit vel bonus, vel malus ex genere. Secundum malum, vt potè malum moraliter, accipitur dupliciter, scilicet, priuatiuè, & positiuè. Priuatiuè tantùm accipitur, quando alicui bono ex genere deest aliqua circunstantia necessaria ad bonitatem moralem; nullam tamen habet circunstantiam malam; vt si eleemosyna detur loco, & tempore, & personæ debitæ: non tamen propter bonum, vel malum finem; vel si detur propter bonum finem, deest tamen circunstantia personæ; vt si detur pauperi eleemosyna abutenti. Hic actus non erit bonus moraliter; quia bonum, teste B. Dionysio, est ex integra causa, & huic deest vna causa, ideſt, vna circunstantia; & ideò dicitur malus hic actus priuatiuè. Positiuè autem malum morale est, quando non solùm deest circunstantia bona, verùm etiam apponitur mala, vt si detur eleemosyna propter vanam gloriam. Malum demeritorium capitur quoquè priuatiuè, vel positiuè. Priuatiuè, quando fuerit bonus moraliter, non tamen est ab homine existente in gratia; sed in peccato, talia fuere multa philosophorum opera. Vel secundo, dato quòd operans sit in gratia; non tamen elicit actum propter Deum, talis actus est largitio eleemosynæ facta parentibus, & propinquis, non propter Deum: sed affectu cognationis, & carnis. De quibus B. Gregor. in homilia Apostolorum homil. 27. ait. Sunt nonnulli, qui diligunt proximos; sed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt.

B. Dionys.

B. Greg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur: quia amorem suum non spiritualiter impendunt. Positiuè demeritorium est, quodcũque peccatũ mortale: quia est contra charitatem. Vel veniale peccatum: quoniam est præter charitatem.

5. Fundam. Quintum fundamentum. Triplex est potentia. Vna realis. Altera logica. Et tertia, quæ differentia entis nominatur. Primâ est principium actuum, siue passiuũ alicuius formæ. Talis est voluntas respectu suorum actuum amoris, scilicet, vel odij. Secundæ potentia dicitur ipsamet propositio possibilis: vt Antichristus potest esse. Tertia, quæ dicitur differentia entis, est potentia propinqua, siue remota subiecti ad aliquam formam. Et appellatur differentia entis: quia est altera differentia, in quam ens diuiditur: vt v. g. hoc ens, nempe, homo, aut est albus in actu, aut in potentia. Est ergo vno verbo differentia entis illud, quod non est, sed potest esse: vt Antichristus modò non est, sed potest esse.

6. Funda. Sextum fundamentum. Propositio Logica dupliciter dicitur impossibilis. Vel propter repugnantiam extremorum ab intrinseco: vt illa, homo est irrationalis: quia termini sunt incompossibiles. Vel ab extrinseco, vt hæc, homo in tenebris potest videre.

7. Fundam. Septimum fundam. voluntas creata, quæcunque illa sit, non est principale meriti principium: sed partiale. Et ratio est: quia huiusmodi principium meriti debet esse sufficiens ad producendam gratiam: & talis est solus Deus. Gratiam enim, & gloriam dabit Dominus: psal. 83. Illustrat hoc fundamentum Scot. exemplo. Sit, inquit, ita, quod oculus sit in tenebris, tunc ipse oculus erit tantum principium partiale visionis, non tamen totale: quia ad videndum requiritur lumen. Neque erit principium partiale, & principale: quia oculus, inquit, illuminato medium, quod requiritur ad videndum, non patitur ita à simili in proposito.

Psalm. 83.

CONCLVSIO I.

Dæmones in sensu cõposito meritorie operari nequeunt. Et ratio est: quia ista extrema, malus potest mereri, simul de eodẽ verificari non possunt: ut ista, albũ potest esse nigrũ.

Nam ad sensum compositum desideratur: vt, manente malitia, possit aliquis nequam actum meritorium elicere.

CONCLVSIO II.

Dæmones habent potentiam actiuam partialem actus meritorij: non tamen totalem. Et ratio est, quia habent liberum arbitrium, quod est causa partialis meriti.

CONCLVSIO III.

Dæmones non habent potentiam actiuam totalem merendi. Et ratio est; quia non habent voluntatem gratia, & charitate informatam, quæ est principium totale merendi.

CONCLVSIO IIII.

Dæmones habent potentiam realem passiuam ad merendum. Et ratio est; quia eorum voluntas posset modo recipere actũ bonũ meritorium, scilicet, dilectionem Dei, si illis à Deo infundatur. Est enim voluntas dæmonum post peccatum (sicut, & ante) cuiuscunque volitionis receptiua.

CONCLVSIO V.

Hæc propositio, dæmones possunt mereri, non est impossibilis ab intrinseco, & in sensu diuiso. Et ratio est; quia habẽt liberum arbitrium, quod est partiale principium meriti.

CONCLVSIO VI.

Est talis propositio impossibilis ab extrinseco, & in sensu composito. Et ratio est, quia Deus instituit secundum potentiam ordinariam, hoc est de lege, non concurrere cum dæmonibus ad merẽdum; vt in proxima difficultate explicatũ est.

CONCLVSIO VII.

Dæmones, non solùm non possunt mereri; sed neque disponere se ad meritum. Et ratio est, quia huiusmodi dispositio non est à natura nuda, sed ab auxilio speciali Dei adiuta. Oppositum videtur Scot. affirmare hoc loco sed interpretandus est ex aliis locis; vt in florib. 4. lib. in materia de pœnitentia illum declarauimus.

DVB. VI. Dæmones possunt ne aliquod bonum morale operari?

Alex. Alen. m. 3. art. 2. & alij vbi.

DVas refert Scot. opiniones. Vna est cõmunis S. Bona. Ricar. & Gregor. hac dist. & Henrici quol. 8. quæst. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui omnes affirmant,quòd quamuis dæmones possint habere aliquos actus bonos ex genere: tamẽ illos semper viciant per aliquam malam circunstantiam, ordinãdo illum actum in amorem sui; vt si habeant odium pœnarum propter sui amorem.Hanc opinionem reijcit Scot.multipliciter, & præsertim; quia odium pœnarum ex amore sui in via non est actus malus moraliter;immò est licitus. Quare, & in termino non erit moraliter malus. Secunda opinio tenet dæmonibus infundi habitum malum,quo fit,vt nihil possint benè moraliter velle.Hæc opinio ab Scoto improbatur, & meritò. Et prætet Scotum confutatur; quia cùm, Deo auctore, nullus sit deterior,talis habitus non infundetur à Deo, neq; ab aliqua alia creatura. Scoti verò opinio sequenti conclusione continetur.

CONCLVSIO I.

Si naturam spirituum reproborum consideremus possunt habere actum bonum moraliter, vel saltem ex genere, non deformatum aliqua mala circunstantia, vt odium pœnarũ ex amore sui. Et ratio est: quia in dæmonibus manserunt naturalia integra,idest,liberum arbitrium, & concursus generalis Dei. Et actus moraliter bonus potest elici ex ijs. Secundò probatur: quia cùm possint habere multas volitiones ex genere bonas, & non necessitentur ad ponendam aliquam malam circunstantiam,poterunt profectò habere actum bonum,secundum suam naturam.

Decima diffic. Sunt ne eorum actus semper mali?

CONCLVSIO.

S.Tho. ad. 5. & alij vbi.s. DE facto omnes eorum actus sunt mali. Hoc enim est maximè probabile propter eorum obstinatam, & vehementem malitiam. Secundò quia cùm sint in odio intensissimo,& perpetuo Dei,& proximi, non habẽt actum aliquem bonum:quemadmodum homo,qui affectus est iniuria,est in odio proximi,& quicquid tunc affectat, vult, & molitur, est in proximi damnum. Et *D. Greg.* 18. moral. c. 1. *D.Greg.* omnis voluntas damnati iniusta est.

Vnde-

Vndecima diffic. An dæmones retineant liberum arbitrium,in quo fuerunt creati?

HAec difficultas ex præcedentibus infertur: quia cùm sint determinati ad malum ita: vt de lege non possint benè operari, videntur post peccatum non esse liberi. *Alex. Alen. q. 74. m. 3. &.8.*

Primum funda.liberũ arbitrium est volũtas, habẽs vsum rationis præuium ad suas operationes, quæ voluntas est ad vtrũquè oppositorum indeterminata. Constabit fundamentum posito discrimine inter causam naturalem, & liberam, quę hoc inter se distant,q̃ prima est determinata ad alterum oppositorum:vt ignis ad calefaciendum: at verò secunda est indeterminata ad vtrunquè oppositorum:vt voluntas ad volitionem,& nolitionem. *S.Bona.d. 7. art. 2. per. 3. q. 1. Funda.*

Secundum fundam. Quãuis liberum arbitrium se ipsum mouet, non tamen est prima causa suorum actuum. Immò in omnibus suis actionibus præsupponit concursum causæ primæ,nempè,voluntatis diuinæ,mouentis voluntatem nostram.Nam quando volo scribere, Deus est, qui priùs naturam mouet voluntatem meam: vt eliciam hunc actum. Volo scribere.Et constat ad Philippen.2. Deus enim est, qui operatur in nobis velle, & perficere. Et Ioan.1.sine ipso factum est nihil.Nèquè concursus Dei aufert libertatem: nam sicut in causis naturalibus, mouendo illas, non aufert, quin effectus sint naturales: ita mouendo causas liberas, non aufert, quin actiones illarum sint liberæ.Ideò enim dicitur volũtas libera:quia potest Deus concurrere cum illa, ad vtrunquè oppositorum,quòd non potest cum causis secundis naturalibus. Nam cum igne non concurrit ad frigefaciendum, sed ad calefaciendum tantùm. *2. Fundam. S.Tho.p.p.q. 83. art. 1. ad 3. Ad Philipp. 2. Ioan. 1. c. Scot. in primo dist. 39. q.1.*

CONCLVSIO I.

Reprobi spiritus liberum habent arbitrium. Et ratio est ex primo fund.quia habent voluntatem ex se indeterminatam ad vtrunquè oppositorum. Eiusdem enim rationis est voluntas in via & in termino:quia non efficitur potentia naturalis extra viam:alioquim non esset voluntas.

Hinc reprobi spiritus non possunt habere dispositionẽ ad opus Append.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opus meritorium. Et ratio est, ex primo fundamento: quia sine cõcursu Dei nihil boni possunt operari; & Deus secũdũ legem: vt ex superioribus constat, non potest cõcurrere cum illis ad bonum.

Append. 2.

Hinc, in sensu composito non possunt benè operari: possunt tamen in sensu diuiso. Quia ex natura sua non sunt determinati ad malum: sed indeterminati. Quod quidem est satis ad arbitrij libertatem.

Duodecima diffic. Vtrùm reprobi spiritus semper adhæreant peccato, in quo receßerunt?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 109. m. 5. & q. 118. m. 2.

ADhærent quidem semper peccato, in quo receßerunt. Probatur primò ex D. Bernar. super cantica, dicente, damnatũ semper diligere iniquitatẽ, quam fecit. Et cõfirmatur ex diffinitione obstinationis, quæ est adhærere malo, à quo secundum legem diuelli non potest. Quod insinuat scriptura, quando dicit. Superbia eorum, qui te oderunt, ascẽdit semper. Nunquam enim displicuit, neque displicebit illis peccatum. Effectus enim peccati, scilicet, pœna æterna est, quæ illis non placet. Ideò enim mali pœnitentiam agentes, dicunt. Quid profuit nobis superbia? quasi dicant, nullũ fructum ex ea consecuti sumus.

D. Bernard. Psal. 73.

S. Tho. q. 64. art. 4. ad. 3.

Sap. c. 5.

Decimatertia diffi. Vtrùm Angeli reprobi quicquid volunt, vel nt immobiliter?

S. Tho. q. 63. art. 6. ad. 3. & Scot. vbi suprà.

COmmuniter dicitur voluntatem Angeli post primam electionem esse inflexibilem.

CONCLVSIO.

Ioan. 13.

Matth. 27.

Angelus malus mobiliter etiam vult. Probatur ex euangelio, nam voluit Christum mori, incitando Iudam, & idem deinde Christi mortem per vxorem Pilati prohibere volebat.

Limitatio.

Intelligenda conclusio est: vt suprà diximus, quòd sit voluntas mali Angeli mutabilis ex vno peccato in aliud: non autem ex peccato in bonum.

Deci-

Decimaquarta diffic. Possunt ne mali Angeli suspẽdere actus intellectus, & voluntatis.

CONCLVSIO.

Scot. in 4. d. 44. q. 1. & 2. & d. 46. q. 4.

DAmnati omnes non possunt suspendere per liberum arbitrium à consideratione malorum, in quibus sunt, intellectum, nec voluntatem. Et ratio est; quia cùm tristitia sit de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt, & damnatis insit continua tristitia ex consideratione malorum, quæ patiuntur, si possent suspendere intellectum, & voluntatem ab istorum consideratione, illo tempore carerent omni tristitia. Quod est contra illud Matth. 25. ibũt hi in supplicium æternum. Et hoc non solùm est verum in inferno, verùm etiam in hac vita, vt si quis mittatur in ignem, non poterit suspendere intellectum ab illa tormenti consideratione, neq; voluntatem ab odio illius mali; vnde necessariò sequitur tristitia. Intelligendum hoc est per naturam; quia per gratiam benè potest: vt patet in B. Stephano, cui lapides tortentis fuerunt dulces, & in B. Laurentio, cui carbones accensi, rosæ videbantur, & in alijs martyribus comprobatum est.

Matth. 25.

Limitatio.

Hinc à contrario sensu; quia beati semper diuinæ contẽplationi intendunt, non possunt perpetua lætitia carere, neque ab illa æterna fœlicitate cadere.

Append.

Decimaquinta diffic. Materia corporalis seruit ne Angelis ad nutum?

S. Th. q. 110. art. 2. Dura. d. 7. q. 4. S. Bona. in 2. p. eiusdẽ dist. artic. 2. q. 1. & 2.

TItulus huius difficultatis, quam tractat Magister in fine dist. 7. est ita intelligendus; vt sit sensus. An possint transmutare materiam ex vna forma in aliam; vt ex ligno facere ignem. Hoc enim est materiam obedire angelis ad nutum (vt communis doctorum sententia testari videtur) posse, scilicet, immediate producere, siue introducere formã substantialem, siue accidentalem in materiam.

Secundò nota cum D. Bona. non esse intelligendum tirulum de formis artificialibus. Has enim dæmon, sicut homo faciendo imagines, & figuras, introducere potest.

Tertiò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertiò nota tria esse animaliũ genera. Primũ est eorũ, quæ per propagationẽ tantùm generantur, quæ perfecta appellãtur: vt homo, æquus, &c. Et hæc sola fuerunt conseruata in arca Noe. 2. generis sunt animalia, quæ equiuocè generantur, scilicet, per propagationẽ, siue per putrefactionẽ terræ; vt mures. Tertiũ genus est animaliũ, quæ per putrefactionẽ tantum elementorũ producuntur; vt ranæ, aliaq; id genus, similiter, & plantæ, & arbores aliquæ virtute terræ generantur. *Gen. c. 7.*

CONCLVSIO I.

Angeli non possunt transmutare materiam ex vna forma in aliam. Et ratio est; quia huiusmodi transmutationes habẽt causam præcisam. Homo enim fit ab homine, & neq; potest esse alio modo, nisi fiat à Deo supernaturaliter. Et intelligitur conclusio de animalibus primi generis. Lege D. Aug. 3. de Trinit. c. 8. &. S. Thom. q. 65. art. 4. & S. Bona. hac d. art. 2. q. 1. vbi dicit, causam esse diuinam institutionem, secundum quam, est in virtutibus, & naturis rerum limitatio, & hoc secundum legem, quam eis ab initio indidit. Vnde sicut dixit; germinet terram herbam virentem, & non germinet hominem. Et homini dixit: vt se multiplicaret, sic terra herbam germinat, & homo hominem generat. *D. Augusti. S. Thom. S. Bona. Gen. 1. Gen. c. 1.*

CONCLVSIO II.

Illa, quæ generãtur per putrefactionem, aut ex seminibus, vt plantæ, possunt virtute bonorum, aut malorum Angelorum fieri. Ratio est; quia Angeli, cùm cognoscant secreta naturæ, applicant actiua passiuis, scilicet, aquam dispositam terræ, & inde generant ranas, & alia animalia imperfecta. Nota tamen formas substantiales non introduci ab angelis in materiam primam; sed virtute actiuorum naturalium, quorum applicationem ipsi solùm efficiunt.

CONCLVSIO III.

Potest quoquè Angelus efficere; vt arbor floreat tempore hyemis, & fructum ferat. Et ratio est; quia nouit rerum proprietates, & applicans calida radicibus arborum, facit quicquid natura temporis discursu efficere potest. Nempe, vt tempore hyemis floreat arbor, & fructus ferat. Hæc autem non sunt miracula, sed mirabilia.

Distinct.

Distinct. VIII.

Quæst. I. Vtrùm Angeli sint corporei?

SVperiùs egit Magister de potestate bonorum, & malorum Angelorum, quò ad meritum, & demeritum, nunc de eorum potentia, quantùm ad assumptionem corporum disputat. Fuit autem hæc prima. q. suprà dist. tertia à nobis exposita, quæ ibi est numero secunda.

Quæst. II. Vtrùm Angeli boni possint assumere corpora?

AD maiorem intelligentiam huius secundæ quæstionis, quæ aliquor difficultatibus explicatis erit perspicua, lege Alex. Alen. q. 34. & 35. S. Tho. q. 51. D. Bona. Scotum, Dura. & reliquos doct. scholasticos hac dist. 8. *Alex. Alen. q. 34. Doct. vbi. s. q. 1.*

CONCLVSIO.

Angeli possunt assumere corpora. De fide est, & multis in locis sacræ scripturæ continetur. Nam Gen. 18. legitur apparuisse Habraæ in conualle Mambre tres viros, qui fuerunt tres Angeli missi à Deo; vt denunciarent illi conceptum Isaac, & Gen. 19. venerunt duo Angeli Sodomam vesperè, quibus dixit Loth. Domini declinate in domum pueri vestri, & lauate pedes vestros. Quare habebant corpora, & non naturalia; vt ex primæ quæst. constat; ergo assumpta, in quibus, & videbantur, & operabantur. Et Tobiæ cap. 5. inuenit iuuenem splendidum, & ignorans, quòd Angelus Dei esset, salutauit eum. Et Ioan. 20. Maria inclinauit se, & vidit duos Angelos. Et Lucæ. 1. ingressus Angelus ad Virginem dixit, &c. Quare ad loquendum Virgini sanctissimæ corpus assumpsit. *S. Tho. art. 2. S. Bona. q. 2. Scot. q. vni-ca. Gen. 18. Gen. 19. Tobiæ. c. 5. Ioan. 20. Lucæ. 1.*

Prima diffi. Poterit ne malus Angelus, sicut bonus, assumere corpus?

CONCLVSIO.

POssunt, & mali Angeli assumere corpora, in quibus appareãt hominibus, & in quibus operẽtur. Hæc cõclusio est *Doct. vbi su prà*

etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 3. Matthæ. 4. etiam de fide; nã legitur Gen. 3. apparuisse in figura serpentis. Et Matth. 4. legimus dæmonem apparuisse Christo, & non spiritualiter, sed corporaliter. Nam assumpsit eum in pinaculum templi, & supra montem excelsum, quæ per ministerium corporale facta fuisse apertissimè euangelium indicat. Et tandem ratio hoc quoquè confirmat; nam cùm in illis remanserint naturalia integra, sicut boni virtute naturali possunt assumere corpora; ita, & mali Angeli.

Secunda diffi. Quid nam est Angelum assumere corpus?

Alex. Alẽ. m. 3. & .dd. vbi. 3. SAnctus Thom. vbi supra ad. 2. tenet nihil aliud esse, quã q; per corpus repræsententur proprietates inuisibiles angeli, idest, q; operetur suas operationes per tale corpus. Scot. verò ait assumere angelum corpus est esse diffinitiuè in aliquo corpore, & exercere per illud, tanquàm per instrumentum, aliquas operationes. Quomodo loquebatur Gabriel virgini sanctissimæ. Alex. autem Alen. affirmat, esse sumptionem corporalis creaturæ, sibi coniunctæ, vel quasi vnius cum creatura spirituali ad manifestationem ipsius creaturæ spiritualis, vel ad demonstrationem diuinam. hæc ille.

CONCLVSIO.

Angelũ assumere corpus est manifestare se signo aliquo sensibili ita, quòd agnoscatur ibi esse diffinitiuè. Et ratio est: quia Angelum assumere corpus iuxta communem doctorũ sententiam est, quòd per corpus Angelus repræsentetur: & Angelum repræsentari est, quòd videatur per aliquod signũ sensibile. Quemadmodum dicimus Spiritum sanctum fuisse visum in columbæ specie, eò q; illa species repræsentabat Spiritum sanctum: vt signum repræsentat signatum. Quamobrem, quando Angelus videtur per aliquod signum sensibile, scilicet, per corpus, quod est signum Angeli ibi existentis, tunc dicitur Angelus assumere corpus. Quod confirmatur à definitione signi: quia tale corpus præter speciem, quã ingerit sensibus, aliquid aliud offert intellectui, scienti ibi esse angelum.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.

Hinc

Hinc, si Angelus moueat cælum, aut lapidem, non dicetur cœlum, aut lapidem assumere. Quia non sunt signa Angeli ibi existentis. Append.

Tertia diffic. Angeli possunt informare corpora ab eis assumpta?

Doct. vbi. 3. Scot. quol. 9. SEnsus est. An possint assumere corpora ad vnitatem naturæ?

CONCLVSIO.

Angeli non vniuntur corporibus assumptis; vt forma materiæ, quod est assumere ad vnitatem naturæ. Et ratio prima est; quia ex angelo, & corpore assumpto non fit vnum per se distinctum realiter à qualibet parte disiunctiuè, vt ex anima rationali, & corpore fit homo, qui nequè est corpus, neq; est anima. Pars enim non est totum. Secunda ratio, quia ex duobus suppositis intransmutatis impossibile est aliquid generari: vt ex homine, & leone intransmutatis nihil generatur. Quare nequè ex Angelo, & corpore, quorum vtrumquè est suppositum in transmutatum, aliquod tertium generabitur. Et tandem; quia Angelus, cùm sit suppositum, non potest esse forma, quæ est pars totius.

Quarta diffic. Assumunt ne corpora ad vnitatẽ suppositi: sicut Verbum diuinum assumpsit humanitatẽ?

CONCLVSIO.

S. Tho 3. p. q. 2. NOn assumunt corpora ad vnitatem suppositi. Et ratio est, quia ad talem assumptionem requiritur virtus infinita, & Angeli tali virtute carent. Et confirmatur; quia quando fit assumptio ad vnitatem suppositi, siue hypostaticam vnionem, fit communicatio idiomatum vtriusquè naturæ de eodem supposito. Nam Christus est Deus, & homo, mortalis, & immortalis, corruptibilis, & incorruptibilis, &c. De Angelo autem assumente corpus, corporis

Universidad de Deusto
Biblioteca

proprietates non verificantur. Falsum enim esset affirmare de Angelo Gabriele, qui alloquebatur Virginem, tunc fuisse corruptibilem, mortalem, &c.

Error Tertul. Hinc, confutatur error Tertuliani lib. de carne Christi, asserentis, Angelos assumere corpora ad vnitatem suppositi.

Quinta diffi. Quo modo corporibus assumptis vniuntur?

CONCLVSIO.

VNiuntur, & præiunguntur corporibus, ab ipsismet Angelis diuina virtute formatis, tanquàm mobilibus, ita; vt congruit ad repræsentandum suas intelligibiles proprietates. Et ratio est; quia assumunt corpus humanũ cum manibus; vt repræsentent se posse, & scite operari. Et cum ore; quia possunt conceptus manifestare. Et cum oculis, propterea q; vident in verbo, & in se ipsis rerum naturas, vt suprà in q. de cognitione Angelorum declarauimus.

Sexta diffic. Indigent ne corpore assumpto ad aliquam operationem?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 2. & reliq. vbi. §. ANgeli assumunt corpora non propter eorum indigentiam: sed propter nostrã vtilitatem. Et ratio est; quia boni illud assumunt; vt familiariter cum hominibus conuersando; demonstrent societatem, quam in futura vita cum illis sunt habituri: & vt homines diuersimodè ad bonũ promoueant. Nam, vt dæmones assumunt corpora; vt hominibus appareant, diuersimodè eos tentando, & quot modis possunt eis impedimenta præstando, & nocendo; ita, & boni Angeli; vt in corporibus assumptis appareant, homines q; consolari; & dæmonum impedimenta reprimere, & damna illis illata resarcire valeant. Iuuant enim nos non solùm in operationibus corporalibus, verùm etiam in spiritualibus.

Alex. q. 33. m. 3. Septi-

Septima diffic. Corpora assumpta sunt ne vera, vel imaginaria.

S. Tho. ar. 2. doct. vbi. §. OPinio fuit quorundam, quam refutat S. Thom. vbi sup. dicentium, Angelos non assumere vera corpora; sed ficticia, quæ apparent esse corpora, non sunt tamen. Et confirmant suã sentẽtiam in imagine, quæ prophetis cõtingebat. Vidit enim Ezechiel ossa arida, & non erant ossa. *Ezech. 37.*

CONCLVSIO.

Sunt vera corpora, & non imaginaria, quæ ab Angelis assumuntur. Et ratio est; quia quod secundum imaginationem contingit, solùm sentitur ab illo, in cuius imaginatione fit. Ossa nãq; arida solùm ab Ezechiele, & non ab aliquo alio videbantur: propterea q. non erant vera: sed imaginaria, at verò Angeli assumentes corpora sine discrimine ab hominibus videntur: vt constat exemplo Angelorum, qui venerunt ad subuertendam Sodomam, qui, & à Loth, & eius familiaribus, & ab omnibus Sodomitis visi fuere. *Gen. 19.*

Octaua diffic. An corpora tantum aerea assumant?

S. Bona. varias opiniones refert.

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 34. m. 4. & q. 35. m. 3. S. Bona. hac d. art. 2. q. 2. Assumunt tãtùm corpora aerea, & non terrea, vel aquea, vel ignea. Et ratio est; quia quicquid faciunt ex eo, quod cõmodius, & aptius est rei, quam intendunt, efficiunt. Et corũ apparitionibus conuenientius est aeris elementum. Nam si ex terra, vel aqua assumerent, non tam citò dispărerent. Et si ignea corpora assumerent, ab eis tacta, vel quæ illis contigua essent comburerent. Quare conuenientius est, vt ex aere, illum virtute diuina condensando, quantum ad formam corporis opus est, corpus assumant.

Nona diffic. Quomodo ex aere potest corpus assumi?

RAtio dubitandi est: quia aer in sua raritate manẽs, neq; colorem, neque figuram habet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Aer quando condensatur figuram, & colorem recipere potest. Confirmat hanc conclusionem experientia in nubibus, in quibus figuræ variæ, & colores diuersi apparent. Et eodem modo de corporibus ab angelis assumptis cẽsendum est. Lege S. Bonau. vbi suprà, qui appositissimè, quomodo hoc fiat, declarat.

Dubium. Qua motus celeritate mouebitur tale corpus ab Angelo?

Alex. Alen. q. 35. m. 3.

REspondeo cum Alexandro. Tam citissimè mouebitur, quãtùm permittet natura corporis, quod mouetur, & quanta erit virtutis mouentis intensio.

Append.

Hinc cùm tale corpus, secundum virtutem Angeli influentis ei virtutem, moueatur, nobis insensibiliter mouebitur.

Decima diffic. Organizat ne Angelus illud corpus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 34. m. 5. S. Bona. hac dist. art. 2. q. 1.

ANgelus præparat corpus assumendum, non autem organizat. Et ratio est; quia Angelus non potest; vt suprà in hac. q. diximus, educere formam naturalem in esse, nisi virtute naturæ adiuuetur. Patet etiam exemplo agricolarum, qui quamuis in segetibus aliquid operentur, ad recipiendam formam vltimam; illam tamen formam non dant. Vel respondeo cum D. Bona. vbi suprà. q. 1. & 2. corpora ab Angelis assumpta nec habent veram formam, & complexionem corporum humanorum, neq; organizationem completam, sed solùm effigiem, & talis corporis formatio, quamuis sit ex adiutorio naturæ, principaliter tamen est à virtute spiritualis substantiæ. Propterea quod effigies illius corporis plùs artificialis, quàm naturalis est.

Vnde-

Vndecima diffic. An diabolus assumat corpus hominis ab illo obsessi?

QVidam Thomistæ tenent non assumere tale corpus, sed tantùm vexare illud. Et ratio illorum est; quia corpora non mouentur à dæmone, sed ab anima.

CONCLVSIO.

DAemones talia corpora, sic obsessa, dicũtur assumere. Probatur à definitione suprà posita; quia sunt ibi diffinitiuè, & multis signis visilibus; ibi esse apparent, cũ loquantur alieno idiomate, ab idiomate obsessi & detegant multa, quæ impossibile est obsessum scire, & moueatur eius corpus non ab anima, sed à dæmone, quando obsessus se in ignem proijcit, & mira celeritate moueatur corpus sursum, & deorsum, & tanto cum impetu, vt impossibile sit talem motum ab anima fieri.

Duodecima diffi. Vtrùm Angeli possint virtute naturali mouere corpora localiter?

CONCLVSIO.

POssunt Angeli mouere corpora localiter. Hæc cõclusio expressè habetur Matthæ. 4. assumpsit eum diabolus in mentem excelsum. Idem docuit Arist. 1. de cœlo dicens, Angelos mouere cœlos. Et D. Aug. 3. de Trinitat. cap. 9. vbi scribit magos Pharaonis fecisse veros serpentes, & ranas; applicando passiuis actiua ministerio dæmonum, aliunde delata. Et experientia comprobatum est, dæmones obsidentes corpora, compulsos fuisse ad reddenda signa per motum aliunde adducta. Et postremò mouent corpora obsessa, in ignem illa proijciẽtes.

S. Th. q. 110. art. 3.
Dura. d. 7. q. 5.
Matth. 4. c.
Arist.
D. Aug.

Decimatertia diffi. Mouent ne per intellectum, & voluntatem corpora?

DVrã. duas refert opiniones. Prima asserit præter intellectum, & voluntatem, esse in Angelis quãdã poren-

S. Thom. & Dura. vbi s.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam motiuam, quæ dicitur executiua imperij voluntatis, quia exequitur motum, quem imperat voluntas. Secunda opinio S. Thom. & Durand. est communior, nempè, quòd Angelus per voluntatem, & non per aliquam aliam potentiam mouet corpus.

CONCLVSIO I.

Angelus per imperium voluntatis mouet corpora. Ratio, præter D. Thom. est: quia omne agens operatur per aliquam potentiam, & cùm in angelo non sit alia potentia, præter intellectum, & voluntatem, operabitur per vnam istarum. Tum non mouet corpora intelligendo; quia nequè Deus ad extra executiuè sciendo. Omnia enim quæcunquè voluit fecit: ergo mouebit per voluntatis imperium. *Psalm. 113.* Si quidem non apparet in angelo alia potentia, præter intellectum, & voluntatem. Nam memoria, cùm sit idem quod intellectus cum specie, ab intellectu minimè distinguetur.

CONCLVSIO II.

Durād. est. Quamuis Angelus non habeat aliam potētiam motricem corporum, à voluntate, non tamen omnia corpora mobilia voluntati eius ita subijciuntur: vt possit illa, pro vt libuerit, mouere. Nam hoc modo sola diuina voluntas mouet corpora. Et ratio est; quia, cùm virtus Angeli sit finita, & limitata, & vnus sit alio perfectior, eius voluntas finitæ virtutis, & potentiæ erit, & ex consequenti habebit potentiam motiuam finitam, quæ ad omnia mobilia minimè extendetur. Confirmat hoc Durand. à simili: nam sicut in Deo idem sunt realiter intellectus, & voluntas: & tamen non vult Deus, quicquid intelligit; quia intelligit alterius mundi possibilitatem; non tamen vult alium mundum creare; ita in casu posito, quamuis idem sit in angelo potentia motiua, & voluntas: tamen quicquid vult mouere non potest.

Deci-

Decimaquarta diffi. Vtrùm Angelus malus transfiguras se in Angelum lucis, vel in speciem Christi, pro Angelo lucis, vel pro Christo, absq; peccato adorari possit?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. 3.p. q. 16. ar. 4. NEquaquàm est aliquo modo tunc adorādus, & si quis ignoranter illum adoraret, à peccato propter ignorātiam non excusaretur. Ratio prima huius conclusionis est; quia; vt hoc peccatū magnopere caueremus, præmonuit B. Paul. dicens, ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. Et etiam Christus R.n. Matthæ. 24. Et Lucæ. 21. multi venient in nomine meo, dicentes: quia ego sum, & seducent multos. Secunda ratio; quia habet ad manum prōptissimū orationis remedium, quo, si feruenter vteretur, vt eum Deus veritatem doceret, non deciperetur. Non enim à Deo desereretur; sicut promisit Christus Ioann. 15. dicens. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo (idest ad salutē pertinēs; vt D. Aug. docet) dabit vobis. Quare qui adorat, & non orat priùs, nō adhibet omnē diligentiam, & ita peccat. Quid? q facilè posset euitare periculum, apponendo conditionē hoc modo. Si tu es Christus, ego te adoro, exemplo B. Petri dicentis: Si tu es, iube me ad te venire super aquas.

2.Cor.c. 11.
Matth. 24.
Luc.21.
Ioan.15.
D.August.
Matth.14.

Quæst. III. Vtrùm Angeli assumant corpora ad omnem actum?

Alex. Alen. q. 3. 4. m. 6. & tota.q. 35. S. Tho. q. 51. art.3. reliqui hac dist. S. Bona. art. 3.q. 1. & 2. Scot.q.vnica Dura.q. 2. Doct.vbi. s.

QVæstio hæc, explanatis quibusdam difficultatibus, erit clara, & manifesta.

Prima diffic. Vtrùm Angeli in corporibus assumptis verè exerceant opera vitæ?

CONCLVSIO I.

CORpus aliquod viuere, nihil aliud est, quā anima rationali; vt homo, vel sensitiua, vt equus, vel vegetatiua, vt plāta, informari ita, vt ex corpore, & anima fiat tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arist. natura à qualibet parte distincta. Probatur ex primo de anima, vbi anima in ordine ad corpus ita definitur, actus corporis physici, organici, in potentia vitam habentis.

CONCLVSIO II.

Operationes, quę corpori viuo; vt viuũ est (idest animato per formam, quæ est pars cõpositi) competunt, neq; à bonis, neq; à malis angelis exerceri possũt. Ratio ex supradictis patet: quia corpora assumpta ab angelis nõ viuũt, cũ ipsis corporibus, vt forma materiæ, nõ vniantur. Nã sine vnione formæ: vt patet in prima conclusione, nõ dicitur corpus viuere.

Append. 1. Hinc, videre, sentire, audire, quæ corpori viuenti: vt viuens est, competunt, nõ propriè: sed similitudinariè corpori ab angelis assumpto conueniunt.

Append. 2. Hinc, per oculos non vident: sed tantùm per oculos illorum virtus cognoscendi significatur.

Secunda diffi. Exercent ne actum comedendi?

Alex. Alen. q. 35. m. 2. & alij vbi. s. ANgeli nõ dicuntur verè, & propriè comedere. Et ratiõ est; quia vera comestio est actus potentiæ vegetatiuæ. Non enim comestio est tantùm fractio cibi in ore; sed est sumptio, cibi comestibilis, & conuertibilis in substãtiam sumentis, quãuis actualiter non conuertatur. Et cùm corpus ab Angelo assumptum non viuat, potentiaq; vegetatiua careat, non dicentur Angeli verè, & propriè comedere. Et confirmatur auctoritate Angeli Tobiæ. 12. videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Notanter dictum est, quãuis actualiter non conuertatur. Nam etiam si modò nutritio ob infirmitatem non fieret, nihilominus infirmus propriè comederet.

Tob. 12.

Appen. 1. Luc. 24. Hinc, colligit Scot. Christum. R.n. verè post resurrectionem comedisse, quamuis tunc non nutriretur: quia quãtum erat ex parte corporis, erat nutribile, nisi à dote gloriæ; & incorruptibilitate impediretur.

Append. 2. D. Aug. Hinc, post vniuersalem resurrectionem potestas comedendi erit in beatis corporibus; non tamen necessitas; vt D. August. apud Alexandrum docet. Quod illustrat exemplo radij

radij solaris sua potestate consumentis aquam, & terræ, propter necessitatem suam, illam absorbentis.

Dubitabis. I. Cur igitur Abraham Angelis sibi apparentibus cibos obtulit?

Dub. Alex. Alen. q. 34. m. 6. RAtio dubitandi est; quia intellexit esse Angelos, cùm eos adorauerit, & sciebat Angelos cibo non indigere. Respondeo cum Alex. vbi suprà, Abraham priùs putauit esse homines, & cibo indigere, & ideo cibos obtulit, & post modum percepit esse Angelos.

Dubium. II.

Dub. Gen. 18. Insurges denuò. Priùs adorauit illos, quàm cibos offeret: quare priùs intellexit esse Angelos, vt constat Gen. 18. Respondeo. Illa adoratio non fuit latriæ, quæ Deo offertur, nec fuit dulia angelis debita, sed dulia, quæ hominibus reuerentiæ causa offertur, qua Abraham putans esse homines maxima reuerentia, & honore dignos, prædignate personæ, quam præferebant, illos adorauit. Et postea intellexerit esse Angelos, & Deum in eis apparuisse. Vnde Trinitatem in vnitate cognouit, vt D. August. apud Alex. loco citato docet. Et ideò de ipso canitur. Tres vidit, & vnum adorauit; quando dixit, Loquar ad dominum Deum meum, cũ sim puluis, & cinis.

D. Aug. Gen. 18.

Tertia diffic. Vtrùm Angeli in corpore assumpto propriè loquantur?

CONCLVSIO.

ANgeli in corpore assumpto nõ dicũtur propriè loqui. Ratio est, quia locutio vocalis propriè est operatio corporis viuentis, & animati anima rationali, quale corpus non est, quod ab Angelis assumitur. Alex. m. 4. & alij vbi. s.

Arist. 2. de anima. Hinc, mortui non loquuntur, nec psittacus, licet vocem humanam miro naturæ artificio exprimat.

Append. 1. Append. 2. Hinc, Angelus citra diuinam dispensationem, non potest baptismi sacramentum ministrare, quia locutio Angelorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

non est verborum prolatio; sed est tantum sonus ab angelo formatus.

Append. 3. Hinc loca scripturæ sacræ, in quibus dicitur Angelos locutos fuisse, sunt de locutione impropria intelligenda. Propterea q; efficiebant aliquid locutioni simile, quatenus formabant sonos in aere humanibus vocibus similes, vt si quis admirabili artificio in tuba sonum, instar vocis humanæ, formaret.

Quarta diffi. Possuntne formare vocẽ sensibilẽ, non existente debito organo, ad illam formandam?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 4. titato. Num. 22. D Greg. Matthæ. 17. Luc. 9.

POssunt sine instrumento ad hoc determinato locutionẽ in aere formare. Probatur Num. 22. formauit vocem cũ lingua asinæ Balaam, quæ non est debitum instrumentum ad formandam vocem humanam. Et D. Gregor. apud Alexand. loco prænotato, inquit, aliquando loquitur Dominus per Angelum cœlestibus substantijs: vt quando facta est vox de nube. Hic est filius meus dilectus: quare poterit sine organo locutionem formare.

Quinta diffic. Poterunt ne Angeli mouere corpora assumpta motu progressiuo?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. 3.

NEquaquã corpora illa propriè motu progressiuo mouentur. Et ratio est; quia motus progressiuus fit à motore coniuncto corpori viuenti per informationem, nempè, ab anima, & Angelus; vt suprà diximus, non informat corpus.

Arist. 2. de anima.

Append.

Hinc, quando Angelus ibat cum Abraham, & cum Tobia, non dicebatur propriè moueri, & ambulare; sed per accidens ad motũ corporis, vt motores in mobilibus, & vt nauta in naui mouentur. Mouet enim tunc Angelus corpus; ac si moueret statuam, sicut, si ego mouerẽ statuam mouendo, né pè, vnam partem post aliam, talis motus non esset progressiuus: quia non esset corporis viuentis motus ille.

Sexta

Sexta diffi. Poterunt quoq; mouere corpora, solo voluntatis imperio absq; approximatione?

CONCLVSIO.

POterunt corpora, & animas mouere, nõ simpliciter; sed cum limitatione, ad certam, scilicet, vnionem, vel certã corporum præsentiam. Et ratio est; quia, vt possunt mouere corpora organica, & musculos, quibus per essentiam coexistunt, & vniuntur; ita per voluntatis imperium cum limitatione dicta. Propterea q; natura corporalis quò ad motum localem imperio voluntatis bonorum, & malorum Angelorum obtemperat. Noranter ponitur limitatio in cõclusione. Aliter enim dæmon existens longè extra corpus humanum, posset eius partes pro libito mouere. Immò, & in inferno manens posset æquè suo imperio spiritus animales in phantasia humana mouere, & perturbare, quod neq; Angelis bonis videtur concessum.

Append. Hinc, habebunt potestatem influendi immediatè, alterantes qualitates, scilicet, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem, & motiuas; vt sunt impetus, & impulsus, & alias operationes, quæ corpori mobili, vt mobile est conueniunt, poterunt præstare: vt sunt mouere, diuidere, &c. Et ratio est; quia natura corporalis (vt diximus) quò ad motum corporalem eis ad nutum obedit. Neque enim sic subito tempestates excitarent, mirabilesq; apparitiones, & rerum transmutationes agerent, nisi imperio voluntatis motum efficerent.

Septima diffic. Vtrùm Angeli, mediante corpore assumpto, possint generare?

Doct. vbi. 3. CIrca hanc difficultatem fuit error quorundam, dicentium inter dæmones esse sexum fœmineum & masculinum; sicut inter homines: & posse filios, & filias procreare. Vnde ortũ habuit error gentilium, qui Deos, & Deas adorabant; & hinc poetæ de nuptijs, & coniugijs Deorum, deq; eorum stupris multa fabulabantur.

Error.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Dæmõ per assumptionẽ cuiuscũq; corporis, nõ potest ex fœmina generare. ita ꝙ verè eius filius esse dicatur. Et ratio est, quia tũc oporteret dæmonẽ perse, & verè animal esse corporeũ, de cuius substãtia seminalis decisio fieret, quod cùm Angelis (vt hactenus probatũ est) cõpetere non possit, neq; conueniet illis generare. Posset tamẽ per actũ solius Angeli mali compleri generatio; sicut S. Thom. & Scot. vbi sup. declarant; quia poterant fieri succubi in corporibus assumptis, instar mulierũ, supponẽdo se viris, & recipiẽdo ab illis semẽ humanũ, & idẽ posteà incubi ascẽdẽtes fœminas, & infundẽtes eis semẽ receptũ à viro, quo facto, fœminæ cõcipiebãt, nõ à dæmonibus, sed à viris, à quibus; vt succubi, semen recepe-
rant. Et ideo positum est in conclusione, ita quòd verè eius
Gen. 6. filius esse dicatur. Et hoc modo S. Tho. & Scot. locum Gen. 6. videntes filij Dei &c. declarant. Vel dic cum glossa ibidẽ per filios Dei filios Seth, qui fuit iustus accedentes ad filias Cain, qui fuit iniustus, & non dæmones esse intelligendos. Quid autem tenendum sit de incubis, & succubis. Lege D.
D. Aug. Augustin. lib. 15. de ciuitate Dei. c. 23.

Octaua diffic. Vtrùm dæmones subintrent corpora humana, & in illis habitent?

CONCLVSIO.

S. Bona. in 2. p. d. 8. ar. 1. q. 1. Dura. q. 3. eadem d.

Dæmones per naturam suæ subtilitatis, & spiritualitatis, possunt quæcunq; corpora penetrare, & in eis sine aliquo obstaculo, & impedimento subsistere, & habitare. Hæc conclusio est de fide. Et constat in multis locis euangeliorum, in quibus dæmones à Christo, & ab apostolis de obsessorum corporibus, non solùm hominum, verùm etiam porcorum eiectos esse legimus. Et D. Augustin. idem docet in lib. de diuinatione dæmonum: quare intrãt eorum corpora, & inhabitant, vexantq; corpora, nisi à superiori virtute prohibeantur. Idipsum docet experientia indies, non sine maximo obsessorum hominum detrimento. Relege supra an sint angeli in loco per essentiam, vel operationem?

DVB.

DVB. III. Dices. Cur ergo Deus hoc permittit?

REspondeo. Permittit, vel ad suæ gloriæ ostẽtationem, vel ad peccati punitionem, vel ad peccantis correctionem. Quæ autem istarum causarum sit; quoniam occulta sunt Dei iudicia, latet humanam industriam; hoc tamẽ certissimum est causam esse iustissimam. *Dub.* *Rom. 11.*

Dubitabis. In qua parte corporis sunt?

REspondeo. Aliquando in stomacho, quandoquè in humore, vel in alia corporis parte. *Dub.*

Hinc, licet bonus, vel malus Angelus nequeat illabi, vel vniri naturæ corporali per modum formæ, vel animæ viuificantis; vt suprà diximus: quia natura cuiuslibet Angeli est substantia rationalis personaliter, & completè in se ipsa subsistens, potest tamen ita illi coexistere, quòd vires omnes corporales ad motum localem pertinentes, in tali corpore exerceant, adeò, vt etiam organa animalis rationis expertis ad actus exteriores moueat; vt in locutione asinæ Balaam de bono angelo, & in locutione serpentis de malo, Gen. 3. patet. *Append.* *Num. 22.* *Gen. 3.*

Dub. Possint ne plures Angeli in eodem corpore existere? *Dub.*

Suprà in quæst. de loco Angelorum explicatum est.

Nota difficul. Vtrùm spiritus damnati illabi possit corpori alterius hominis?

CONCLVSIO.

NVllo modo potest. Ratio est; quia tunc obseruaret embriones in ventre matris, & se illis constitiuè vniret; vt saltem consolationes, & delectationes sensuales quo ad fieri potest, reciperet. Est enim de ratione animæ rationalis informare corpus, & delectatione quadã perficere, & non vexare. Secundò quia de lege est; vt à locis, qui animabus in earum transitu designantur, non recedant; quo-

Psal. 77. quoniam anima est spiritus vadens, & non rediens. Et B. Athanas. Athana. lib. 6. de beatitudine filij Dei regulas fidei ostendens, ait. Si quis confitetur animas hominum in reuolutionem rursus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in serpentibus verti, anathema illi. Hæc Athana.

Hæresis. Hinc confutatur hæresis Albanensium, & Albigentium, qui cum Pythagora asseruerunt, animas transire de corpore in corpus, ita; vt post vnius hominis mortem, anima illius ad aliud corpus vegetandum, atque fouendum transeat. Lege Castrum contra hæreses verb. anima hæresis.

Decima diffic. Erit ne credendum alicui obsesso dicenti se animã, vel spiritum alicuius defuncti esse?

CONCLVSIO.

NVllo modo est illi adhibenda fides. Hoc enim sæpissimè in columna Salomonis ferrata Romæ apud S. Petrum accidit. Et ratio est; quia tales sunt verè dæmones, qui frequenter simulant se animas mortuorum esse, ad confirmandum gentilium errorem, qui hoc credebant: vt D. Aug. de Hermete adducit D. August. 10. de ciuitate Dei, & D. Chrysost. Chrisostom. super Matth.

Vndecima diffi. Quid, si dicant illa, quæ anima (quã se mentiuntur esse) fecit in vita?

CONCLVSIO.

NOn est illis præstanda fides. Et ratio est: quia tales non sunt animæ illorum, sed dæmones. Et forassis illi, quos animæ in vita habuerunt in exercitium, in aere superiore caliginoso habitantes. Nam de lege communi tales solent hominum corpora vexare: vel sunt alij dæmones, qui ea, quæ reuelant, didicerunt à dæmonibus, qui illos in vita temporali tentauerunt, & vicerunt.

Duo-

Duodecima diffic. An dæmones possint mutare sensus nostros exteriores, & illudere?

Intelligitur titulus ita, vt homo bestia esse videatur, &c. Alex. Alen. q. 39.

CONCLVSIO.

Potest quidem. Et ratio huius illusionis est: quia imprimit S. Th. q. 111. art. 4. species bestiæ in oculis astantium. Sed de ijs latiùs infrà, in q. peculiari de dæmonibus, & arte magica. Dura. q. 4. huius d. Gabriel. q. 2. Ricard. Dub. Doct. vbi. 3. & Alexan. Alen. q. 43. m. 3. art. 2. S. Bona. vbi 3. q. 3. multa dicit.

DVB. IIII. Quot modis sensus nostros dæmones deludunt?

Respondeo cum D. Bona. vbi suprà. Tribus modis, qui sequentibus propositionibus continentur.

Prima Propositio.

Illudunt primò sensus ostendendo præsens esse, quod non est. Quod quidem faciunt species ostendendo: v. g. quando phantasmata interiùs existentia forti oblatione virtuti interiori se offerunt: vel virtus interior fortiter illis intendit. Tùc enim similitudo rei videtur esse veritas, & homo illusus credit esse præsens, quod non est. Et confirmatur experientia: nam phreneticus, ex parua occasione, exteriori videtur sibi prospicere multa, & audire, quæ præsentia non sunt: atquè etiam per vehementem, & fortem conuersionem intentionis plerumquè phantasma veritas esse videtur. Quòd confirmatur exemplo cuiusdam amasij, qui tanta conuersione suæ amasiæ imaginem cogitabat: vt ei, vel vigilando, cum ipsa tractare videretur. Quod exemplum D. August. esse in lib. de Trinit. fertur. D. August.

Secunda Propositio.

Deludunt secundò sensus ostendendo rem aliter, quàm à parte rei est. Ratio est: quia hæc naturaliter possunt contingere ratione variationis ex parte organi. v. g. quando humor sanguineus, vel vapor igneus ad oculos descendit, videntur, quæ exteriùs apparent, rubea. Vel propter aliquam

DV ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte obiecti variationem; quemadmodum contingit aliquando, vt paleæ ex dispositione illarum, & candelæ factæ ex pinguedine serpentis, naturali operatione, serpentes esse videantur. Simile reperitur in aliquibus virtutibus quarundam rerum metalium; vt patet in speculo de Chalybe. Et cum isti modi non lateant dæmones, qui sunt veloces ministri, dubium non est, quin possint ad illudendum hoc efficere.

Tertia Proposítio.

Possunt tertiò sensus illudere abscondendo illud, quod præsens est. Et ratio est, quia res præsens dupliciter potest latere sensus nostros: vel quia impeditur sensus siue potẽtia, siue illius virtus, ne ad sensibile perueniat; vel secundò; quia impeditur species ne ad sensum peruenire valeat. Et vtroq; modo virtute dæmonis fieri potest: vt sensus, quod sibi præsens est, non percipiat. Potest enim interponere corpus inter oculos, & obiectum, quod occultare cupit.

Append. 1. Hinc, dici solet dæmonem posse reddere hominem inuisibilem, quod tamen non ita est; vt ex dictis constat.

Append. 2. *Exod. 7.* Hinc respondendum est glo. Rabani, super illud Exod. 7. Et fecerunt etiam ipsi per incantationes, &c. magos diabolicis figmentis spectãtium oculos illusisse, ita; vt res in sua specie remanentes, aliæ viderentur. Sed de ijs latiùs infrà.

Appen. 3. Hinc, etiam respondetur ad illud, quod habetur in itinerario Clementis de Nicheta ad Petrum narrante præligia Simonis. Vidimus canes cantare, & imagines ambulare, & de socijs Vlyssis in bestias conuersis, per magnam illam famosissimam Circen, & de socijs Diomedis in volucres conuersis, de quibus habetur. 18. de ciuitate Dei c. 16. Nã omnia hæc facta fuerunt arte dæmonum, qui cùm hæc de nouo apparere faciunt, speciem non dant, nec de nouo auferunt; sed speciem, quæ erat in phantasia adeò viuaciter, & velociter interiori virtuti phantasiæ, & imaginatiuę obijciũt: vt credat homo se rem exteriorem veram, & sensibilem intueri. Hic enim non seruantur media, nempè, organi mediorum, & obiecti dispositiones, quibus seruatis, sensus particularis circa proprium obiectum: vt Arist. docuit, non errat.

D. Aug.

Turre Cremata in c. Episcopi. 26. q. 5. Arist.

DVB.

DVB. V. Fallunt ne dæmones alijs modis, præter dictos?

REspondeo. Duobus aliis modis, qui sequentibus propositionibus declarantur.

Prima Propositio.

Per apparentis veri, vel boni deceptionem homines fallere nituntur. Et ratio est: quia licet dæmones mendacissimi sint: mentiri tamen refugiunt, vt veritatem palliatam dicentes, & suam iniquitatem occultent, & opinionem generent, & quasi Dij, nõ mentiantur: & vt grauius fidem eisdem adhibentes opprimant. Sunt namquè dæmones dissertissimi dialectici, & per omne genus fallaciarum, paralogizando homines fallunt.

Hinc fallacia æquiuocationis huius verbi moriemini Euã decepit. Dixerat enim Deus in quacunquè die comederis ex eo morte morieris, scilicet, spirituali, & æterna, dæmon autẽ dixit nequaquàm moriemini, morte, scilicet, temporali pro tunc. Append. 1. *Gen. 2.*

Hinc, vt scribit Valerius cuidam appollinem consulenti, si bellum aggrediens cum inimicis rediret, vel caperetur. respondit. Ibis, redibis non morieris in bello. Decipiens illum fallacia compositionis: quia dæmon apposuit punctũ ad non. Append. 2.

Hinc, verba diaboli oportet aliquando à contrario sensu interpretari. Sunt enim diaboli responsa fallaciis plena, & amphibologica. Similis est sequens versus, qui, si rectè proferatur, Abel: si verò obliquè Caino quadrat. Append. 3.

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo. Append. 4.

Hinc, dæmones non apertè fallunt, nec palam mentiuntur: sed sub chlamyde veritatis, & bonitatis, aut per fallacias syllogisticas, aut per obiecta extrinseca proposita, aut per varias fallas apparitiones, prophetias, reuelationes, phantasticas allocutiones, aut falsigraphas persuasiones, immutando, vt diximus phantasticam, aut imaginariam virtutem, homines decipiunt.

Hinc, in sacris literis, propter multiplices dæmonis fallacias, Append. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. 3. Luc. 11. Iob. 41. Epheſi. 6. Apoc. 12.

cias, varia de illo deſcribuntur. Nam Gen. 3. de illo dicitur. Sed, & ſerpens erat callidior, ideſt, vt habet alia tranſlatio, ſapientior cunctis animantibus terræ. Et Luc. 11. Chriſtus vocat illum fortem armatum. Et Iob. 4. non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei. Et ad Epheſi. 6. non eſt nobis colluctatio, &c. Sed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, &c. Et Apoc. 12. væ terræ, & mari: quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ideſt, poteſtatem. Et. 16. q. 2. can. viſis, habetur. Diabolus habet mille nocendi modos, & artes.

Secunda Propoſitio.

Fallit quoque per ſomniorum illuſionem. Accidit enim aliquando operatione dæmonum, vt aliquæ phantaſiæ dormientibus appareant, in quibus aliqua eis reuelant, & quandoque aliqua vera de ſpiritualibus, vt refert D. Aug. de ciuitate Dei, ſiue de corporalibus præſentibus, vel futuris, præſertim illis, cum quibus dæmones habent aliqua pacta illicita. Quibus quidem reuelant aliquando, ea quorum dæmones ipſi cauſa ſunt. Aliquando verò ea, quorum ſigna prænoſcunt: quæ tamen hominibus ſunt occulta. Nonnunquàm immittunt ſomnia falſa, & deceptoria. Extat exẽplum apud D. Greg. lib. 4. dialog. c. 50. de quodam homine, cui dæmon in ſomniis longam vitam promiſit, & cùm multas pecunias perſas, & nefas ſibi comparaſſet, repentè defunctus eſt. Extat, & aliud exemplum in vitis patrum de eo, qui, lectis miraculis Moyſi, prætulit illum Chriſto, & in ſomniis, dæmonis induſtria, vidit Chriſtum, in choro hominũ veſtibus nigris indutum, & Moyſen in choro Angelorum veſtibus albis ornatũ, quo ſomno à fide receſſit. Poſteà verò cognita dæmonis fallacia, ad Chriſtũ cõuerſus fuit, & pœnitẽtiam egit.

D. Aug. B. Greg. Appen.

Hinc, tales reuelationes ſomniorum, & reſponſiones ſunt execrandæ, & nunquàm credendæ. Quia dæmon pater mendacij, licet, aliquando vera reuelet: ſemper tamen hominum perditionem intendit. Vera namque prædicit, vt homines fidem illi adhibentes faciliùs decipiat, & ad interitum ſempiternum perducat.

DVB.

DVB. VI. Cur igitur Deus, vt dæmones hominibus inſidias parent, permittit?

REſpondeo. Quia diſpoſuit, & ordinauit diuina prouidentia: vt hominum bona per Angelos procurarentur: directè quidem per bonos Angelos, quatenus homines illorum beneficio à malo terrahuntur, & ad bonum reducuntur: indirectè verò per angelos malos, quatenus dati ſunt ad exercitium, vt per eorum impugnationem à malo reuocentur, & ad bonum promoueantur, & victoria parta, præmium illud conſequãtur, de quo dicitur Apoc. 2. Vincenti dabo manna abſconditum, &c.

Apoc. 2.

Quæſt. IIII. Quid Angeli circa animas poſſunt?

Alex. Alen. q. 39. & 40. S. Th. q. III. S. Bon. 2. Ricar. & alij hac d. 8.

QVæſtione præcedenti de potentia angelorum circa corpora egimus: nunc verò quid circa animas efficere valeant, tractandum eſt. Patebit quæſtio hæc, explicatis nonnullis difficultatibus.

Prima diffic. Vtrùm Angeli exiſtere, vel illabi animabus hominum poſſint?

Hæc difficultas fuit expoſita ſuprà q. 5. d. 2. difficult. 7.

Secunda diffic. Vtrùm habeat potentiam circa hominis intellectum?

CONCLVSIO.

ANgelus põt intellectũ hominis illuminare. Et ratio eſt, quia, ſicut Angeli inferiores per ſuperiores illuminantur, ita homines, qui ſunt Angelis inferiores, per eos illuminantur. Lege enim, & ordine diuinæ prouidentiæ ſtatutum eſt, vt actionibus ſuperiorum inferiora ſubdantur. Illuminant igitur angeli hominis intellectum, quatenus illos, ſimilitudinibus ſenſibilium, intelligibilem veritatem docẽt. Lege D. Diony. in lib. de diuinis nominibus.

Alex. Alen. q. 40. m. 1. S. Tho. ar. 1. S. Bona. q. 4. vbi. 5. alij hac diſt. D. Dionyſi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dub. De quibus dicuntur hominis intellectum illuminare?

REspondeo. Primò de rebus cogitandis, bonas cogitationes, vt statim dicemus, immittendo: quatenus excitant, & habilem reddũt intellectum ad habendas optimas cogitationes, remouendo omnia impedimenta, vel interiùs infundendo bona phantasmata. Secundò de rebus cognoscendis: nam per bonos angelos homo illustratur, & adiuuatur; vt ex creaturis perfectiùs in diuinam deueniat cognitionem. Tertiò de rebus credendis, quatenus ministerio bonorum angelorum hominibus diuina principaliter reuelantur. Vnde in eis fides generatur, & crescit. Et tandem illuminant de rebus agendis. Nam ex eo, quòd de fide, & de credendis illuminant, dicuntur etiam ad fidei operationem illuminare, & adiuuare. Sed de iis lege infrà d.9.

Tertia diffi. Possunt ne Angeli immittere cogitationes in intellectum humanum, quibus illuminetur?

CONCLVSIO I.

Alex. m. 2. vbi. §. & q. 101. m. 7. art. 3. & 4.

IMmittere in intellectum cogitationes; vt causa efficiens principalis, nemo, nisi solus Deus, potest. Et ratio est; quia ipse solus est, qui, per modum principalis agentis, potest in intellectu cogitationes, & affectiones gignere, & formare, cùm ille solus animabus nostris illabatur. Secundò si dæmon posset cogitationes immittere, nũquã permitteret nos à malis cogitationibus cessare, & malæ cogitationes nõ imputarẽtur nobis. Quod tamen est falsum: quia dñs illas repræhendit *Matth.9.* Matth.9. dicens. Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

CONCLVSIO II.

Si immittere sumatur impropriè, & largè, quatenus solummodò dicit excitationem, vel impulsionem, vel suggestionẽ boni, & mali angeli possunt cogitationes immittere: nõ quidem species imprimendo: sed adhibendo aliqua signa exteriora, quæ excitent intellectum ad aliquid considerandum: & etiam disponẽdo taliter phantasmata, vt conducant ad consi-

derationem illius rei, quam vult dæmõ, vel Angelus bonus ab homine cõsiderari. Et probatur psal. 33. immittet angelus *Psal.33.* Domini in circuitu timentium eum. Vbi glossa immittet, id est, missionẽ faciet, id est, custodiam intrà, & extrà mittet. Et ideò dicitur in circuitu timentium eum. Vnde alia translatio habet. Circundat Angelus Domini in giro timentes se. *Ioan.13.* Et Ioannis. 13. cùm diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas. Et hoc modo intelligenda sunt sacræ scripturæ loca, & sanctorũ auctoritates, vbi Angeli cogitationes immittere dicuntur.

Hinc, modo dicto sæpe dæmon disponit phantasma ità; Append.1. vt inducat dubium alicuius veritatis catholicæ, quod homo soluere nesciat.

Hinc, etiam quemadmodum illudit exteriores sensus; vt Append.2. q. præcedenti diximus, deludit quoq;, & intellectum.

Hinc, non necessitatur intellectus ad recipiendas dæmonum suggestiones, siue cogitationes; quia Angeli boni tentationem Luciferi non receperunt; sed vicerunt. Violentiam enim inferre nõ potest: vt docet Damas. apud Alex. vbi sup. *Dama.*

Quarta diffic. Est ne Angelus potens ad mutandam hominis voluntatem?

CONCLVSIO I.

VOluntas hominis ab interiori à solo Deo mutari potest. Et ratio est, quia velle est inclinare volũtatem in rem volitam, & naturalis inclinatio est à solo Deo, qui est auctor, & causa voluntatis. Vnde Prou. c. 21. legitur. Cor Regis in manu Domini, quocũq; voluerit, inclinabit illud. Vbi glo. Cor. 1. volũtas Regis, est in manu, id est, in potestate Dei, & quocũq; voluerit, inclinabit illud, id est, vel ad duritiem, vel ad mansuetudinem, ad bonum, vel ad malum. *Alex. Alen. q. 40. m. 3. & 4. S. Tho. art. 2. S. Bona. q. 5. & reliqui vbi. §. Prou. c. 21.*

CONCLVSIO II.

Ab exteriori possunt Angeli hominis voluntatem immutare. Ratio est; quia potest ei ostendere, vel repręsentare exterius obiectum, vel commutare interiùs appetitũ sensitiuũ, ad aliquam passionem, nempè, ad iram, vel concupiscẽtiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex quibus voluntas hominis ad volendū aliquid inclinatur. Et ideò dicitur ab Angelo mutari, ideſt, allici, vel inclinari.

Append. Hinc, voluntas à dæmone non cogitur ad conſentiendum exteriori perſuaſioni, & interiori affectioni: quia ſemper manet libera.

Quinta diffic. Poſſunt ne Angeli incendere affectionem ſiue voluntatem?

Alex. Alen. m.3. vbi. §. & q. 101. m. 7. art. 4. & D.Bona.q.5. vbi.§. EOdem modo, quo de immiſſione cogitationum, eſt de affectione theologandum. Et nota cum D. Bona. loco citato incendere eſſe actum tranſlatum à rebus corporeis Nam ſicut in corporalibus ignem incendere, nō eſt ignē generare: ſed potiùs igni pabulum miniſtrare, vel applicādo ignē cōbuſtibili, vel combuſtibile igni; ita in ſpiritualibus.

CONCLVSIO I.

Luc.12. Solus Deus, tanquàm principale agens, incendit voluntatem. Ipſe enim dixit, ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi, vt ardeat?

CONCLVSIO II.

Dæmones, tanquam excitantes, & ſubminiſtrantes, ignē incendere dicuntur. Conſtat ex notabili poſito: quia igni, qui eſt concupiſcentia, ſiue peruerſa libido, pabulum, ſcilicet, cogitationes, & affectiones carnales, & terrenas, & fœdas delectationes dæmones apponunt. E contrà boni Angeli bonas cogitationes ſubminiſtrant.

Append. Hinc, ignem incendere in ſpiritualibus, non ſolùm accipitur reſpectu affectionum: immò, & cogitationum.

Sexta diffic. Poteſt ne Angelus immutare ſenſus interiores.

CONCLVSIO III.

S.Tho.art. 3. & alij vbi.§. ANgeli poſſunt immutare, & immutant aliquando vtrunq; ſenſum, interiorē, & exteriorē. Et ratio eſt; propter eorum potentiam in materiam corporalem, & ipſorum influentiam in homines. Quod quidē efficiunt, vel de

de nouo ſenſibile aliquod formando, ſiue à natura formatum ſenſui opponendo, vel ſpiritus, & humores intus commouēdo. Et conſtat Gen.19. vbi legitur, Sodomitas percuſſos fuiſſe cæcitate ab angelis; ita vt oſtium domus inuenire nō poſſent. Et.4. Reg.6. exemplo Syriorum, quos Eliſeus in Samariam duxit cæcitate percuſſos. *Gen.19.* *4. Reg. 6.*

Septima diffic. Vtrùm Angeli poſsint ſecreta cordium ſcire?

HAec difficultas tractata eſt ſuprà in q.4. d.3. de cognitione Angelorum. *Magiſter ſenten.hac d. & Alex. Alen. q.24.m.7. & in.1.p.q. vltima, & doct.d.15.1.*

Quæſt. V. Vtrùm Deus aliquando aſſumpſerit corpus?

HAec quæſtio ortum habet ex diuerſis locis ſacræ ſcripturæ, in quibus legitur Deum hominibus apparuiſſe. Nā Exod.3. apparuit dominus Moyſi in flamma ignis, de medio rubi. Et Matth.3. Spiritus ſanctus viſus eſt deſcendere ſuper Chriſtum, ſicut columba. Et act.2. venit ſuper apoſtolos in linguis igneis. Hinc ergo quæritur vtrum aſſumpſerit corpus? *Exod.3.* *Matth.3.* *Act. 2.*

CONCLVSIO.

In nulla apparitione exijs, quæ leguntur in veteri teſtamento, legimus Deum aſſumpſiſſe corpus: ſed Angelum, ita quòd nunquàm locutus eſt immediatè in veteri teſtamento: ſed per Angelos. Probatur auctoritate D.Auguſt. 3. de Trin. c.vltim. vbi expreſſè habetur. *D.Aug.*

Prima diffic. Cur igitur dicit diuina ſcriptura locutum fuiſſe dominum Deum?

PAſſim enim legitur locutum fuiſſe dominum, vt Gen. 15. ego protector tuus ſum, &c. Et alibi paſſim, & nō per Angelos. Lege concordantias bibliæ verbo ego. *Gen.15.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Licet scriptura sacra dicat: ego sum Dominus,&c. hoc solùm dicitur: quia Angelus loquebatur in persona Dei, sicut inter nos præco in persona iudicis loquitur. Probatur ex D. Paul. ad Hebræ. 2. vbi loquēs de traditione legis ait. Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, &c. Et ad Gal. 3. dicit, legem ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris. Et act. 7. dixit B. Stephanus. Apparuit Moysi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi, & infrà. Hic est, qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Vel vt Alex. declarat, attribuitur apparitio Deo per auctoritatem, angelo per ministerium. Non quòd Deus tali ministerio indigeat: sed quia cōgruit eius dignitati, vt ei angeli in huiusmodi inferioribus ministrent.

Ad Heb. 2.
Gal. 3.
Act. 7.

Hinc locus ille Exod. 33. vbi dicitur, locutum fuisse dominum ad Moysen facie ad faciem, & alia id genus loca intelligenda sunt ita: vt loqueretur Angelus immediatè, aut Deus per Angelum. Idem enim probat D. Aug. vbi sup. de omnibus apparitionibus vete. testam.

Append. *Exod. 33.* *D. Aug.*

Secunda diffic. In apparitionibus noui testamenti loquebatur ne Deus immediatè, an per Angelos, sicut in veteri?

Alex. Alen. vbi. s.

D. Aug.

BEatus August. loco suprà citato tenet, inuenire veritatē huius quæstionis esse difficile, & non expedire temerè affirmare.

CONCLVSIO.

Piè credo dici posse apparitiones noui testamenti factas fuisse per Angelos, sicut in veteri testamento per angelos factas fuisse nuper probatum est. Et ratio est, vt intelligamus Deum semper suam maiestatem cum hominibus custodisse, quousq; homo factus est. Tunc enim solùm immediatè locutus est, vt B. Paul. ad Hebræ. 1. testatur dicens, Multifariam,

Ad Heb. 1.

riàm, multisq; modis olim Deus, loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. Et Matth. 5. aperiens os suum, &c.

Matth. 5.

Tertia diffi. In apparitionibus noui testamenti quomodo corpora assumpta fuerunt?

CONCLVSIO.

CErtissimè tenendum est corpora, quibus Deus apparuit in nouo testamento, non fuisse Deo hypostaticè vnita, sicut fuit vnita humanitas, quando factus est homo. Nequè enim columba, nequè ignis erat Spiritus sanctus, nequè vox erat Pater, quando vox Patris audita est. Hæc conclusio est D. August. vbi suprà, & S. Thom. 3. p. q. 39. art. 6.

Matth. 3. *D. August* *S. Tho.*

Quarta diffic. Cur ante diluuium, semper legitur, apparuisse Dominum in se, & post diluuium, ante incarnationem, legitur apparuisse in Angelo?

HAec difficultas nascitur ex eo, quòd in apparitionibus post diluuium vel præmittitur, vel subiungitur angeli apparitio. Vnde scriptura sacra, aliquando Angelum, aliquando verò Deum locutum fuisse testatur. Respondeo cum nostro Alexand. bifariam. Primo: quia tēpore diluuij omnis caro corruperat viam suam, in cuius corruptionis pœnam immisit diluuium, & minorem familiaritatem habuit cum natura humana, quàm ante corruptionē. Et ideò ante diluuium legitur apparuisse in se, post diluuium verò in Angelo, vt manifestaret se magis ab homine elongatum propter peccatum. Vel secundò apparuit post diluuium in Angelo; vt innueret propè esse iam tempus, in quo apparere in magni consilij Angelo promiserat, quod fuit tēpus incarnationis.

Alex. Alen. vbi. s.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. 1.p.q.2.in.1. artic.5. Magister hac.d. lege omninò Castrum verb. beatitudo. hæresi. 1. S.Tho.q. 94. art.1. Exod.33. Ioan.1. Castro vbi suprà. Lege flores q.de beatitudine in 4. Alex. Alen. 4.p.tract. de officio missæ. p. 2. §.1. S.Th.q.108. S.Bona.Scot. Dura.& alij hac dist. Doct.vbi.§. S.Bona. super literã d. q. 1. S.Th. art. 1. B.Dionys.

Quinta diffic. Apparuit ne vnquàm Deus mortalibus in specie, qua est Deus?

CONCLVSIO.

INdubitanter tenendum est Deum in specie essentiæ suæ nunquàm mortalibus apparuisse. Probatur primo Exod. 33. Dixit enim Deus Moysi: non videbit me homo, & viuet. Et Ioan.1. legitur. Deum nemo vidit vnquàm. Et ratione confirmatur: quia cũ omne visibile sit mutabile, & Deus, vt suprà diximus, sit immutabilis, erit inuisibilis. Explicare autem viderint ne Moyses, & Paulus Deum? Et an possit viatori manenti in statu viæ communicari visio intuitiua Dei? non est præsentis loci, cùm in. 4.d. 49. ex professo à doctoribus tractetur. hactenus de.8.dist.

Distinct. IX. De distinctione Angelorum, quãtùm ad Hierarchias, & ordines?

Quæst. I. De Hierarchijs.

Hæc q. erit perspicua, positis aliquot difficultatibus.

Prima diffic. Quidnam est Hierarchia?

PRæter nominis etymologiam, qua dicitur hierarchia ab hieros, quod est sacrũ, & archos, quod est princeps, quasi sacer principatus, tres affert D. Bona. definitiones hierarchiæ.

CONCLVSIO.

Hierarchia est ordo sacratior, & scientia, & operatio, quæ ad Dei similitudinẽ pro viribus nititur, ac pro modo suo ad illius imitationẽ, ex indulta sibi diuinitùs intelligẽtiæ luce, inuehitur. Hæc diffinitio est B. Dionysi. c. 3. cœlestis hierarchiæ, in qua omnia cõtinẽtur, quæ ad rationẽ principatus desiderãtur. Nã in principatu est vnus finis, quẽ princeps intẽdit, ad quẽ cõsequẽdũ, cũ diuersitas officiorũ requiratur, ponitur in definitione ordo, quo talis diuersitas exprimitur. Deinde

Deinde cũ opus sit scientia dirigente in executione officiorũ, & actione perducente, additur in definitione scientia, & operatio: finis autem intẽtus innuitur voce ad Dei similitudinẽ, &c. Hugo autem ita definitionem positam declarat. Nã est, inquit, ordo diuinus, ideſt, potestas à Deo ordinata, scientia, qua quid faciendum sit intelligant, & actio, qua quod intellexerunt agendum, perficiant. Et in ordine officium, in scientia distinctio, in actione ministerium significatur. Natu sine ordine actio præsumptio censetur, & sine actione ordo negligentia est: sine scientia autem, & actio est reprehensibilis, & ordo inutilis. *Hugo.*

Secunda diffi. Quotuplex est Hierarchia?

DIuus Bona. loco citato, varias affert hierarchiæ diuisiones. Hierarchia, cùm sit sacer principatus, potest duobus modis considerari. Primò ex parte principis, secundò ex parte multitudinis subditæ principi. *Doct. vbi. §. Nota.*

CONCLVSIO I.

Si hierarchia primo modo, scilicet, ex parte principis consideretur, vna tantùm est omnium angelorum, & omnium hominum (qui sacrorũ participes esse possunt) hierarchia, & nõ plures. Hæc conclusio est de fide, in quãtùm dicit, omnes angelos, & homines sub vno principe contineri. Et patet ad Rom. 11. quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et Sap. 14. tua autem, pater, prouidentia ab initio cuncta gubernat. Et ratio est, quia princeps omnium, qui possunt sacrorum esse participes, cuiusmodi sunt rationales creaturæ, est vnus Deus, Optim. Max. *Rom. 11.*

CONCLVSIO. II.

Hierarchia secundo modo sumpta, ideſt, ex parte multitudinis est duplex, vna angelorum, & hominum altera. Et ratio est; quia sicut vnitas principatus emanat ex vnitate modi passiuæ gubernationis, ita diuersitas principatus, siue hierarchiæ, & pluralitas ex pluritate effluit. Nam qui non possunt secundum eundem modum à principe gubernari, ad diuersos principatus pertinent. Et cùm homines, & Angeli diuersis modis regantur, quia Angeli puris illumi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

illuminationibus, homines verò sub sensibilium similitudinibus gubernantur, diuersa erit profectò hierarchia Angelorum, ab hominum hierarchia.

CONCLVSIO III.

Si Angelorum hierarchia modo secundo prædicto sumãtur, non omnes Angeli sunt eiusdem hierarchiæ, sed tres diuersas hierarchias constituunt. Et ratio est; quia tres sunt modi, quibus angeli à Deo regũtur, gubernãtur, & illuminãtur, & distinctio hierarchiarum ex distinctione gubernationis, & illuminationis sumitur. Nam si rationes rerum, de quibus angeli illuminantur, considerẽtur: vt à primo principio vniuersali, quod est Deus, procedunt, ad primam hierarchiam, pertinent, quæ immediatè ad Deum extenditur, & quasi in *D. Dionys.* vestibus Dei; vt D. Dionysi. c. 6. & 7. de cœlest. hierarch. docet, collocatur. Si verò tales rationes sumantur, vt ab vniuersalibus causis dependent, quæ iam aliquo modo multiplicantur, ad secundam hierarchiam spectant. Si autem tertiò perpendantur & singulis rebus, quatenus à proprijs causis pendent applicentur, isto modo tertiæ hierarchiæ esse dicuntur. *S. Thom.* Vel dic secundò cum eodem S. Thom. 3. contra gent. c. 80. distingui inter se; quia prima hierarchia cognoscit ordinem diuinæ prouidentiæ, in ipso Deo. Secunda in causis secundis vniuersalibus. Et tertia in particularibus. Et tertiò distinguntur; quia prima illuminatur à Deo. Secũda à prima. Et tertia à secunda, sed hæc clariùs in sequentibus patebunt.

Tertia difficul. Vtrùm homines fideles, in peccato mortali existentes, sint vnius Hierarchiæ cum Angelis ex parte principis?

HAec difficultas propter primam conclusionem proximæ difficultatis mouetur.

CONCLVSIO I.

Simpliciter nõ sunt eiusdem hierarchiæ cũ Angelis fideles *D. August.* in peccato mortali existentes. Hæc conclusio est D. August. 12. de ciuitate Dei c. 1. & 6. & lib. 14. c. vlti. qui duas ponit ecclesias, vnã ex bonis Angelis, & bonis hominibus, & ex malis Angelis,

Angelis, & malis hominibus alteram. Tum etiam; quia dæmon, vt suprà diximus, est caput malorum hominum. Et tandem quia hierarchia est sacer, & sanctus Principatus, & peccatores non simpliciter pertinent ad talem sanctum principatum, cùm non sint sancti, iuxta illud. Sancti eritis; quoniam ego sanctus sum. *Leuit. 11. & 19. & 20. Et 1. Pet. 1.*

CONCLVSIO II.

Fideles peccatores aliquo modo ad talem hierarchiam pertinent. Et ratio est; quia sunt participes sacrorum, scilicet, fidei, & sacramentorum. Et licet actu non sint participes, nihilominus tales esse possunt, & pertinent ad ecclesiam militantem. Et Christus omnium hominum caput est. Relege quæst. suprà positam. An dæmon sit caput malorum, &c.

Hinc confutatur hæresis Donati, cui multi adhæserunt. Et tandem Lutherus, qui in eius verba iurauit. Nam asserunt *Hæresis.* intra ecclesiam non esse bonos & malos, sed solos bonos ad illam pertinere. Qui error fuit condemnatus in concilio Cõstanti. sess. quintadecima. In quem errorem doctissimè, vt solet, inuehitur Castro verbo ecclesia, hæresi. 1. *Castro.*

Quarta diffic. Est ne in diuinis personis ponenda Hierarchia?

HAnc difficultatem innuit vbi suprà S. Tho. Fuit autem *S. Tho. 5. &* circa illam duplex opinio. Vna affirmans Hugonis *Bona. vbi. 3.* de sancto Victore in præamb. super cœlest. Hierarc. *Hugo.* Et Altisiodo. lib. 2. summæ. Et D. Bona. in expositione literæ *Altisiodorẽ-* magistri. Et Gabriel. hac d. q. 1. Altera est negans S. Tho. loco *sis.* citato, & in. 2. hac dist. 9. *S. Bona.*

CONCLVSIO I. *Gabriel.*

Asserere in diuinis personis esse Hierarchiam eo modo, quo prima opinio illam ponit, non est erroneum. Et ratio est; quia illi non ponunt inæqualitatem, sed solùm consitentur hierarchiam tunc significare; & explicare essentiæ vnitatem, & personarum diuinarum sanctissimam Trinitatem. Atque ita definitur à D. Bona. vbi suprà hierarchia est diuina pulchritudo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

B. Dionys. chritudo, vt simpla, vt optima, vt consumata, vel vt consummatiua. Quam definitionem dicit esse B. Dionys. in qua nec Trinitas præiudicat vnitati, nec vnitas Trinitati: sed vnitas ad perfectionem Trinitatis, & Trinitas ad vnitatis perfectionem spectat. Ostenditur autem vnitas in trinitate per vocem pulchritudo: quia pulchritudo in pluralitate, &

D. Aug. æqualitate consistit: vt auctor est D. August. in lib. de vera re. Et voce simpla declaratur, pluralitatem non præiudicare vnitati, quoniam ita est ibi pluralitas, vt non tollatur vnitatis simplicitas. Et vt intelligatur vnitatem non præiudicare Trinitati, siue pluralitati, ponitur vox optima. Sic enim est in Deo vnitas, vt tamen sit summa bonitas, per quam est perfecta communicatio, & ex consequenti personarum pluralitas. Postremò, vt ostendatur, quòd vnitas ad perfectionem pluralitatis, & è conuerso, pertinet. Subditur: vt consumata. In quo significatur in Trinitate, & vnitate, omnimodam summamque perfectionem consistere. hæc D. Bona.

CONCLVSIO II.

Si Hierarchia propriè sumatur, nullo modo est in diuinis personis collocanda. Et ratio est; quia Hierarchia propriè interpretatur sacer Principatus, & principatus propriè includit Principem, & multitudinem inferiorem; & ideò propriè non est, nisi vbi est superior aliquis, & aliqui inferiores. Quod quidem omninò mysterio sanctissimæ Trinitatis repugnat, vbi in essentia vnitas, & in Trinitate adoratur æqualitas.

Hæresis. Castro. Hinc confutatur hæresis Arrij, & aliorum, qui inæqualitatem in diuinis personis constituebant; aduersus quos fuerunt aliquot concilia celebrata, quæ apud Castrum verbo Deus hæresi sexta reperies.

Quinta diffic. Sunt ne in vnaquáque trium Hierarchiarum plures ordines.

CONCLVSIO I.

S. Th. art. 2. vbi §. SVnt quidē in vnaquaque hierarchia plures ordines. Ratio est, quia non esset multitudo ordinata, si ei ordinis diuersitas

tas abesset. Cùm enim hierarchia sit vnus principatus, idest, vna multitudo, vno modo ordinata, sub vnius principis gubernatione, de illius ratione erit; vt habeat plures ordines.

CONCLVSIO II.

Hæc ordinum diuersitas, pœnes diuersa officia, & diuersos actus, attenditur, quæ ad ternarium numerum in vnaquaque hierarchia reuocatur. Quælibet enim multitudo habet principium, medium, & finem. Et confirmatur à simili: nam sicut in ciuitate qualibet sunt tres hominum ordines, scilicet, summorum, vt optimatum, mediorum, & inferiorum; ita in qualibet hierarchia angelica sunt tres ordines, secundum varia officia, & diuersos actus distincti, & ad summum, medium, & infimum reducti.

D. Diony. est Alex. Alen. p. 1. q. 22. m. 4. & p. 2. q. 3. 7. & aly vbi. s. & Magister hac. d. D. Greg. homil. 34. de dragmate, & one perdita. & S. Th. ad Ephes. 1. lect. 7. & ad Colo. 1. lect. 4. S. Bona. vbi s. super literam.

Quæst. II. De ordinibus Angelorum. An sint in illis ponendi?

Hæc q. non secus, ac aliæ quæstiones, positis aliquot difficultatibus erit peruia.

Prima diffic. Quid nam est ordo?

CONCLVSIO.

ORdo angelorum est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ similantur: sicut, & in naturalium donorum participatione conueniunt. Hæc descriptio est D. Greg. quam in litera magister adduxit, & eam D. Bona. exponit.

Secunda diffic. Quotuplex est ordo?

DVplex est ordo, vnus triumphantis ecclesiæ, & alter militantis. Canonizata est conclusio hæc. 89. distinct. can. ad hoc.

Tertia diffic. Est ordo necessarius?

CONCLVSIO.

D. Diony. de cæleſt. Hierarch. c. 7. & 8. & 9. Est quidē ordo necessarius. Et ratio est, quia nullius vniuersitatis rectè gereretur administratio, neque subsistere posset, nisi *D. Greg.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi eam magnus differentiæ ordo seruaret. Et habetur expresse eodem can. ad hoc. 89. dist. Nihil enim in ecclesia militanti debet esse inordinatum: vt docetur in can. miramur. 61. distinct.

Quarta diffic. Quotnam sunt Angelorum ordines?

CONCLVSIO.

Magister, & alij q. citata S. Bona. q. 7. vbi. 5.

NOuem sunt Angelorum ordines, scilicet, Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli. Hic numerus colligitur ex variis sacræ scripturæ locis. Et traditur à B. Dionysi. vbi suprà, & à B. Greg. Et refertur cap. vltimo. §. prin-

B. Dionysi.

B. Greg.

cipium de pœn. dist. 2. vbi adducuntur nouem genera lapidum, quibus nouem picti Angelorum ordines indicantur. Et de pœn. d. 1. can. hi duo, vbi per. 9. hebdomadas. 9. angelorum ordines accipiuntur.

Append.

Hinc in ecclesia hac militanti nouem sunt ordinum gradus, quorum nomina sunt hæc. Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. & dist. 21. can. cleros habetur.

Quinta diffic. Cur ita nominantur Angelorum ordines?

Doct. vbi. 5. S. Tho. art. 5. S. Bona. q. 4.

NOta cum D. Bona. tria. Primum est, vnum donum esse altero dignius: vt charitas superat alia dona. Secundum est ordines inferiores in omnibus donis à superiori excelli, & superari. Tertium est denominationem debere fieri à digniori. Nota secundò cum sancto Thom. tribus

Nota. 1.

Nota. 2.

modis aliquam perfectionem alteri tribui. Primò secundum proprietatem, vt quod alicui ex propria natura, & adæquatè conuenit: vt risibile homini. Secundò per excessum; vt Soli calor, & Deo perfectiones creaturarum conueniũt. Tertiò per participationem: vt competit creaturis Deitas, iuxta illud. Ego dixi, dij estis. Nota tertiò omnes spirituales perfe-

Psal. 81.

Nota. 3.

perfectiones, quæ communes sunt Angelis hominibus, & abũdantiùs in superioribus reperiuntur, diuersimodè in ipsis inueniri. Ratio est; quia perfectiones propriæ superiorum habent locum in inferioribus, deficienter tamen, & per participationem: at verò perfectiones propriæ inferiorum inueniuntur in superioribus, sed per excessum, & perfectiori modo. Et ideò neque superiores ab inferiorum perfectionibus, neq; inferiores à perfectionibus superiorum denominantur, sed vnusquisquè à propria, & adæquata perfectione nomen sibi vendicat.

CONCLVSIO.

Singuli Angelorum ordines nomen habent inditum iuxta proprietatem peculiarem, & propriam vnicuiquè ordini, siue proprium donum. Et ratio est; quia commune est axioma Galeni medicorum facilè principis: vt rebus nomina imponantur iuxta naturam, & proprietatem cuiusque.

Galenus.

Hinc scriptura commendans Adam, qui appellauit nomi- Append. 1.
nibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & *Gen. 2.*
omnes bestias terræ, iuxtà cuiusque rei proprietatem, & naturam, dicit. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.

Hinc Seraphim dicuntur, qui præ aliis charitate ardent. Seraphim enim interpretatur ardens. Et Cherub. qui alios Append. 2.
scientia superant. Nam Cherub. plenitudo scientiæ declaratur. Throni (vt docet B. Greg.) qui tanta diuinitatis gratia *B. Gregor.*
replentur: vt in eis Deus sedeat, & per eos iudicia discernat, atquè informet. Thronus enim sedes dicitur. Dominationes, quæ principatus, & potestates transcendunt. Principatus nuncupantur, qui sibi subiectis, quæ agenda sunt, disponunt, eisquè ad diuina mysteria explenda principantur. Potestates nominantur illi, qui hoc cæteris potentiùs in suo ordine acceperunt: vt virtutes aduersæ eis subiectæ, eorum refrenentur potestare, ne homines, quantum desiderant, tentare valeant. Virtutes dicuntur illi, per quos signa, & miracula frequenter fiunt. Archangeli, qui maiora nunciant. Angeli verò, qui minora. Quæ quidem nomina, inquit Magister, non propter se: sed propter nos, eis data sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. 1. B. Dionysi.

Hinc tibi negotium facessere non debet, quòd D. Dionysius virtutes in medio ordine secundæ hierarchiæ, & principatus in primo ordine tertiæ hierarchiæ constituat: Id autem B. Greg. Gregor. è contra, mutatis locis. Neque enim vnus alteri contradicit, nec verbum alterius retractat: sed alium modum distinguendi assignat. Propterea q; B. Dionysi. distinctionem hierarchiarum sumpsit, penes ea; quæ sunt ipsis angelicis spiritibus intrinseca, & ideò distinxit ordines, vt in cœlis collocati sunt: at verò D. Gregor. plus pensans opera, & officia angelorum, distinxit eo modo, quo plus ad eruditionem nostram valere possunt.

S. Bona. super litteram.

Sexta diffic. Fuerunt ne isti ordines distincti à principio creationis Angelorum?

CONCLVSIO I.

S. Tho. art. 4. S. Bona. q. 2. vbi. 3.

NOuem isti ordines non fuerunt distincti à principio creationis eorum: sed post malorum Angelorum lapsum. Et ratio est; quia nullus spiritus malus fuit Seraphim, ideſt, ardens charitate in Deum, neq; thronus, ideſt, sedes Dei, neque fuit Cherub. ideſt, plenitudo scientiæ. Neq; enim cecidissent, si scientia pleni; charitate in Deum flagrassent.

Dub.

Dices. Cur igitur suprà diximus ex singulis ordinibus cecidisse, si ante lapsum non fuit ordinum distinctio?

Magister.

Respondeo cum Magistro. Hoc dicitur: propterea quòd, si non cecidissent, ad dictos ordines assumpti fuissent.

Hinc hæc nomina angelorum non sunt nomina naturæ: sed gratiæ, ideſt, fuerunt distinctorum ordinum, propter dona gratuita sibi concessa.

D. Bona.

Vel respondeo cum D. Bona distinctionem ordinum esse à natura, tanquàm à præambula dispositione, & à gratia, tanquàm à completiua perfectione. Vnde ordinum principalis distinctio non potest esse à natura. Quod etiam innuere visus est S. Thom. dicens: inchoatiuè esse ex naturalibus, & S. Thom. completiuè ex gratuitis.

Septima

Septima diffic. Vtrùm spiritus eiusdem ordinis sint æquales in donis?

CONCLVSIO.

NOn sunt omnes spiritus eiusdē ordinis in donis æquales. Ratio est: quia Lucifer fuit de collegio superiorum spirituum; & tamen in naturalibus fuit omnibus excellentior. Lege cap. vltimum d. 2. de pœn. & primum. S. Bona. q. 8. vbi. 3.

Octaua diffi. Remanebunt ne dicti ordines post diem iudicij?

euacuauerit.

RAtio dubitandi est: quia D. Paul. 1. Corinth. 15. ait. Cùm euacuerit omnem principatum, & potestatē, & virtutē. S. Tho. art. 7. D. Bona. q. 6. vbi. 3. 1. Cor. 15.

CONCLVSIO I.

Quantū ad naturalia, & quò ad gratuita angelorū ordines distincti manebunt. Communis est sententia Magistri, & doct. in hac d. Et ratio est: quia naturalia, & gratuita in ipsis manebunt. Neq; enim eorum natura corrumpetur, neq; gloria, quæ merito præcedenti correspondebit, esse desinet.

CONCLVSIO II.

Albertus Magnus. 1. Cor. 15.

Quò ad executionem officiorum, quatenus ordinantur ad perducendos homines ad Deum, post diem iudicij cessabunt. Hoc enim est, quod D. Paul. vbi suprà, docuit dicens: cùm tradiderit regnum Deo, & patri, euacuabit omnem principatum, &c. Vbi animaduertit Albert. Magnus non dixisse D. Paul. euacuandos esse Seraphim, & Cherubim, & Thronos: quia isti denominantur ab actionibus, quas circa Deum exercent: sed principatus, & potestates, & virtutes, qui ab actionibus, quas circa nos exercent, nomen habent. Et eadem ratione euacuandos esse alios tres ordines inferiores intelligendum est.

DVB. Cessabunt ne officia, quibus superiores illuminant inferiores?

CONCLVSIO.

ACtiones Hierarchiæ in Angelis remanebunt, nempè, mutua purgatio, illuminatio, atq; perfectio, non quātū

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad acquisitionem, & manifestationem alicuius veritatis, de nouo diuinitùs traditæ: sed quantùm ad conseruationẽ scientiæ veritatum, quas illis reuelauerunt. Et ratio est; quia sicut inferiores illuminantur per superiores, ita cognitio inferiorum dependet ex superiorum illustratione, non solùm quantùm ad nouam acquisitionem: verum etiam quantùm ad scientiæ conseruationem. Et ita intelligendi sunt D. Bona. & alij, qui partem affirmantem defendunt.

Append. Idem dicendum est de hominibus, qui per angelorum officium ad beatitudinem peruenerunt.

Nona diffic. Vtrùm in dæmonibus sit ordo? infrà in q. de dæmonibus explicabitur.

Quæst. III. Vtrùm homines ad ordines Angelorum assumantur?

S. Thom. q. 108. art. 8. S. Bona. q. 5. & 7. Duran. q. 2. in hac d. 9.

ERit quæstio hęc facilis intellectu sequentes difficultates intelligenti.

Prima diffic. Fuerunt ne creati homines ad reparandum Angelorum ordines?

CONCLVSIO.

FVerunt homines formati ad ruinam ordinum angelorum restaurandam. Conclusio est Leonis. IX. Pontif. maximi. Et habetur de consecr. dist. 1. can. hi duo, vbi ita legitur. Quorũ recuperationi consulens omnipotens Deus, creator, primum hominem de limo terræ formauit, qui sui generis multiplicatione, damna cœlestis patriæ resarciret, atque angelorum gaudia suppleret, qua spe angelicus chorus non modicum lætatus est.

Secunda

Secunda diffic. Assumentur ne intra choros Angelorum?

CIrca hanc difficultatem fuit opinio Eustratij super 6. Ethic. qui asserebat, non posse animam hoc consequi; vt inter angelos collocetur: quia nemo potest ad perfectionem actuum angelorum pertingere. Quæ opinio si loquatur de naturali actione, vera est: si verò de supernaturali, est hæretica. Cùm constet animam Christi Iesu, & sanctissimam Virginem omnes angelos superasse. Hanc opinionem refert S. Thom. in. 2. d. 9. q. 1. art. 8. *Doct. vbi. S. Eustratij error.*

Secunda opinio, quam citant S. Thom. & D. Bona. eorum est, qui affirmarunt solas virgines, quæ nec nubent, neque nubentur, esse inter angelos collocandas, alios verò homines constituere decimum ordinem. Quæ etiam est falsa: quia D. Petrus, & B. Magdalena proculdubio sunt in cœlis, multis alijs virginibus masculis, & fœminis superiores. *S. Thom. S. Bona. Matth. 22. Luc. 20.*

Tertia opinio, quàm sequitur S. Bona. ait, perfectos homines, qui in vita peruenerunt ad tantam meritorum excellentiam: vt exaltentur ad ordines angelorum, esse in ordinibus angelorum collocandos: imperfectos verò, qui non ad talem excellentiam peruenerunt, decimum ordinem cõstituturos: vt sunt pueri, qui solis Christi meritis saluantur.

CONCLVSIO. I.

Non est vero simile constituendum esse ex hominibus imperfectis decimum ordinem. Et ratio est; quia non decet; vt numerus ordinum, qui cœlesti hierarchiæ per ternaria distinctus competit, & quo vestigium Trinitatis sanctissimæ perfectiùs exprimitur, (vt auctor est B. Dionysi. c. 6. de cœlest. Hierarch.) per homines augeatur. Et quia homines reparaturi sunt Angelorum ruinas. Et quod in can. Hi duo de consecr. distinct. 1. Et apud Magistrum de decimo ordine scribitur, intelligendum est, esse reparandum ex hominibus, quod in angelis lapsum est, de quibus tot corruerunt: vt ex illis decimus ordo posset constitui. *B. Dionysi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Ad angelorum ordines, ita sunt electi assumendi: vt quidam inter superiores, quidam inter inferiores, quidam verò inter mediocres, pro diuersitate suorum meritorum, collocẽtur. Patet Matth.22.c. vbi de sanctis dicitur. Erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et Luc.20. dicuntur æquales angelis. Lege D.August.12.& 22.de ciuit. Dei.c.1. dicentẽ. Non erunt duæ societates hominum, & angelorum: sed vna. Lege quoquè gloss. super locum psal.44. Constitues eos principes. Et super illud Deut. Omnis locus, &c. Et D. Gregor. in homil. de centum ouibus, Luc.15. Et in homilia de Angelorum distinctione, vbi copiosè conclusio demõstratur, Et hoc modo verè dixit D.Bona. quòd non omnes homines ad eosdem gradus gloriæ, quibus potiũtur angeli, perueniant: quia quidam assumentur suprà, quidam infrà, quidam ad ipsos.

Matth.22.
Luc.20.
D.August.
Psal.44.
Deut.11.
D.Greg.
Luc.15.

Tertia diffic. Quot erunt ex hominibus saluandi?

CONCLVSIO I.

TOt saluabuntur, quot fuerunt Angeli, qui permanserunt, Hæc est D. Gregor. propter illud Deuteron. 32. Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel, id est, angelorum.

D.Greg.
Deut.32.

CONCLVSIO II.

Tot erunt ad minus saluandi, quot ex angelis ceciderunt. Hæc est D.August. in Enchir. c.29. & lib.22. de ciuitate Dei. vbi etiam dicit: Et forsitan vberiori numero [illegible] bitur superna Hierusalem.

D.Aug.

CONCLVSIO III.

Numerus saluandorũ incertus nobis est. Et ratio est; quia soli Deo Optimo Maximo, cuius sapientia attingit à fine vsquè ad finem, cognitus est numerus electorum in supernã felicitate locandus.

Sap.8.

Quarta diffi. Quibus modis assumi possunt homines ad Angelorum ordines?

CONCLVSIO I.

HOmines ex parte naturę ad angelorũ ordines assumi haud possunt. Ratio est; quia plus distat natura hominis à natura angelorum, quàm natura vnius angeli à natura alterius angeli, & cùm Angelus inferioris naturæ non ad superioris ordinem pertingere valeat; nequè poterit hominis natura. Deinde, quia naturalis actio hominis ad æqualitatem actionis Angelorũ attingere non valet. Nullus enim intellectus humanus secundum formam potest ad cognoscendum Deum, sicut angelus peruenire.

Doct. vbi. S. & S Thom. in.2. hac dist.

CONCLVSIO II.

Ex parte gratiæ possunt homines assumi ad Angelorum ordines. Patet exemplo sanctissimæ Virginis, cuius tanta fuit gratia, vt non solum ad ordines Angelorum fuerit assumpta: verùm etiam super omnes illorum choros collocata. Lege cap. feriandum. de consecra. d.3.

CONCLVSIO III.

Ex parte efficaciæ meritorũ potest homo assumi ad ordines Angelorum. Et ratio est; quia licet angelus inferior non possit mereri, vt ad gloriam, & ordinẽ angeli superioris ordinis perueniat; poterit tamen homo. Quia eius meritum potest esse merito Angelorum efficacius. Dices. Vnde nã euenit; vt hominis meritum merito Angelorum sit efficacius? Respondeo. Ex quatuor causis. Et prima est, infinita Dei liberalitas, quæ, nõ obstante humanæ naturę infirmitate, vult homini, quantũ Angelo dare. Secũda est, propter difficultatẽ, quæ est occasio maioris conatus, & ex cõsequenti maioris meriti. Tertia est tẽporis diuturnitas, qua homo potest de virtute in virtutẽ ambulare; & de bono in melius proficere: cũ diutiùs, quã Angelus sit viator. Quarta tãdẽ causa est, ob merita Christi, & eius infinitã gratiã, ex quæ, merita nostra habẽt efficaciã. Et ideò virtute meriti Christi, quod est infinitũ, possunt homines ad altiorẽ gradũ gloriæ, quàm Angeli peruenire. Lege cap. hi duo de consecra. dist.1.

Dub.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta diffic. An homo, per æquale meritum, & mediante æquali lumine gloriæ, cũ Angelo æqualem gloriam consequatur?

HAec difficultas solet hic tractari; quam inuenies expositam in floribus. 4. lib. in quæst. de beatitudine art. 3. difficult. 2.

Sexta diffic. Fuit ne sanctissima Virgo, & mater Maria, super omnes Angelorum ordines assumpta?

QVidam opinati sunt, dici super omnes choros Angelorum exaltatam: eò, q̃ collocata fuerit in primo loco, vnde Lucifer cecidit. Quia super choros Angelorum, non est, dicebant illi, nisi thronus sanctissimæ Trinitatis. Et ita diceretur æqualis in deitate, & gloria tribus diuinis personis. Quod quidem est falsum: quia tunc non diceretur super choros Angelorum exaltata: sed inter eorum thronos posita. Neq; esset æqualis tunc in deitate tribus diuinis personis. Sed quia, circa personas diuinas, nulla pura creatura plus donari gratiam, & gloriam, & præmium essentiale diuinum, quàm sanctissima Virgo participat: ideò dicitur super omnes choros exaltata.

CONCLVSIO.

Virgo sanctissima super choros Angelorũ fuit assumpta, & exaltata. Licèat modò in honorem beatissimæ Virginis, de cuius assumptione gaudent Angeli, & collaudant eos benedicant dominum, hanc conclusionem aliquot rationibus, & auctoritatibus confirmare. Et primò probatur: quia cùm excesserit omnes angelos gratiæ plenitudine, Dei familiaritate, & puritate, debuit, & illos loco superare. Secundò, si Seraphim propter dignitatis excellẽtiam Cherubim vno ordine excedit; Virgo, quæ Seraphim dignitate, & gloria transcendit, vno saltem ordine antè ibit. Tertiò si Seraphim seruus suum cõseruum Cherubim vno ordine antecellit, virgo sanctissima

ctissima Angelorũ Regina, & domina, cur illis ordine æqualis erit? plus namq; dñs à seruo, quàm seruus à seruo distat. Quartò, quia Virgo virginũ, plusquàm omnes angelos, Deũ dilexit: & ideò præstantior ei locus in gloria debetur. Quoniam meritum, quod cõsistit in charitate, & præmium, per æquiparantiam sibi correspondent. Quintò, quia ecclesia canit exaltata est sancta d. g. s. chor. ang. ad cœl. regna. Sextò, *Psal. 44.* psal. 44. Astitit regina, &c. astitit, ideſt, super choros Angelorum propinquiùs stetit. A dextris tuis, ideſt, propè deitatem tuam. In vestitu deaurato, ideſt, sapientiæ auro illustrata, ad innocandum pro nobis, & interpellandum. Circũdata varietate, scilicet, meritorum, & virtutum. Septimò, B. Aug. *B. Aug.* ait. De te, o virgo quid dicã pauper ingenio, cùm quicquid dixero, minus sit laude tua. Si cœlum te vocẽ, maiores, &c. Tandem dicit. Si dominam angelorum vocem, per omnia etiam comprobaris. Quare si domina Angelorum est, super illos est. Et D. Hiero. Hæc est dies præclara, in qua meruit *D. Hiero.* exaltari super omnes choros angelorum, & peruenire vltra, quàm nostræ humanitatis naturæ licitum sit. Vbi non substantia tollitur: sed gloriæ magnitudo mõstratur. Vbi Christus pro nobis intrauit, pontifex in æternum cœli palatium. Postremò thronus Bethsabel matris Salomonis regis, qui *3. Reg. 2.* positus fuit ad dexteram regis, in quo mater regis sedit, figura huius exaltationis fuit.

Quæst. IIII. De illuminatione Angelorum.

Alex. Alen. q. 38. S. Th. q. 106. S. Bona. d. 10. art. 9. Scot. d. 9. q. 1. Duran. d. 11. q. 3. Doct. vbi. 3. B. Dionys.

HAec quæstio non aliter; quàm præcedentes erit nota, positis, scilicet, aliquot difficultatibus.

Prima diffic. Vtrùm sit inter Angelos illuminatio?

CONCLVSIO.

CErtissimè tenendum est Angelos inferiores à superioribus illuminari. Hæc conclusio est B. Dionys. 8. c. de cælesti. Hierar. vbi affirmat, Angelos secũdæ Hierarchiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

chiæ purgari, illuminari, & perfici per Angelos primæ hierarchiæ. Sed hæc conclusio clariùs in sequentibus difficultatibus patebit.

Secunda diffic. Quidnam est illuminatio, siue illuminare?

Doct.vbi.5.

CONCLVSIO I.

ILluminatio angeli est quædã locutio de vero perfectiuo, in esse secundo. Scoti est conclusio hæc. Et est sensus conclusionis. Illuminatio actiua est, quædam locutio alicuius propositionis veræ, per quam angelus audiens perficitur in esse secundo, ideſt, accidentaliter. Ad cuius definitionis intelligentiam nota cum Scoto ibidem, visionem creaturæ in verbo esse perfectiorem cognitionem, quàm sit visio quidditatum, & singularium in proprio genere, scilicet, per species proprias: atq; etiam visionem per reuelationem esse perfectiorem visione in proprio genere. Et ratio est: quia vtraque visio, scilicet, in verbo, & per reuelationem, est immediatè à Deo, cuius opera naturæ operibus maximè præstant.

CONCLVSIO. II.

Illuminare est manifestare alijs veritatem illuminanti cognitam. Hæc definitio est S. Tho, vbi suprà. Et probatur ad Ephesi. 3. mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus, euãgelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramẽti absco̅diti à sæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat, &c.

Ephesi.3.

Tertia diffic. Quo pacto à superioribus Angelis inferiores illustrantur?

Doct.vbi.5.

TRes sunt de hac re opiniones. Prima est S. Thom. Et secunda Scoti, quæ hoc inter se differunt, quòd S. Thom. opinatur, illuminare esse docere proponendo doctrinam clariorem: Scotus verò tenet illuminare esse canfare conceptum in illo, qui illuminatur. Tertia opinio est Durandi

Durandi vbi suprà affirmantis, non aliter illuminari angelos, quàm per ipsum Deum, qui in sua essentia, tam̃ superioribus, quàm inferioribus manifestat omnem veritatem. Dicũtur autem inferiores à superioribus illuminari: quia Deus priùs natura superiores illuminat.

1. Fundam.

Aliquis illuminat, siue illuminaturi dupliciter. Primò per alicuius rei occultæ manifestationem: vt quando detegitur secretum alteri ignotum: vt si quis alicui cogitationes suas detegat. Secundò, quando detegitur secretum superans audientis intellectum: quo quidem modo, Christus misterium Trinitatis, & reliqua fidei misteria in euangelio reuelauit.

2. Fundam.

Locutio, & illuminatio respectu angelorum se habent, sicut superiùs, & inferiùs. Nam quicquid est illuminatio, est locutio; non tamen è contrà. Et probatur; quia superiores illuminãtes inferiores loquũtur illis; inferiores verò loquũtur superioribus: nõ tamen illos illuminant, vt infrà dicetur.

Nota.

Tãdẽ nota, illuminare propriè esse, docere aliquã veritatẽ, quam, qui docetur, viribus naturæ intelligere haud potest. Duo sunt explicanda, duabus conclusionibus positis. Primũ. est, quæ nam sunt, quæ superiores inferioribus manifestant Secundum est modus manifestandi, & illuminandi.

CONCLVSIO I.

Quando Angelus superior inferiori reuelat aliquod arcanum, sibi à Deo reuelatum, quod neuter naturæ viribus attingere potest: vt v. g. aliquod futurum contingens, à voluntate diuina, & non à causa naturali dependens, vt Antichristum tali die futurum, huiusmodi reuelatio est propriè reuelatio. Probatur ex B. Paulo ad Ephesi. 3. mihi autem omnium sanctorum minimo, &c. Et ratione confirmatur. De ratione boni est se alijs communicare, vt constat in naturalibus. Nam agentia corporea se alijs (generando effectus sibi similes) communicant. Et etiam in moralibus patet adeò: vt bonum, quò maius eò, communicabilius dicatur. Quod B. Petr. 1. cap. 4. testatur dicens. Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes; sicut boni dispensatores multi formis gratiæ Dei. Quare cùm Angeli superiores, quò sunt in natura superiores.

Ephesi.3.

1.Pet.4.

eò

Universidad de Deusto
Biblioteca

eò magis Deo assimilentur, reuelationem, quam suscipiunt, inferioribus communicabunt.

CONCLVSIO II.

Angelus superior illuminat inferiorem, proponendo illi reuelationem, per modum doctrinæ: sicut magister discipulis suis proponit, & hoc per allocutionem. Probatur conclusio per secundum fundamentum: nam quicquid est illuminatio, est allocutio, &c.

Quarta diffic. Vtrùm Angeli inferiores illuminent aliquando superiores?

CONCLVSIO.

DE lege nunquàm superiores ab infetioribus illuminãtur: secùs præter legẽ. Posset nãq; Deus aliquid priùs inferiori reuelare: vt ipse superiori reuelaret. Neq; hoc mirum videri debet: cùm, & Apostoli reuelauerint Angelis, & per apostolicam prædicationem innotuerint multis angelorum misteria. Quod docet B. Paul. ad Ephesi. 3. mihi autem, &c. vt innotescat, &c. *Ephesi. 3.*

Quæst. V. De Angelorum locutione, & auditione?

S. Th. q. 107. S. Bona. dist. 10. art. 3. Scot. d. 9. q. 2. Duran. d. 11. q. 2. Gab. d. 9. q. 2.

Hæc quæst. vt præcedentes, positis nonnullis difficultatibus, erit perspicua.

Prima diffic. Vtrùm sit inter Angelos locutio?

CONCLVSIO.

Isai. 6. Zachar. 2.

DE fide tenendum est, Angelos ad inuicem mentaliter loqui. Et ratio est; quia in multis locis scripturæ sacræ expressè continetur. Isa. 6. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum. Et Zachar. 2. Ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum. Curre, loquere ad puerum istum, Et Isai.

Et Isai. 63. Et psal. 23. mutuò quærebant Angeli. Quis est iste, qui venit de Edon. Et quis est iste Rex gloriæ? Et. 1. Cor. 13. si linguis hominum loquar, & Angelorum. Et Apoc. 7. Vidi alterum Angelum, & clamauit quatuor Angelis, &c. Quid? quòd, si Angeli sibi inuicem non loquerentur, esset eorum cœlestis respublica imperfecta. *Isai. 63. Psal. 23. 1. Cor. 13. Apoc. 7.*

Secunda diffic. Quidnam est de ratione locutionis?

ANimaduerte, quòd quemadmodum aliquid est de ratione hominis in particulari, quod non est de ratione animalis: ita etiam aliquid est de ratione locutionis determinatæ, quod non est de ratione locutionis in communi.

CONCLVSIO I.

Ad locutionem in communi, nec requiritur, vt loquens manifestet suum conceptum illi, cui loquitur: nec vt loquens in illius intellectum aliquid imprimat: neque vt illum, cui loquitur, illuminet. Et ratio est, quia Angeli loquuntur Deo: vt infrà dicetur: & tamen nihil istorum in tali locutione reperitur.

Hinc ad locutionem in communi satis est: vt loquens ordinet suum conceptum in audientem, siue aliquid illi manifestet, siue non. Et ratio est; quia locutio Angeli ad Deum est vera, & legitima locutio, & in ea hoc solùm inuenitur. Append.

CONCLVSIO II.

Aliquid est de ratione determinatæ locutionis, quod non est de ratione locutionis in communi. Et probatur à simili: sicut aliquid est de ratione hominis, quod non est de ratione animalis: vt infrà sequentibus difficultatibus clariùs patebit.

DVB. De quibus est Angelorum locutio?

Respondeo cum S. Thom. lect. 1. super cap. 13. 1. ad Corint. per tres propositiones. *S. Thom.*

Prima Propositio.

Aliquid est in cognitione Angelorum, de quo non est

inter

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter illos locutio: vt est diuina essentia.

Secunda Propositio.

Aliquid etiam est, de quo superiores inferioribus, & non è contra loquuntur. Talia sunt misteria diuinæ prouidentiæ.

Tertia Propositio.

Aliquid tandem est, de quo superiores inferioribus, & inferiores superioribus loquuntur: vt sunt occulta cordium ipsorum Angelorum. Et de his est propriè locutio.

Tertia diffic. Quid, & quotuplex est mentalis locutio?

CONCLVSIO. I.

Doct. vbi. §. LOqui mentaliter est formare aliquem conceptum, cum intentione significandi aliquid sibi, aut alteri. Probatur à simili de locutione vocali, quæ nihil aliud est, quà proferre verba, cum intentione significandi aliquid, aut sibi; vt quando aliquis intra se loquitur, aut alteri, vt quando illum alloquitur.

CONCLVSIO II.

Locutio mentalis est duplex. Vna qua nobis; altera, qua aliis loquimur. Hæc conclusio colligitur ex prima. Quam illustro exemplo. v. g. loquimur nobis mentaliter, quando formamus conceptum aliquem, per quem intelligimus aliquod obiectum. Exempli causa, volo intelligere Toletum, formo notitiam, quæ mihi Toletum repræsentet. Hæc formatio notitiæ vocatur locutio mentalis, de sententia D. Augustini. *D. Augustini.* quem citat Gabriel vbi suprà artic. 4. loquimur verò alteri mentaliter, quando formamus conceptum, cum voluntate significandi aliquid illi, cui fit locutio. Vnde sequitur, inquit Gabriel, mentalem locutionem supponere pro manifestatione, connotando voluntatis imperium.

DVB.

DVB. II. Notitia, qua quis sibi loquitur, erit ne dicenda verbum?

CONCLVSIO.

ESt verbum. Et ratio est, quia, vt vocale verbum, ea, quæ in mente sunt, nobis insinuat: ita mentale verbum, qua- *Arist. c. 1. Perier.*
lis est dicta notitia, nobis obiectum indicat. Insuper nullius idiomatis est verbum: sed mentale tantùm. Quod quidem est naturalis similitudo obiecti, eademq; ab hominibus diuersorum idiomatum concipitur.

Quarta difficult. Quomodo Angeli sibi inuicem loquuntur.

EXplicare modum locutionis Angelorum, hoc opus, hic labor est. Et ob hanc causam, sunt variæ opiniones. Du- *Doct. vbi. §.*
rand. affert, & confutat tres opiniones, & sua, quam probat, est improbabilis, qua dicit vnum Angelum loqui alteri Angelo, sicut vnus homo alteri homini vocibus corporeis loquitur. Cùm D. Paul. 1. Corinth. 13. distinguat inter linguam hominum, & Angelorum. Est alia opinio Gregor. Arim. hic *1. Cor. 13.*
dist. 9. quæst. 2. Sunt autem duæ aliæ celebres. Vna S. Thom. art. 1. & 5. Et altera Scoti vbi sup. quæ duabus proximis conclusionibus continentur.

CONCLVSIO I.

Vnus Angelus loquitur alteri Angelo, formando in se ali- *S. Tho. est.*
quem conceptum per solum voluntatis imperium, cum intentione manifestandi aliquid, & significandi alteri angelo. Prima pars huius conclusionis patet ex definitione locutionis suprapositæ. Secunda autem pars, scilicet, quòd fiat per voluntatis imperium, probatur à S. Thom. quia omnis operatio intellectus subiicitur voluntatis imperio, & mentalis locutio est intellectus operatio.

CONCLVSIO II.

Angelus vnus nõ aliter loquitur alteri Angelo, quàm cau- *Scoti est.*
sando conceptus suos in intellectu angeli audientis. v. g. Michaelem loqui de re aliqua Gabrieli est formare conceptum

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in mente Gabrielis, habentis se merè passiuè. Vt si dicat: vis, eamus ambo Salmanticam. Efficit istum conceptum complexum in mente Gabrielis, & hoc modo loquitur. Et ratio Scoti est; quia omne agens existens in actu primo, respectu alicuius effectus, potest producere talem effectum in quocunquè receptiuo approximato, & disposito: vt ignis est in actu primo ad calefaciendum, & potest producere calorem in quocunquè obiecto sibi proximo, & disposito & cùm Angelus, habens intellectum cum specie intelligibili, sit in actu primo ad efficiendam notitiam, poterit in intellectu cuiuscunquè alterius angeli, sibi approximato, & disposito, talem notitiam gignere. Et hæc est Angeli locutio. Sed de his latiùs in lib. controuersiarum.

Quinta diffic. Quidnam est Angelum audire loquentem?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. §. NIhil aliud est, quàm habere notitiam intuitiuam conceptus loquentis, quam notitiam ipse motus à conceptu Angeli loquentis, tanquàm ab obiecto præsenti, in se ipso formar. Et ratio à simili est; quia sicut audire vocaliter, nihil aliud est, quàm formare conceptus similes conceptibus loquentis: ita audire mentaliter erit formare in se similes conceptus illis, qui sunt in loquente.

Append. Hinc angelorum auditio ita efficitur, scilicet, audiens habet præsentes conceptus Angeli loquentis, ex quibus, tanquàm ex obiectis, formar notitias, quibus obiecta cogitationum loquentis cognoscit. Exempli gratia, Angelus loquens format hunc cõceptum, terra sancta est à christianis recuperãda, vultquè, vt alius Angelus hoc audiat. Ecce locutionem. Statim Angelus, audiens, formar similem conceptum. En tibi auditionem. Nam statim, vt vnus angelus vult alteri angelo loqui, formar similem conceptum.

Sexta

Sexta diffic. Angelus audiens, habens notitiam intuitiuam conceptus Angeli loquentis, videt etiam obiectum intuitiuè talis conceptus?

EXempli causa, angelus loquens habet notitiam intuitiuam huius, Petrus modò scribit, vultquè hoc manifestare alteri Angelo. Quæritur modò. Vtrùm angelus audiens simul videat conceptum Angeli loquentis, & videat Petrum scribentem?

CONCLVSIO.

In tali casu Angelus audiens solum conceptum loquentis, & non obiecti illius conceptus notitiam intuitiuam habet. Et probatur à definitione notitiæ intuitiuæ, quæ tantùm est rei præsentis mouentis intellectum; & intellectus Angeli audientis non mouetur ab obiecto ad extrà, sed à conceptu Angeli loquentis: quare huius, & non obiecti notitiam intuitiuam habebit. Videns enim notitiam, non videt obiectum; sicut videns tantùm imaginem, non videt prototypum.

Septima diffic. Angelus volens alteri loqui, excitat ne illum per aliquod signum?

CApreol. hac. d. 9. q. 1. affirmat, esse signa aliqua excitantia ad videndum inter Angelos: quemadmodum inter nos, qui excitamur motu manuum, vel palpebrarum, &c. Caiet. art. 1. vbi suprà S. Thom. ad 3. oppositum defendit. At verò S. Thom. loco citato innuere videtur, esse inter Angelos quandàm virtutem intelligibilem, excitatiuam, qua vnus Angelus alium excitat. *Capreol.* *Caiet.* *S. Thom.*

CONCLVSIO.

Non est in Angelis aliqua virtus, excitatiua, qua Angelus loquens audientem ad intelligendum excitet. Et ratio est, quia, & nos per locutionem excitamus audientem, si fuerit auersus, & nostros illi conceptus manifestamus. Quare, & Angeli per locutionem poterunt excitare: vt si Angelus lo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quens formet hunc conceptum, talis Angelus sit mihi intentus, quem conceptum ille alius videt, & ita per locutionem excitatur.

Octaua diffic. Vtrùm Angeli inferiores superioribus loquantur?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. §. *B. Dionys. Psal. 23.*

LOquuntur quidem. Probatur autoritate B. Dionysij. c. 7. de cœlesti Hierarch. vbi affirmat, Angelos inferiores quæsisse à superioribus: quis est iste Rex gloriæ? Et quia Angelus inferior potest manifestare superiori occulta sui cordis; & manifestatio cordis circa ea, quæ à voluntate loquẽtis pendent: vt suprà retulimus, est locutio.

Nona diffic. Vtrùm distantia localis impediat locutionem Angelorum?

Doct. vbi. §. S. Tho. art. 4. negat. Scot. verò hac d. &. 45. d. 4. quem sequuntur Gabr. vbi sup. & nominales, affirmat.

CONCLVSIO.

Potest localis distantia angelorum locutionem impedire. Et ratio est; quia cùm Angelorum virtus sit finita, requiritur certa, & determinata distantia ad eius operationem. Scoto

D. August. suffragatur D. Aug. de immortalitate animæ. c. 1. &. 2. & in lib. de cura pro mortuis agenda apud Scotum. vbi D. Aug. docet, animas purgatorij scire ea, quæ apud nos geruntur, vel per reuelationẽ, & illuminationem Angelorum, vel per reuelationem ab aliis animabus, quæ, post ipsos, ex hac vita migrarunt. Sed de his copiosiùs in lib. controuersiarum.

Decima diffic. Vtrùm vnus Angelus possit alteri loqui, quin cæteri assistentes audiant?

Doct. vbi. §. *S. Tho. art. 5. & de verit. q. 9. artic. vlt.*

CONCLVSIO.

POtest, quin cæteri circũstantes audiant. Et ratio est; quia si locutio est productio à loquente in audientẽ, vt Scot. opinatur, poterit conceptum in vnius mentem, & non cæterorum imprimere. Si autem sit, vt sentit S. Tho. spontanea

tanea manifestatio conceptus; poterit hoc modo vni, & non alteri loqui, id est, suum conceptum manifestare.

Vndecima diffic. Vtrum Angelus loquatur Deo?

CONCLVSIO I.

Doct. vbi. §. *Et S. Thom. art. 3.*

ANgelus Deo loquitur. De fide est. Et habetur Zachar. 1. vbi legitur, dixisse Angelum Domino. Domine exercituum, vsquèquo, tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?

Zachar. 1.

CONCLVSIO II.

Ad Rom. 4.

Angelus loquens Deo, non communicat illi aliquid occultum, siue ignotum. Et hæc etiam est de fide: quia Deus ab æterno est præscius futurorũ. Vocat enim ea, quæ non sunt, &c. Et nulla creatura est inuisibilis in conspectu eius: quia omnia nuda, & aperta sunt oculis eius: vt ibidẽ B. Paul. docet.

Ad Hebræ. 4. c.

Hinc Angelus, loquens Deo, nihil in Deo efficit. Ratio est; quia Deus non est receptiuus accidentium. Esset enim mutabilis. Et quia causa inferior non potest aliquid in causa superiori producere: nam corpora hæc inferiora nihil in superioribus efficiunt. Eò enim dicitur superior causa, quòd possit aliquid in inferiori præstare: non tamen è contra. Nam si inter causas esset mutua actio, & passio, nulla esset altera superior.

Append.

CONCLVSIO III.

Angeli, loquentes Deo, aliquid ab eo discunt. Ratio est; quia, vt discipuli loquentes, magistrum interrogant: vt ab eo aliquid occultum discant: ita, & Angeli.

Hinc, vt Angelus loquatur Deo, satis est: vt suum conceptum in illum ordinet, vel laudando Deum in admiratione eius potentiæ, sapientiæ, &c. Vel eius voluntatem de agendis consulendo: & ita dicuntur assistentes. Et quando non consultant: sed sunt negotiis hominum intenti, non dicuntur ita assistere: sicut, quando consulunt, tunc què dicuntur venire ad Deum. Constat apud Iob. cùm venissent filij Dei: vt assisterent coram domino, scilicet, ad consulendum.

Append.

Iob. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duodecima diffic. Vtrùm Deus creaturæ rationali loquatur?

Simul explicabitur, & quomodo loquatur.

CONCLVSIO I.

Deus, nõ loquitur rationali creaturæ, quin aliquid in eius intellectum imprimat. Hæc conclusio, quæ ex se patet, inductione probatur: quia Deus, dum loquitur, suam essentiam manifestando, lumen gloriæ imprimit. Et dum loquitur misteria reuelando, lumen propheticum, vel fidei imprimit. Et tandem dum loquitur naturalia manifestando, lumen naturale imprimit, iuxta illud. Signatum est super nos lumen vultus tui domine, lege cap. vlt. de consecr. dist. 5. *Psal. 4.*

CONCLVSIO II.

Deus loquitur, iuxta capacitatem eius, cui loquitur. Et patet; quia hominibus aliquando vocibus sensibilibus loquitur, vt in transfiguratione, aliquando loquitur sermone imaginario, nouas species in imaginatione imprimendo, vel componendo, & ordinando species in eius imaginatione præexistentes ita, vt repræsentent illi, quod Deus vult. Sic namque locutus fuit Salomoni per somnium. 3. Reg. 3. Nonnunquàm etiam loquitur intellectuali sermone, vel imprimendo nouas species intelligibiles, vel quod regulariter fit, componendo species præexistentes in intellectu ita vt quod, Deus vult, repræsentent. Et ita dicitur Deus Angelis loqui. Vnde D. Gregor. 2. moral. c. 4 dicit Deum loqui alicui, esse manifestare suam voluntatem, circa res agendas. *Caiet. in. 1. c. Iob.* *Matth. 17.* *3. Reg. 3.* *D. Greg.*

Decimatertia diffic. Potest ne eadem locutio esse à Deo, & ab Angelo?

CONCLVSIO.

Quando Deus per Angelum loquitur, eadem locutio potest tunc dici esse ipsius Dei, tanquàm principaliter agentis, & imperantis, Angeli verò tanquàm exequentis: ita quòd sermo exequentis ad personam imperantis referatur. *Alex. Alen. 1. p. q. 74. m. 4.* *D. Bona. q. 2. vbi. 5.*

referatur. Quod quidem bifariam fieri potest. Primò cùm angelus loquitur in persona Dei; vt quando formauit vocem illam Luc. 3. Hic est filius meus dilectus. Et cùm locutus fuit Moysi Exod 3. Secundò autem quandò loquitur; vt Dei nũtius, proferens illud verbum, quasi à Deo. Quo etiam modo dicimus Deum locutum fuisse per prophetas. Et hoc modo intelliguntur multa loca sacræ scripturæ, ex quibus colligitur conclusio. Et confirmatur Apoc. 1. loquens per angelum suum seruo suo Ioanni. Et ratione probatur; quia, vt in artificialibus eadem est actio, & operatio principaliter mouentis, & instrumenti, quàmuis sit ibi diuersa relatio: ita quando Deus loquitur per Angelum: vt dictum est, erit eadem Dei, & Angeli locutio. *Matth. 3. & Marc. 1.* *Luc. 3.* *Exod. 3.* *Apoc. 1.*

Magist. Sent. Distinct. X.

IN hac dist. Magister de missione Angelorum differit, cuius litera vnica quæstione sequenti erit conspicua. *Alex. Alen. q. 36.* *S. Thom. q. 112.* *S. Bona. art. 1. & 2. huius d. & Sco. & Durand. & Ricar. eadem d. 10.*

Quæst. vnica. De missione Angelorum?

QVæstio hæc eadem methodo, qua præcedentes, positis difficultatibus aliquot, erit perspicua.

Prima diffic. Vtrùm Angeli à Deo in nostrum ministerium mittantur?

CONCLVSIO.

Mittuntur quidem. Hæc conclusio est de fide, & colligitur ex variis sacræ scripturæ locis. Et habetur expressè Exod. 23. Ecce ego mitto Angelum meũ. Et Luc. 1. Missus est Angelus Gabriel à Deo. Confirmat autem Seraphicus doctor Bona. hanc conclusionẽ ratione charitate, & amore plena. Hæc enim missio, inquit ille, concordat, seu compatit charitati diuinæ, & charitati angelicæ, & humunę charitati. Diuinæ; quia in hoc manifestatur diuina bonitas, *Alex. Alen. m. 1.* *S. Tho. art. 1.* *D. Bona. art. 1. q. 1.* *Scot. & Durand. & Ricar. vbi. 8.* *Exod. 23.* *Luc. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonitas, quantum nostram salutem diligat, dū nobilissimos spiritus, qui ei intima charitate iunguntur, dirigit, & transmittit ad procurādam nostram salutem. Et competit etiam charitati angelicæ. Cùm enim charitatis ardentis sit, maximè desiderare aliorum salutem, ob quam etiam dicit, sicut legitur Isai.c.6. Ecce ego, Dñe, mitte me, & Angeli possint nos iuuare pro eo, quòd vident, nos suo auxilio indigere, & malos Angelos indesinenter nos impugnare. Ideò quòd ad nos mittātur, lex exigit charitatis angelicæ. Competit etiam hoc charitati humanæ, quæ, quoniam paruula est, quamdiu sumus in via, indiget foueri, & nutriri, & excitari. Et quoniam Angeli sunt conciues hominibus, cùm non sint eis iuncti per similitudinem naturæ, quæ excitat ad amorem, oportuit iungi per obsequium beneficentiæ. Hæc ex S. Bonauen. ad verbum.

Isai.6.

Secunda diffic. Vacant ne minùs contemplationi diuinæ, propter nostrum ministerium, quando mittuntur?

S. Tho. vbi s. & in 2. d. 10.

RAtio dubitandi est: quia actio in nobis minuit cōtemplationem.

CONCLVSIO.

Nullo pacto desistunt à contemplatione diuinæ veritatis, propter ministeria, quæ nobis exhibent. Et ratio est: quia in nobis, quantò magis intenditur actio sensuum, circà aliquod obiectum, tantò magis minuitur intellectus operatio: at verò in angelis, quia solùm habent intellectualem operationem, quæ est ratio, & regula exterioris operationis, illa interior operatio ex actione exteriori non minuitur. Vnde D. Greg. apud S. Thom. hic ait. Angeli, non sic foris exeunt: vt internæ contemplationis gaudijs priuentur. Et confirmatur à similinam sicut in artifice consideratio artis ex actione exteriori, quæ fit secundū illam artem, non minuitur: ita etiam, cùm Deus sit finis totius angelici ministerij, consideratio vltimi finis, qui est Deus, in Angelis ex actionibus exterioribus,

D. Greg. 2. moral.

ribus, quæ sunt secundum regulas illius finis vltimi, non minuitur. Ordinatur enim ministerium Angelorum ad reducendos homines in Deum, & ex fine sumitur ratio eorum, quæ sunt ad finem.

DVB. 1. Cur ergo dixit Angelus Tobiæ. 12. Vempus est; vt reuertar ad eum, qui me misit? *Tobiæ.12.*

REspondeo. Non hoc dixit, quòd recesserit à Deo per interruptionem contemplationis: quia Angeli eorum, semper viuent faciem patris. Vel per distantiam locale: quia Deus vbiquè est. Sed; quia apparuit in specie visibili, & ita recessit ab inuisibilitate. Et ita etiam dicitur filius exisse à patre. Et quia desinebat angelus esse visibilis, & redibat ad esse inuisibile, dixit. Tempus est, vt reuertar. &c. *Matth.18.*

Tertia diffic. Missionis nomen conuenit quoq; filio, & Spiritui sancto, sicut, & Angelis?

CONCLVSIO.

NOmen missionis commune est filio, & Spiritui sancto, & angelis. Ratio tamen secundum illud nomen est diuersa. Prima pars huius conclusionis patet ex sacra scriptura: nam de filio dicit ß Paul. Misit Deus filium suum. Et idem filius de se ipso ait, Ioan.8. Qui me misit, mecum est. Et de Spiritu sancto, inquit D. Petrus. Spiritu sancto misso de cœlo, in quē desiderant angeli prospicere. Secūda pars etiam est manifesta: quia alia ratione dicuntur mitti angeli, & alia filius, & Spiritus sanctus. Angelus enim dicitur mitti localiter, ab vno, scilicet, loco ad alium, in quo anteà non erat: Deus verò dicitur mitti secundum effectum, quem producit, & anteà non efficiebat.

Hinc mitti equiuocè dò angelis, & de filio, & Spiritu sancto dicetur. *S.Thom. art. 2. & in 2. hac d. & alij vbi s. Gala.4. Ioan.8. 1. Pet.1.* *Append.1.*

Append. 2. Alex. Alen. 1. p. q. 71. vsq; ad finē. S. Th. 1. par. q. 43. & dd. dist. 15. 1. Alex. Alen. vbi s. m. 1. S. Thom. art. 2. ad. 2.

Hinc, sicut Deus dicitur mitti dupliciter, scilicet, visibili, & inuisibili missione: ita, & Angeli dicuntur visione visibili mitti, quando visibiliter apparent, vel aliquod opus visibile exercent: & inuisibili missione, quando interiorem effectum spiritualem præstant, illustrãdo, scilicet, intellectum, & indirectè voluntatem inflãmando: vt suprà retulimus.

Quarta diffic. Vtrùm vnus Angelus alium mittat?

CONCLVSIO.

SOlus Deus principaliter autoritatiuè mittit Angelos: secundariò autem, & ex potestate collata potest vnus Angelus alium mittere. Prima pars conclusionis patet ex dictis in prima difficultate huius quæstionis. Secunda verò pars probatur: quia quando vnus Angelus mittit alium, ad diuinam autoritatem refertur. Et confirmatur Zachar. 2. vbi expressè habetur. Nam dicit Zachar. Ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum. Curre, loquere ad puerum istum, &c. Et vt dicit D. Gregor. apud Alexand. dum Angelus dicit ad alium Angelum. Curre, & loquere, dubium non est, quòd alius alium mittit: vt sub rege terreno ita disponuntur officia: vt ille, qui mittitur, non solùm à rege: verùm etiam ab alijs, qui superiora habent officia, mittantur.

Zachar. 2.

D. Greg.

Quinta diffic. Vtrùm mali Angeli à Deo mittantur?

Alex. Alen. m. 2.

HAec difficultas est fœcũda: nam multorum locorum sacræ scripturæ lõgam declarationem postulat. Duæ sunt circa hanc difficultatem opiniones. Vna affirmans Alex. Alen. m. 2. vbi suprà, quem secutus est S. Bona. super literam, & Gabriel hac dist. Altera est negans, quibus sequentes conclusiones respondent.

CON-

CONCLVSIO I.

Mittit aliquando Deus, etiam malos Angelos. Et probatur primùm. 3. Reg. 22. vbi dixit Dominus. Quis decipiet Achab, Regem Israel, & spiritui malo offerenti se ad decipiendum dixit Dominus. Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita. Quare misit illũ: quia Angeli mittuntur à Deo per imperium. Quod confirmat D. August. lib. 83. q. q. 53. à simili: nam vt iudex indignum ducit propria manu reum à se damnatum condemnare: sed illum suo mandato carnifex castigat, & punit: ita Deus viuorum, & mortuorum vniuersalis iudex, eum, qui decipi meretur, non per se decipere dignum iudicat, decipit autem dæmon illum, Deo præcipiente. Sunt, & alia loca sacræ scripturæ, quibus conclusio hæc corroboratur: vt locus psalm. 77. immissiones per angelos malos, & Matthæ. 8. Mitte nos in gregem porcorũ.

Alex. est. 3. Reg. 22. D. Aug. Psal. 77. Matth. 8. Marc. 5.

CONCLVSIO II.

Deus Angelos malos nõ mittit. Et ratio est, quia quod mittitur ab alio, procedit ab illo, secundum originem: vt filius, & Spiritus sanctus à Patre, & flos ab arbore; vel secundum imperium, vt seruus à domino: vel secundum consilium, vt à consiliarijs Rex. Et cùm dæmon non tendat ad decipiendũ ex imperio diuino, neque ex illius consilio; sed ex permissione diuina, non dicetur mitti: sed permitti. Confirmo hãc rationem: quia Iob c. 1. non legitur fuisse missum: sed permissum: vt flagellaret Iob. Atquè ita legitur. Ecce in manu tua est. Et Luc. 8. de dæmonibus eiectis ab homine obsesso legitur. Et rogabant eum: vt permitteret eis in porcos ingredi. Et permisit illis: ergo non illos misit. Et ita intelligendus est locus Matthæ. 8. & Marc. 5. conclusionis primæ. Cæterùm ad reconcilianda loca, quæ verbo tenùs pugnare videntur, nota sequentes propositiones.

S. Tho. q. 43. art. 1. Iob. 1. Luc. 8. Matth. 8. Marc. 5.

Prima Propositio.

Præceptũ, & iussio in diuinis litteris sæpe pro permissione & ordinatione diuinæ iustitiæ sumitur. Nam Matthæ. 19. libellus repudij dicitur permissus. Et Marc. 10. præceptus.

Matth. 19. Marc. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalm. 148. Et psalm.148.Præceptum posuit, ideſt, ordinationem, & nō
3.Reg.22. præteribit.Et verbum illud.3.Reg.22.Egredere,& fac, de ſententia S. Tho. q. 3. de malo art. 1. non importat præceptum: ſed permiſſionem,ſicut,& illud Ioā.13 Quod facis, fac citiùs.
Ioan.13. Et illud Matth.21. Niſi tibi datum eſſet deſuper, ideſt, per-
Matth.21. miſſum.Et hoc modo multa loca ſacræ ſcripturæ declarantur,in quibus dicitur Deum decepiſſe,& errare feciſſe, ſcilicet permittendo dumtaxat:& Deum etiam facere; quia miniſter diuinæ iuſtitiæ,ſola Dei permiſſione, facit. Et ita ſi teneamus cum Alexand. dicendum eſt illam miſſionem non eſſe, niſi ordinationem poteſtatis dæmonum ad puniendum; & permiſſionem voluntatis eorundem ad decipiendum.Lege omninò Caſtrum verbo malum, & malitia,
Caſtro. contra hæres.

Secunda Propoſitio.

Vnum peccatum eſt perſæpè alterius peccati pœna. Hæc
Ad Rom.1. & .2. colligitur ex B.Paul. ad Rom. 1. Qui, cùm Deum cognouiſſent,non ſicut Deum glorificauerunt,&c. Et ſequitur. Propter quòd tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in
Caſtro lib. 1. contra hæreſes cap. 11. immunditiam,&c.Et ibidem; propterea tradidit illos Deus in paſſionis ignominiæ;&c.Et rurſus tradidit illos in reprobum ſenſum: vt faciant ea, quæ non conueniunt. Et. 2. ad
2. Ad Theſſ. 2. Theſſal 2.Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent.Ideò mittet illis Deus operationem erroris, &c.
Sap.19. & Sap.19.percuſſi ſunt cæcitate,&c.

Tertia Propoſitio.

Iſtorum peccatorum;vt peccata ſunt, Deus non eſt autor.
D.Auguſt. Regula. Ratio eſt:quia teſte D.Aug. lib.83. q. q. 3. Deo autore, nemo
D. Fulgent. fit deterior. Et in lib.de articulis falſò ſibi impoſitis à Pelagianis art. 10. Et confirmatur regula illa celebri D. Fulgentij. Deus non eſt autor eius,cuius eſt vltor.Et cùm ſit peccati vltor,non erit profectò illius autor.
Hæreſis. Caſtro. Hinc confutatur hæreſis cuiuſdam Florini, & aliorum, qui dixerunt, omne malum eſſe à Deo. Lege Caſtrum verbos malum,& malitia,contra hæreſes. Quàm ſuſcitarunt ab inferis

inferis Lutherus,& Melāchthō ſuper.1.cap.epiſtolæ ad Rom. Vbi blaſphemarūt, dicētes, nō eſſe minùs opus Dei proditionē Iudæ,quā vocationē Pauli.Lege Sotū de natura,& gra-
Soto.lib. 2. tia,contra illos c.17.&.18.& in.4.d.15.q.1.art.1.

Quarta propoſitio.

Poteſt tamen dictorum ſequentium peccatorum eſſe cauſa,non,vt peccata,& culpæ ſunt,ſed vt ſunt pœna præcedentium peccatorum.Hæc propoſitio eſt Alex. vbi ſuprà, & Gabrielis.Et ratio eſt;quia licet Deus non ſit cauſa deceptionis,
Alex. Alen. Gabriel. quatenus culpa decipientis eſt, nequè in quantùm eſt culpa decepti,eſt tamen cauſa in quantùm eſt pœna eius, qui decipitur.Idem tenet Caiet.ſuper illa verba: Ecce ego ſuſcitabo
Caiet. ſuper te malum.2.Reg. 12. &. c.16. eiuſdem lib. ſuper verba. Dimittite eum,vt maledicat,iuxta præceptum Domini, re-
2.Reg.12. &.16. petit eandem ſententiam. Affirmare namquè nullius mali Deum eſſe cauſam,hæreſis eſt, quam confutat Caſtro verbo
Hæreſis. Caſtro. malum,& malitia,hæreſi.3. & verbo preſcientia, contra hæreſes.

Sexta diſſi. Vtrùm omnes Angeli mittantur?

DVæ opiniones referuntur à Magiſtro. Vna aſſeren-
Alex. Alen. m.3. tium, omnes Angelos, tam ſuperiores, quàm inferiores mitti. Hanc amplexi ſunt Alexand. Alen. & Præpoſitiuus,& Altiſiodoren.lib.2.ſuæ ſummæ, & Scot. & Ga-
S.Tho.art. 2. D.Bona.q.2. & alij vbi 3. briel vbi ſuprà. Altera eſt dicentium, ſuperiores Angelos primæ Hierarchiæ, & Dominationes ſecundæ Hierarchiæ,
Præpoſiti. Altiſiodor. Gabriel. Scot. nunquā ad nos mitti:ſed reliquos ordines inferiores quinq;. Hæc fuit ſententia B.Dionyſi. c. 13. cœleſt. Hierarch. cui ad-
B.Dionyſi. hæſerunt S.Thom. in art. 2. & d. 10. 2. ſent. & D. Bonauent. vbi ſuprà.

CONCLVSIO.

Omnes Angeli tam ſuperiores, quàm inferiores ad noſtrum miniſterium mittuntur.Et probatur; nam ſi ad Iſaiam
Iſai.6. volauit vnus de Seraphim, qui ſunt ſuperioris ordinis, cur non etiam de alijs omnibus ordinibus ad nos venient? Deinde D.Paul.de omnibus angelis loquens ad Hebræos. 1.
Hebr.1. inquit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit.Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi. Et multa etiam per Cherubim, & Seraphim in quibusdam locis legimus facta à domino fuisse. Cæterùm ad cõcordandas ambas opiniones animaduerte sequentes distinctiones.Prima diuisio.Missio vna est visibilis, scilicet, secũdum aliquem effectum exteriorem,& visibilem, & corporalem.Altera est inuisibilis,secundum effectum aliquem interiorem,& spiritualem. Prima mittuntur tantùm quinq; ordines inferiores;secunda verò omnes. Quia superiores nunciant inferioribus;inferiores verò hominibus, ita omnes dicuntur mitti. Et hoc modo impetrandus est B. Paul. locus citatus. Verùm hæc distinctio aliquot patitur angustias. Secunda diuisio. Quædam est missio secundum motũ localẽ, & hæc solùm conuenit inferioribus: quædã verò est missio per applicationem, & directionem noui effectus in creaturas,& hac mittuntur omnes,etiam superiores. Quia virtus superiorum immittitur in inferiores etiam alijs cõmunicãda. Hæc distinctio bona est. Et prima potest facilè defendi, si cũ D. Bona. Scot. & Gabr. vbi sup. distinguas missionem in exteriorem ad nos,quam D. Tho.vocauit localem motum : & hæc conuenit solùm inferioribus : & in interiorem ad alios angelos, sed propter nos. Et hac missione superiores mittũtur à Deo ad inferiores : vt illuminent alios. Et ita D. Paul. notanter dixit, Omnes missos fuisse non ad nos : sed propter eos,qui hæreditatem capiunt salutis. Quarta diuisio. Administratio, vel sumitur largè, vel strictè.Largè omnes Angeli sunt administratori;:strictè verò soli quinque ordines inferiores. Illustro rem exemplo: sicut in artificialibus quidam sunt architecti disponentes,scilicet,& præcipientes: quidam verò manu operantes : ita, & in Angelis quidam sunt, quasi præcipientes : alij verò operantes. Accipiendo igitur ministratores largè,tam pro præcipientibus,quã pro operãtibus, omnes sunt: vt dixit B. Paul. administratorij spiritus, strictè verò sumendo pro exequentibus tãtùm, hoc modo quidam ministrant,quidam assistunt. Et ita accipitur Daniel. 7. millia millium, &c. Quinta diuisio. Frequenter, & regulariter, Angeli inferiorum quinquè ordinum ad nos mittuntur: rarò

1.Diuisio. S.Th.est.

2.Diuisio. S.Thom. Ad Hebræ. 1.lect.6.

4.Diuisio. S.Th.vbi. s. ad Hebræ.

Daniel.7.

5.Diuisi. Durand.est.

rarò autem,& dispensatiuè reliquorum quatuor superiorum ordinum Angeli mittuntur ita; vt maiores ad maiora, minores verò ad minora officia facienda mittantur.

Hinc Angelum missum ad Christum in horto, tempore passionis orantem,ex supremo ordine Angelorum fuisse, tenendum est.Quia Christus, licet secundum humanam naturam fuerit minor Angelis,in gradu naturæ : fuit tamen in donis gratiæ maior:præsertim quantùm ad gratiam vnionis, secũdũ quã,est dñs Angelorũ, & quãtũ ad gloriam fruitionis, quam in instanti suæ conceptionis plenissimè habuit. *Append. Luc.22.*

Hinc etiam ad Virginem sanctissimam, summus Angelus mitti debuit: quia summum omnium nunciauit. Et quia ad eam,quæ regina cœlorum, & domina Angelorũ futura erat, & quæ omnes Angelos vincebat puritate, & omnes superabat pietate,mittebatur. *Append. D.Gregor.*

Septima diffic.Vtrùm omnes Angeli, qui ministrant, assistant?

CONCLVSIO I.

SI assistere sumatur pro eo, quod est, Deum præsentem cernere,quomodo omnes,in quorum præsentia Rex est, Regi assistere dicuntur, omnes Angeli, qui mittuntur, semper assistunt. Et ratio est; quia omnes beati cernũt Deum essentialiter præsentẽ, qui est suæ beatitudinis obiectũ. Nam de Angelis custodibus,qui frequẽter mittũtur,dixit Christus. Angeli eorum semper vident faciem Patris,qui in cœlis est. *D.Th.art.3. Duran.q.2. vbi.s. Matth.18.*

CONCLVSIO II.

Si assistere Deo rursus sumatur pro eo, quod est mentem Dei scire,hoc modo omnes quoque assistũt.Et ratio est; quia eorũ,quæ à Deo reuelãtur,nihil scit vnus ministrorum,quod alius nõ assequatur. Et ratio est; quia si agentia naturalia corporea bonitatẽ,quã habent, quò ad fieri potest aliis cõmunicant,multò magis profectò sancti Angeli, qui bonitatis diuinæ sunt plenissimè participes, quicquid à Deo recipiunt, inferioribus Angelis impartientur. Quod confirmat B. Dionys. 15. cœlest. Hierarch. dicens. Vnaquæque cœlestis essentia intelli- *B.Dionysius*

Universidad de Deusto
Biblioteca

telligentiam,sibi à superiori datam,inferiori communicat.

CONCLVSIO III.

Si assistere strictè sumatur, pro eo quod est scire immediatè Dei mentē,non omnes Angeli assistunt. Et ratio est; quia illi soli hoc modo assistunt, qui à Deo immediatè illuminantur. *B. Dionys.* Tales sunt Angeli primæ Hierarchiæ: non autem Angeli secundæ Hierarchiæ,qui ab Angelis primæ Hierarchiæ illuminantur:vt B.Dionys.3.c.cœlest.Hierarc.docet.

S.Thom. vbi suprà. D.Greg. D.Aug.

Octaua diffic. Est ne maior astantium quam ministrantium Angelorum numerus?

D.Greg.tenet,maiorē esse ministrantium numerum.D.autem Dionys. copiosiorē esse assistētium numerū arbitratur.

CONCLVSIO.

Daniel.7. Plures sunt Angeli, qui assistunt, quàm qui ministrant. Colligitur expressè hæc conclusio ex.7. cap. Danielis, vbi legitur.Millia millium ministrabant ei,& decies millies centena millia assistebant ei. Et ratione confirmatur: quia quò aliquid in rebus creatis est dignius, eò est magis à Deo intentum,& multiplicatum. *D.Dionys.* Hæc sententia B. Dionysij est magis rationi consentanea. Hinc tamen non colligitur certum esse numerum à Daniele positum: nam fortè sunt multò plures, quàm numerus ille insinuat.

Nona diffic.Ad quid Angeli præcipuè mittuntur?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. vbi suprà. m.4. PRincipaliter mittūtur:vt diuinā peragāt iussionē, & volūtatē.Et ratio est:quia in eo est principalis finis actionis cōstituendus, qui est principiū, & finis:qualis est Deus.

CONCLVSIO II.

Apoc. 1. & 22. Ad Hebr.1. Mittuntur etiam propter nostram salutem. Probatur ad Hebræ. c. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi,propter eos,qui hæreditatem capiunt salutis. Vbi non finem vltimum posuit:sed vtilitatem ex parte hominum assignauit,quæ ad vlteriorem finem est ordinata.

Decima

Decima diffic. Mittuntur ne singuli Angeli ad singula officia,vel indifferenter omnes ad omnia?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi suprà. SInguli Angeli prompti sunt,ad singula officia: quædam tamē sunt,propter appropriationē, quibusdā peculiaria. Conclusio hæc est D.Greg.apud Alex.Alen.vbi sup.

D.Greg. Append. Psal.103. Hinc omnes omnium ordinum Angeli, cōmuni nomine Angeli appellantur.Quia ad officium explendum, vel secretum nunciandum mittuntur. Cōfirmatur psal.103. Qui facit Angelos suos spiritus, ideſt, spiritus suos facit Angelos. Sic enim est litera ordinanda. Et per appropriationem vnus ordo Angelorum dicitur,quia illorum est minora nunciare.

Vndecima diffi. Mittuntur ne etiam ad illuminandum intellectum, & inflāmandam voluntatem,siue affectum?

S. Bona. art. 2. q. 1. & 2. vbi suprà. AMbæ partes tituli huius difficultatis fuere suprà in quæstione de potentia dæmonum circa animas expositæ.Lege hic D.Bonauent.

DVB. II. Cur dicuntur mitti ad illuminandum, purgandum,& perficiendum?

S.Bona. q. 2. vbi suprà. REspondeo cum D. Bona. Duo sunt modi dicendi. Et primus docet illos tres actus respicere intellectū ita: vt purgatio sit in initio,illuminatio in progressu,& perfectio in termino. Secundus verò modus dicendi est,vt per hos tres actus notentur tria, ad quæ ordinatur eruditio, siue doctrina Angeli. Et primum est ad remotionem impedimentorum. Secundum est ad cognitionem verorum. Et tertium ad dilectionem beatorum.Et ad hæc ordinatur eruditio angelorum:sicut benè prædicantis sermo.

Append. D.Dionys. Hinc bonus, & doctus prædicator, dicitur suos auditores illuminare,& purgare,& perficere:vt expressè D.Dionys.lib. de cœlest.Hierarchia innuit.

Magist.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magist. Sent. Distinct. XI.

IN hac dist. differit Magister de custodia Angelorum, & de aliis, quæ suprà fuerunt exposita. Et intelligetur litera sequenti quæstione.

Quæstio vnica. De custodia Angelorum.

Alex. Alen. q. 41. S. Thom. q. 113. S. Bona. Scotus. Durand. Gabr. Ricard. hac dist. 11. Alex. Alen. m. 1. S. Tho. art. 1. S. Bona. q. 1. art. 1. reliqui vbi. §. Psal. 90. D. Bernard. Psal. 8. B. Hiero. Matth. 18. Orig. Num. 1. Cor. 13.

HÆc quæst. positis nonnullis difficultatibus, erit exposita.

Prima diffic. Vtrùm detur Angelorum custodia circa homines?

CONCLVSIO.

ANgeli ad custodiam hominum sunt deputati. Hæc est de fide, cùm expresè in multis locis noui, & veteris testamenti contineatur. Vt psal. 90. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Et Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris, &c. Et quoniam breuitati studeo, aliis prætermissis, ad longissimam de hac re disputationem texendam, lege omninò D. Bona. vbi suprà. Et præter alios doctores citatos. Lege D. Bernard. super locum citatum psal. in sermone de Angelis, & super psal. quid est homo, quod memor es eius. Et B. Hieron. super locum Matth. 18. citatum. Et Orig. super lib. Num. Vbi quanta nobis præstent auxilia, & quanta cum reuerentia, & deuotione, & fiducia sint à nobis Angeli custodes venerandi, reperies. Et ratio tandem conclusionis est; nam, vt puer, quandiù paruulus est secundum corpus, indiget manuductore, quo vsquè ad perfectam veniat ætatem (quia facilè potest cadere) ita homo: quia secundum animam facilis est ad casum spiritualem, eget spirituali custode, quo vsque ad aliam ætatem; quæ perfecta est, perueniat. Quod D. Paul. innuere visus est, dum statum hominum existentium in via, puerili statui comparat.

Secunda diffic. Competit ne Angelo hominis custodia à natura? an à gratia?

CONCLVSIO.

ANatura, & à gratia Angelis hominum custodia conuenit. Et ratio est; quia, cùm Angelus ex natura sua sit homine fortior, & potentior, & similiter in gratia excellentior, & stabilior, & plùs excedat hominem, quàm pedagogus paruulum, conueniet profectò Angelo ex natura; vt à primo principio, & ex gratia; vt à proximo, vt homo eius custodiæ, & tutellæ committatur. *Alex. Alen. m. 2. & S. Bona. vbi. §.*

Tertia diffic. Angeli quo modo ad hominum custodiam mitti dicuntur?

RAtio dubitandi est; quia semper sunt in cœlis Dei faciem videntes. *Matth. 18.*

CONCLVSIO.

Angelus de nouo mittitur ad hominum custodiam, nouum locum, nouum modum, & nouum vbi, acquirendo, ad procurandam hominum salutem, spiritualiter illuminando, miracula faciendo, & apparendo, & aliis modis homines instruendo. Hæc conclusio probatur per dissimilitudinem missionis diuinarum personarum, quæ: vt suprà retulimus, dicuntur mitti, non quòd nouum locum, vel nouum vbi acquirant, cùm vbique sint, & sint vnus Deus, cœlum, & terram implens; sed quia nouum effectum, sine eorum mutabilitate in creaturis producunt, & nouum modum acquirunt, secundum quem priùs non fuerat; vt filius per carnis assumptionem, & Spiritus sanctus per nouam sanctificationem.

Hinc dicuntur semper videre faciem patris, nō quòd semper sint in cœlo localiter: sed quia vbicunque sunt, semper Deo, qui vbique est, fruuntur. Append. *Matth. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta diffic. Vtrùm omnes trium Hierarchiarum Angeli, ad homines custodiendos, mittantur?

HÆc difficultas in q. proxima. 10. d. explicata est. Diximus enim missione exteriori solos quinque ordines inferiores mitti: missione verò interiori, quæ est illuminatio superioris Angeli ad inferiorem, quæ fit propter nos omnes, mitti. Et hoc modo declarandus est B. Paul. ad Hebr. 1. quando dicit: Omnes in ministerium missos.

Hebr. 1.

Quinta diffic. An sit necessaria Angelorum custodia?

Alex. Alen. m. 1. & S. Bona. vbi. §. & S. Tho. in 2. hac. d. q. 1. art. 1. Iob. 7. Psal. 126. Psal. 120.

RAtio dubitandi est: quia Deus est custos hominum, & nisi ipse custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam, & est ita fortissimus, & vigilantissimus custos, quòd non dormitabit, nequè dormiet.

CONCLVSIO.

Est necessaria; sed non principaliter. Et ratio est; quia ad bonum operandum duo desiderantur: primum est, vt voluntas ad bonum inclinetur, secundum est, vt ad perficiendum bonum media congrua habeantur. Quò ad primum, Deus immediatè custodit hominem, infundendo ei gratiam, & virtutes. Quò ad secundum verò Deus custodit hominem, illum mediantibus Angelis instruendo. Et confirmatur à simili: nam vt in artificialibus alia est causa disponens ad formam: alia verò formam inducens: ita Angelorum officium est homines ad gratiam, & gloriam præparare, per illuminationes, &c. & instrumentaliter operando. At verò Deus est principale agens, & custodiens vltimam perfectionem, dans gratiam coniungentem nos gratiæ consummatæ, & fini vltimo, scilicet, gloriæ.

DVB. I. Quænam sunt causæ, propter quas, Angelorum custodia datur?

REspondeo; sequētes sunt. Et prima vt homo in bonum gratiæ promoueatur, & proficiat. Secunda, vt in malum culpæ nō cadat. Tertia, vt si ceciderit resurgat. Quarta, vt si

vt si non surrexerit à malo culpæ, ne sæpiùs cadat. Est autem hìc animaduertendum, quòd sicut Diuinæ prouidentiæ est impedire mala ita: vt conditio naturæ saluetur, ita etiam Angelorum custodum est homines custodire, non ad virtutem cogendo, nequè vi à vitiis retrahendo. Ratio est; quoniam aliter, & libertas arbitrij, & meriti ratio perirent.

Hinc sicut Angelus bonus non cogit, nequè dæmon tentans cogere poterit. *Append.*

Sexta diffic. Qui nam sunt custodiæ angelicæ effectus?

Respondeo cum D. Bona. per duas propositiones.

Prima Propositio.

Tres sunt generales custodiæ Angelorum effectus. Et ratio est; nā cū dæmon humanæ naturæ hostis crudelissimus corpus, ideſt, corporales virtutes violentia opprimat, intellectū astuciis suis decipiat, & seducat, & volūtatē blādiciis alliciat, ideô datur Angelus bonus custos, qui tres cōtrarios effectus prædictis efficiat: nēpè, vt hominē defendat ab oppressione cōtra violētiā, & erudiat, ac dirigat cōtra fallaciam, & exhortetur, & inducat ad bonum contra dæmonum blanditias. *S. Bona. q. 2. art. 1. vbi. §.*

Secunda Propositio.

Sunt particulares effectus duodecim numero, qui à doctoribus ex sacris literis colliguntur. Probatur inductione. Primus effectus est pro delictis increpare: vt Iudicum c. 2. Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locū flentium, & ait. Eduxi vos de Ægypto. Et paulò post. Non audistis vocem meam. Cur hoc fecistis? Secundus est à vinculis peccatorū absoluere, quod intellige dispositiuè. Act. 12. Angelus astitit, &c. & ceciderunt catenæ de manibus eius. Tertius est, quæ bonum opus impediunt, auferre. Quod significatur Exodi. 12. Vbi legitur, Angelum percussisse primogenita Ægypti. Quartus est dæmones arcere. Tob. 12. Dixit Tobias patri suo de Raphaele: dæmonium ab ea ipse compescuit. *S. Bona. art. 2. q. 1. vbi. §. Iudic. 2. c. Act. 12. Exod. 12. Tob. 12.*

Tob.5.6.8. Quintus est docere. Tob. 5. 6. & 8. Vbi Angelus docuit Tobiam. Et Daniel. 9. Nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Et Num. 22. Angelus docuit Balaam per asinam. Et Act. 10. Docuit Cornelium, quod fit, assumpto corpore. Sextus effectus est, secreta reuelare. Genesi. 18. Tres Angeli misterium Trinitatis, & vnitatis expresserunt. Et ibidem sequitur: num celare possum Habraam, quæ gesturus sum? Septimus est consolari. Tobiæ. 5. forti animo esto, in proximo est: vt à Deo cureris. Octauus est in via Dei confortare. 3. Reg. 19. Surge, & comede. Grandis enim tibi restat via. Nonus est in via ducere, & conducere, & reducere. Tob. 5. Ego ducam, & reducam eum sanum ad te. Decimus est hostes deiicere. Isaiæ. 37. egressus Angelus Domini percussit in Castris Assyriorum, &c. Vndecimus est tentationes mittigare. Et hic effectus innuitur Gen. 32. vbi Iacob, post luctam, confortatus fuit, accepta benedictione, & emarcuit neruus femoris eius. Duodecimus est orare, & orationes Deo offerre. Tobiæ. 12. Quando orabas cum lachrymis.

Hinc apertissimè colligitur, quantas Deo gratias agere, & Angelis obnoxij, & grati esse tenemur. Cæterum ad maiorem quinti effectus, qui est docere, intelligentiam nota cum Scoto sequentes propositiones. Et sit. 1. &. 3. ordine.

Daniel.9. Num.22. Act.10. Gen.18. Tob.5. 3.Reg.19. Tob.5. Isai.37. Gen 32. Tobiæ.12. Append.1. Scot. vbi.s.

Tertia Propositio.

Angelus nihil potest causare in intellectu coniuncto, neque speciem intelligibilem, neque notitiam aliquam. Et ratio est; quia pro hoc statu intellectus noster dependet à phantasmate, idest, à sensu communi; quoniam nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

Arist.

Quarta Propositio.

Nullus Angelus potest causare in nobis species phantasticas, nouas sine obiecti præsentia. Et ratio est; quia non potest supplere effectum causæ secundæ, nempè, obiecti materialis. Hoc enim solius Dei proprium est.

Quinta propositio.

Angelus præter doctrinam exteriorem, quam potest assumendo corpus præstare, potest etiam mouere intellectum ad cognitionem, vel transferendo phantasmata ex vna parte sensus communis ad aliam, ad quam transmutationem, intellectus immutatur: quia illo motu excitatur. Nota non transponi, aut mutari phantasma, nisi simul humor, in quo subijcitur, transferatur. Est enim accidens, quod à subiecto in subiectum migrare haud potest. Exempli gratia phantasma partium huius propositionis, peccatum est vitandum, propter fugiendam gehennam, subijcitur in aliquo humore sanguineo, Angelus volens tunc incutere timorem gehēnæ, remouet ex vno loco sensus communis illum humorem ad alium locum, & ita excitatur intellectus; vt concipiat similem propositionem. Vel alio modo purgando, instar medicorum virtute propria illa phantasmata: vt possint mouere intellectum, qui aliquando non mouent, eò quòd sint multo humore mixta: vt accidit in freneticis. Vel tertiò transferendo humorem Petri, in quo sunt phantasmata, & deferendo ad sensum cōmunē Ioannis, vt possint illum mouere.

Ex tertia propositione colligitur, ab Angelo non posse hominem eleuari ad cognoscendum obiectum aliquod supernaturale, vel aliquem thesaurum sub terra, &c. Et si aliquādo diaboli virtute aliqua omninò occulta cognoscit, illud fit per reuelationem diaboli, assumentis corpus, aut per vehementem imaginationem: & tunc, quod est falsum, imaginatur esse verum.

Append.2.

Septima diffic. Quibus datur Angelorum custodia?

CONCLVSIO.

Omnibus viatoribus Angelorum custodia conceditur. Et ratio est, quia custodia Angelorum est quædam diuinæ prouidentiæ executio, estq; eiusdem prouidentiæ proprium, quæ iuuant ad finem vltimum consequendum, conferre, & quæ illius assecutionem impedire possunt,

Alex. Alen. m.3.& 4. S.Th.art.2. & 4.alij vbi suprà.

Universidad de Deusto
Biblioteca

possunt, tollere. Et cùm viatores nondum consecuti sint suũ finem vltimum, indigent Angelorum custodia; vt finem cõ sequantur, & impedimenta, quæ finis consecutionem impedire possunt, tollantur: sicut hominibus per viam nõ tutam ambulantibus dantur custodes.

Append.1. Hinc, vsquè ad mortem tãtummodò durabit Angelorum custodia: quia tunc desinunt esse viatores.

Append.2. Hinc, animæ separatæ in purgatorio existenti non opus est custodia Angelorum: quia ibi nec impediri, nec in bono promoueri potest.

Append.3. Hinc, neq; Angeli boni, nequè animæ beatæ egent custodia; quia iam sunt confirmati in bono, & sunt impeccabiles. Isai.60. Isai.60. non occidet vltra sol tuus.

Append.4. Hinc, nequè dæmones, & animæ damnatæ indigent Angelo custode: quia sunt obstinati in malo; & nunquàm illos pœnitebit, nec timent periclitari. Malum enim quod timebant, illis euenit.

Octaua diffic. Primi parentes habuerunt ne Angelum ad sui custodiam deputatum?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m.4.art.1. S. Bona. art. 1.q.2. S.Tho.art.2. & .4. & alij vbi.s.

HAbuerunt. Et ratio est; quia, licet, in primis parentibus fuerit naturæ rectitudo; nihilominus tamẽ rectitudo illa fuit ad bonum, vel malum vertibilis. Neq; enim in vnum conuersus, statim in illo cõfirmabatur. Nam cùm cecidisset, à malo per pœnitentiam surrexit. Deindè quia, licet, non esset tunc periculum ex rebellione carnis ad malum instigantis; erat tamen periculum in potentiâ peccandi ex parte dæmonis oppugnantis. Et tandem quia erat debilioris naturæ, quàm Angelus, præsidio, & auxilio angeli custodis indigebat.

Nona diffi. Pueri habent ne Angelum custodem?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art.3. S.Tho.art.1. & alijvbi.s.

HAbẽt. Et ratio est, quia possunt à dæmone variis impedimẽtis offendi, ad quæ impedimẽta de medio tollẽda vnicuique suus Angelus custos à Deo assignatur.

Decima

Decima diffic. Habent ne alium Angelum, ab Angelo matris, dum in vtero matris existunt?

CONCLVSIO I.

ANgelus matris, dum est in vtero custodit eundem. Et ratio est; quia dum est in vtero, non est omninò à matre separatus: sed per quandam collationem est quodammodo aliquid matris. Quemadmodum fructus in arbore pendens aliquid arboris esse dicitur.

CONCLVSIO II.

B.Hiero. Matth.18.

Puero statim, vt à matris vtero separatur, Angelus custos deputatur. Et ratio est; quia tunc incipit custodia. Hæc conclusio est B. Hieronym. super illud Matthæ. 18. Angeli eorum, &c. dicentis. Tanta est dignitas animarum; vt vnaquæquè habeat ab ortu suæ natiuitatis in sui custodiam angelum delegatum.

DVB. II. *Quomodo cuilibet animæ datur suus Angelus in custodiam?*

RAtio dubitandi est: quia sunt plures animæ rationales præteritæ, & præsentes, & futuræ, quàm sint Angeli ad custodiam deputati.

Respondet Magister hac distinct. 11. non sunt tot simul homines actualiter existentes, quot sunt Angeli boni; & ideò sufficit vnus angelorum ad multos homines. Nam vno homine ex hac vita migrante, Angelus datus sibi in custodiam, alteri homini succedenti assignatur.

DVB. III. *Deputantur ne alicui homini aliquando in custodiam plures Angeli?*

REspondeo. Deputantur quidem, secundum dignitatẽ, præfatam, & aliquam Dei gratiam, ab eodẽ participatam. Quod patet in Pont. Summo, cardinalibus clauem iurisdictionis habentibus, prælatis, & principibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vndecima diffic. Habebit ne Antichristus Angelũ in sui custodiam?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 4. S. Th. art. 4. & alij vbi. §.

HAbebit. Et ratio est ; quia lex communis propter vnũ mutari non debet. Et quia in hoc eius pœna iustior apparebit : quoniam beneficia , toti naturæ humanæ concessa, non, vt æquum est , accipiet. Postremò ; quia eius custodia non erit frustrà omninò ; propterea quòd saltem retractus per Angelum custodem, à multis malis cassabit ; & non tantùm nocebit, quantum erit ei in votis.

Duodecima diffic. Habuit ne Christus Iesus Angelum custodem?

Alex. Alen. art. 2. S. Tho. art. 4. S. Bona. q. 3. art. 1 & alij vbi. §. D. Dionys. Altisiodor. D. Hiero. Matth. 4. Psalm. 90. Alex. Alen. vbi. §. super hunc locum. D. Aug.

OPinio prima Altisiodoren. lib. 2. suæ summæ , & Tho. de Argentino in hac distinctione , & aliorum fuit affirmans. Et D. Dionysi. cap. 4. cœlest. Hierarc. tenet, quòd Christus erat , mediantibus angelis , paternis traditionibus subditus. Opinio negans secunda est cõmunis omniũ theologorum.

CONCLVSIO.

Christus Angelum custodem non habuit ; habuit tamen multos deputatos in ministros. Hanc confirmat D. Hiero. lib. 1. in Matthæ. c. 4. dum dicit illud psalm. Angelis mandauit de te , &c. non esse intelligendum de capite , sed de membris. Quare perperam allegauit hunc locum dæmõ in tentatione. Idem tenet D. August. ibidem. Probatq; hanc cõclusionem D. Bona. vbi suprà ratione ; quia non fuit conueniens, vt talem Angelum haberet : propterea quòd custodia in custodiente respectu custoditi dicit quandam præsidentiam: Christo autem omnes Angeli subditi erant. Neq; indiguit angeli custodia, vt filij hominum, vel ad corporis defensionem : quia eius corpus erat diuinitati vnitum , vnde non poterat per violentiam illud opprimere : vel ad mationis eruditionem : quia habuit intellectum à verbo plenissimè illustratum. Vnde non poterat Christi intellectum per astutias

seducere.

seducere. Nec tandem indiguit angeli custodia , ad incitandam affectionem : quia habuit Christus affectum gratiæ plenitudine confirmatum. Atquè ita non poterat dæmon suis blanditijs eum allicere. Fuitquè verè comprehensor, & beatus , & eius meritum nec impediri , nec promoueri poterat. Habuit tamen multitudinem Angelorum in ministerium ; vt Matthæ. 4. Accesserunt Angeli , & ministrabant ei. Nec mirum , cùm esset caput Angelorum. Autoritas verò D. Dionysi. intelligitur indirectè , quatenus Angeli instruebãt Mariam, & Ioseph de ijs , quæ circa puerum Iesum, agere debebant; & ita erat subditus paternis traditionibus, mediantibus angelis. Matth. 4. Lucæ. 2.

DVB. IIII. Cur igitur in passione ab Angelo confortatus fuit?

REspondeo. Fuit confortatus, non custodiendo , vel aliquid imprimendo in Christum ; sed reuerendo illum, & congratulando fortitudini eius. Quemadmodum homo naturaliter in tribulatione ad præsentiam amicorum confortatur. Alex. Alen. vbi. §. Luc. 22.

DVB V. Fuit ne saltem datus Angelus malus Christo ad exercitium?

CONCLVSIO

NEquaquam fuit illi datus ad exercitium. Et ratio est, quia exercitium , vt docet D. August. apud Alexãd. loco citato , proprie est , vt probetur aliqua virtus, illesa ; probata ostendatur : probatio autem huiusmodi proprie non est , nisi vbi est difficultas. Vnde ars dicitur versari circa difficile. In Christo autem non erat difficultas , quæ ex naturæ corruptione emanat. Nequè enim assumpsit ignorãtiam ex parte intellectus, neq; difficultatẽ ex parte affectus, quare non habuit Angelum malum ad exercitium. Alex. Alen. art. 1. & 2. vbi. §. D. August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. VI. Ad quid ergo habuit Angelum malũ, si non ad exercitium?

Alex. Alen. vbi. §.

REspondeo cum Alex. Alen. vbi suprà. Tentatio quædã est interna, circa quam propriè est exercitium, & hac non fuit tentatus Christus. Aliâ verò est externa, & hac fuit tentatus Christus, atquè ita voluit habere Angelum malum non ad exercitium, vt dictum est: sed ad nostram instructionem, vt in eo vincere discamus tentatorem.

Decimatertia diffic. Vtrùm Angelus deserat custoditum propter eius præscientiam, & obstinationem?

Alex. Alen. m. 5. S. Tho. art. 6. S. Bona. art. 2. q. 1. vbi. §.

DIuus Bona. loco citato varios modos dicendi affert. Et nota cum illo. Angelorum custodia aut est respectu boni cõseruandi, acquirendi, vel augendi: aut est respectu mali deserendi, vel minuendi.

CONCLVSIO I.

Angelus custos non relinquit hominem omninò; sed secũdum quid, idest, secũdum aliquem effectum. Ratio est; quia cùm Angelorum custodia sit quædam diuinæ prouidentiæ executio: quemadmodum diuina prouidentia secũdum magis, & minus prouidet diuersis, iuxta eorum conditionem; non tamen ex toto relinquit hominem, quoniam in nihilũ redigeretur; ita etiam Angelus custos secundum quid, vel secundum aliquem effectum dicitur relinquere hominẽ: quatenus non prohibet omnia nocumenta; vel quia eum tribulationibus exponit; vel quia, iusto Dei iudicio ab aliquo peccato nõ retrahit: vel quia demerito hominum exigente, nõ ita efficaciter ad bonum promouet, nec à malis tuetur. Et confirmatur; quia boni Angeli proniores sunt ad hominem adiuuandum, quàm mali ad infestandum, & cùm mali nũquã cessent ab infestando: iuxta illud. 1. Pet. 5. Aduersarius vester diabolus tanquàm leo rugiens, &c. Nequè boni Angeli à custodiendo cessabunt. Et iuxta notabile positum ex D. Bona. fit ad maiorem declarationem,

1. Pet. 5.

CON-

CONCLVSIO II.

Angeli, quò ad primos actus bonos, deserunt obstinatos. Ratio est; quia frustrà essent tunc eorum actus, & conatus.

CONCLVSIO III.

Angeli custodes, quò ad secundos actus malos, non deserunt obstinatos. Ratio est: propterea quòd, semper, ne homo in peius labatur, retrahunt. Quò enim quisquè peior est, eò est ad malum pronior, & eò magis retrahente indiget. Quam quidem custodiam semper habet: quoniam dum est in via, obstinatus potest conuerti. Et confirmatur exemplo medici, qui neminem omninò deserit, nisi de eius salute totaliter desperet.

Append. 1. Ierem. 51. Isai 5.

Hinc, germana interpretatio loci Ieremiæ. 51. Vbi dicitur Curauimus Babylonem, & non est sanata, dereliquimus eam, &c. Et loci Isai. 5. Auferam sepem eius, idest, angelorum custodiam, & erit in direptionem; colligitur. Non enim sunt interpretandi de omnimoda desertione, quin semper: vt constat, aliquis custodiæ effectus sequatur. Nam sicut medicus corporalis, cùm desperat de perfecta sanitate, non omninò dimittit ægrotum, quamdiu viuit: sed semper aliquid operatur circa illum, saltem ad morbi mitigationem, & ad vitæ prolongationem: ita, & medicus spiritualis: vt pote Angelus etiam si desperet, non tamen omninò dimittit peccatorem: sed semper circa illum aliquid operatur: ne saltim ægritudo spiritualis ingrauescat.

Append. 2.

Hinc, sententia Altisiodor. vbi suprà, non est audienda, qui de Antichristo loquens ait. Quòd, licet, à principio habiturus sit Angelum in custodiam: posteà tamen, quando deueniet ad tantam dementiam, & superbiam: vt dicat se esse Deum, totaliter deseretur ab Angelo. Huic enim sententiæ communis sententia theologorum repugnat, & est falsa: vt ex dictis constat.

Decima-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimaquarta diffic. Possunt ne Angeli negligentiam committere circa hominum custodiam?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m.6. art.1. vbi.5.

NVllam possunt Angeli, circa hominum custodiam negligentiam committere. Et ratio est; quia faciunt quicquid in se est, circa eos, quibus deputantur, neq; aliquid de contingentibus omittunt. Et in eis nullo modo culpa cadit, immò nec cadere potest.

Decimaquinta diffic. Vtrùm gaudium Angeli custodientis ex salute custoditi crescat?

Alex. Alen. ar.2. S.Tho. ar.7. S.Bona. q.2. & aly vbi.5.

TRes refert S. Bona. de hac re opiniones. Prima tenet crescere accidentale, & essentiale gaudium. Et ratio huius opinionis est: quia Angeli non sunt totaliter in termino. Quæ opinio quantùm ad præmium essentiale ab omnibus reprobatur; quia respectu huius præmij totaliter sunt in termino. Secunda opinio est extrema, quæ dicit in angelis, nequè occidentale gaudium posse incrementum suscipere. Tertia opinio est media, quam cum D. Bonauen. elegimus.

Error.

CONCLVSIO I.

Gaudium essentiale, quod habet Angelus de Deo, & in Deo, non crescit, propter custoditi salutem. Et ratio est; quia non ob hanc causam fiunt beatiores, nempè: vt magis videant, ament, & teneant Deum. Cùm enim sint beati, in beatitudine proficere non possunt.

CONCLVSIO II.

Gaudium accidentale, quod habet Angelus de bono creato, siue proprio, siue alieno, propter salutem custoditorum extensiuè augetur. Et ratio est; quia extensiùs de pluribus gaudent, pluraquè adepti sunt. Vnde formaliter dici solet, non gaudere, quòd sint maiora bona adepti, quod refertur ad præmium essentiale: sed quòd plura bona sint consecuti, quod ad præmium accidentale pertinet. Et in hoc omnes conueniunt.

CON-

CONCLVSIO III.

Etiam tale gaudium in Angelis extensiuè augetur. Et ratio est; quia plus gaudent. Quod patet Luc.15. nã si gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, maius profectò gaudium erit de illius beatificatione, & maximum de multorum saluatione. Tum etiam; quia cùm crescat materia gaudij ex Christi exultatione in sanctis suis, ex reparatione Angelicæ ruinæ, & ex inuentione hominis perditi, crescet, & gaudium. *Luc.15.*

Decimasexta diffi. Vtrùm ex damnatione custoditi incurrat Angelus aliquod detrimentum?

Alex. Alen. & S. Thom. vbi suprà & S.Bona.

DIuus Bona. duas affert opiniones, vnam affirmantem, Angelos beatos ex damnatione custoditorum concipere gemitum misericordiæ: alteram negantem, concipere Angelos, eam ob causam gemitum aliquem, vel incurrere aliquod gloriæ detrimentum. Et hæc est communis opinio.

CONCLVSIO.

Nihil molestiæ, vel detrimenti sequitur Angelis custodibus ex custoditorum damnatione. Et ratio est; quia cùm sint perfectè beati, nihil illis molestiæ accidere potest. Ibi enim nequè luctus, nequè clamor nequè dolor erit vltrà. Apoc.21. Nam cùm in illis non possit esse peccatum, nequè erunt tristitia, & dolor, quæ peccata consequuntur. Vt enim perfecta fœlicitas includit omne bonum, excludit omne malum. *Apoc.21.*

DVB.VI. Si consecutio gloriæ est causa maioris gaudij accidẽtalis, cur amissio gloriæ, & frustratio finis, non erit causa saltem tristitiæ accidentalis?

CONCLVSIO.

ILla non est frustratio. Et ratio est: quia sicut Deus in communi vult omnes homines saluos fieri: non tamen in particulari

Universidad de Deusto
Biblioteca

ticulari vult hunc reprobum saluum fieri:sic non intẽdit angelus salutem huius, quem custodit; sed tantùm eius custodiam.Atquè ita non frustratur fine,nequè molestiam aliquam patitur. Et ratio est;quia cùm angeli sint per omnia diuinæ voluntati conformes, quemadmodum nihil potest contra Dei voluntatem accidere,nequè contra suam voluntatem accidet. Et cùm tristitia oriatur ex iis, quæ nobis nolentibus accidunt,non est quòd tristentur. Licet enim voluntate antecedenti velint omnium salutem, instar Dei Opt. Maxim. voluntate tamen consequenti solùm prædestinatorum. Et quia hæc est propria, & vltima voluntas angelorum;ideò nihil fit contra eorum voluntatem.

Append.1. Hinc custos non fraudatur proprio fine in damnatione custoditi. Ratio est,quia ille propriè dicitur frustrari desiderio alicuius rei, qui illam desiderat in omnem euentum absolutè, & non qui desiderat sub aliqua conditione, illa non subsecuta. Et quia ita Angeli salutem custoditorum optant, nempè, si velint diuinam legem custodire; ideò non posita conditione, non frustrantur. Immò de diuina iustitia lætantur, & de bonis operibus, quæ in eorum custodia fecerunt, gaudent.

Append.2. Hinc nequè de peccatis hominum tristantur, cùm volita sint à Deo indirectè,scilicet,permissiuè:nequè de pœna damnatorum,cùm sit volita à Deo directè, ideſt, effectiuè. Immò ibi de iusta permissione,& punitione lætantur.

Append.3. *Isai.33.* Hinc quando in scriptura legitur Angelos tristari, & flere; vt Isai.33. Angeli pacis amarè flebunt, intelligendum hoc est metaphoricè, & secundum quandam operationum similitudinem,non secundum affectionum infirmitatem. Quia gaudere sequitur eorum naturam,non autem tristari.

Decimaseptima diffi. Sunt ne magis soliciti boni Angeli pro homine, quàm mali cõtra eũdẽ hominem?

CONCLVSIO.

ANgeli boni sunt magis soliciti, & potentiùs, perfectiùs, pleniùsque possunt circa custoditos operari in bonum, quàm

quàm mali contra bonos in malum. Probatur primò; quia Angelus bonus,qui est inferior ordine naturæ,præest dæmonibus etiam superioribus ordine naturæ. Propterea q virtus diuinæ iustitiæ, cui boni Angeli adhærent, potentior multò est naturali angelorũ virtute.Atquè ita potentiùs operabitur. Secundò; quia solicitior est circa custodiam, qui ex ea commodum, quàm qui pœnam consequitur, & Angeli boni (vt suprà diximus) ex custodia bonorum gaudium accidentale assequuntur, & mali angeli ex damnatione malorum maiorem pœnam accidentalem sibi vendicant.

Hinc, de bonis angelis dicitur psalm.102. Benedicite Domino omnes angeli eius,potentes virtute, facientes verbum illius, ideſt, exequentes circa omnem creaturam: & præsertim circa homines,quorum custodia est illis principaliùs demandata. Iuxta illud psal. 90. Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te,&c. Append.1. *Psal.102.* *Psalm.90.*

Hinc, quicquid possunt dæmones circa hominẽ (de quibus sequenti quæst.)efficere,poterunt,& boni Angeli multò perfectiùs,& potentiùs,& pleniùs præstare. Nequè enim poterit diabolus aliquem,ita superbum efficere,quin possit bonus Angelus humiliorem multò facere. Append.2.

DVB. VII. *Cur igitur tot homines iusti vexãtur, & quandoquè à dæmonibus superantur?*

RAtio dubitandi ex conclusione proxima sumitur. Sunt enim magis soliciti,& potentiores dæmonibus.

CONCLVSIO.

Hoc non vsuuenit ex defectu custodiæ Angelorum. Et ratio est:quia si obstinatos(vt dictum est)non relinquunt,quos si relinquerent, statim eos maligni spiritus in mortem præcipitarent,multò minus bonos deserent.Cæterum accidit hoc: vel quia nos illos repellimus, dum eorum consiliis non acquiescimus, cùm non possint supra nostram arbitrij facultatem; vel quia circa nos tantum pro viribus agunt, quantum eis ex ordine iustitiæ,& prouidentiæ diuinæ est permissum.

Hinc, si eorum consilia admitteremus, & à Deo permittere- Append.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mitteretur, vt secundum vltimum suæ potentiæ, ad illuminationem, & iustificationem hominum, & dæmonum expulsionem ageret: possent quidem, paruo temporis spatio quantumcunque peruersos, & malos ad veritatis agnitionem adducere, & in amorem virtutis excitare, & inflammare.

Quæstio vnica. De dæmonibus.

HActenus cum Magistro de Angelis disseruimus. Cæterùm ad plenissimam huius disputationis explicationem opere prætium duxi, quæstionem hanc de dæmonibus tractare, in qua multa notatu dignissima per multos articulos declarabuntur.

Artic. 1. De natura dæmonum.

Declarabitur artic. positis nonnullis difficultatibus.

Prima diffic. Vtrùm sint dæmones in rerum natura?

Victoria in relect. de arte magica num. 10.

TRes fuerunt circa hanc difficultatem sententiæ Arist. & ex eius discipulis multi, dæmones esse diffitebantur. Et quæ nos dæmonibus tribuimus, illi ex virtute cœlestium corporum, & planetarum, & quarundam aliarum rerum, prouenire asserebant. In istos inuehitur D. Augustinus 10. de ciuit. Dei. Inueniuntur namque multi effectus, qui nullo modo ex aliqua naturali causa emanare possunt: vt cùm arreptus à dæmone latinè loquitur, versus recitat, autoritates citat, quas nec vidit vnquam, nec audiuit. Immò nec legere nouit. Alij dixerunt dæmones esse, non quos nos dæmones vocamus: sed animas hominum. Hunc errorem destruunt D. Augustinus 9. de ciuit. Dei, & D. Chrysostomus super illa verba Matthæi. Exibant de monumentis. Non enim fieri potest, vt vna substantia incorporea in aliam substantiam transmutetur, anima, scilicet, in dæmonis substantiam. Tertia sententia

D. Aug.

D. Chrysost.

fuit

fuit eorum, qui, teste D. Augustino lib. 8. de ciuit. Dei, propter secundam sententiam erroneam, confitebantur omnia, quæ anima rationali constant, esse, aut Deos, aut homines, aut dæmones. Hi fatebantur dæmones esse; sed à veritate longissimè aberrabant: quia affirmabant Deos habere corpora cœlestia, dæmones aërea: homines verò terrena. Et in hoc vltimo veritatem attingebant, lege S. Tho. in q. disputatis q. 1. de dæmonibus, & Guilel. Parisien. in lib. de vniuerso. p. 4

D. Aust.

S. Thom.

Guilel. Parisien.

CONCLVSIO.

De fide tenendum est, dæmones in rerum natura esse. Continetur enim expresse in multis vtriusq; testamenti locis. Leuitici enim. 17. interdicitur immolari hostias dæmoniis. Et Deut. 32. in cantico Moysi contra impietatem, & ingratitudinem populi dicitur. Immolauerunt dæmoniis. Et 2. Paralip. 11. legitur de Hieroboam, quòd constituit Sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum. Et alibi passim apud Tobiam, & Iob, & psaltem, & in multis locis noui testamenti apud Euangelistas. Et in act. Et in epist. Pauli. Et Apoc. lege in verbo dæmonium in cõcordantiis maioribus Bibliæ. Hanc veritatem multi philosophorum gentilium confessi sunt, de quibus lege D. August. lib. 8. de ciuit. & lib. 10. c. 24. Colligitur quoque hæc veritas ex responsis, & oraculis, & alijs miris effectibus, qui apparuerunt circa Idola, etiam sapientibus Romanis. Qui quidem effectus ad causas, siuè cõcursum naturalẽ referri haud possunt. Et ex actibus obsessorum. Et ex subitis transmutationibus rerũ; vt virgarum in serpentes facta à magis Pharaonis transmutatione.

Deut. 32.

2. Paralip. 11.

Leuit. 17.

Prima diffic. De etymologia, siuè notatione dæmonis?

REspondeo cum glossa in cap. firmiter extra de summa Trinit. & nota dæmonem variis nominibus appellari. Dicitur enim diabolus à diã, quòd est duo, & bolus, quod est morsellus, quasi duos morcellos cupiens, animam scilicet, & corpus. Nominatur quoque diabolus Hebraicè, quasi deorsum fluens, græcè etiam criminator, siuè calumniator,

Mag. d. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

B. Dionys. niator, latinè Angelus malus; vt B. Dionysius. 8. Etymol. docet. Vocatur quoquè Sathanas, quasi aduersarius. Et dæmon, quasi rerum peritus. Et Belial, id est, apostata, & absque iugo nuncupatur. Et Leuiathan, id est, addimentum eorum.

D. Aug. lib. 9. de ciuit. Dei.

Secunda diffic. Quænam est dæmonis diffinitio?

D. Auguſt. REspondeo, à Platonicis ita describebatur, vt refert D. Auguſt. super Gen. Dæmones sunt genere animalia natura pulcherrima, mente rationalia, animo passiua, corpore aerea, duratione æterna. Ponitur in descriptione vox genere, quia sunt prædicamenti substantiæ. Natura pulcherrima, quia quòad substantiam suæ naturæ, non sunt bonis Angelis turpiores. Animo passiua, passionibus de sententia Platonicorum appetitus sensualitatis, nempè, irascibilis, & concupiscibilis. Corpore aerea, quatenus sunt creati ex subtiliori materia, & vt cognoscitur subtiliùs, & velociùs intelligere, quàm homines. Lege gloss. super cap. sicmiter citatam. Duratione æterna. Quod intellige non natura; sed Dei gratia. Præterea D. Auguſt. de ciuit. Dei ita eos describit. Dæmones sunt spiritus nocendi cupidissimi, à iustitia penitùs alieni, superbia tumidi, inuidia liuidi, fallacia callidi, qui in hoc aere habitant, qui de sublimitate cœli superioris eiecti, meritò irregressibiliter in loco sibi congruo: vel vt carcere, damnati sunt. Hoc loco erant multæ difficultates, ad naturam dæmonum spectantes, tractandæ. Erat etiam. q. de peccato Angelorum disputanda. Sed: quia cum Magist. supra explicata hæc sunt, ad vlteriora erit progrediendum.

D. Aug. sup. Gen. ad literam.

Alex. Alen. q. 100. S. Tho. q. 64. D. Bona. dis. 6. art. 2. Duran. & alij eadem. d.

Artic. 2. De pœna dæmonum.

VAriæ, cùm sint, pœnæ, quæ damnatis respondent, varijs difficultatibus erit articulus hic explanandus.

Prima

Prima diffic. Vtrùm diaboli potestas fuerit in pœnam sui peccati ligata?

CONCLVSIO.

DÆmonis potestas est alligata, non ita; vt tentare non valeat; sed ne tãtum tentet, quantum desiderat. Constat Apoc. 20. Vidi alterum Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & cathenã magnam in manu sua, & appræhendit draconem, & serpentem antiquum (qui est diabolus, & sathanas) & ligauit illum, &c. Et D. Aug. de ciuit. Dei apud Alex. Alligatio diaboli est non permitti exercere tantam potestatem, quantam habet.

Alex. Alen. m. 1. art. 1. vbi. 5.

D. Auguſt.

Secunda diffic. Fuit ne ligata eius potestas magis post aduentum Christi, quàm antea?

CONCLVSIO I.

EX parte gratiæ per Christum mediatorem magis alligata fuit dæmonis potestas, quàm anteà. Probatur ad Rom. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Et non ob aliud, nisi, vt alligaretur diaboli potestas. Et locum proximè citatum Apoc. de magni concilij Angelo, id est, Christo intelligitur, qui draconem alligauit.

Alex. Alen. art. 2. vbi. 5. & in. 3. p. q. 18. m. 6. art. 3.

Rom. 5.

Apoc. 20.

CONCLVSIO II.

Ex parte autem tentatorum, in quibusdam est magis soluta, in quibusdam verò magis ligata. Et ratio est; quia quantò maior est Dei gratia ad vincendum, tantò contemptus illius est maior. Vnde ad Hebr. 10. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus, aut tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Deinde: quia quò homines maioribus gratiæ donis abundant, eò magis dæmones inuident, & magis, quàm anteà, tentant. Vnde dicitur Apoc. 12. descendit ad nos diabolus habens iram magnam. Et Luc. 11. assumpsit. 7. spiritus nequiores se. Primò enim fiebant

Ad Heb. 10.

Apoc. 12.

Luc. 11.

S 2 tenta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentationes per genera peccatorum communium; nunc autem fiunt per quasdam ad inuentiones peccatorum. Et quia nunc tentant per assimilationem boni, quo genere tentationis homo faciliùs decipitur. Et quia nunc occultè insidiatur. Et grauior est tentatio, & magis timenda cùm occultè, quàm cùm manifesta fit. Vnde gloss. super illud psal. Expectans expectaui Dominum, magis est timendus diabolus, cùm fallit; vt draco, quàm cùm sæuit, vt leo. Illic enim cogit, hîc docet negare Christum.

Psal. 39.

Tertia diffic. Dæmonum potestas est ne tãtùm ligata à Deo? An etiam à bonis Angelis & hominibus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 2. art. 6. vbi supra.

DÆmonum potestas aliquãdo ab ipso Deo, aliquando à bonis Angelis, & hominibus ligatur. Et ratio est, quia, si signa Christi, & sanctorum hominum superarunt dæmonum potestatem; vt constat act. 19. Vbi legitur de quibusdam exorcistis, qui super eos, qui habebant spiritus malos, inuocabant nomen Domini Iesu, dicẽtes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat, atque etiam quòd super languidos deferebantur sudaria, & semicinctia, & recedebãt ab eis languores, & spiritus nequam egrediebãtur; multò fortius profectò sancti homines, & Angeli eorum potentiam superabunt, & ligabunt. Et D. August. super Gen. ait. Habent boni Angeli, & mali opera similia, sicut Moyses, & Magi Pharaonis; sed boni sunt potentiores, nec mali possunt quicquam talium operum, nisi quod per bonos Deus permiserit.

Act. 19.

D. Aug.

Alex. Alen. m. 1. ar. 3. & 4. vbi §.

S. Th. q. 114. art. 5.

Dura. q. 4. d. 7. & aly ead. dist.

Quarta diffic. Sit ne ita ligata dæmonis potestas: vt semel victus, amplius victorem, vel alium tẽtare non audeat?

DIuersi sunt modi dicendi, vt S. Thom. loco citato docet; nihilominus respondetur.

CONCLVSIO.

Dæmon ab vno victus potest alium tentare de eodem vitio, etiam victorem de alio vitio. Ratio est; quia cùm tentatio diaboli permittatur à Deo ad probationem electorum, & ad pœnam reproborum, & vtraquè vtilitas ex misericordia, & iustitia Dei necessaria sit vsq; ad finem mundi, non auferetur planè à dæmonibus victis tentandi potestas. Secundò confirmatur; quia cùm omnis tentans sub spe alicuius victoriæ tentet, & dæmon, quantumcunquè perfectè victus, speret se eadem tentatione alios vincere posse; quia non omnes eiusdem voluntatis, & firmitatis in resistendo tentationi sunt, atquè etiam eundem à quo victus fuit alio tentationi genere. Dubium non est, quin alios tentet, & ad victorẽ tentandum redeat. Quod apertissimè Matth. 12. docetur, vbi legitur. Reuertar in domum meam, vnde exiui.

Matth. 12.

Quinta diffi. Est ne ita ligata dæmonũ potestas circa determinatam personam, vt eam tentare nullatenus possit?

Alex. Alen. m. 1. art. 5. vbi §.

Duplex est tentatio. Vna interior, altera exterior.

CONCLVSIO I.

Est eorum potestas ita cohibita, & ligata circa personam, in qua, vel est extinctus fomes peccati, vel in qua talis fomes non habet locum; vt eam tentatione interiori nullatenus tentare valeat. Patet exemplo sanctissimæ Virginis, in qua fuit peccati fomes omninò extinctus, quæ; vt D. August. ait, non solùm non peccauit; sed nec peccatum cogitare potuit. Et Christi Iesu exemplo in quo non fuit peccati fomes, nec esse potuit. Qui quidem nec peccatum fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et ratio est; quia qui habet extinctũ fomitem peccati, habet potestatem vincendi in quolibet genere tentationis: Et cùm dæmon nullam habeat spem vincendi, nullatenùs tentabit; quemadmodum illum à quo semel victus est, simili tentatione adire non audet, propterea quòd nisi mutetur processu tẽporis, non potest de eo sperare victoriam.

D. Aug.

1. Pet. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO. II.

Non est ligata, siue prohibita dæmonum potestas ita: vt omninò tentatione exteriori, non possit quamlibet personam tentare: est tamen eius potestas ligata in hoc: vt non tentet vsquè ad casum, vel quousque tentationi tentatus succumbat. Ratio est: quia si in aliquo fuisset cohibitio, à tentatione, multò magis in Christo, quem tamen per se, & per alios multipliciter tentauisse ex Euangelio constat. Et confirmatur: quia ex parte diaboli non est eius potestas ligata; cùm semper velit tentare, neque ex parte Dei, qui dat bonis cum tentatione prouentum. 1. Cor. 7. Nouit enim Deus pios à tentatione liberare. 2. Pet. 2. Et beatus vir, qui suffert tentationem. Iacob. 1.

Matth. 4. & 22.
Luc. 4. & 24.
1. Cor. 7.
2. Pet. 2.
Iacob. 1.

Sexta diffic. Sit ne ligata eorum potentia circa alia opera?

Alex. Alen. m. 2. art. 1. vbi. §.
S. Thom. q. 114. art. 4.

HActenus de ligatione potestatis, quoad tentandū, & vincendū. Nunc, an sit ligata eorū potestas respectu aliorū operū, quæ possent esse eminentia naturæ suæ? disputandū est. Et primùm, an sit ligata potestas circa mira, siue mirabilia, secundum veritatem operanda?

CONCLVSIO.

Dæmones & vi propriæ naturæ, & diuina permissione, mira aliquando secundum veritatem, aliquando secundum phantasiam operari possunt, Probatur exemplis sacræ Scripturæ. Magi namquè Pharaonis virtute dæmonum veros serpentes, & ranas fecerunt: & dæmon permissione diuina: vt ignis de cœlo descenderet, & familiam Iob cū tot gregibus vno impetu consumeret, & turbo irruens domum dei iceret, & filios eius occideret, fecit. Lege D. Augustin. & 20. de ciuit. Dei. cap. 18. & lib. 83. quæst. q. 55. Quæ autē à magis virtute dæmonum fiunt, possunt dici mendacia: vel quia per magicam artem, & non per naturam fiunt: vel quia, & si verā sint, Dei permissione, ad mendacium tamen trahunt. Dicuntur autem hæc mira, quatenus homines illa, eo modo facta, mirantur.

Exod. 7.
Iob. 1.
D. Aug.

rantur. Proprie quòd eorū excedunt facultatem, & cognitionem. Quæ miracula aliquando nominantur, largo modo sumpto nomine mirari: illud si præter spem facilitatē, & considerationem humanam excipiatur.

Turrecrem. in can. quodam loco. 26. quæst. 3. Valer. Max. titul. de miracul.

CONCLVSIO.

Si miraculum propriè accipiatur, prouenit aliquid ardui, insolitum, suprà facultatem cuiuslibet creaturæ, & præter spem admirantis apparens, neque dæmones, neque aliqua creatura miraculum efficere potest. Hoc enim solius Dei est propriū. Et si quæ à sanctis Angelis, & beatis sunt, potestate diuina, & eorum ministerio interueniente, efficiuntur.

Appen. 1. Reg. 28.

Hinc mulier Pythonem habens in Endor non fecit miraculum. Quia nō fuit vera Samuelis suscitatio: sed phantastica. Neq; vidit Samuelem: sed diabolū in specie, & similitudine Samuelis, quem illa credidit Samuelem.

DVB. I. Possuntne dæmones mirum quid in rebus visibilibus se ipsis operari?

Alex. Alen. vbi. §. art. 5. & Hugo. 1. de sacra. p. 5. cap. 27. Iob. c. 2. D. Aug.

CONCLVSIO.

NIhil quòd mirum sit se ipsis, nisi à Deo permissi fuerint, operari possunt: præsertim si ad hominem seducendum referatur: Probatur primò ex gloss. super illud Iob, Mitte manum tuam, dicēte, Nihil potest, nisi permissus. Secundò ex D. Aug. in li. de ciuit. Dei, qui ait. Si aliquid in rebus dæmones possunt, tantum possunt, quantum secreto Omnipotentis arbitrio permittuntur.

Hinc, neque in rebus visibilibus habent potestatem, nisi quatenus à Deo conceditur.

Septima diffic. Vtrum sit dæmonū potestas, circa res corporales, animalia scilicet, & plantas, ligata.

Alex. Alen. m. 2. art. 2.

CONCLVSIO.

LIcet, ex prima potestate sibi data possent oēs Angeli ex ordine naturali super huiusmodi creaturas, fuit tamē in pœna peccati eorū, & in bonū hominū eorū potestas

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Aug. ligata. Hæc conclusio probatur ex D. August. de ciuit. Dei apud Alexandrum dicente, Dæmones, non omnia, quæ volunt, facere possunt, nisi quãtùm illius ordinatione sinuntur, cuius plena iudicia nemo comprehendit, iustè nemo reprehendit. Et vt ait gloss. super illud Matth. 8. & Luc. 8. mitte nos in porcos, multominùs dæmones sua potestate nocere hominibus, qui nec porcis, possunt.

Matth. 8. Luc. 8. Marc. 5.

Octaua diffic. Vtrùm sit etiam ligata, circa corpora humana?

Alex. Alen. art. 3. vbi. §.

INtelligitur titulus ita; vt hominum corpora in lupos, aut aues conuertere possint. De ijs suprà aliqua diximus; nihilominus respondetur.

CONCLVSIO.

Nullatenus verè, & realiter; sed apparenter tantùm ad transmutanda humana corpora, potestatem habent. Et ratio est; quia cùm anima rationalis in statu, in quo est, sit superior malis Angelis, quatenus obstinati sunt in malo, corpus ei vnitum, indecens est, vt dæmoni ad nutum subijciatur. Et confirmatur autoritate D. August. lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 17. dicentis. Non solum animum: sed nec corpus ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, & lineamenta bestialia posse conuerti. Sed phantasticum hominis, quod cogitando, siue somniando per rerũ innumerabilium genera variatur, cùm corpus non sit; corporum tamen similes mira celeritate formas capit; sopitis autem, & oppressis corporeis hominum sensibus, ad aliorum sensuum, nescio quo ineffabili modo, figura corporea posse perduci. Et videtur sibi portare onera, quæ onera, si vera sunt corpora, portantur à dæmonibus; vt illudantur hominibus. Hæc D. August. ex quibus apertissimè infertur conclusio posita.

D. Aug.

Nona

Nona diffic. Habent ne dæmones æquam super bonos, & malos homines potestatem?

CONCLVSIO I.

SVPER malos ratione malitiæ conceditur dæmonibus potestas ad perdendũ, nisi prohibeatur à Domino. A quo enim quis superatus est, eius seruus est. 2. Pet. 2. Et ratio est; quia peccator meruit ei subijci, tanquàm tortori, & non tanquàm domino.

Alex. Alen. art. 4. vbi. §. 2. Pet. 2.

CONCLVSIO II.

Super bonos nõ habet dæmon potestatẽ ad perdendum; sed ad probandum ex diuina permissione. Probatur Iob. 2. Ecce omnia, quæ habet in manu tua sunt; verũtamen, animã illi⁹ serua. Et Tob. 12. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit; vt tẽtatio probaret te. Dæmõ enim in malis hominibus potest, vt in suo pecore, nisi prohibeatur à maiori, scilicet, à Deo, in bonis verò non potest, nisi permittatur ad probandum. Nemo enim de pecore alieno potest, nisi quod vult dominus pecoris, efficere.

Iob. c 2. Tob. 12.

Decima diffic. Sunt ne dæmones in pœnam peccati priuati Dei cognitione?

HActenus de pœna, quòad potentiam, nunc de pœna, quòad intellectus obscurationem agamus.

Alex. Alen. m. 3. art. 1. vbi. §.

Duplex est diuina cognitio. Prima; qua Deus; vt lumen incommutabile est, cognoscitur, à quo piorum corda illustrantur, & in quo cardinales rerum causæ eluceſcunt. Secunda verò est, qua Deus per effectus temporales diuinæ virtutis, & diuinæ iustitiæ, cognoscitur.

S. Tho. q. 64. art. 1.

CONCLVSIO.

Dæmones in pœnam peccati prima cognitione; non autẽ secunda fuerunt priuati. Probat hanc conclusionẽ D. Aug. 9. de ciuit. Dei. cap. 21. dicens. Innotuit dæmonibus non per id, quod est vita æterna, & lumẽ incommutabile, quod illuminat pios, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ. Idem eodẽ lib. c. 22. dæmones non æternas temporum causas, & cardinales in Dei sapiẽtia

D. Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contẽplantur;sed quorundã signorum nobis oculorũ maiore experiẽtia multò plura, quam homines cognoscũt. Hic Alex.mouet dubiũ. An cognouerint dæmones misteriũ incarnationis ? &c. Séd de ijs supra in quæst. de cognitione Angelorum.

DVB. II. Remansit ne fides infusa informis in dæmonibus.

Iacob.2. RAtio dubitandi oritur ex illo Iacobi.2. Tu credis;quoniam vnus est Deus. Bene facis.Et dæmones credunt, & contremiscunt ;quare si habent fidem,non fuerũt priuati prima cognitione;vt dictum est.

CONCLVSIO.

Nullo modo dæmones habent fidem , neq; infusam ; sed quicquid credunt,est per acquisitã fidẽ naturalem. Et ratio *Ad Heb. 11.* est;quia fides informis est principium christianæ spei ; iuxtà illud.Fides est sperandarũ substantia rerũ. Et cùm dæmones non possint habere spẽ;neq; habebũt fidẽ informẽ; Deinde: *Ad Ro.10.* quia ad fidẽ,licet informem,desideratur bona volũtatis affectio,iuxta illud.Corde creditur(id est,voluntate) ad iustitiã. Et in dæmonibus nulla est bona voluntatis affectio.

DVB. III. Fuerunt ne dæmones sui ipsorum cognitione priuati?

Alex. Alen. art. 2. & S. Tho. vbi. §. NAtura ; siuè bonum naturale dupliciter accipitur. Primò sumitur pro illo bono , quod per peccatum minui non potest.Secundò pro bono , quod per peccatũ diminui potest.Perinde etiam duplex est cognitio naturalis.

CONCLVSIO.

Dæmones cognitione naturali primo modo sumpta non fuere priuati;secundo autẽ modo fuit in eis diminuta cognitio.Et ratio primæ partis conclusionis est : quia non ignorat angelus malus se esse spiritum à corpore separatũ. Nam : vt mẽs humana naturaliter cognoscit se ipsam,etiã si in mortale peccatum incidat;ita & Angelus malus nõ impeditur per peccatum,quin seipsum cognoscere valeat. Cognitio siquidem

dem naturalis primo modo non aufertur per peccatũ.Secunda pars probatur:quia non cognoscunt se secũdum eminentiã suæ naturę:quia ex tali cognitione sequeretur delectatio, (delectatio enim est apprehensio conuenientis) quæ in dæmonibus non potest habere locum,sed secundum naturam deformatam: ex qua quidem cognitione non sequitur delectatio:sed tristitia.

DVB. IIII. Sunt ne dæmones cognitione virtutum priuati?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. art.3. vbi. §. COgnitione virtutum , quæ est per essentiã , vel per speciem sumptam ab essentia , dæmones sunt priuati , in pœnam peccati.Et ratio est : quia neq; virtutes essentialiter sunt in illis ,neq;illi habent potestatẽ accipiendi species,& similitudines à virtutib⁹ in Angelis,& hominibus existẽtibus,cũ ratione status peccati sint illis inferiores,nec possint illas cernere:vt D.Aug.apud Alex. hoc loco docet. Nun- *D. Augusſt.* quã enim Iob tentasset,si eius nobilẽ , ac mirabilẽ patiẽtiam cernere potuisset.Idẽq;est de cæteris virtutibus iudiciũ:nã si illas videret,ne vinceretur,à tentando cessaret.

CONCLVSIO II.

Cognitione virtutum,quæ per effectum , & priuationem haberi potest,non priuantur.Et ratio est:quia, vt possunt cognoscere affectiones,quæ sunt in volũtate , & cogitationes, quæ sunt in intellectu per effectus,& indicia : vt suprà de cognitione angelorum retulimus,poterunt& virtutum per earum actus cognitionem habere.

DVB. V. Sunt ne dæmones cognitione rerum in proprio genere priuati?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art.4.vbi. §. B.Isidor. NEquaquã sunt priuati.Et ratio est : quia saltẽ illã experientia rerum,& tẽporum, & intellectus acumine sibi cõparant. Hęc docet B. Isidor. in lib. de summo bono dicens.Triplici acumine sciẽtiæ vigent dæmones, subtilitate naturę,experiẽtia temporũ , reuelatione supernorũ spirituũ.

DVB.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. VI. Crescit ne huiusmodi cognitio?

CONCLVSIO I.

Alex. vbi.§. COgnitio in proprio genere specierum, atquè generũ, non crescit. Et ratio est: quia sicut non crescit numerus generũ, aut specierũ: sed est idem omninò, quod fuit ab initio: ita neq; crescit eorum cognitio.

CONCLVSIO II.

Cognitio indiuiduorum in generibus, & speciebus contentorum potest crescere. Et ratio est: quia crescunt in dies indiuidua, & effectus ex diuersis rerum coniunctionibus procedentes, de quibus nouam cognitionem per nouas species ab ipsis sumptas acquirunt. lege suprà. in. q. de cognitione Angelorum per species.

Append. Hinc, pœna in dæmonibus circa hãc cognitionẽ nõ erit, eò quod pauciora cognoscũt: sed quia nõ ita clarè cognoscunt.

Vndecima diffic. Vtrum pœna vermis in dæmonibus reperiatur.

Alex. Alen. q. citata. 100. m. 4. artic. 1. nota. RAtio vermis, quantũ ad aliquem actum, magis propriè animabus dãnatis, quã dæmonibus conuenit: quo ad aliquẽ tamẽ effectum cõmuniter in vtrisq; reperietur. Nam quò ad hoc, quòd gignitur ex remorsu conscientiæ, cõmunis est & damnatis, & dæmonibus: quantũ verò ad hoc, quòd vermis propriè dictus gignitur ex corpore, per similitudinem in animabus damnatis dicitur esse vermis.

Append. Hinc, quando loquitur scriptura sacra de pœnis damnatorum, vniuersaliùs loquitur de pœna vermis in hominibus, siue animabus: rarissimè autẽ de pœna vermis in dæmonibus. Lege concordantias maiores Bibliæ, verbò, Vermis.

CONCLVSIO.

Est quidẽ pœna vermis conscientiæ suo modo in dæmonibus. Ratio est: quia habẽt conscientiam peccatorũ suorum, & ex hoc affligũtur, & irremediabiliter cruciãtur. Ex quibus sumitur ratio vermis conscientiæ: iuxta illud D. Bern. ad Eugenium. Vermis ille innatus est conscientiæ per peccatum, D. Bernar. & hæret firmiter, nequaquã euellendus, nec cessat rodere.

Quæ

Quæ omnia, cùm in dæmonibus inueniantur, erit in illis profectò conscientiæ vermis.

DVB. I. Pœna vermis in dæmonibus, quò ad quid, attenditur?

CONCLVSIO.

QVO ad peccatorum, quæ nunquàm in ipsis delentur, arguitionem. Patet ex illo Psalm. 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Facies autem nihil aliud est, quàm ipsa conscientia remordens. Et ratione confirmatur: quia cùm sint spiritus à corporibus separati, magis conueniet illis pœna spiritualis, quàm corporalis. Et cùm pœna ignis gehennæ congruat eis ad pœnam propter peccata, magis conueniet eis vermis conscientiæ ad interiorem pœnam, quæ est spiritualis. Alex. Alen. art. 2. vbi. §. Psalm. 49.

DVB. II. Quid igitur rodit vermis ille?

REspondeo cum Alex. Rodit habilitatem, & aptitudinem conscientiæ ad bonum, quæ semper magis, magisquè consumitur. Et quia illa habilitas est naturalis, estquè in natura immortali, manente natura, manet semper peccati conscientia, & minuitur conscientiæ bonum. Quod quidem dæmonibus, & animabus damnatis est commune. Et quàmuis bonum illud non sit magnitudine, siue virtute infinitum: est tamen in diminuendo infinitum. Alex. Alen. vbi. §.

DVB. III. Pœna vermis est ne in dæmonibus grauior sensus, & damni pœna?

POENA vna dicitur grauior altera tribus modis. Primò, quò ad damnum. Secundò, quò ad sensum. Tertiò, quò ad maximam adhærentiam in punito. Alex. Alens. art. 3. vbi. §.

CONCLVSIO I.

Carentia visionis diuinæ, quæ dicitur pœna dãni, primo modo est maior. Et ratio est: quia, cùm videre Deum sit summum bonum, carentia illius visionis erit maximum malum! Nota.

Vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Chrysost. Vnde D. Chrysost. apud Alex. dicit. Nulla maior pœna est, quàm separari à visione Dei.

CONCLVSIO II.

Pœna sensus secundo modo grauior est. Et ratio est: quoniã nihil est, quod ita actualiter affligat, & magis sentiatur.

CONCLVSIO III.

Pœna vermis tertio modo est cæteris maior. Et ratio est: quia est pœna interior immediatè spiritui inhærens. Vnde B. Isidor. lib. de institutione ecclesiastica dixit. Nulla pœna grauior est pœna conscientiæ. Vbi subiungit: mens malæ conscientiæ propriè his stimulis agitatur.

B. Isidor.

DVB. III. Simul ne, aut successiuè pœna vermis pro peccatis dæmones puniuntur?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 3. vbi. §.

POEna cõscientiæ pro omnibus peccatis simul, ad cumulũ pœnæ, cruciãtur. Ratio est: quia sicut cedit ad cumulum gloriæ in sanctis, ꝙ simul possunt aspicere diuersa, quæ delectant: ita ad cumulum pœna in damnatis est, quòd simul possunt aspicere diuersa, quæ illos tristitia maxima afficiunt. Tum quia: vt flamma ignis foris simul pro diuersis peccatis affligit: ita & vermis conscientiæ intùs pro diuersis peccatis simul cruciat.

Duodecima diffic. De pœna ex parte voluntatis.

DVB. I. Potest ne esse gaudium aliquod in dæmonibus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 100. m. 5. artic. 2.

EST in illis gaudium non verum: sed apparens, & omni amaritudine respersum. Et ratio est: quia gaudium illud nõ est ex apprehẽsione simpliciter conueniẽtis: sed quod videtur sibi conueniens. Videtur autem sibi conueniens, & dele-

delectabile habere potestatem in eos, qui Dei præcepta contemnunt. Vnde D. August. aduersus Manichæos apud Alex. dicit. Diabolus potestatem habet in eos, qui præcepta Dei contemnunt. Et de hac tam infœlice potestate lætatur. Hinc, tale gaudium dæmonibus in pœnam cedit; vt D. Aug. super Gen. (vt refert Alex.) affirmat, dicens. Pœna est diabolo; vt in potestate habeat peccatores. Et inde maior est eis pœna; quia de tam infœlici potestate lætantur.

D. August. Appen. Alex. Alen. art. 2. vbi. §. D. August.

DVB. II. Vtrùm dæmones dolorem pro pœna in præsenti habeant?

CONCLVSIO.

HAbent pro bono miserrimè amisso, quod consequi potuerunt. Et ratio est; quia delectationi, quam habuerunt in primo peccato, conueniens pœna, afflictio, scilicet, siue dolor respondet, iuxta illud Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantùm date ei tormentum, & luctum. Tum etiam: quia multa volũt, quæ nõ sunt, neque esse possunt, suntq; inuidi, pœnis addicti, beatitudine priuati, & iniqua eorũ voluntas à multis cohibetur; quæ omnia maximi doloris causa in illis sunt.

Alex. Alen. art. 3. vbi. §. S. Tho. q. 64. art. 3. Apoc. 18.

DVB. III. Vtrùm dæmones pœnam, quam sustinent, timeant?

CONCLVSIO.

EST in illis talis timor, non cohibens à peccato; sed affligens. Et ratio est; quia timor pœnæ secũ habet pœnam adiunctam. Timor enim inquit B. Io. pœnam habet. Et serui peccati est timere, & diabolus seruus peccati est, iuxtà illud Io. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati.

Alex. Alen. art. 4. S. Th. vbi. §. ad. 2. 1. Io. 4. Ioan. 8.

DVB. IIII. Vtrùm voluntas dæmonum sit obstinata in malo?

De hoc dubio suprà egimus.

S. Th. vbi §. art.

Decima

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimaterția differ. De pœna locali, quæ fuit casus in aërē caliginosum de cælo empyreo, vel in infernum?

DVB. I. Vtrùm dæmonibus pœna sit in aëre hoc caliginoso esse?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 6. vbi §. art. 1. S. Th. q. 64. art. 4. S. Bona. d. 6. a. 2. q. 1. et 2. D. Augst. D. Augst. Alex. Alen. art. 3. & S. Tho. & alij vbi §. Ioan. 8.

EST pœna, & grauissima Ratio est, quia esse in carcere, est pœna grauissima, cùm metus carceris sit metus casus in virum constantem, & dæmones in hoc aëre caliginoso, tanquàm in carcere continentur. Teste D. Aug. 3. super Gen. cap. 10. qui ait. Ista caliginosa aeris tantum tenere permissi sunt, qui eis, quasi carcer est, vsq; ad tempus iudicij.

DVB. II. Est ne alius locus pœnalis dæmonibus destinatus?

CONCLVSIO I.

PEr quandam cõparationem, & appropriationem, quantum ad terminum, à quo fuit casus, tria loca distinguntur Probatur: nam eò quod peccauit in cœlo, de cœlo cecidit per superbiam. Eo autem quod peccauit per homicidium Adæ: quia fuit homicida ab initio, dicitur cecidisse à paradyso. Tertiò: quia quotidiè peccat in terra, tentando homines ad seditionem per inuidiam humani generis, dicitur de terra à cõmuni hominũ habitatione in infernũ cecidisse.

CONCLVSIO II.

Isai. 14.

Quantùm ad terminum, in quem est casus, duo tantum sunt loca infernus, scilicet, & aer caliginosus. De inferno patet Isai. 14. Quomodo cecidisti Lucifer. Et post sequitur. Verumtamẽ ad infernũ detraheris, in profundũ laci. Et de aere caliginoso probatur: quia Angelus ibi est, vbi operatur: vt constat ex supradictis de loco Angelorum, & cùm circa nos operetur: vt quando tentauit Christum, & tentat nos, erit in hoc aere nos circunstante. Vnde: vt refert. S. Bona. vbi suprà quæst.

quæst. 1. quibusdam viris sanctis ostensum fuit, non secus ac muscæ, circa nos volitare.

DVB. III. Sunt ne aer caliginosus, & infernus loci communes omnibus dæmonibus in pœnam?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 4. & alij vbi §. Isai. 24. Isai. 24. D. Greg. 2. Pet. 2. Matth. 25. Apoc. 19. & 20.

PAEna aëris caliginosi, & inferni omnibus est communis; in gradu tamen differenti. De pœna aëris probatur Isai. 24. Visitauit Dominus super militiam cœli in excelso. Per militiam autem significantur ibi dæmones, qui in aëre militant, ad seducendos homines. Et ibidem Isai. 24. Applicabuntur, sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea &c. Vbi non fit distinctio, quòd quidam militent in aere caliginoso, quidam non. Lege B. Greg. lib. 8. &. 13. Moral. explicantem locum illum 2. Pet. 2. Deus angelis peccantibus non pepercit. Deinde de pœna ignis inferni patet Matth. 25. Ite maledicti. &c. diabolo, & Angelis eius. Ergo est communis. Et Apoc. 19. &. 20. legitur, missum fuisse diabolum in stagnum ignis, & sulphuris, & qui habebant characterem bestiæ. Diuersitas autem graduum, quæ habetur in conclusione attenditur penès maiorem, vel minorem afflictionem ignis gehennæ, vel caliginis aeris, quam sibi per peccata meruerunt.

DVB. IIII. Sunt dæmones omnes in isto aëre caliginoso?

CONCLVSIO.

Alex. S. Th. & D. Bona. vbi suprà.

SVnt aliqui nunc in inferno ad torquendum eos, qui ad malum induxerunt. Et ratio est; quia sicut boni Angeli sunt cum animabus sanctis, quas ad bonũ accenderunt, in cœlo: ita à simili mali angeli cum animabus, quas ad peccata incitarunt, in inferno erunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. V. Cur tanta dæmonum multitudo in aere caliginoso remansit?

CONCLVSIO.

Doct. vbi.s. REmanserunt, propter nostrum exercitium, & vtilitatem. Et ratio est; quia hoc decet maximè diuinã prouidentiam: nam, vt directè procurat bonũ hominis per Angelos bonos inducendo ad bonum, & retrahendo à malo, ita indirectè homo exercetur ad bonũ per impugnationem malorum Angelorũ; vt vincendo, illud assequantur, & ne totaliter post peccatũ ab vtilitate naturalis ordinis exciderẽt.

Appen. Hinc vsq; ad diem iudicij manebunt in aere caliginoso. Quia iam ampliùs non erit tentatio, neq; hominum exercitatio, & omnes in infernum cum damnatis detrudentur.

DVB. VI. Dæmones, qui sunt in dicto aere, habent ne iam vltimum supplicium?

Alex. Alen. art. 4. S. Tho. & S. Bona. q. 2. vbi suprà. VArij fuerũt modi dicendi; vt referunt Alex. S. Tho. & S. Bona. Inter quos, vnus fuit eorum, qui dixerunt pœnam sensibilem tam dæmonũ, quàm animarum, similiter, & beatitudinem sanctorum, differri vsq; ad diem iudicij, qui modus dicendi fuit error manifestus.

CONCLVSIO I.

Animæ eorum, qui in mortali peccato ex hac vita decedunt, statim in infernum mittuntur; eorum verò animæ, qui in gratia Dei moriuntur, si nihil illis in purgatorio soluendum restat, statim in cœlũ recipiuntur. Hæc conclusio est de fide & multis sacræ Scripturæ testimonijs comprobatur. *Luc.22.* Et primùm de anima beata Luc. 22. patet, dicente Christo latroni, se illi cõmẽdanti. Hodiè mecum eris in paradiso; quod de paradiso cœlesti esse intelligendum declarauit B. Paul. *2.Cor.5.* 2. Cor. 5. dicens. Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam: sed æternam in cœlis. *Luc.16.* De anima verò damnata constat etiam Luc. 16. Mortuus est

tuus est diues, & sepultus est in inferno. Est quoquè conclusio definita ab Ecclesia expressè in concilio Florentino sub Eugenio. 4.

CONCLVSIO II.

Angeli boni etiam vident Deum, & eius gloria fruuntur. Constat Matth. 18. Videte; ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis; quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. *Matth. 18.*

CONCLVSIO III.

Dæmones, qui sunt in aere caliginoso, habent suum tormentum, sicut quando sunt in inferno. Hanc conclusionem probat Alex. primùm autoritate Bedæ dicentis. Dæmon, cùm est in aere caliginoso, pœnam ignis gehennalis secum defert; quemadmodum, qui febri laborat, quocunquè transferatur: pœnam caloris febrilis secum defert. Et confirmo conclusionem; nam, vt Angelorum beatorum gloria, quando ad nos mittuntur, non minuitur, nec tollitur: (semper enim vident faciem patris) ita dæmonum pœna ignis, quando in hoc aere tentant nos, nec minuitur, nec tollitur. Autoritatibus autem D. Augustin. quibus videtur significari, angelos in aere hoc caliginoso non habere vltimum supplicium; vt videre licet in libr. de natura boni super locum. 2. Pet. 2. angelis peccantibus non pepercit, & libr. 8. de ciuit. Dei. cap. 22. & libr. 14. de ciuit. Dei cap. 13. Respondetur: sententiam D. Aug. esse, quòd in die iudicij per sententiam publicam coram toto terrarum orbe mittentur in inferum, ac si nihil passi essent. Et ad satisfactionem omnium creaturarum, tunc dicetur illis: Ite maledicti in ignem æternũ, quàmuis iam illo torqueantur. Vel secundò, dicendum, quòd aliquo pacto neque homines damnati, neque mali Angeli, vltimum supplicij receperunt: quia homines tunc patientur etiam in corpore, & dęmonibus crescet accidentale tormentũ: quoniã non habebunt ampliùs occasionem tentandi homines.

Beda. *Matth.18.* *D. August.* *2.Pet. 2.* *D. Aug.* *Matth.15.* *Alex. Alen. q.102.m.3. art.8.*

Hæresis in principio dubij huius posita prima conclusione confutatur, cuius autores fuerunt Armeni, eandem etiam tuentur, & Græci, & præter hos, fuerũt & alij illius patroni, viri *Hæresis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

viri, quidem sanctitate illustres, perinde, ac scientia clari, nempè, Irenæus, Theophylactus, & D. Bernar. Quamobrem eorum sanctitati, & doctrinæ nihil detrahitur: nam cum, illo tempore, nunquàm Ecclesia de hac re definisset, potuerunt alterutram partem tunc citra hæresis notam, docere. Sed de ijs latissimè Alphonsus à Castro, contra hæreses verb. beatitudo, hæresi. 6. quem etiam lege ibidem hæresi. 1.

Iren. Theophylact.
D. Bernard.
cautè legẽdi.
Castro.

Artic. III. Vtrùm ordo, & præsidentia sint in dæmonibus?

Alex. Alen. q. 37.
S. Th. q. 109.
D. Bona. dis. 6. art. 3.
Duran. eadẽ. q. 3.
Iob. 10.
S. Bona. q. 1. & alij vbi. 3.

DE Ordine, & præsidentia bonorum Angelorum suprà cum Magistro. d. 9. q. 2. verba fecimus.

Prima diffic. Cur ergo dixit Iob. Vbi nullus ordo: sed sempiternus horror inhabitat?

CONCLVSIO I.

NON Est ordinum distinctio perfecta. Et ratio est; quia ibi nullus est ordo respectu vltimi finis, à quo sumitur ratio, & perfectio ordinis, & hoc modo loquitur Iob.

CONCLVSIO II.

EST Tamen ordinum dictinctio; sed imperfecta, & deprauata. Et ratio ob quam dicitur imperfecta, est; propter priuationem gratiæ. Nam gratia naturam perficit, & dicitur peruersa, propter præsentiam culpæ, quæ licet substantiam naturalium non corrumpat; fœdat tamen illam, & deordinat.

DVB. Est ne ordo, & prælatio à natura in dæmonibus? an violentà? an ex electione?

Alex. & alij vbi. 3.

Responsum est vt suprà distinct. 9. quæst. 2.

Secunda

Secunda diffic. Durabũt ne ordo, & prælatio in dæmonibus post iudicium vniuersale?

CONCLVSIO.

NEquaquàm permanebunt. Quia cessabit finis illius prælationis, qui est hominum tentatio, & inductio in malum: quemadmodum tunc cessabit etiam & bonorum angelorum ministerium. Vnde glossa. 1. Cor. 2. Dum durat mundus, dæmones dæmonibus præsunt. *1. Cor. 2.*

Artic. IIII. Vtrùm dæmones homines impugnent?

CONCLVSIO.

HOmines à dæmonibus impugnantur. Hæc conclusio est de fide, vt patet ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, &c. Et ex illo B. Pet. 1. c. 5. quia aduersarius vester diabolus, &c. colligitur. *S. Th. q. 114. Ephes. 6. 1. Pet. 5.*

Prima diffic. Est ne impugnatio à dæmone solo? an à Deo?

DVo sunt in impugnatione consideranda. Primũ est ipsa impugnatio, secundum est impugnationis ordo. *S. Tho. ar. 1. vbi. 3.*

CONCLVSIO.

Primum est à diabolo. Et ratio est; quia, propter hominis inuidiam, tentat, & oppugnat: & propter suam superbiam vsurpat sibi diabolus diuinæ potestatis similitudinem, deputando certos ministros, ad determinatos homines impugnandos, quemadmodum Deus, & Angeli superiores per inferiores homini præsident, eumque ab impugnationibus dæmonum defendunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Secundum verò, nempe, impugnationis ordo, est à Deo. Et ratio est; quia sua diuina sapientia nouit malis vti ad bonũ. Append.

Hinc, quando impugnant ad culpam, non mittuntur à Deo; sed quando impugnant ad pœnam, scilicet, puniendo, dicuntur à Deo mitti.

Secunda diffic. Impugnationem inæqualem inter dæmonem potentem, & astutum, & hominem infirmum, & ignarum, cur Deus permittit?

S.Th.vbi.q. Alex. Alen. q. 101. m. 4. & S. Bona. d.21.ar.1.q. 1.pro.2.p. tituli.&. dist. 23.artic. 1.q. 1.&.2.

DVo Titulus difficultatis innuit. Primum est esse inæqualitatem inter dæmonem oppugnantem, & hominem oppugnatum. Secundum est, quæ sit huius impugnationis, & aduersitatis causa.

CONCLVSIO I.

Inter hominem, & dæmones, pœnes pugnam, non est inæqualitas. Et ratio est; quia ad hoc, vt non sit inæqualis pugnę conditio, fit ex parte hominis recompensatio primo, & principaliter per auxilium diuinæ gratiæ; secundariò autem per Angelorum custodiam. Vnde Eliseus ministro suo dixit. Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Et B.Paul. fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, facit etiam cum tentatione prouentũ. Ad secundum autem respõdetur varias esse causas, ob quas homines à dæmonibus impugnantur, quæ sequentibus propositionibus continentur.

4.Reg.6.

1.Cor.10.

Prima Propositio.

Dæmones malitia sua excitantur, vt homines à Dei obedientia auertãt. Et probatur à simili; nam, vt qui alium odio habet, conatur illius subditos à debita obedientia, & reuerentia amouere; ita dæmon meliores, & sanctiores quosq; à Dei obsequio auertere laborat.

Hinc

Hinc, D.Hiero. ad Eustochium. Non quærit diabolus homines infideles, non eos, qui foris sunt; sed de Ecclesia Dei rapere festinat. Escæ eius electæ sunt. Iob subuertere concupiuit. Et deuorato Iuda, cæteros Apostolos cribare voluit. Vnde Iob, habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. Vbi per Iordanem intelliguntur baptizati; quia baptismus in Iordane originem habuit. Append.

Secunda Propositio.

Secunda causa est eorum superbia respectu diuinæ potestatis, quam vsurpare conantur. Ratio est; quia, vt Deus habet Angelos sibi ministrantes, & in officijs determinatis ad hominum salutem assistentes; ita dæmon nititur habere determinatos ministros ad hominum impugnationem, & perditionem. Et ideò dicitur Iob. 41. Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Exempla huius rei reperies in vitis patrum, & in Cronicis nostri ordinis de capitulo celebrato à dæmonibus Assisij propè ecclesiam Portiunculæ.

D.Hiere. Habac.ca.1. Ioan.13. Luc.22. Iob.40. Iob.41.

Tertia Propositio.

Tertiò mouentur inuidia. Et ratio est; quia dæmones hominum saluti inuidentes, quò ad possunt, eorum profectum suis impugnationibus impedire conantur. Ideóque dicitur Sap. 2. inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Et 16. quæst. 2. can. visis, scribitur de diabolo. Quòd dolet satis, & erubescit charitatem, quam non potuit in cœlis conseruare, homines habere; & cœlum, vnde ipse tanquàm fulgur, cecidit, ascensuros. Et licet eius pœna accidentalis ex damnatione impugnatorum augeatur; nihilominùs impugnant, & tentant. Simlies inuido illi, qui; vt auaro, cui inuidebat duo oculi eruerentur, sibi vnum erui postulauit.

Sap.2.

Quarta Propositio.

Mouet quoq; illos diuina iustitia, quæ illis vt instrumentis ad homines puniendos vtitur. Patet 3.Reg.22. vbi legitur,

3.Reg.22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

missum fuisse spiritum in mundum, ad puniendum Achab, Regem Israel. Decipies, & prevalebis.

Quinta Propositio.

Quinta causa, quæ eos incitat ad impugnandum, est hominum pigritia. Quia arma, nempè virtutes, quibus se defendere debebant, perdiderunt. Sic enim legitur in 4. p. de vitis patrum, respondisse quendam Abbatem, senem percontanti, cur dæmones suis impugnationibus homines vexarent? Quoniam arma, inquit, perdiderunt, id est, virtutes, pœnitentiam, humilitatem, obedientiam, & paupertatem, &c.

Tertia diffic. Quibus modis à dæmonibus homines impugnantur?

REspondeo. Varijs, qui sequentibus propositionibus continentur.

Prima Propositio.

Impugnantur à dæmonibus homines primò ab extra per obiecti extrinseci propositionem. Ratio est; quia cognoscens Lucifer cum suis satellitibus callidissimus ad decipiendum, & ad nocendum potentissimus, tortuosus humani generis inimicus, se non posse hominis voluntatem immutare, vel mouere, nequè in eam cogitationes directè, & intrinsecè immittere (id enim solus Deus, qui eas creauit, vt ex iam dictis constat, præstare potest) scienſquè hominum animas, secundum dispositionem corporum inclinari, & actus virium interiorum spiritualium animæ, nempè, intelligentiæ, memoriæ, & voluntatis fieri, iuxta sensuum exteriorum immutationem. Prætereà cognoscès quicquid boni, vel mali, ab extra est, intrare non posse in illam, nisi per quinq; sensus exteriores, qui sunt veluti fenestræ tabernaculi animæ, ideò occulto modo, quantùm à Deo sibi permittitur, conatur quinquè hominum sensibus aliquod sensibile obiectum,

ctum aut natura formatum, aut de nouo formarum obiicere; vt quando corpus assumit; aut persuadendo per formatam; vt fecit Heuæ in paradiso, operaturquè in illis obiectis, naturalem eorum virtutem intendendo, & dilatando, ad efficatiùs imprimendum, & intuëtem infflammandum. Nam, vt potest in præstigiis facere; vt virga serpens esse videatur: ita quoquè efficere potest, vt liquor insipidus, sapidissimus, & facies turpidissima mulieris insipienti amasio gratissima appareat. Adeò vt verè dici possit sub specie huius rei diabolus latet. Facit tandem, vt homines auibus canibus &c. afficiantur, & delectëtur in quibus dæmon illapsus est, vt se hominibus magis intimè iungat, eosq; impugnet, & perdat: vt fertur in Austria habuisse hominem coruum quendam diabolo plenum, mirabilia facientem, & loquentem.

Secunda Propositio.

Dæmones secundò impugnant homines ab intra, passiones partis sensitiuæ, scilicet, irascibilis, & concupiscibilis excitando, præsertim quæ sunt vehementiores, & faciliùs excitantur; vt sunt amor, ira, luxuria, gula. Hæc enim quatuor peccata sunt media potissima, & conuenientissima, quibus mentis cæcitas, corporis grauitas, virium omnium pigritia, spiritualium somnolentia, tædium negligentia, accidia, desidia diuinorum, inducuntur. Quas ob res potissimum homines impugnant, & tentant. Quòd autem tales passiones, & maximè quatuor dicta peccata excitent. Probatur; nam cùm omnia bonis, & malis Angelis, vt suprà dictum est, quantùm ad localem motum obediant, poterunt, nisi à Deo prohibeantur, illos humores, ex quibus tamquàm ex materia, amor lasciuus, ira, gula, & luxuria oriuntur, alterare, & incendere; vt sunt cholera, sanguis, carnis, pruritus, &c. Possunt quoquè ab intra alterare aliquos humores, vt melancholiam, & huiusmodi, quibus actus potentiæ nutriendi, & appetendi immutentur; vt homo vel esuriat, vel famem non patiatur. Extat multa de hac de re in vitis patrum exempla.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia Propositio.

Impugnantur etiam homines ad intra à dæmonibus per phantasiæ, vel imaginatiuæ immutationem ex motione locali spirituum, & humorum corporalium productam. Et ratio est, quia, teste Arist. in libro de somno, & vigilia: quemadmodum descendente plurimo sanguine ad principium sensituum, id est, cerebrum, vel ad cor animalis dormientis, descendũt etiã motus, id est impressiones, phantasmata, & species relictæ ex motionibus sensibilium, quæ in sensualibus spiritibus conseruantur. Et cùm mouent principium sentiendi, id est, cor, vel cerebrum, sunt tunc causa somniorum, visionum, apparitionum imaginariè dormientibus. Et quando motio talium spirituum est fortis etiam vigilantibus sunt causa aliquarũ apparitionum, quod in phreneticis experientia comprobatur. Perinde virtute bonorum, & malorum Angelorum, quibus sanguis, & humores, & corpora, quò ad motum localem, sunt subiecta, possunt impressiones, & phantasmata, & species relictæ ex motionibus sensibilium in phantasia, vel imaginatiua moueri; vt tangant principium sentiendi, nempè, cor, vel cerebrũ, & fient tunc apparitiones, vel phantasiæ, aliquando cum alienatione à corporeis sensibus: vt somnijs, aliquando sine tali alienatione. Verùm enim verò quantumcunq; huiusmodi imaginationes, & si turpissimæ nobis arte dæmonum, vel vigilantibus, & orantibus præsententur, nisi consentiamus, ad peccatum nobis non imputantur. Et ratio est, quia sicut dubitatio in fide, quæ procedit ex scrupulo conscientiæ, quæ potius pœna, quam culpa dicenda est, cùm frequenter accidat contra voluntatem, nec infidelem, nec hæreticum facit dubitantem; ita ijs tribus extrinsecis, vel intrinsecis modis diabolicarum impugnationum, nisi voluntate consentiente, peccatum non committitur.

Arist.

Nota.

Ioan. Andre. c. 1. extra de Hæret.

Quarta Propositio.

Dæmones impugnant homines per indirectam virtutis cognoscẽdi concitationem. Et ratio est, quia dæmones non possunt

possunt immittere cogitationes malas in intellectum, & affectiones in voluntatem, interius illas efficiẽdo: propterea quòd vsus virtutis cognoscendi, siue cognitiuæ non dæmoni, sed Deo, & voluntati subiacet. Vocatur tamen dæmon incensor malarum cogitationum, quatenus incitat ad cogitandum mala, & ad appetendum cogitata. Quod quidem facit, vel persuadendo, vel passionem excitando. Et his duobus modis intelligitur Damascen. lib. 2. Quando dicit, omnem malitiam, & immundas passiones à dæmonibus fuisse excogitatas, & inuentas.

Damascen.

Quarta diffic. Est maior potestas concessa dæmonibus, quàm malis hominibus, ad homines impugnandos?

CONCLVSIO.

SVper bonos, & malos homines, maior potestas est à Deo malis hominibus, quàm dæmonibus permissa. Ratio est: quia experimento comprobatum est, tyrannos, & alios iniquissimos homines, permittente Deo, pro suo arbitrio optimos quosque, quando, & quo voluerunt modo, impugnasse, afflixisse, & interfecisse, quod communi concursu non fuit dæmonibus super homines concessum. Alioquin scientes omnes homines in peccato mortali morientes, statim esse damnandos, eos interimissent. Deinde, quia homo magis potest ab inimico homine, cùm sit visibilis, quàm ab hoste dæmone se defendere, cùm sit inuisibilis. Præterea: quia dæmon est periculosior inimicus homini, vt porè, qui conatur præcipuè spiritualia, & moralia bona, sine quibus nemo beatus efficitur tollere; quàm sit homo homini, qui, vt plurimum bona fortunæ, vel naturæ conatur auferre. Quia licèt possint corpus occidere: non tamen animam. Nõ terreamini ab his, qui occidunt corpus, &c.

Luc. 12.

Quinta diffic. Est ne agẽs naturale potẽtius, ad bonos impugnandos, quã, sit agens liberum, vt homo?

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Agenti libero, huic statui viæ subiecto, maior potestas cõcessa est. Confirmatur exemplo multorum sanctorum martyrum, qui igni, aquæ, veneno, bestijs, & alijs sexcentis tormentorum generibus expositi, incolumes euaserunt; qui tamen ab agente libero actione gladij mortui sunt.

DVB. I. Cur actio naturaliter agentiũ aliquando fuit à Deo impedita, & actio gladij semper in omnes suum sortita est effectum, & nunquàm impedita?

Prima Propositio.

FVIT aliquando agentium naturalium actio à Deo permissa; vel propter peccatum eius, qui læsus est; vel eius, cuius impietate innocentes igni, mari, bestijs, &c. fuerunt applicati, vel quia impij non erant digni moueri miraculo, vel quia iustum erat, vt eorum malitia compleretur, & meritum martyrum incrementum susciperet.

Secunda Propositio.

Fuit aliquando agentium naturalium actio prohibita: vt martyres verè esse serui Dei, cui omnis natura obedit, apparerent, & vt ita manifestè omnibus fieret, ab innocenti natura, quantum in se est, hominem innocentem non lædi.

Tertia Propositio.

Actio vibrata gladij impiorum nunquam fuit prohibita. Primùm quia gladius est instrumentum ordinarium, & principale executionis iudiciariæ potestatis, ad facinorosos homines castigandos, animaduertendosque vt constat. ff. de iurisdictio. omnium. in dict. L. Imperio. Et ideo Deus, à quo

à quo est omnis potestas, eius executionem potiùs semper conseruare, quàm impedire decreuit. Secundò quia gladij prohibitio non fuisset pro miraculo recepta, sed arbitrio percussori, quasi fingentis se non posse percutere, imputata. Postremò quia cùm apud Gentiles, famosa quædam superstitio esset, magos dæmonum operatione facere consueuisse. vt gladij non scinderent, noluit Deus gladij actionem prohibere; ne illi, in quos vibratus fuisset, suspecti de superstitionibus haberentur.

DVB. II. Quot sunt dæmonum species impugnantium, & torquentium homines, antè, & post iudicij diem?

Prima Propositio.

Quidam ex dæmonibus sunt in hoc aere caliginoso detenti, & alligati quodam modo, qui dati sunt nobis in ministerium exercitationis nostræ, vsquè in diem iudicij, vt nos impugnent, & tentent, nobisquè insidientur; non tamen vltrà id quod possumus; in quo quidem loco libentiùs commorantur. Quod colligitur ex eo, quòd frequenter à Christo petierunt, ne infernum mitterentur. Non quod eorum pœna minuatur; nam quocunquè pergunt, ignem, quo semper ardent, secum; vt suprà diximus, portant. Sed quia magis pœnale sibi existimant, esse in inferno; eò quòd ratiùs nos impugnare, & contra nos agere possunt, quàm dum in hoc aere caliginoso, nobis propinquo commorantur.

Secunda Propositio.

Alij sunt dæmones in inferno existentes, qui modo solas animas; post autem diem iudicij animas, & corpora impugnabunt tormentis afficiendo. Constat Luc. 16. exemplo diuitis Epulonis. *Luc. 16.*

Tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia Propositio.

S.Thom.in 4.Sent.d.21. q.1. Sunt & alij dæmones in purgatorio, antè animas assistentes, illas irridendo, & eisdem de suppliciis suis insultando, non tamen torquendo.

DVB. III. Cur in purgatorio dæmones animas non impugnant, illas torquendo?

S.Th.vbi.3. REspondeo. Quia in præsenti vita eorum victores extiterunt, potestate torquendi illos carent. Patet exemplo; nam, vt in humanis filius à patre castigatur & fur, vel hostis à carnifice flagellatur; ita in diuinis, cum animæ in purgatorio existentes sint filiorũ Dei, non à dæmone diuinæ iustitiæ carnifice; sed à patre cœlesti puniuntur.

DVB. IIII. Puniuntur ne per Angelos bonos?

REspondeo. Nequaquam, nequè enim verisimile est; vt Angeli boni suos eiusdem gloriæ comparticipes futuros, tam vehementer affligant; quin potiùs visitant, atq; confortanit.

Quinta diffic. Apparent ne dæmones cuilibet morienti; vt illum impugnent?

CONCLVSIO.

DE Lege communi dæmones omnes morientes impugnant. Et ratio est; quia sicut Angelus bonus nõ reliquit hominẽ, vsq; ad finẽ mortis inclusiuè, ei apparẽdo, assistendo, auxiliãdo, & bonũ persuadendo: vt constat. 4. Reg.6. ita & Angelus malus non sinet in fine vitæ impugnare, & insidias parare. Non enim minus pronus, & continuus est dæmon ad impugnandũ, & decipiendum, & perdendum hominẽ, quàm bonus Angelus ad adiuuandũ, & custodiendum. Vnde glos. super illud Gen.3. Tu insidiaberis calcaneo eius,

4. Reg.6.

Gen.3.

eius, ideſt, fini vitæ hominis. Et Hugo Cardinalis locum, de dæmonibus in more apparentibus declarat. Nam inquit sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo consummauerunt tormenta sua, & in tẽpore cõsummationis effudẽrũt sanguinẽ. Lege quoq; B. Aug. in locum Psal. 55. ipsi calcaneum meũ obseruabunt. Et B. Greg. in Moral. c. 7. Vbi addu- cit versum, inquitas calcanei mei circundabit me. Et super illum. Luc. 19. circundabunt te inimici tui vallo. Vbi affirmat bonis, & malis apparere: atque etiam Christo in morte, sed in eo nihil inuenisse. Venit enim princeps huius mundi & in me non habet quicquam; quia peccare non potuit. Ibi etiam scribit dæmonem eò magis suis tentationibus, & grauioribus hominem impugnare, quò eum magis fini appropinquare conspicit. Multa de hac re extant exempla, præsertim illud B. Martini, qui dæmonio in morte apparenti dixit. Quid hic astas cruenta bestia?

Hugo. Eccles. 39. B. Auguſt. Psalm. 55. B. Gregor. Psal. 49. Luc. 19. Iob. 14.

DVB. IIII. Quo igitur modo apparent?

RAtio dubitandi est: quia Angelus, cùm sit spiritualis, non potest ab oculo corporeo videri: nã inter obiectũ & potentiam debet esse proportio. Respondeo. Vel apparent imaginariè: quia dæmones mouendo humores, & sanguinem formant quasdam imagines, quæ ipsos repræsentant. Vel apparent in corporibus assumptis.

DVB. V. Cur ergo qnando apparent, ab omnibus astantibus non videntur.

REspondeo, si imaginariè appareant, tunc non apparẽt nisi illis, quibus fit visio: vt in Prophetis constat, quibus solis visio fiebat. Daniel. 10. Vidi autem ego solus visionem. Quod si in corpore assumpto appareant, est in eorum potestate, vt ab vno, vel à pluribus distanter, vel propè videãtur. Et patet exẽplo Phythonissæ, & diaboli repræsentantis Samuelem, quem Phythonissa sola videbat. Saul autem, & serui eius solam vocem audiebant. Et confirmatur

2. Reg. 28.

ratione:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione: quia eandem potestatem, quàm animæ beatorum super propria corpora glorificata habebunt, habent & angeli mali super corpora ab eis assumpta, & anima super corpus glorificatum omnimodam potestatem habet. Quia corpus gloriosum est instrumentum summè principali agenti obediens. Et ita, vt in potestate animæ erit vni, vel pluribus apparere: ita vt ab vno, & non à pluribus videatur, ita & in potestate dæmonis, &c. Constat exemplo boni Angeli Daniel. 10. Ego autem relictus solus, &c. Exemplo Christi acto. 9. quando apparuit Saulo in via, quem Saulus videbat: viri autem, qui committabantur, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

Daniel.
Acto.9.
Alex. Alen.
q.101.
S. Th q.114.
&. 1.2.q.8.
art.4.
D.Bon.d.12.
art. 1. Scot.
Ricar. Durã.
& alij eadẽ
dist.21.
Doct. vbi.§.

Artic. V. De tentatione.

HIC, art. totam materiam tentationis in generali continebit, & positis aliquot difficultatibus, enodabitur.

Prima diffic. Vtrùm sit tentatio?

CONCLVSIO.

DE fide est tentationem esse. Colligitur ex innumeris locis veteris, & noui testamenti. Matth. 4. Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur, Et. 1. Thess. 13. ne forte tentauerit vos is, qui tentat.

Matth.4.
1.Thess.13.

Secunda diffic. Quidnam est tentatio?

VAriæ sunt tentationis descriptiones, iuxta varietatem tentantiũ, & finium ipsorum. Nihilominus descriptio tentationis in genere sequenti conclusione cõtinetur.

Alex. Alen.
m.1.alij.vbi
suprà.

CONCLVSIO.

Tentare in genere, à quo tentatio, est experimentum de re aliqua sumere. Quod Terentius dixit periculum facere. Ratio est: quia sic medici, quis sit effectus alicuius herbæ, tẽtant per experientiam. Similiter etiam, & alij artifices quotidiè tentare dicuntur. Sine tentatione probatus nemo esse potest: siue sibi ipsi, Eccl. 34. Qui non est tentatus, quid scit? siue alijs, vt Apostol. dicit. Et tentationem vestram in carne mea non spreuistis. Hæc autem communis ratio tentationis per

S. Bon. ar.3.
2.q.1.vbi.§.
S.Tho.2.2.q.
97.art.1.
Eccl.34.
Ad Galat.4.

per diuersos fines eorum, qui tentauerunt, vt statim patebit, tanquàm per differentias ad diuersos modos, siuè species contrahitur.

DVB. I. Quot modis fit tentatio?

S.Tho.vbi.§.

REspondeo, duobus modis. Primo verbis, vt experiamur, sciat ne, quod quærimus, vel possit, aut velit adimplere illud? Secundo factis, quando per illa, quæ facimus, alterius prudentiam, vel voluntatem, vel potestatem exploramus. Et vterque modus iterum contingit dupliciter. Primò apertè, vt si quis se tentatorem profiteatur: vt Sanson, qui ad tentandos Philistæos proposuit illis problema. Secundò insidiosè, & occultè, vt Matth. 22. Pharisæi tentauerunt Christum. Rursus contingit tentare bifariam, vel expressè, quando quis verbis, vel factis experimentum de aliquo sumere intendit, vel interpretatiuè, quando licet experimentum sumere non intendat, agit tamen, vel dicit aliquid, quod nisi ad experimentum sumendum, referri haud potest.

Iud.14.
Matth.22.

Tertia diffic. Quas ob causas permittit Deus tentationem fieri?

REspondeo: propter easdem causas, ob quas art. 4. homines impugnari diximus.

Alex. Alen.
m.4.&.5.
vbi.§.

Quarta diffic. Qui tentare dicuntur?

CONCLVSIO.

TEntare propriè sumptum, prout est callidè experiri, & velle de tentato aliquid scire, vt decipiatur, & subuertatur, proprium est diaboli officium. Et ratio est, quia est dæmoni maximè proprium tentare: vt decipiat. Et ideò per anthonomasiam, & excellentiam, tentator nominatur. Matth. 4. Accessit tentator. Et. 1. Thessal. 3. Ne fortè tentauerit vos is, qui tentat. glo. 1. diabolus, cuius officium

Alex. Alen.
m.2. & alij
vbi.§.
Matth.4.
1.Thessal.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Cor.10. est tentare. Et hoc fit, permittente Deo, qui facit cum tentatione prouentum.

Append.1. Hinc, homines mali, qui tentant ad decipiendum proximum, cooperatores, & ministri diaboli esse dicuntur.

Append.2. Hinc, mundus, & caro tentatoris comites, & ministri appellantur: quia illi materiam administrant.

DVB. II. Quænam sunt, quæ dæmon tentando intendit?

Alex. Alen. m.4.vbi.§. S. Bona.ar.1. vbi.§. REspondeo. Quinque sunt præcipuè, quæ per tentationem acquirere conatur. Primum est corrumpere erroribus, & superstitionibus hominum fidem. Secundum est homines in superstitionibus conseruare. Tertium viam virtutibus contrariam inducere. Quartum vt homo ægritudinem, & afflictionem patiatur: ita vt irascatur, & Deum offendat. Et habetur in glo.c. potest fieri, de pœnit.d. 1. Vltimũ est hominem in suis iniquitatibus confirmare, vt ita finaliter condemnetur, & in æternum pereat.

DVB. III. Tentatio diaboli est ne causa omnis peccati?

S.Tho.q.114. art.3. S.Bona.art. 2.q.2. vbi.§. DVobus modis potest intelligi titulus. Primo, vt sit causa indirectè, vel vt dicit D. Bona. vt sit peccatum à diabolo, sicut à mouente primo, & sicut à motore proximo. Secundo directè, vel vt ait D. Bona. vt à motore proximo, & immediato.

CONCLVSIO I.

Primo modo tentatio diaboli est causa omnium peccatorum nostrorum. Et ratio est: quia instigauit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato consecuta est in toto genere humano quædam ad omnia peccata pronitas. Et hoc modo intelligendi sunt D. Dionys. Et Damas. qui à B. Thom. hîc citantur. Et D. Hieron. qui à D. Bona. adducitur.

B.Dionys. B.Damas. B.Hiero.

CON-

CONCLVSIO II.

Secũdo modo tentatio dæmonis nõ est causa omniũ peccatorum. Et ratio est; quia non omnia peccata, dæmone instigante, committuntur. Nam, absente diabolo, peccatũ potest esse à libero arbitrio, vel volũtate propria, vel attrahente carnis concupiscentia.

DVB. IIII. Tentat ne semper diabolus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m.9.vbi.§. SEmper tentare anhelat; non tamen semper tentat. Ratio primæ partis est; quia, cùm inuidia eius sit causa tentationis, & semper inuideat, semper tentare desiderat, & anhelat. Secũda pars probatur; quia cessãt aliquando tentare bonos, tùm quia non est ei concessa potestas; tùm etiam quia timet aliquãdo superari. Quare, vt securiores sint à tẽtatione desistit. Cessat etiam tentare malos, ne nimis fatigati tentationibus, ad pœnitentiam prouocentur.

DVB. V. Appetit ne diabolus æquè semper tentare?

Alex.Alen. m.10.vbi.§. SEnsus tituli est. An semper crescat eius appetitus ad tẽtandum; vel sit maior in vno tempore, quàm in alio.

CONCLVSIO.

Habac.2. Eò semper magis eius appetitus ad tentãdum crescit, quò magis mũdi finis, & interit* appropinquat. Et habetur Hab. 2. Dilatauit, quasi infernus, animã suam, & ipse, quasi mors, & non adimplebitur. Et prouerb.30. Tria sunt insaturabilia, Prouerb.30. scilicet, auarus, infernus, & os vuluæ. Vbi per infernum diabolus, qui nunquàm satiatur, intelligitur.

Quinta diffic. Tentat ne Deus?

Alex.Alen. & alij vbi. §.& S.Tho. 22.

CONCLVSIO I.

PRopriè Deo non competit tentare. Et ratio est; quia nihil est sibi dubiũ, de quo per tẽtationẽ, sumat experimentũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iacob.1. Vnde dicitur Iacobi. 1. Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.

CONCLVSIO II.

Dicitur tamen Deus per quandã similitudinem homines tentare, vt alijs virtutes eorum, qui tentantur, manifestæ fiant. Hæc conclusio colligitur ex multis sacræ Scripturæ locis. Deut. 13. tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat.
Deut.13. Vtrùm diligatis illum an non? Tentauit Abraham, & Tobiam, & Iob, vt eorũ amor, & obedientia, & patientia mũdo
Gen.22. in sæculum sæculi manifestarentur. Tentauit & Christus,
Io.6. Dominus Philippum, vt eius paruitatẽ fidei, palam faceret.

Append. Hinc, ex fine licet deprehendere, quàm aliter Deus, quàm dæmon tentat. Nam Deus in bonum tentat, dæmon autem in malum tentat.

DVB. VI. Tentat ne caro?

Alex. Aren. q.101.m.7. art.2. S. Bona. 2 q.1. & Dura. q.1. vbi. S. Iacob 1. Ad Gal.5. D. Aug. TEntat. Et ratio est, quia à carnis concupiscentia homo pulsatur, & quasi tangitur, cui tactui, siuè pulsationi, si consentiat homo, probatur, & reprobatur: si verò dissentiat, probatur, & approbatur. Et hoc modo carnis impulsio dicitur tentatio. Vnde Iacob. 1. Vnusquisquè tentatur à cõcupiscentia sua abstractus, & illectus. Et nota cum Alex. In præsentia non sumi carnem solùm pro corpore, sed pro parte sensuali, vnita carni, prout dicitur ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Lege ibidem D. Aug. Durandus verò non esse propriè tentationem tenet, quia nequè homo non refrenando motum carnis, de se ipso experimentum alicuius dubij sumere intendit, quod est de ratione tentationis.

DVB. VII. Potest ne tentatio carnis à tentatione diaboli separari?

D. Bona. q.2. vbi. S. Nota. TEntationem esse à carne, vel ab hoste dupliciter potest intelligi, vel sicut à mouente primo, vel sicut à mouente proximò, & immediato.

CON-

CONCLVSIO I.

Primo modo tẽtatio carnis nunquàm absquè tentatione hostis esse potest. Et ratio est: quia omnis carnis tentatio est ex eius corruptione, quæ ortum habuit à prima hostis tentatione.

CONCLVSIO II.

Tentatio hostis potest absq; tentatione carnis esse. Confirmatur exemplo potissimè, quando is tentatur, in quo nõ est carnis corruptio: sicut fuit in Adam in statu innocentiæ, & in Christo: vel quando ex tali tentatione nulla oritur incuruatio.

CONCLVSIO III.

Quando tentatio hostis ad peccatum pertrahit, non potest à tentatione carnis separari. Et ratio est: quia nullum peccatum in nobis reperitur, quod non habeat ortum ex aliqua concupiscentia.

CONCLVSIO IIII.

Si autem secundo modo: vt in notabili positum est, sumatur, & vt accipitur tentatio à Magistro in litera, non solùm inter se differunt: verùm etiam vna sine alia esse potest. Et ratio est: quia alio modo tentat caro, & alio diabolus, & ad aliud vitium impellit caro, & ad aliud diabolus, & principium mouens est diuersum. Et quia aliquo tempore vexat, & instigat ad aliquod vitium diabolus, ad quod non inclinat caro: & è conuerso.

DVB. VIII. Tentat ne mundus?

CONCLVSIO.

TEntat. Et ratio est: quia licet, se habeat obiectiuè: dæmoni tamen materiam administrat, cuius administrationem sequitur approbatio, vel reprobatio. Propriè tamen non tentat: quia tentare propriè est proponentis obiectum, actum, vel motum illicitum, & intendentis finem, quod non conuenit mundo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. IX. Tentat ne vnus homo alium?

CONCLVSIO.

S. Bona. ar. 2. q. 1. Eccl. 13.

TEntat, vt de eius scientia, & virtutibus, experimentū sumat; vt eum ad dignitatem, vel aliud bonum promoueat. Vnde Eccle. 13. Ex multa loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. Hæc conclusio confirmatur ex regula seraphica patris mei S. Francisci, qui hoc modo tentandos esse nouicios præcepit dicens. Examinent eos de fide catholica, &c. Et etiam ex iure canonico, & in concil. Trid. multis in locis hoc ordinarijs locorū præcipitur. Et habetur sess. 7. c. 61. & sess. 14. c. 3. de reformatione, & sess. 23. c. 3. & 7. & 12. & sequentibus, & sess. 24. c. 18.

Appen. 1. Ex ijs, quæ hactenùs de tentatione diximus, colligitur primùm ad perfectam rationem tentatoris tria requiri. Primum est, vt per tentationem dubium aliquod ignorantibus manifestetur. Secundum, vt hoc intendat, sitquè cordi ei, qui tentat. Tertium, vt tentator huius rei cognitionem velit, quasi ab eo ignotam recipere. Rationem autem duorum priorum, siue primæ, & secundæ conditionis diximus Deum tentasse Abraham, &c. Defuit tamen tertium, seù tertia conditio; quia non accepit Deus per tentationē cognitionem, quam priùs non habuerit. Cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius; & vocet ea, quæ non sunt, &c.

Ad Heb. 4. Ad Ro. 4.

Appen. 2. Hinc etiam, alia est tentatio, in qua vna dictarum trium conditionū saluatur, nempè, manifestatio tētati. Quo modo dicuntur tentare caro, mundus, & diabolus; quia in ijs manifestè virtus, vel infirmitas tentati deprehenditur.

Appen. 3. Hinc, impugnatio virtutis mentis, à quocunquè fiat, tentatio appellatur. Quæ fit vel à principio intrinseco: quo modo tentat caro; vel à principio extrinseco. Quod quidem principium, vel impugnat per modum obiecti, atque ita est impugnatio à mundo, cuius rebus corda ad peccandum, alliciuntur. Vel impugnat per modū agentis trahentis ad peccandum, hocq; vel persuadendo, vel terrēdo, vel blandiēdo, qui modus tentandi fit à diabolo, & membris eius, qui sunt homines pessimi.

Artic.

Artic. VI. Cuius est tentatio passiuè?

DE Tentatione actiuè proximo articulo. 5. cui competebat tentare egimus; nunc restat de eadem passiuè tractemus, id est, vt cui cōueniat tentari declaremus. Et absoluetur art. positis aliquot dubijs.

Alex. Alen. q. 101. m. 3. ar. 1.

Primùdiffic. Tentatur ne Deus?

CONCLVSIO.

S. Th. 2. 2. q. 97. Deut. 6. Matth. 4. Eccle. 18.

TEntant homines Deum, cupientes, quasi incerti, experiri Dei virtutem, potestatem, veritatem, bonitatem, &c. Quod quidē lege diuina prohibetur. Deut. 6. Non tentabis dominum Deum tuū. Et Eccles. 18. Noli esse, quasi homo, qui tentat Deū. Tentat autē, vt inquit glo. super locum Deut. citatū, qui habens, quid faciat sine ratione committit se periculo, experiens vtrum possit liberari à Deo.

DVB. I. Quot modis aliquis Deum tentat?

LEGE Suprà in principio artic. 5. de modis, quibus fit tentatio.

S. Th. vbi. 5.

Respondeo. Vel verbis, vel factis expressē, vt quando aliquis in sua petitione postulat aliquid à Deo, vel facit; vt Dei potestatem, & scientiam, & voluntatem exploret: vt qui, nulla vtilitate, vel necessitate interueniente, solùm Dei omnipotentiam experiretur, & subsidia humana desereret, hoc modo Deum tentaret. Vel secundo interpretatiuè Deum tentat, qui, licet, Deum tentare non intendat, quod facit, vel dicit, ad solam Dei omnipotentiam, & scientiam explorandam videtur posse referri; vt quando agit aliquid absquè vlla, vel vtilitate, vel necessitate; vt constat ex glossa proxima citata.

Appen. 1. 2. Paral. 20.

Hinc, qui necessitate, vel vtilitate vrgente, committit se auxilio diuino, Deum non tentat. Constat. 2. Paralip. 20. Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Appen.1. Hinc, Martyres, qui propter Dei amorem, & fidei confirmationem, & animarum salutem tormẽtis se offerebant, Deum non tentabant.

Appen.3. Hinc, qui petunt sibi peccata à Deo dimitti, nolentes alijs iniurias sibi illatas remittere, Dei clementiã tentãt, & grauissimè peccant. Cùm agant contra veritatem religionis, cuius est de excellentia, & Dei clementia, optimè, & rectè sentire.

DVB. II. Est ne peccatum tentare Deum?

CONCLVSIO.

S.Th. vbi. s. ar. 2. EST Peccatum. Et ratio est, quia, vt ex suprà dictis constat, omnis tentatio procedit ex aliqua ignorantia, vel dubitatione: ignorare autẽ, vel dubitare de his, quæ pertinent ad Dei perfectionem, est peccatũ. Deinde; quia

Deut. 9. est contra præceptum Deut. 9. Non tentabis Dominum Deum tuum.

Appen.1. Hinc, tentare Deum ad hoc, quòd ipse tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum.

Appen.2. Hinc, si quis experimentum sumeret de his, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, nõ vt ipse agnoscat, sed vt alijs demonstret. Deum minimè tentaret Ratio est, quia subesset iusta causa, siuè pia vtilitas, & alia, quæ ad hoc desiderantur.

Act. 4. Ita enim Apostoli; vt in nomine Iesu signa fierent, à Domino petiuerunt, ad hunc finem; vt virtus Christi infidelibus manifestaretur.

DVB. III. Est ne peccatum religioni contrarium?

CONCLVSIO.

S.Th. vbi. s. ar. 3. EST. Propterea quòd, qui Deum tentat, non debitam reuerentiam Deo præstat. Cùm tentare aliquem ad tentati irreuerentiã pertineat. Et quia religionis est debitam Deo reuerentiam exhibere, tentare erit actus religioni oppositus.

DVB.

DVB. IIII. Passus ne est Christus Dominus tentationem?

CONCLVSIO.

PAssus fuit. Hanc conclusionem docet catholica fides ex Euangelio. Et ratio gloss. est super illud Matth. 4. Si filius Dei es; quia non indignum fuit Christum tentari, qui venerat occidi, vt tentationem superando nobis potestatem daret, superandi tentationes. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absq, peccato. Alex. Alen. vbi. s. art. 3. Matth. 4. Ad Heb. 4.

Hinc, Christus sola exteriori tentatione fuit tentatus; non autem interiori; quæ autem sit interior, & quæ exterior, infrà in hoc eodem articulo declarabitur. Appen.

DVB. V. Angeli, tàm boni, quàm mali possunt ne tentari?

CONCLVSIO I.

BOni tentari non possunt. Ratio est; quia tentatio propriè est ad bonum, & ad malum; vt si in bono sit, possit cadere; vel probari. Et cùm in Angelis bonis sit casus impossibilis sitq; manifesta eorum probatio, vel approbatio, non habet locum in illis tentatio. Alex. Alen. vbi. s. art. 1.

CONCLVSIO II.

Nequè mali Angeli tentantur. Nam alia est ratio tentantis, & tentati; & cùm eorum officium sit tentare, non competet eis tentari. Nequè enim se ipsos tentant, nequè ab alio tentantur; vt cadant.

DVB. VI. Est propriè hominis tantùm tẽtari?

CONCLVSIO.

Est quidem. Et ratio est; quia tentatio propriè fit, cùm aliquid exigitur, vnde potest esse probatio, vel casus, quod in solo homine reperitur. Alex. Alen. vbi. s.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. VII. Tentantur ne similiter boni, & mali homines?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 2. m. 3. q. 101.

DIssimiliter tentantur. Ratio dissimilitudinis sumitur, tùm ex parte tentantis diaboli, cuius non est æqualis appetitus tentãdi vtrosquè; quia non habet æqualem appetitum ad trahendum iustos, & ad detinẽdum peccatores. Tùm etiam ex parte hominum, qui tentantur; quia in malis est amplior habilitas ad recipiendam tentationem, quàm sit in bonis. Nam mali inclinantur ad tentationem; boni verò non, quatenus tentatio est. Et mali vltro se offerunt diabolo; vt ab eo tententur, & ad illum veniunt; boni autem non se offerunt tentationi; sed diabolus venit ad iustos; vt eos tentet.

DVB. VIII. Tentantur ne boni dormientes; sicut & vigilantes?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi. S. ar. 4.

TEntantur, & suo modo acriùs. Et ratio, quare tunc tentat in illa parte imaginatiua, siuè phantastica est; quia tunc plùs viget. Ex illa enim parte semper intendit tentare, ex qua maiorem credit esse effectum. Et aliquando grauiùs; vt docet glossa super illud Iob. 7. Terrebis me per somnia, dicens: sanctos, quò minus valet vigilantes, grauiùs tentat dormientes. Et dicitur tunc grauior tentatio; quia nõ est resistentia ex parte eorũ, qui tentantur: licet ratione damni, quod sequitur in vigilia, tentatio in vigilia grauior, & acrior censeatur.

Iob. 7.

DVB. IX. Existentes in sæculo, & illi renũciantes, tentantur ne similiter à dæmonibus?

Alex. Alen. vbi. S. ar. 5. Nota.

REcedentium à sæculo sunt diuersi status. Primus est in ipso accessu ad religionẽ. Secũdus in initio cõuersionis. Tertius

Tertius est in progressu religionis. Quartus status est in perfectione.

CONCLVSIO I.

In primo statu grauior est diaboli tentatio. Ratio est: quia Pharao derelictus surgit in scãdala. Et ne omninò relinquatur, nititur retinere. Quod confirmat gloss. super illud. Tunc Iesus ductus est in desertum, vbi dicitur. In deserto fit tentatio; quia non ante se hostis erigit, quã homo de mundo exit. Tenet enim eum sub legibus suis. Matth. 4.

CONCLVSIO. II.

In secundo statu non tam grauis est tentatio. Et ratio est: quia ex diuina misericordia aliquando mitigantur tentationes apud infirmas mentes, & datur quædã suauitas, siue mentis iucunditas, post laqueorum euasionem.

CONCLVSIO III.

In tertio statu sunt variæ tentationes. Et ratio est: ne in illo statu sit negligentia ex securitate. De quibus B. Gregor. apud Alexand. vbi suprà ait. Ne conuersus securitatis negligentia dissoluatur, impulsu tentationis afficitur. In quo quidem statu: quia non sunt tot differentiæ tentationum, quot sæcularium, est tentatio minùs grauis. Est autem grauior tentatio: quia ad cognoscendum est difficilior. Vnde gloss. super illud Iob. 40. Quis reuelauit faciem indumenti eius, inquit, Aliter Leuiathan religiosas mentes tentat, aliter huic mundo deditas. Nam prauis mala, quæ desiderant, apertè obijcit: bonis autem latenter insidias sub specie sanctitatis illudit. Iob. 40.

Hinc, cùm plura sint genera malorum, quæ sæculares desiderant, quàm illa, per quæ possit bonis illudi multiplicatior est tentatio, qua huic mundo dediti, quàm illa, qua à mũdo separati, tentantur. Append.

CONCLVSIO IIII.

In quarto statu grauissimæ sunt in se tẽtationes: sed alleuiantur. Et ratio est: quia multò maius est robur sustinentiũ, & diuina consolatione animantur, & roborantur. Vnde D. Gregor. apud Alexand. hoc loco ait. in inchoatione D. Greg.

inue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

inueniunt blandimenta dulcedinis, in medio certamina tentationis, ad extremum verò est perfectio plenitudinis.

DVB. X. Tentantur ne similiter perfecti, & imperfecti?

Alex. Alen. artic. 6. Nota.

TEntatio duobus modis dicitur maior. Primo ratione feruoris in tẽtante, quia cùm maiori feruore appetitus fit tentatio. Secundo ratione efficatiæ in tentato.

CONCLVSIO I.

Primo modo maiori tentatione perfecti tentantur. Et ratio est: quia crescentibus virtutibus, magis sæuit diabolus ad tentandum: vt docet D. Gregor. apud Alex. vbi suprà. Et cõfirmatur exemplo Principis, qui magis insurgit cõtra illum, qui plùs aufert de iure suo; vel plùs regno suo nocet. Etsi contingat aliquãdo vinci, plures sibi milites ad expugnationem hostis adiungit. Ita & diabolus contra perfectos, qui magis regno suo nocẽt lege. c. nulli. 3. q. 1.

CONCLVSIO II.

Secundo modo maiori tentatione imperfecti tentantur. Et ratio est: quia in imperfectis maiorẽ aditum tentationis inueniunt: ideo audatior efficitur ad tentandum, & faciliùs consequitur effectum.

DVB. XI. Tentantur ne eodem modo resistentes, & non resistentes?

CONCLVSIO I.

BOni, siue mali, quando tentationibus resistunt, grauiores, & acriores tentationes patiũtur. Ratio respectu malorum resistentium est: ne à sua potestate euadant. Et respectu bonorũ: quia maior dæmoni videtur victoria bonos vincere. Superbi namquè est nolle vinci: sed velle vincere. Vnde D. Greg homil. 12. super primam partem Ezechiel. ait. Antiquus aduersarius, qui de cœlo lapsus est, inuidet, & insidiari amplius incipit, acrioresquè, quàm consueuerat ten-

D. Greg.

tentationes admouet: ita vt plerumque resistentem animum tentet, sicut nunquàm ante tentauerat, quando possidebat. Hinc Ecclesiast. 20. Dicitur. Fili, accedens ad seruitutẽ Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Eccl. 20.

CONCLVSIO II.

Mali, tentationibus non resistentes, multipliciùs: non tamen acriùs, & grauiùs tentantur. Et ratio D. Hieron. apud Alexand. in hoc loco est: quia quantò plures suæ voluntati subijcit, tantò eos pluribus tentationibus concutit, & non resistentes eius voluntati sunt subiecti. Notanter dicitur in conclusione, non tamen acriùs. Quia aliquando respectu illorum à tentatione desistit: non vt suæ malitiæ finem imponat: sed vt corda; quæ per quietem secura reddiderat, repente rediens, faciliùs irrumpat. Illos enim inquietare negligit, quos, quasi quieto iure, se possidere sentit. Et ne per molestiam tentationum, eos ad Dei refugium ire compellat.

Hinc; à simili solui potest dubium. An credentes, & non credentes, similiter tententur? Nam credentes acriùs: non credentes verò multipliciùs, & faciliùs dæmon tentat. Quia fideles habent scutum fidei. Ad Ephes. 6. In omnibus sumẽtes scutum fidei. Et ideo acriùs contra illos pugnat: infideles verò: quia tali scuto sunt destituti, faciliùs, & frequentiùs, & tentantur, & vincuntur. Append. Alex. Alen. art. 8. vbi 8. Dub. Ad Ephe. 6. Dub.

Hinc, etiam similiter soluitur dubium. Vtrum magis tententur existentes in communione ecclesiæ? quàm ab illa separati? Nam ardentiùs tentant primos, & liberiùs secundos. Et animaduerte non esse liberam omnino voluntatem diaboli. Et ratio est: quia, licet, fiat permissio potestati diabolicæ ad tentandum, siuè vexandum separatum à communione ecclesiæ: non tamen est omnimoda permissio: sed ad hoc: vt spiritus eius saluus fiat, id est, vt per tribulationem in anima, vel in corpore, agnoscat peccator, se deliquisse, & se cognoscens pœniteat, & pœnitendo satisfaciat: & ita ad vnitatem ecclesiæ redeat. Append. 1. Alex. Alen. vb. 8. arg. 9. Dub. Nota. 1. Cor. 5.

DVB. Cur, cùm separatus à communione ecclesiæ tradatur in potestatem Sathanæ, non omni modo nocet, sicut in primitiuo ecclesiæ statu? Dub. Alex. Alen. vbi 8.

Respon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondeo: quoniam in primitiuo ecclesiæ statu potuit percipere, se quosdam per tentationem, & vexationem suam amisisse: quia multato sapiente, sapientior erit paruulus. Prouerb. 21. Et iterum pestilente flagellato, stultus sapien tior erit. Et hac de causa, licet, potestatem habeat grauiùs tẽtandi, vel vexandi, dissimulat: vt plures contumaciæ, siue inobedientiæ audaciam sumant, & à communione ecclesiæ præscindantur. Omitto aliàs causas.

Prouerb. 21.
Prouerb. 21.

Secunda diffic. Quot sunt tentationis species, siue differentiæ?

NOster Alex. varias affert diuisiones specierum, & differentiarum tentationis diuersorum sanctorum doctorum, quas vtilissimè, & doctissimè, vt solet, examinat, & tractat. Verùm enim verò illas omittere decreui, & eas tantùm modo proponere, ex quarũ cognitione, & victoria maior vtilitas spiritualis nobis comparatur.

Alex. Alen. q. 101. m. 6. & Magist. & D. Bona. super literam 20. dist.

CONCLVSIO.

Quinque sunt tentationis species, siue modi. Hæc conclusio non aliter, quàm ex numero eorum, quibus actiuè competit tentatio probatur. Nam, vt sunt quinque, quibus conuenit tentare (vt modò diximus) Deus, scilicet, diabolus, caro, mundus, & homo: ita erunt quinque tentationis species. Vna, quæ est à Deo. Altera, quæ à diabolo. Tertia, quæ à carne. Quarta, quę à mundo. Et quinta, quæ ab homine efficitur.

DVB. I. Quando diabolus tentatione exteriori tentat. Vtrùm noua signa faciat?

CONCLVSIO.

LIcet, possit noua quædam signa facere, non facit tamẽ: sed vtitur rebus sensibilibus, tanquàm instrumentis, ad tentandum. Prima pars conclusionis ex dictis suprà de potestate Angelorum patet. Secundæ autem partis ratio est: quia conatur ex rebus sensibilibus, ad illicitam delectationem homines prouocare. Est autem illicita delectatio in

Alex. Alen. m. 4. art. 1. vbi. §.

in rebus sensibilibus, quæ excedit naturalem delectationem, quæ bona est. De qua legitur: Delectasti me Domine in factura tua. Excedit autem, quando delectatur plùs, quàm oportet, vel quando non oportet; vel quo fine non oportet, & ita de alijs circunstantijs.

Hinc, præsumitur sophisticos colores faciei, & capillorũ, mulierũ, & sophistications odorũ, saporũq; confectiones, quæ ex hominũ studio emanãt, non propter humanã necessitatẽ, sed ad promouendã voluntatẽ, instinctu diaboli fieri. Append.

Hinc, etiam colligi potest, diaboli operam interuenire in ioculationibus virorũ, vel mulierũ, in melodijs ad lasciuiam prouocantibus, in vatijs tincturis vestiũ, & frequentibus balneationibus; vbi nõ necessitati subuenitur; sed voluptati inseruitur. Similiter in cãtilenis mulierum, ad lasciuiam prouocantibus, & in choreis, & alijs id genus. Append. 2.

DVB. II. Tentat ne diabolus homines virtute lapidum, & herbarum?

CONCLVSIO.

ASSerere omnes dæmonum tentationes per contactum lapidum, & herbarum fieri, hæreticum est. Est enim expressè cõtra multa loca sacræ Stipturæ; quia prima dæmonis tentatio, qua Euam tentauit, non fuit, medijs lapidibus, vel herbis; sed, medio serpente. Et vt Adam tentaret, non adhibuit lapides, vel herbas, sed ipsam Euã. Cognouerat enim vxorẽ, ad hoc opus, omnibus lapidibus, & herbis esse potentiorẽ Lege alia loca apud Castrũ vbi suprà, & hũc errorem tribuit D Bernar. cuidam Petro Abailardo.

Castro. verb. tentatio contra hæreses. Hæresis. Gene. 3. D. Bernard.

CONCLVSIO II.

Aliquæ dæmonũ tentationes in nobis virtute lapidum, & herbarum, permittente Deo, fieri possunt. Et ratio est: quia, cùm dæmon variè hominem tentet, iuxta variã (quã optimè nosci) illius cõplexionem (vt autor est D. Greg. exponẽs illud Iob. 38. diuiditur æstus super terrã) cogimur fateri illum posse hominẽ per lapidum, & herbarũ contactũ tentare. Multæ enim sũt lapidũ, & herbarũ virtutes (quas ille optimè nouit) quæ

D. Greg. Iob. 38.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ hominum cõplexionibus conueniunt. Nam si de Smaragdo, & Topazione, dicitur, quòd libidinis ardores mitigent. Cur etiam non erit alius virtutis contrariæ lapis, qui ardores hominum augeat? Quidq; multi grauissimi Theologi fatentur, dæmonũ afflictiones, & vexationes, per rerum sensibilium applicationem, mitigari posse: vt de Saule legimus, qui, cùm à dæmone vexaretur, Dauide citharam pulsante, leuiùs ferebat. Quamob rem, si possunt mitigari dæmonum afflictiones, poterunt etiam homines virtute rerum sensibilium iuuari. Lege Lyram super locum citatum, & Ricardum dè media villa quodl. 3. quæst. 8.

Lyra. Ricar.

DVB. III. Dæmon, vt tentet per sensus, vnitur ne illis?

Alex. Alen. vbi. s. §. 2.

CONCLVSIO.

VNitur per essentiam, & per effectum de sententia Scoti, vel per solum effectum, vt S. Thom. opinatur. Et ratio est, quia per effectum tentationis ingreditur ad animam, quoniam vt inquit Ierem. ascendit mors, per fenestras nostras.

Ierem. 9.

DVB. IIII. Tentat ne indifferenter per quemlibet sensum?

Alex. Alen. vbi. s. §. 3.

CONCLVSIO.

POtest per quemlibet sensum tentare, grauiùs tamen per visum, & gustum tentat. Ratio est, quia fortiores sunt impressiones delectationum, per illos duos sensus, & ratione naturæ, & ratione corruptionis molitæ ex originali peccato.

DVB. V. Fit ne à dæmone interior tentatio, per vim imaginatiuam?

Alex. Alen. art. 3. vb. §.

CONCLVSIO.

FIT Quidem. Et ratio est, quia dæmon super imaginatiuam

natiuam habet potestatem. Vnde dicitur Iob. 7. Terrebis me, per somnia. Propterea quòd aliquando fiunt illusiones in parte phantastica. Vnde B Aug. in lib. de anima & spiritu, diuersarum personarum species ostendit Sathanas, ac similitudines menti, quã capriuã tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia ostendens. Quæ quidem ostensio, cùm sit ad tentandum, fiet profectò per imaginatiuam tentatio.

Iob. 7.
D. Aug.

DVB. VI. Qui igitur modo per eandem vim imaginatiuam, fit tentatio?

CONCLVSIO.

FIT Per similitudinum repræsentationem. Probatur autoritate D. Greg. super illud Iob. 18. Abscondita est in terra pedica eius, vbi ait. Intuetur hostis mores cuiusq; cui vitio sint propinqui, & illa ponit ante faciem, ad quæ faciliùs nouerit inclinari, vt blandis, ac lætis moribus luxuriã, asperis autẽ mentibus superbiam, itã, &c. Ex quibus potest fieri inclinatio ad malum, & ex consequenti tentatio.

Alex. Alen. § 2. vb. 1.
D. Greg. lib. 18.

DVB. VII. Potest ne fieri talis tentatio sine peccato?

CONCLVSIO.

TAlis tentatio non est necessariò cum peccato. Et ratio est, quia fit ab hoste, & tentatio, quæ fit tantùm ab hoste, nõ est necessariò cum peccato Nam, licet, tentatio in imaginatiua, quantùm in se est, inclinet rationẽ ad peccatum, in ipsa tamen ratione est inclinari, vel non inclinari, & ideò non est necessariò hæc tentatio cum peccato.

Alex. Alen. §. 3. vb. 3.

DVB. VIII. Cedit ne talis tentatio ad profectum, & vtilitatem bonorum?

CONCLVSIO.

CEdit, non tempore somnij, sed vigiliæ. Prima pars probatur, quia cùm in dormientibus non sit rationis vsus,

Alex. Alen. §. 4. vb. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque erit meriti profectus. Ratio secundæ partis est, quia perfecta repressio tentationis (quam consequitur meritum) est, quando iam est rationis vsus in vigilantibus. Hinc D. Greg apud Alex. loco citato ait. Sanctos, quominùs valet vigilantes, grauiùs tentat diabolus dormientes. Quod Deus benignè permittit, ne saltèm somnus à passionis præmio vacet.

D. Greg.

Tertia diffic. Excitat ne diabolus omnes malas cogitationes, vt tentet?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi. 5. art. 4.

NON Omnes malæ cogitationes dæmonis instinctu excitantur. Et ratio est, quia, licet, casus in peccatum ex malis cogitationibus originem habeat: habet nihilominùs homo potestatem cadendi in peccatum, etiam si à diabolo non tentetur. Quare habebit ex motu liberi arbitrij malas cogitationes, absq; dæmonis tentatione, & poterit sine illius instigatione peccare, eius tamen tentatione ad peccatum facilius inclinabitur. Vnde coadiutor, quantùm est de se, ad casum in peccatum nominatur. Quod confirmat D. Greg. super illud Iob. 16. Conuulnerauit lumbos meos, &c. dicens: conuulnerare dicitur, quia quod nobis malè suggerit, nos sequentes ex propria voluntate implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus. Vnde perditio tua Israël, &c.

D. Greg. Iob. 16. Osea. 13.

DVB. Potest ne malas cogitationes mittere, & incendere, vt tentet?

Alex. Alen. vbi. 5. § 2. 3. & 4.

HVIVS Dubij responsio colligenda est ex iis, quæ suprà retulimus, de potestate dæmonum circa animas.

Quarta

Quarta diffic. Tentatio carnis est ne propriè rationis, vel sensualitatis?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. artic. 2. §. 2. m. 1. q 101. Duran. super literã. d. 24. Magist.

NON Est ipsius sensualitatis tentari. Et ratio est; quia tentationem esse ex carne, nihil aliud est, quàm tentationem carnis, media sensualitate, fieri, & cùm sensualitas non seipsam tentet, non erit planè ipsius sensualitatis tentatio.

CONCLVSIO II.

Rationis est secundum inferiorem, & superiorem illius partem, tali tentatione vexari; ita vt superior, mediante inferiori, tentetur. Ratio inferioris rationis est, quia immediatè sensualitati est coniuncta. Ratio verò superioris partis est; quia pars superior se habet sicut vir; & vt vir non fuit immediatè tentatus à serpente, ita & superior pars non tentatur à sensualitate immediatè; sed, mediante inferiori parte rationis. Et ita quò ad hoc D. August. 12. de Trinit. compatat tentationem nostri interioris hominis tentationi primorum parentum.

D. Aug.

Hinc, tres ponũtur gradus in tẽtatione, scilicet, suggestio, quæ est in sensuali parte: delectatio, quæ in inferiori parte rationis sita est. Et consensus, qui in superiori parte rationis, secundum proprietatem quandam, collocatur.

Append.

DVB. I. Fit carnis tentatio per concupiscentiam tantùm? an etiam per iram?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi 5 § 3.

QVandoq; tentatur ratio per concupiscentiã, quãdoq; per iram. Et ratio vtriusque partis est: quia ex vtraque parte mouetur pars sensualis: vt respectu apparentis boni, per cõcupiscentiã: respectu verò apparẽtis mali per irã.

Append.

Hinc, poterit moueri per concupiscentiã tantùm, quatenus concupiscentia est quid cõmune, & generale ad vtrũq;.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. II. Potestne carnis tentatio fieri absque peccato?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 11 m. 7. art. 2. § 4.

NON Fit, saltim absque veniali peccato. Et ratio est, quia hæc tentatio est ex parte virtutis motiuæ, in qua est peccatum ratione affectionis. Præcedit enim motus inordinatus venialis, ex quo sequitur inclinatio. Et hoc est quod dicitur. dist. 21. huius. 2. à Magistro, quòd ex carne, & corruptione suboritur motus illicitus, & cogitatio praua. Et confirmatur autoritate gloss. super locum.

2. Cor. 12.

2. ad Cor. 12. Datus est mihi stimulus carnis, &c. quæ air. Tentatio, quæ est à carne, est veniale peccatum. Et esset Apostolus tentatus ad probationem, quàmuis ibi interueniisset veniale. Propterea quòd probatur etiam homo, cùm suboritur veniale, & ad consensum mortalis peccati non deducitur.

DVB. Quare tentatio carnis est magis semper cum peccato, quam dæmonis tentatio?

Alex. vbi. §. & S. Bona. in expositione literæ. d. 21.

REspondeo. Quia tentatio carnis est impulsus sensualitatis, quem primum motum consuenimus appellare. Et quoniam in illo impulsu sensualitas mouetur inordinatè, & præter rationis ordinem. Hinc est, quòd tentatio carnis nunquàm est in nobis sine aliqua inordinatione, & ex consequenti non est sine aliqua veniali culpa. At verò tentatio hostis omnino extra nos est, & potest esse sine aliqua delectatione inordinata in nobis existente, & ita potest sine peccato esse. Et quia, vt dicit Alex. aliæ hostis tentationes sunt ex parte virtutis cognitiuæ: hæc autem est ex parte virtutis motiuæ ratione affectionis, & ita est peccatum.

Quarta diffic. Est ne difficilius tentationi carnis, quàm dæmonis tentationi resistere?

TItulus difficultatis potest bifariam intelligi. Primò respectu eiusdē peccati: vt potè carnalis, ad quod caro, & diabolus instigant. Secundo respectu diuersorū peccatorum: vt tentatio carnis respectu carnalium peccatorum, tentatio hostis respectu peccatorum spiritualium.

S. Bona. vbi §. art. 2 q. 3.

CONCLVSIO I.

Primo modo difficiliùs tentationi carnis, quàm dæmonis resistitur. Et ratio est: propter coniunctionem carnis ad spiritum, ob quam, magis à carne anima incuruatur. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam. Et cùm homo multùm diligat carnem (nemo enim carnem suam odio habet) & plurimùm odio prosequatur diabolum, faciliùs diaboli suggestioni, quàm carnis tentationi resistet: quoniam amati persuasionibus difficiliùs contradicitur. Si autē secundo modo titulus intelligatur, certa regula tradi non potest.

Sap. 9. Ephes. 5.

CONCLVSIO II.

SI Fuerit homo vitio carnis deditus, & ad illud magis, quàm ad vitia spiritualia pronus, difficiliùs erit illi carnis tentationi resistere. Et ratio est: quia habet iam anima habitū ac quisitum, & carnem ad tale vitium admodùm procliuem.

CONCLVSIO III.

SI Autem fuerit homo pronior ad peccata spiritualia, quàm ad carnalia, difficiliùs erit tentationi dæmonis, quàm carnis resistere. Tales sunt homines magis honores, quàm voluptates desiderantes. Et eodem modo, quo secunda conclusio, potest probari.

CONCLVSIO IIII.

IN Homine autem ad vtraquè vitia indifferenter sehabente, & æquè ad illa prono, tentatio carnis erit suo modo difficilior. Et ratio est: propter maiorem, & magis intrinsecam, & magis continuam carnis adhærentiam. Est & suo modo tentatio hostis difficilior. Et ratio est: propter maio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem boni promissi apparentiam, & propter latentiorem instigantis fallaciam. Quæ enim vera vitia sunt, sub specie virtutum palliat.

DVB. Quæ illarum alteram excedit?

CONCLVSIO.

D. Bona. vbi sup. à. Gen. 6.

CArnis tentatio excedit. Et ratio est: quia omnis caro corrupit viam, & ferè maior hominũ pars carnis desiderijs obsequitur. Vnde fit: vt illi difficiliùs resistatur.

Quinta diffic. Est ne tentatio appetenda?

DVB. I. An tentatio, quæ fit à Deo, sit appetenda?

Infrà d. 21. S. Bona. d. 21. art. 1. q. 3. Dura. d. 21. q. 2. 1. Cor. 10. Psal. 25.

CONCLVSIO.

EST Simpliciter appetenda. Et ratio est: quia finis tentationis Dei est simpliciter bonus. Facit enim cum tentatione prouentum: nec patitur nos tẽtari supra id, quod possumus. Et confirmatur exẽplo Dauidis, qui à Dño petebat tentari, dicens. Proba me Domine, & tenta me.

DVB. II. Diaboli tentatio est ne appetenda?

CONCLVSIO I.

Matth. 6. & 26. Luc. 22. 2. Cor. 10.

SImpliciter, & per se nullo modo est appetenda. Constat Matth. 6. Et ne nos inducas in tentationem. Et 26. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Et 1. Cor. 1. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, id est, venialis: quia sine hac vitam humanam agit nemo. Et ratio est: quia quod rationem boni, & finis, per se non habet, non est appetendum, & finis huius tentationis est æternus interitus.

CON-

CONCLVSIO II.

Per accidens benè potest appeti. Et ratio est: quia quatenùs vincitur per auxilium gratiæ diuinæ, & vincenti datur manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, erit licitum viris præsertim maximis virtutibus præditis, appetere tentari, & cũ auxilio diuino vincere. Vnde D. Iacob. 1. Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Vbi hortatur ad patientiam, per quam tentationes vincuntur. Apoc. 2. Iacobi. 1.

Hinc tentationes malorum, qui sunt membra diaboli, & ad peccatum inducunt, non sunt, vt ex prima conclusione constat, appetendæ. Append.

DVB. III. Tentatio carnis an erit appetenda?

CONCLVSIO I.

NOn est per se appetenda. Et ratio est: quia, quod secundum se habet rationem mali, est potiùs fugiendũ, quàm appetendũ, & tentatio carnis secundũ se, mali rationem habet, cùm sine peccato, vt modo diximus, non sit.

CONCLVSIO II.

Nequè est per accidens, id est, ratione victoriæ appetẽda. Et ratio est: quia tentationi carnis, nunquàm est adiuncta plena victoria: immò quicunquè tentatur à carne, quò ad aliquid, vincitur: alioquin non peccaret. Non enim sunt facienda mala: vt veniant bona, & tentatio carnis est malum culpæ, quod facimus, & non malum pœnæ, quod patimur. Ad Ro. 3. Postremò: quia propter fragilitatem humanam, victoria huius tentationis est nimis dubia. Et si non vis mihi fidem adhibere, crede sanctissimis, & doctissimis patribus. Ecclesiæ sanctæ Romanæ doctoribus, Hiero. & August. & aliis, qui, vt hanc tentationem fugiendam, & non appetendam esse demonstrarẽt, soli cum matribus, & sororibus loqui non audebant. Et ita dicitur Eccle. 7. Mulier laqueus venatorũ est, &c. & qui placet Deo effugiet illam. Eccle. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.

Hinc malè faciebant illi, non multis ab hinc annis, qui cuidam viro religioso, omniquè virtutum genere ornatissimo: & fide degnissimo, percontanti, quo tenderent, responderunt. Imus ad visitandas tales adolescentulas, & mulieres (quæ erant, & ætate, & pulchritudine flos ipse) causa mortificandæ carnis. Et vt retulit mihi vir ille, dicti homines nec erant ætate, nec sapientia, nec sensuum mortificatione, nec carnis macerarione dictis Ecclesiæ doctoribus pares. Hæc dixerim, amice lector, vt memoriæ perpetuæ mandes, hoc genus dæmoniorum fuga vincendum esse. Dauid enim sanctus, & vir secundum cor domini, fuit hac tentatione cum Bethsabeæ victus, & Sãson fortissimus cum Dalida. Et cum mulieribus alienigenis sapientissimus Salomon. Hinc Eccles. 9 Ne respicias mulierem, multiuolam: ne fortè incidas in laqueos illius. Et ibidem. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. Saltim qui tentationi carnis se exponit peccat venialitèr, quemadmodum, qui exponit se periculo peccandi mortalitèr, mortalitèr peccat. Propterea quòd, qui amat periculum, in illo peribit. Et moueat nos, amabò, Christi domini exemplum, de quo mirabantur discipuli, quòd cum muliere de Samaria loquebatur. Et erat Christus, qui loquebatur, & in loco publico, & mirabantur?

2. Reg. 11.
Iud. 16.
3. Reg. 11.
Eccles. 9.
Eccles 3.
Io. 14.

DVB. Est ne mundi tentatio appetenda?

CONCLVSIO I.

NOn est per se appetenda. Et ratio est: quia tentatio mundi est quoq, secundũ se, propositio alicuius mali sub specie boni: & ideò magis inclinat ad consensum malũ, quàm ad bonũ, & ex consequenti est per se fugienda.

CONCLVSIO II.

Neq; per accidens, ratione victoriæ est appetenda. Et ratio est: quia tentatio mundi non inducit ad victoriã, nec ad illam promouet. Et illud non est propter alterum appetendum, quod ad illud consequendum, nec inducit, nec promouet.

Sexta

Sexta diffic. Quænam sunt contra tentationes remedia?

CONCLVSIO

VIgilia, oratio, humilitas, & patientia sunt contra tentationes remedia. De vigilia, & oratione, habetur Matth. 26. dicente Christo. Vigilate, & orate: vt non intretis in tentationem. Et Luc. 22. Surgite, & vigilate: vt non intretis in tentationem. De humilitate D. Greg. lib. 9. Moral. super Iob cap. 10. ait. Superna dispensatio carnis nostræ permittit nos impugnationibus concuti: ne nostra mens in superbiam, præsumptione securitatis, eleuetur: vt dum pulsata trepidat, in solo authoris adiutorio spei pedem robustiùs figat. Humilitate enim, & vincitur tentatio, & eadem humilitas incrementum suscipit. Vnde B. Paul. Ne magnitudo reuelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. De patientia verò legitur Iacob. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Debet autem tentatus, vt plenam de tentatione victoriam reportet, de viribus suis non confidere: sed de solo Dei adiutorio sperare. Ideò enim dictum fuit B. Paulo à Domino: Sufficit tibi gratia mea.

Alex. Alen. q. 101. m. 8.
Matth. 26.
Luc. 22.
D. Greg.
2. Cor. 12.
Iacob. 1.

Hinc, vir sanctus ita debet de spe esse certus: vt semper de tentatione sit suspectus.

2 Cor. 12.

Append.

Artic. VII. De tentatione primorum parentum?

Alex. Alen. q. 103.
S. Tho. 2. 2. q. 105.
S. Bona. d. 21. art. 1.

Prima diffic. Fuit ne tentatio primorum parentum primum diaboli peccatum?

Alex. Alen. m. 1. vbi. 8.

SOlutio huius difficultatis ex dictis suprà cum Magistro de peccato Angelorum pendet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Non fuit primum peccatum. Et ratio est: quia præcessit in eo peccatū inuidiæ, qua motus, primos parentes tentauit. Inuidia enim diaboli mors intrauit in orbem terrarum, media, scilicet, eius tentatione. Et D. Aug. in lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ hoc confirmat. dicens quòd non peccasset Angelus in terra, nisi priùs peccasset in cœlo.

Sap. 2.

D. Augist.

Hinc, primò peccauit in cœlo per superbiam, & secundò in paradiso per homicidium. Et dicitur homicida ab initio, id est, post initium: vel quàm citò hominem tentauit.

Append. Io. 8.

DVB. Fuit ne vna tentatio primorum parentum? an plures?

CONCLVSIO I.

Alex Alen. m. 2. vbi. §.

FVit respectu principalis motiui vna. Et ratio est: quia tentatio fuit de inobedientia, & motiuum illius transgressionis fuit appetitus inordinatus similitudinis diuinæ. Quod fuit principale, & vnum. Reliqua enim ad hoc vnum reducuntur.

CONCLVSIO II.

Fuerunt autem plures respectu plurium actuum, & particularium motiuorum. Et ratio est, quia fuit vna tentatio respectu fructus vetiti, quando dixit. Cur præcepit vobis Deus: vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Secunda respectu appetitus scientiæ. Et tertia respectu essendi, sicut Deus, quando dixit. Scit enim Deus, quòd in quocunquè die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis, sicut dij, scientes bonum, & malum. Quarta respectu appetitus immortalitatis: vt quando dixit. Nequaquàm moriemini. Et quinta respectu appetitus delectationis in gustu, & in visu. Vnde dicit tex. ibidem. Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile, tulit de fructu illius, & comedit, deditquè viro suo, & comedit.

Gen. 3.

Hinc,

Hinc, patet solutio dub. quod affert Alexand. Alens. Quæ istarum fuerit prima, & præcipua tentatio. Fuit enim prima, & præcipua tentatio appetitus propriè excellētiæ, nēpe, superbia, velle, scilicet, Deo assimilari. Huc enim tendebant reliquæ dictæ diaboli tentationes, & erant mediæ, & ministræ huius tentationis, quam principale motiuum in prima conclusione esse diximus. Et de gula primò tentauit: quare præcepit, &c. Deinde videns mulierem dubitantem, & dicentem: ne fortè, &c. tentauit de appetitu immortalitatis, nequaquàm moriemini, &c.

Alex. Alen. memb. 3. Append. Dub.

Secunda diffic. Fuit ne facta primorum parentum tentatio, mediante aliquo sensibili?

CONCLVSIO.

FVIT tentatio de re intelligibili: sed re sensibili mediante. Et ratio est: quia cùm homo, qui fuit ab initio creatus rectus, sit ex parte intelligibili, & sensibili compositus, sitque infirmior, & debilior pars sensibilis: ideò à parte sensibili incœpit tentatio, & re sensibili mediante, & sensu præsertim auditus, qui est susceptiuus locutionis: quæ quidē locutio est cōmunis hominibus, & angelis, in corporibus assumptis. Et ex auditu trāsiuit tētatio per alios sensus, vsquè ad gustum, qui fuit simpliciter prohibitus. Nam quando dicitur in text. ne tangeremus illud: vel loquitur de tactu, quatenus gustus quidam tactus est: vel de tactu ordinato ad gustum. Confirmat autem D. Bernar. hanc rem super Cātica dicens. Sicut primò intrauit mors per auditum: ita primò & vita, ad Rom. 10. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Genes. 3.

D. Bernard. Rom. 10.

DVB. 1. Fuit ne facta tentatio dicta conuenientiùs, medio serpente?

Alex. Alen. m. 5. B. Tho. & S. Bona. vbi. §.

CONCLVSIO.

COnuenientiùs per serpentē facta est. Quia motus interioris tentationis cum motu serpentis, quàm maximè conue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuenit. Nam vt motus serpentis est lubricus, & suauis: ita tentationis interioris motus. Quod confirmat D. Augustinus lib. 12. de Trinitat. dicens. Quo modo coluber, non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit: sic lubricos deficiendi motus, negligentes minutatim occupat, & incipiens à peruerso appetitu similitudinis Dei venit ad similitudinem pecorum. Inde est, quòd nudati stola prima, pelliceas tunicas mortalitatis meruerunt. Honor autem hominis fuit similitudo Dei, dedecus similitudo pecoris. Ideoque dicitur in psalm. 48. Homo, cum in honore esset, &c. iumentis insipientibus. Iumenta autem dicuntur ea, quæ homini in adiutorium sunt.

D. Augst.

Psal. 38.

DVB. II. Cur dicitur serpens callidior cunctis animalibus, & prudentior?

CONCLVSIO.

NON Est serpens natura prudentior, & callidior cunctis animalibus: sed propter diaboli astutiam. Ratio primæ partis est: quia apes, & formicæ, & alia genera animalium vt patet in libris de natura animalium, prudentiora esse videntur. Secunda pars probatur à simili: nam vt dicitur prudens, vel astuta lingua, quam prudēs, vel astutus, ad aliquid prudenter, vel astutè suadendum, mouet: ita etiam serpens dictus est sapiens, vel callidus, propter astutiam diaboli, qui in illo dolosè agebat.

Alex. Alen. m. 5. S. Tho. & D. Bona. vbi 3.

DVB. III. Potuit ne dæmon per aliud genus animalium tentare, sicut per serpentem?

RESpondeo cum D. Augustin. lib. 11. super Genes. ad literam cap. 3. Non debemus sanè opinari, quòd serpentem sibi, per quē tentaret, suaderetq; peccatū, diabolus eligeret: sed cū esset in illo, propter peruersam, & inuidā volūtatē decipiendi, cupiditas, nō nisi per illud animal potuit, per

D. Augst.

per quod posse permissus est. Nocendi enim voluntas potuit ei esse à se, potestas verò non nisi à Deo.

DVB IIII. Locutio serpentis à serpente, vel à dæmone formata ne fuit?

CONCLVSIO.

VOX Serpentis, quatenus sonus discretus, litteratus, & ad placitum significans, fuit, à solo dæmone esse potuit. Et confirmatur à simili, nam sicut locuta est asina, in qua sedebat Balaam, ministerio, & virtute boni Angeli, ita locutus est serpens Hevæ opera, & diligentia, atque industria diaboli. Ratio est D. August. 11. super Gen. ad lit. cap 27. & 29. Et confirmatur ab eodem D. Aug. lib. 1. de mirabilibus sacræ Scripturæ. cap. 24. vbi loquens de asina Balaam ait. Ingne, & nubbius modos loquendi inuenit, ita in ore animalis plectrum linguæ gubernauit.

Alex. Alen. m. 6. S. Tho. & D. Bona. vbi 3.

Num. 22.

D. Aug.

DVB. V. Quo idiomate allocutus est Hevam?

CONCLVSIO.

IDiomate Hebræo. Et ratio est, quia Deus hoc idioma primùm gratuitò primis parentibus donauit, & angelis bonis, & malis, vt cum hominibus cōuersarentur à principio impressit. Quo etiam idiomate Adam rebus nomina imposuit. Cuius quoque idiomatis sunt nomina, quæ in Gen. à principio vsque ad diuisionem linguarum leguntur. Eodem etiam idiomate ambulans Deus in paradiso primos parentes allocutus fuit. Et eodem primi parentes vtebantur, & vtentur beati, & damnati post iudicium. Poterunt tamen beati loquentes omnibus linguis vti, quod damnatis non conce detur.

Gen. 3.

Tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. Vtrùm diabolus à muliere tentationem suam studiosè, & artificiosè exorsus fuerit?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 7. S. Tho. & S. Bona. vbi. §.

STudiosè quidem, & artificiosè; vt sic ab imis ad summa gradatim ascenderet. Et ratio est; quia dæmon attenderat mulierem minoris sapientiæ, & debilioris constantiæ, & importunioris adhærentiæ esse, quàm esset vir; & ita, vt minus sapiens erat, facilior ad seducendum erat, & vt debilior ad perdendum; ideò astutus expugnator aggressus est hominis ciuitatem, per eam partem, qua facilior erat aditus. Et quia semel victa; vt erat importunioris adhærentiæ, nunquàm ab importunitate cessatura erat, donec virum peruerteret. Vnde Eccles. 25. legitur. A muliere initium peccati. *Eccl. 25.* Per illam enim omnes morimur. Et Eccles. 7. Mulier laqueus est venatorum, & sagena, cor eius, vincula sunt manus illius. *Eccl. 7.*

Quarta diffic. Completur ne tentatio in nobis per partem sensibilem, quemadmodum in primis parentibus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 8. S. Tho. & S. Bona. vbi. §. D. Aug.

TEntatio de rebus corporalibus, & temporalibus consimiliter in nobis: quemadmodum in primis parentibus agitur. Et ratio est: quia dæmon habiliùs, & faciliùs, magisque congrue per partem sensibilem tentat: vt D. August. 12. de Trinita. cap. 12. docet. Et ideò in quolibet genere peccati inuenitur ordo primæ tentationis, quatenus præcedit in sensualitate, quæ per serpentem significatur peccati concupiscentia. In ratione inferiori, quæ per mulierem signatur, delectatio. Et in ratione superiori, quæ per virum designatur, peccati consensus.

Quinta

Quinta diffic. Quid præcipuè diabolum, ad tentandos primos parentes, mouit?

SAnctus Bonauent. hanc difficultatem loco citato tractat, quæ iam suprà fuit explicata. *S. Bon. d. 21. art. 1. q. 1.*

CONCLVSIO.

Superbia fuit primum mouens, & inuidia illius comes, & ministra. Et ratio est: quia hæc duo peccata sunt, quæ maximè diaboli mentem possident. Et sunt hæc duo peccata, quasi inseparabilia, & vnum concomitatur alterum. Superbus enim amat propriam excellentiam, & ita nullum vult habere parem. Vnde statim actu, vel habitu inuidet: ne aliquis bonum consimile habeat.

Hinc, mens diaboli ijs duobus vitijs possessa videns hominem posse ad fœlicitatem, quam ipse perdiderat, ascendere, illum, vt caderet, tentauit. Vnde dicitur Sap. 2. inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. *Append.* *Sap. 2.*

Sexta diffic. Fuit ne iure à Deo permissa primorum parentum tentatio?

RAtio dubitandi est: quoniam ex tali tentatione erat humano generi tantum malum peruenturum. *Alex. Alen. m. 9. & S. Tho. art. 2. vbi. §.*

CONCLVSIO.

IVRE optimo, & conuenientissimè fuit à Deo permissa. Ratio prima est: vt hominis virtus in pugna, & resistentia tentationis exerceretur. Virtus enim in infirmitate perficitur. *2. Cor. 12.* Secunda, vt glorioſior palma per victoriam asportaretur. Nam vincenti dabitur manna, &c. Et non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. *Apoc. 2.* *2. Tim. 2.* Tertia, vt malum culpæ per malum pœnæ ordinaretur. Nam quod facturus erat homo propria volũtate per culpã, Deus ordinauit æquitatè per pœnam: & vt alijs esset ad cautelam. Vnde B. Aug. 11. super Genes. ad lit. c. 4. ait. Meliùs fuit creare hominem, qui *B. August.*

posset

Universidad de Deusto
Biblioteca

posset non consentire, quàm qui non posset tentari. Et licet magnum malum futurum esset, non fuit hoc per opus Dei: sed per hominis opus. Nam ex speciali gratiæ beneficio hoc erat ei collatum: vt nulla creatura exterior ei posset nocere contra propriam voluntatem, per quam etiam tentationi dæmonum resistere poterat.

Hactenus de quæst. dæmonum, de quibus aliqua in sequenti quæst. reperies.

Alex. Alen. quæst. 43. S Tho. 4 19. artic. 4. & q. 114. art. 4. Alex. in l. b. de magis. Victoria in relect one de arte magica.

Quæstio vnica De arte magica.

QVoniam malorum angelorum potestas, vt multi opinantur per magos exercetur, operepretium duxi, hanc quæst. de arte magica in præsentia tractare: vt nihil, quod ad dæmonum disputationem attinet, prætermissum esse videatur.

Artic. 1. An sit ars magica.

Castro de iusta hæret. punit. à cap. 13. vsque ad. 17. Vict. num. 1. vbi. §.

MVlti viri docti, inter quos fuit Plinius, pluribus in locis & præsertim lib. 3. c. 1. negant artem magicam esse, & eam tanquàm falsam, & vanam, & imposturicem condemnant, & nullius vsus, aut efficaciæ esse affirmant.

CONCLVSIO I.

ARS magica est. Et ratio est: quia si esset solùm otiosa, & vana, & non esset efficax, & pernicioſa, non ita seuerè diuino, & ciuili, & canonico iure, interdiceretur. Et constat de iure diuino Leuit. 19 non declineris ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí. Et Leuit. 20. interdicitur pœna mortis declinãti ad illos. Et de iure ciuili est capitale. C. de maleficis. l. nemo. l. nullus. l. culpa. Et de iure canonico. 26. q 5 per totum. Et colligitur incantationem esse alicuius efficaciæ ex illo psalm. 57. Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & vene-

Leuit. 19.
Leuit. 20.
Psalm. 57.

& venefici incantantis sapienter. Et ex illo Matth. 24. Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa, & prodigia. Quæ neque alia gratia, nec alia arte, nisi magica præstare poterunt. *Matth. 24.*

Prima diffic. Quid nomen magicæ artis importat?

CONCLVSIO.

NOn importat artem aut facultatem extrà, vel suprà omnem virtutem, & efficaciã causarũ naturalium. Et probatur; quia si hoc esset de ratione, vel significatione magiæ, nullus reperiretur dubitandi locus, vel occasio. An effectus, & opera magorum possint à solis causis naturalibus esse? Quod fuit olim maximè inter philosophos cõtrouersum. Et adhuc sub iudice lis est. Videtur tamen nomen magiæ à principio receptum pro arte, & facultate, ad efficiendum opera occulta, & mirabilia nõ solùm extrà solitum rerũ cursum, sed etiam suprà hominũ opinionem, & captum. *Victo. n. 7. vbi. §.*

Secunda diffic. Quidnam est magia?

CONCLVSIO.

EST Ars effectiva, & operatrix multorum operum, & effectuum, quorum ratio, nec sensu cõprehendi, nec mẽte ratione aliqua inuestigari potest. Hæc descriptio exemplis infrà ponendis erit perspicua. *Victo. n. 8.*

DVB. Potestne aliqua magia dici naturalis, & fiue commercio alicuius substantiæ spiritualis? *Victo. vbi. §.*

CONCLVSIO.

POtest. Et ratio est, quia sunt in rebus naturalibus virtutes mirabiles, quas pauci homines cognoscere possunt, quarum operatrix est magia; vt in proxima difficultate explicatum est. Et qui illas nouit, & operatur, magus meritò *Castr. vbi. §. & verb. tentatio, contra hæreses.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dici potest. Et confirmatur, quia in nonnullis rebus naturalibus mirabiles effectus, & magicis operibus prorsus similes reperiuntur. Vt est illud apud Arist. in lib. de mirabilibus, de lapide Molari, qui in Tigride inuenitur, quem, qui portauerit, à feris non violabitur. Et illud de Dictamo herba, de qua certissimi autores tradunt, capras, cùm eam ederint, sagittas excutere. Et effectus magnetis, si esset vulgò ignotus, qui illum primò ostenderet magus vulgi putaretur & haberetur. Esset enim magnus, & incredibilis autor, & effector. Leg. D. Aug. 21. de ciuit. Dei. c. 4. qui, tanquàm pro miraculis refert, se vidisse annulũ ferreũ à magnete pẽdentem, qui rursus secundũ & secundus tertiũ, & sic vsq; ad certũ numerũ, & velut catena texerẽtur. Et. c. 5. ibidẽ de quodã fonte, in quo ardentes faces extinguntur, & extinctæ accenduntur.

Arist.

D. Hier. Eccle. 7.

D. Aug.

Appen. Hinc, magia naturalis videtur esse quædam pars secretioris, & reconditioris philosophiæ, quæ si notior fiat, & in consuetudinem non solùm philosophorum, sed etiam vulgi venire incipiat, desinet videri, & vocari magia, & cum alijs artibus annumerabitur.

Appen. Hinc, non statim, vt aliquid ignotum, inusitatum, & stupendũ videmus, reclamãdũ est cõtinuò, & pro superstitioso damnandum, & in dæmonum potestatem referendum.

Tertia diffic. Est ne alia ars magica, quæ nõ viribus, & causis naturalibus cõstet, sed potestate aliqua, & virtute immateriali & separata vtatur?

CONCLVSIO.

S. Tho. contra gent. Victo. nu. 9. vbi §. Castr. de iust. bar. pu. vbi §.

EST Planè. Hanc conclusionem probat S. Thom. aliquot rationibus cap. 104. contra gent. lib. 3. Et prima ratio est, quia aliqui actus magicarum artium reperti sunt, qui nec in causas naturales, nec in corpora cœlestia referri possunt. Nã magi dant responsa de occultis, vt de furtis, & thesauris. Item aliquas statuas magorum locatas fuisse, & responsa dedisse, ad quæsita de diuersis, compertum est. Et quòd ad præsentiam alicuius, quæcunque ferè pandantur. Et

Et alia id genus opera, quæ cùm ad causas naturales, vel in virtutem cœlestium corporum referri nõ possint, necessariò fatendum est, esse aliquam artem magicam, quæ non virtutibus, & causis naturalibus constet: sed potestate aliqua, & virtute immateriali, & separata vtatur.

Quarta diffic. Cur Deus magicam artem permittit?

CONCLVSIO.

PErmittit illam, vt homines, qui in fide infirmi sunt, probentur, & mali, qui mẽdacia credunt, per sua desideria seducantur. Definita est. c. nec mirum. 26. q. 5.

Hoc loco differendum erat de diuinatione, & aliis magiæ speciebus. Verùm enimuerò cùm hîc obiter solùm causa, scilicet, dæmonum, de hac arte disputetur, vt in principio quæstionis animaduersum est, consultò eius species in libellum de Floribus virtutũ, ac vitiorũ in particulari reijcimus.

Artic. II. De operibus artis magicæ.

Doct. vbi §.

ABSOLVETVR, positis aliquot difficultatibus.

Prima diffic. Sunt ne vera, & naturalia opera, quæ à magis fiunt? an ficta, & ex vanitate hominum facta, & solùm præstigium, & oculorum, & sensuum, illusio?

CONCLVSIO I.

Castr. de iust. bar. pu. vbi supra.

LONGE Plura opera magorum, solùm per illusionem, & præstigia sensuum fiunt, suntque falsa, & conficta, & ex vanitate hominum facta. Et prætermissis ijs, quæ de Circe, & Medea, & alijs famosissimis magis, prodita sunt, & poetæ scribũt, & Varro narrat de socijs Diomedis cõuersis in aues, & Vlyssis socijs, in bestias, & Archadis quodã stagno traiecto, in lupos. Ratiõe pbatur cõclusio, qa cùm ex omnib⁹ artib⁹ semp aliquod opus, memoria dignũ pseueret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ſtatuæ,imagines, & inſignia ædificia, artis tamen magicæ nulla imago,annulus nullus, nullum pignus,aut veſtigium, ex tanta multitudine imaginum, ſtatuarum, annulorum, quos illi quotidie fabricare dicuntur, appareat, erunt profectò hæc, & alia id genus, tanquàm ficticia iudicanda. Si enim nobiliſſimi hiſtorici,Diodorus,Herodotus,Pompeius, Liuius, Plutarchus, Valerius,& alij, aliquid pro comperto habuiſſent, profectò in ſua hiſtoria memoriæ tradidiſſent. Lege D. Auguſt. 18. de ciuit. Dei, &. 8. Thom. de potentia. quæſt.6.art.5.ad.6.

Io. 22. in extra. ſpondent.
D. Aug.
S Tho.

CONCLVSIO II.

Quædam magorum opera in re, & ſecundum exiſtentiam fiunt. Probatur autoritate ſcripturæ ſacræ Exodi. 7. de magis Pharaonis,qui virgas ſuas conuerterunt in ſerpentes. Nam dicitur in tex. maleficos feciſſe ſimiliter, quemadmodum fecerat Aarõ.Et ſcriptura eodẽ vocabulo appellat virgam magorum, & virgam Aaron. Et confirmatur autoritate D. Auguſt.3. de Trinit. cap.7. &.8. & in lib. 83.quæſt. quæſt. 79. vbi expreſſè affirmat, magos Pharaonis verè virgas in ſerpentes conuertiſſe. Idem aſſeruit S. Thom.de potentia. quæſt. 6. artic. 5. ad.8. Et ex illo Pſalm.57. Sicut aſpidis ſurdæ, &c.videtur colligi, incantatores facere ſerpentes,& habere effectum circa illas. Lege etiam S. Thom. vbi ſuprà articul. 10. & libr. 3. contra gent. cap.104. Rabanus tamen ſuper locum citatum Exodi. 7. tenet, non fuiſſe veram conuerſionem ſerpentum, ſed ſolùm per aliquam preſtigioſam illuſionem. Idem ſentit Rauclinus de verbo mirifico.

Exod.7.
D. Aug.
S. Tho.
Pſalm.57.
Rabanus.
Rauclinus.

Secunda diffic. Mirabilia opera magorum ſunt ne omnia naturalia?

Alex.& Vict. vbi.3.
Hermes Triſmegiſt.
D. Aug.

SEnſus tituli eſt. Vtrùm ſint ex cauſis merè naturalibus,ita vt à ſubſtantijs ſeparatis non dependeant?Hermes Triſmegiſtus,vt autor eſt D. Auguſt.8.de ciuit.Dei enixè defendit omnia opera magorum virtute naturali præſertim cœleſti virtute fieri, nec oportere ex operibus ſumi argumentum ſubſtantiæ ſeparatæ. Et hæc fuit communis opinio Peripateticorum,quam Alex. in lib. de magis defendit,& confirmat.

Alex.

CONCLVSIO I.

Aliqua ſunt opera magorum merè naturalia. Et ratio eſt, quia, cùm ſit aliqua ars magica naturalis, & ſine cõmercio alicuius ſubſtantiæ ſpiritualis vt in primo art. probatum eſt: eius profectò opera erũt quoq; naturalia,& ſine alicuius ſubſtantiæ ſeparatæ commercio.Exemplis confirmatur: nam ad præſtanda huiuſmodi opera, mirabilia præſertim,magi vtũtur herbis,vulgò ignotis,quæ præſentaneæ,& efficacia remedia contra morbos continẽt,& alios admirabiles effectus habent:vt patet de Coriceſia,& Calicia herba,qua,vt refert Plinius lib. 24. cap. 17. aqua glaciatur. Et de Meniade, cuius ſucco protinùs ictus ſerpentium ſanãtur. Affert & alias multiugas, & varias herbas Plinius,quibus magi,vel ad morbos depellendos aut etiam inferendos, vtuntur. Quæ,quia ſunt aliis ignotę,& velociſſimæ operationis,pro miraculo ab omnibus habentur. Poterunt autem magi virtutes dictarum herbarum ſcire, vel traditione præſtantiſſimorum medicorum,ſcilicet, Pythagoræ,Democriti, Empedoclis, & aliorum,vel reuelatione dæmonis, qua reuelatione ſemel facta, ſequentes magi illis naturaliter, & ſine concurſu boni, vel mali ſpiritus,vti potuerunt.

Plin.
7. q. 26. can. vlt.
Caſt ver.tentatio contra har. & li.1. de iuſt. her. pun. à. c. 13. vſq; ad. 17

CONCLVSIO II.

Sunt & alia magorum opera, quæ ſola aliqua virtute immateriali,& ſeparata fiunt.Et ratio eſt,quia ſunt opera artis magicæ,quæ ſola poteſtate & virtute immateriali, & ſeparata vtitur,vt in primo art. ſuprà dictum eſt. Nam cùm huiuſmodi opera facultatem naturalem excedant,& non poſſint, (vt infrà dicetur)in bonos ſpiritus referri: vt in malos referantur, neceſſe eſt. Quam ſententiam amplexi ſunt Orig. homil.13.Num & homil. 3.in Iob. Et S. Thom. de potentia, & contra gent.vbi ſuprà. Eſt etiam determinatio ſanctorum: vt Aug 2.de doctrina Chriſtiana. &. 3. de Trinit. & multis aliis in locis,vbi copioſè de hac re diſputat.

Orig.
S Th.
D.Auguſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. Quomodò intelligetur dicta opera virtute dæmonum fieri?

Victo. vbi. §. nu. 16.

RAtio dubitandi est: quia eadem opera plerunquè à magis, & non magis fieri possunt.

Prima propositio.

Si opera naturalem facultatem excedant, magica sunt, & diaboli virtute facta.

Secunda Propositio.

Opera, quæ fiunt interuenientibus verbis ignotis, vel certis characteribus, aut aliis verbis, quæ ad effectum, qui tali operatione speratur, aut quæritur, non spectant, virtute dæmonum efficiuntur.

Tertia *Propositio.*

Si sint ritus, & obseruantiæ peculiares, & determinatæ: vt certis horis, ad certum situm stellarũ, sub certo numero crucium, vel candelarum fiant: ita vt aliter non speretur operis efficacia, etiam si vtãtur signo crucis, & solis verbis sacris, & religiosis, opus magicum, & dæmoniacum est.

Quarta Propositio.

Si in suis operibus, actibus, & factis ad effectum indifferentibus, vtantur, ex virtute diaboli operantur. V. g. si ad expellendos dæmones pilos, aut capillos radant, aut aliquid aliud id genus faciant. Ratio istarum propositionum est: quia, cùm viri sancti, qui Dei gratiam habent, nunquàm talibus ritibus, & obseruationibus vtantur, signum certissimum est, eos, qui illis vtuntur, non operari ex gratia, sed ex dæmonum virtute. Sed de his latiùs in floribus virtutum, & vitiorum in particulari, vbi de superstitione, quæ vna ex speciebus magiæ est, erit sermo. Interim lege Syluest. verbo superstitio. §. 10. &. 11. Et D. Aug. libr. 2. de doc. Christiana. cap. 23.

Syluest.
D. Aug.

cap. 23. & refertur. c. illud. 26. q. 2. & in concil. Trid. decretum de obseruandis, & euitandis in celebratione missæ sess. 22. & decretum de purgatorio sess. 25.

Quarta diffic. Est ne magorum operum auctor, & fautor dæmõ, vel sunt potiùs in Deum Opt. Max. vel in bonos angelos referenda?

Victo. vbi. §. num. 10. & 12. 13. S. Tho. de potentia. q. 6. ar. 10. & li. 3. contra gen. cap. 106. Marc. vlt. 1. Cor. 12.

RAtio dubitandi est: quia eadem opera, vel similia per artem magicam, & per gratias gratis datas fiunt. Nam ad gratias gratis datas pertinet dæmonia eiicere, serpentes tollere, sanitatem conferre, nouis linguis loqui. Constat Marci vlt. Et 1. Cor. 12. quæ etiam à magis fiunt.

CONCLVSIO I.

Aliqua opera fiunt à magis, quæ nullo modo fiunt per gratias, & è contrario. Et ratio est: quia magi maleficia multa operantur, quæ nullo modo gratis gratis datis competũt. E diuerso autem inter gratias connumeratur prophetia, quam magi nullo modo habent. Nam, si dæmones, vt ex supradictis in q. de cognitione angelorum constat, futura cognoscere non possunt, quod est prophetiæ proprium, neque magicarum ministri habebunt.

CONCLVSIO II.

Nihil magi diuina, aut angelica potestate, operantur. Et ratio est: quia si oppositum esset verum, magicæ artes non essent iure diuino, & humano in vniuersum interdictæ: vt suprà demonstratum uimus. Est enim ars hæc inuenta ex traditione malorum Angelorum: vt habetur. 26. q. 2. qui sine, & eadem. quæst. 5. Episcopi. Tùm etiam, quia Deus, aut Angeli boni non arte, & disciplina: sed pietate, aut propria Dei, & angelorum bonitate, & gratia, in opera hominum alliciuntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. Erit ne aliqua magia pia, & bona cuius operum boni Angeli sint patroni?

Victo. vbi. 3.

RAtio dubitandi est: quia cùm non minorē potestatem habeant boni Angeli, quàm mali, & mali communicēt suam potestatem malis hominibus, cur non & boni angeli bonis, & pijs hominibus suā potestatem cōmunicabūt?

CONCLVSIO.

Angeli boni aliquando communicant suam potestatem ad præstandum hominibus sua beneficia: non tamen, sicut magi, ad ostentationem: vel sicut dæmones, vt ab hominibus colantur: sed solùm ex charitate hominum: vt soli Deo gratiæ habeantur. Quod quidem regulariter occultè, rarò visibiliter faciunt. Probatur conclusio exemplo sacræ Scripturæ apud Tobiam: vt de Raphaele, qui illo modo, quo magi solent, vsus fuit corde, & felle, & iecore piscis ad eiiciendum dæmonem à domo Raguelis, & postea ad oculos Tobiæ restituendos.

Tob. 6.
Tob. 11.

Append. 1. Hinc, facilè, intelligitur, posse bonos Angelos præstare omnia, quæ mali dant, atquè etiam velle, si ita expediat. Immò etiam multò plura beneficia homines à bonis Angelis in ordine ad temporalia, quàm à domonibus, magi indies recipiunt.

Append. 2. Hinc, non erit ars magica pia: quia non alliciuntur illa.

DVB. *Cur boni Angeli non operantur regulariter aperte, & visibiliter: sed occultè?*

CONCLVSIO.

NE Pro diis ab hominibus colantur. Et ratio est: quia homines facilè illis diuinitatem arrogant, quos mirabilia efficere conspiciunt: vt patet. Nam in Lycaonia cùm Paulus Lystris claudum quendam in nomine Iesu sanasset, illi, tanquàm Deo, voluerunt sacrificare. Quod maius periculum

Act. 14.

periculum esset de Angelis, qui tam propè ad Dei dignitatem accedere videntur. Et hac de causa soliciti sunt: ne hominibus hanc occasionem præbeant.

Hinc, cùm Apoc. 19. Ioannes vidisset Angelū, & corruisset, vt adoraret eum, dixit Angelus. Vide, inquit Angelus, ne feceris. Conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Append. 1. *Apoc. 19.*

Hinc, cùm Angeli sancti sint de numero beatorū, fortassè nunquàm rebus humanis & terrenis, nisi speciali Dei mandato, se miscent. Et ideò omnia beneficia, quæ homines recipiunt, & videntur esse suprà spem, & naturalem facultatem, siuè immediatè à Deo sint, siuè mediantibus Angelis, peculiariter Deo autori tribuuntur. Append. 2.

Sexta diffic. Vtrùm operibus artis magicæ animæ se immisceant?

Vict. vbi. 3. nu. 17. & flores in 4. in prima parte in q. quibus conuenit orare, & in 2. p. in q. de suffragys.

CONCLVSIO I.

ANimæ beatæ nullo modo iis operibus se admiscent. Et ratio est: quia quàmuis de lege possint, quando voluerint liberè ad nos venire, & mortales iuuare: hoc tamen non faciunt ad inuocationem, aut incātationem magorum, sed ex sua bonitate, vel ex particulari diuina permissione: sicut in sacris literis sæpissimè legimus, visibiliter apparuisse: vt Abrahæ, Loth, Tobiæ, &c. Lege apud D. Greg. 4. dialog. multa exempla. *D. Greg.*

CONCLVSIO II.

Idem tenendum est de animabus in purgatorio existentibus. Et ratio est: quia de lege à purgatorio nunquàm exeūt, & si aliquando ex peculiari dispēsatione, & gratia Dei exeūt: veniunt quidem ad nos, potiùs ad petenda viuorū suffragia, quàm, vt mortaliū rebus, magorūq; operibus se cōmisceāt.

Hinc, qui in suis necessitatibus sperant, & petunt præsidium animarum in purgatorio existentium, nō religiosè faciunt. Neque enim pro aliis orare possunt. Append. 1.

CONCLVSIO III.

Animæ in inferno existentes, nequè se miscere operibus magorum possunt, neque hominibus prodesse, vel obesse. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratio est: quia sunt perpetuo carceri mancipatæ: nequè indè etiam omnibus dæmonibus adiuuantibus, possunt exire. Luc.16. Constat Luc.16.de diuite epulone, qui non est permissus redire ad mortales, saltim ad liberandos fratres: ne in locum illum tormentorum venirent.

Append.2. Hinc non est credendum animâ semel damnatam ab inferno egredi. Non enim possunt sine speciali Dei mandato.

Append. 3. Hinc, non sunt credendæ apparitiones animarum, quæ vulgò feruntur. Quia maiori ex parte sunt falsæ, & si quæ veræ sunt, à dæmonibus fiunt.

Append. 4. Hinc, etiam si vera aliqua & pia moneant, dicentes, se ab inferno venire, non est illis fides adhibenda. Quia dæmones frequenter simulant se animas mortuorum esse, ad confirmandum errorē Gentilium, qui hoc asserebāt. Lege S. Tho. q.117.art.4.ad.2.vbi citat D.Aug.& Chrysost. Error.

Septima diffic. Fascinatio infantium & puerorum, quæ fit à vetula maga & sortilega, cui est tribuenda?

DE hac re tractat S.Tho.vbi sup.art.3.ad.2.Et est legēdus Arist.sect.6.problematum, problem. 7.& Ferra. 3.contra Gen.c.103.& respondeo cum S.Tho.per duas propositiones. S.Tho. D.August. Chrysost. S.Tho. Arist.

Prima Propositio.

Efficitur fascinatio aliquando ex forti animæ imaginatione hoc modo. Fortis imaginatio immutat corporis cōiuncti spiritus, & hæc immutatio spirituū maximè fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perueniunt: oculi autem inficiūt aerem contiguū, vsq; ad determinatū spatium. Quo quidem modo specula, si fuerint noua, & pura ex aspectu mulieris menstruatæ contrahunt quandam impuritatem, vt autor est Arist.in lib.de som.& vig. Hinc, cum anima vetulæ fuerit vehementer ad malitiam cōcitata, efficitur modo prædicto aspectus eius venenosus, & noxius, præsertim pueris, qui habeat corpus tenerum, & impressionibus facilè subiectum.

Secund-

Secunda Propositio.

Potest etiam malignitati dæmonum tribui cum quibus dicta vetulæ aliquod fœdus habēt. Quod euenit, vel ex aliquo fato occulto, vel potiùs ex Dei permissione: quia dæmones hominibus illudere, nisi Deo permittente, haud possunt.

Octaua diffic. Apparitiones, & fictiones mirabiles aliquando circa defunctorum corpora, cui sunt tribuendæ?

EXempli gratia, conseruatio corporum ab incineratione post mortem, & augmentum vnguium, & barbæ, & capillorū in mortuis, vel emanatio sanguinis de corpore occisi, ad occisoris præsentiam. Hæc inquam, & alia id genus sunt ne diuino miraculo? an naturę? an dæmoni ascribenda?

Si felix ille, qui potuit rerū cognoscere causas, felicissimus profectò iudicandus erit, qui eorum, quæ suprà naturā hactenus apparuisse, & apparere videntur, causas efficientes, & finales inuestigauerit. Et quia hoc sapientissimo cuiq; difficillimum est præstare: ideo de his variæ fuerunt sentētiæ, quas sequentibus propositionibus declarabimus.

Prima Propositio.

Factiones mirabiliū, & apparitiones in genere ad quatuor reduci debēt, nempe, ad Deum, & ad Angelos, ad dæmones & ad homines sanctos, vel ad eorum spiritus: quādoq; etiam fieri possunt per homines dæmoniacos: vt per magos: aliquando fallaci subtilitate humana. Hæc propositio est D. Augustin.21.de ciuitat.Dei. D. Aug.

Secunda propositio.

Possunt hæc dæmonum subtilitate, & malorum hominū astutia procurari. Confirmatur exemplo apud D. Aug.14. de ciuit. Dei cuiusdam hominis, qui quando volebat, se per omnia simillimum, vel mortuo, vel cæco, vel hydropico, vel claudo reddebat. D. August.

Tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia Propositio.

Possūt quoquè mira circa mortuorum corpora ad naturales causas reduci: vt illud de conseruatione corporum à putrefactione de sententia aliquorum reducitur, vel ad virtutem loci, vel vnguenti, vel alicuius rei corporalis, corpori impositæ, per quam virtutem corpus mortui ab incineratione præseruatur.

Quarta Propositio.

Vnguium, pilorum augmenti in mortuo causa naturalis esse potest, nempè morientis complexio in cuius materiā post mortem aliqua forma imperfecta de genere vegetatiuè viuentium induci potest.

Quinta Propositio.

Aliquando conseruatio corporis mortui diuino miraculo attribuitur. Et ratio est: quia Deus conseruat quandoq; corpora sanctorū incorruptibilia, & imputribilia in testimoniū singularis sanctitatis, & innocentiæ, & integritatis mentis, & corporis seruorum suorum: vt sicut, dum vitam agebant, eorum corpora à carnis corruptione fuerunt integra, ita post mortem ab incineratione sint libera. Vt in psalm. 15. dicitur. *Psalm. 15.* Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Sexta propositio.

Præseruantur aliquando à corruptione corpora mortuorum ab ipso Deo: eò quòd mortui sunt excommunicati. Et qui hanc sententiā tenent, confirmāt illam exemplo Caroli Regis Vngariæ, ante plures annos interfecti, & ab Vrbano VI. excōmunicati, cuius corpus adhuc integrū manere asserunt: vt sit firmissimū argumentum, ad confirmandum fuisse verum Papam, qui illum excommunicauit.

Septima Propositio.

Aliquādo malorū corpora dæmonū subtilitate incorrupta in deceptionē conseruātur: vt hoc meritò vitæ taliū accedere credantur,

credantur, atque ita mala, quæ fecerunt, pro bonis approbentur, & vulgus credulum, ad eorum inuocationem inducatur. Animaduerte autem omnia corpora à quacunque corruptione reseruata, ante finalem resurrectionem in cineres esse conuertenda: vt generalis sentētia Adæ, & posteris eius inflicta adimpleatur, nēpe, cinis es, & in cinerem reuerteris. *Nota.* *Genes. 3.*

Octaua Propositio.

Emanatio sanguinis occisi ad præsentiam occisoris videtur solo diuino miraculo in horrorem, & detestationem peccatorum tribuenda Vt constat Gen. 4. de sanguine Abel corā Deo scaturiente, & bulliente, in vindictā homicidæ. Dixit nāq; Dñs. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Genes. 4.*

Artic. III. De miraculis, & mirabilibus operibus magorum.

Alex. Alen. S. Th. in principio. q. citati.

ABsoluetur artic. aliquot positis, & enodatis difficultatibus.

Prima diffic. Vtrùm miracula magorum fuerint realia, vel phantastica.

Alex. Alen. m. 1. & alij vbi. s. Vict. num. 18. & Castro de iusta hæret. punit. lib. à cap. 13. vsque ad 17. & verb. miraculū contra hær.

AD Explicationem pleniorem huius difficultatis sunt aliqua præmittenda.

Nomen miraculi apud Latinos significat quicquid admirationem afferre potest, quasi sit contra naturam: propterea quòd, veteres miracula pro monstris posuere.

Miraculi nomen ita in communi sumptum bona, & mala miracula amplectitur. Quæ primò hoc inter se differunt, quòd mala semper ad deceptionem, & subuersionem videntium fiunt: at verò bona ad ecclesiæ, & credentium eruditionem. Ita docet gloss. super illud Marci vlt. Signa autem eos, qui crediderint, &c. Distant secundò inter sese quòd bona miracula omnia, quæ in lege veteri fuerunt facta, signa miraculi alicuius, siue mirabilis fidei, in aduentu Christi extiterunt: *1 Nota.* *2 Nota.* *Marc. vlt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

titerunt:quemadmodum sacramenta veteris legis signa veritatis futuræ in tempore gratiæ fuere : mala autem miracula, quatenus talia,nullius boni futuri signa fuerunt.

3. Nota. Miraculum potest dici , vel quantùm ad rem tantùm factam , vel quantum ad rem factam , & modum faciendi simul , vel quantùm ad modum faciendi tantùm. Primo modo dicitur miraculum , quod factum est à magis Pharaonis. Secundo modo,quando suscipiens nullum ordinem naturalem ad suscipiendum habet:vt cùm cæcus sit videns, vel virgo , manens virgo,parit. Tertio modo dicitur miraculum, quando id quod in alterum mutatur ad illud ordinem quẽdam naturalẽ habebat , quãuis mutatio illa,secundũ naturã, in tam parua temporis mora (sicut fit per miraculum) effici haud posset : vt cùm ex aqua fit vinum : vel ex virgis serpentes.Inerat enim aquæ , secundum naturam,possibilitas quædam ,vt per temporis spatia , mutari in vinum posset. Similiter & virgis , vt tractu temporis in serpentes mutari possent. Et ita intelligendus est D. August.lib.1. de mirabilibus sacræ scripturæ cap.19. quando dicit. Nihil eorum,quæ fecit Deus per Moysen , & Aaron contra naturam factum esse,id est,contra possibilitatem naturæ; quodammodo ad illa ordinatæ : sed solùm quantùm ad modum faciendi, nempe: vt protinus fiat quod per naturam successiuè fieret.

D. Aug.

4. Nota. Dictus faciendi modus duplex est. Nam vel potest fieri subito,& in instanti,quo modo fit à diuina virtute. Et hæc sola,quæ subitò facit Dñs,propriè, & strictè possunt dici miracula.Quia in illis nulla est præparatio anteà requisita. Nã, absq; vllo adminiculo, Deus res subitò , quando vult,mutat. In miraculis autem magorum requirebatur quædam præparatio : vt collectio : vel aptatio seminum, vel aliquid huiusmodi. Et ideo non ita verè sunt miracula. Vel secundò potest fieri repente, id est, in tempore , quasi imperceptibili,& quod hoc modo fit reuera non est dicendum miraculum , sicut quod fit subitò:sed mirabile tantùm.

26. q. 4. can. sciendum.

Append. Hinc , quia distinguere non possumus, quando repente, & quãdo subitò hæc fiant,nomẽ miraculi confundimus : ita vt tã,quæ subitò, q̃ quæ repentè fiunt, miracula appellemus.

Hinc

Hinc,miraculi propriè dicti definitio colligitur , vt sit q̃ Append.
sola virtute diuina subito fit,& tota natura creaturarum miratur. Vel vt Alex. Alen ait.q.42.m.1.cum D.Aug in libr.de vtilitate credendi.c.16. Miraculum est arduũ aliquid,& insolitum,suprà spem,& facultatem existens admirãtis. In qua definitione duæ priores conditiones,scilicet,arduũ, & insolitum respiciunt rem miraculi, quia quando hæc duo cõcurrunt,tunc dicitur res miraculi secundũ veritatem. Et dicitur arduum,id est,suprà facultatem naturæ. Et insolitum,id est, contra cursum naturæ , etiam si frequenter eueniat. Dicitur tertiò in definitione suprà spẽ,id est,virtutis humanę,&hoc ex parte effectiuæ. Vltimò ponitur, & facultatem admirantis, id est, suprà rationem , & potestatem admirantis. Et hoc ex parte cognitiuæ,& operatiuæ potentiæ. Et dicitur admirantis , quia hæ duæ conditiones respiciunt rationem miraculi , inquantùm est miraculum , quia ratio miraculi dicitur in comparatione ad nos.

Can.reuera. de consecra. d. 2. Alex.Alen.

Aliam definitionem affert Castro,qua miraculum dicitur res insolita,suprà naturæ potentiam operata.Vnde,vt sit miraculum,duo desiderantur.Vnum,vt sit suprà naturæ potentiam.Alterùm,quòd non sit ex communi consuetudine.

Cast. contra hær.verb.miraculum.

Hinc,creatio animæ humanæ nõ censetur miraculum. Et Append. 1.
ratio est ,quia , & si illius creatio excedat potentiam naturæ, non est tamen res insolita , cùm Deus quotidie nouas creet animas.

Hinc , si quis cum.7. digitis in qualibet manu nasceretur, Append.2.
non diceretur esse miraculum,quia licet sit insolitum, nõ tamen naturæ potentiam excedit.Quoniam à causis naturalibus potest hoc procedere:quare , vt sit miraculum,res debet esse insolita,& vires naturæ exuperans.

Idem dicitur mirabile,signũ,& virtus, sed respectu diuersorũ.Dicitur namquè virtus respectu principij,à quo, & mirabile,respectu eius,in quo,& cui fuit : signum autem respectu eius,ad quod. Signum enim est ad demonstãdum diuinæ sapientiæ virtutem. 5.Nota.

Signum , prodigium , & virtus , (quorum meminit D. 6.Nota.
Paul. 2. Cor.12. Signa apostolatus , &c. in omni patientia, *2.Cor.12.*

signis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

signis,& prodigijs,& virtutibus) ita distinguuntur;vt virtus sit genus signorum, & prodigiorum; & signa, & prodigia sint in ijs, quæ sunt contra naturam; vt hominem à morbo per impositionem manuũ liberare. Deinde signum sumitur pro minori miraculo, & prodigium pro maiori. Et ita dixit B.Paul.vbi suprà. In signis, & prodigijs,id est, in minoribus, & maioribus miraculis. Præterea signum dicitur, quod in quolibet tempore aliquid significat; prodigium verò,quod in futuro tantùm. Et hoc modo signum est genus ad prodigium,cùm omne prodigium sit signum; non tamen econtra,vt patet.

CONCLVSIO I.

S.Tho.q.114. c.4. Magi non possunt miracula propriè, & strictè sumpta facere. Patet primò ex definitione miraculi, propriè sumpti,& ex ijs,quæ in præludijs posita sunt. Tũ etiã;quia si magi miracula proprie sumpta facere possent, non esset miraculum deitatis, & veritatis efficax argumentum, & periret ratio confirmandi ea,quæ sunt fidei: quæ quidem miraculis fuerunt comprobata.

CONCLVSIO II.

Magi possunt miracula, non propriè, & strictè,sed largè & non veraciter,sed fallaciter facere; quæ potiùs sunt mirabilia,quàm miracula appellanda. Constat conclusio hæc ex nota. positis, quia non fiunt subitò, neque diuina intercueniente virtute, neque ad confirmationem veritatis, & sapientiæ diuinæ virtutem demonstrandam, & fidei eruditionem, sed cum intentione fallendi à magis efficiuntur: vt quæ fecerunt magi coram Pharaone Rege Aegypti, cum Moyse,& Aaron contendentes. Quia secundum rem,& non secundùm modum fecerunt.

Alex.Alen. q.43.m.2. Castr. vbi.§. c.14.de iust. hæret.pug.

Secunda diffic. Magi faciendo miracula,quid præstant?

QVæritur. An solam materiam, præparent,vel etiam formam inducant. Iam hæc difficultas suprà cum Magistro tractata est de dæmonibus.

CON-

CONCLVSIO.

Magi solam materiam, præparant; formam autem minimè inducunt. Ratio est, quia inducere formas est solius agentis naturalis, & si dæmones non possunt formas inducere (vt suprà explicatum est) multò minùs magi, qui sunt eorum ministri, eorúmque potentia, & virtute operantur. Quòd autem, nec dæmones, neque etiam boni Angeli formas inducere valeant, docuit D. Aug.3.de Trinit.cap.8.dicens.Sicut nec parentes dicimus creatores hominum, neque agricolas frugum,quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus,ad ista creanda Dei virtus interiùs operetur,ita non solùm malos; sed nec bonos Angelos phas est putare creatores; sed præ subtilitate sui sensus,& corporis, semina ista rerum,nobis occultiora, nouerunt, & ea per congruas cõtemperationes elementorum, latenter sparserunt, atque ita gignendarum rerum, atque accelerandorum incrementorum præbuerunt occasiones. Quo loco D. August.creare pro eo, quod est,vltimam formã introducere, accepit. Quod patet ex eo, quòd dicit gignendarum rerum præbent occasiones. Nam creationi propriè dictæ nulla occasio, vel adminiculũ præbetur. *26.q.5. can. nec mirum.*

Tertia diffic. Vtrùm boni Angeli potentiores sint ad miracula facienda, quàm boni?

DEum aliquid facere, aliquo ministrante, potest dupliciter intelligi. Primò,vt ministrans sit medius inter Deum facientem, & factum ipsum; vt cùm Deus operatur per liberum arbitrium motum, vel per naturam aliquam mouens ipsam ad faciendum aliqua; tunc natura, vel liberum arbitrium sunt,sicut mouctia mota, inter Deum facientem,& factum. Secundò ita, vt ministri non intelligantur medij, scilicet, motores; sed præparantes, vel disponentes. *Alex.Alen. q.42.m.4. art.2.& q. 43.m.3.art.2. Nota.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

Dur. d. 14. q. 2. ad. 2. in. 3. lib.

Deus solus auctoritatiuè plena miracula facit; Angeli verò & homines sancti præparatiuè, & dispositiuè dūtaxat. Probatur auctorit. D. Ansel. in lib. de conceptu virginali, dicētis.

D. Ansel.

Mirabilis cursus est suprà voluntatem, & naturam creaturæ, & de his, quæ solus Deus facit. Neq; enim primo modo ministeri est miraculi Angelus: vt intelligatur dispositio media inter Deum, & miraculū, quod fieri debet; sed secundo modo: vt possumus dicere, quòd aliquis sanctus rogat Deum, & De⁹ precibus eius inclinatus, facit, quod sanctu petit. Quod quidem ministerium non facit mediationem Dei facientis, & miraculi faciendi.

Appen. 1.

Hinc eadē ratione fieri potest miraculū per malum Christianum, inuocantē nomē Dñi, quod miraculum faciet Dñs, ob reuerentiam sui nominis, vel aliquid huiusmodi.

CONCLVSIO II.

D. Aug.

Non sunt boni potentiores ad facienda miracula, quàm mali. Hæc conclusio est D. Aug. lib. 83. q. 79. vbi ait. Intelligimus quędam miracula, etiam scelleratos homines facere; qualia sancti facere nō possunt. Neq; ideo potioris loci apud Deum arbitrādi sunt esse scelerati, quàm iusti. Non enim acceptiores erāt apud Deum magi Pharaonis quàm populus: quia nō poterat ille populus facere, quod illi faciebāt: quamuis Moyses virtute Dei maiora efficere potuit. Et ratio est: quia nec ratione naturæ, nec ratione gratię, hæc miracula ab vtrisq; fiunt: sed Dei virtute, & permissione modo hi, modo illi potētiora faciunt, iuxtà diuinæ voluntatis beneplacitum.

1. q. 1. cam. te neamus, & can. prophetauit ibidem. 26. q. 5. can. nec mirum.

Appen. 2.

Hinc, reuera mali non possent illa facere, nisi permissi: boni autem, si daretur à Domino, possent, & illa, & maiora facere.

Alex. Alen. vbi. s. D. Aug.

DVB. I. Cur non datur hæc potestas bonis, sicut & malis?

REspondeo cum D. Aug. vbi suprà. Ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur: ne perniciosissimo errore infirmi decimi decipiantur, existimāres in talibus factis esse maiora dona, quàm in operibus iustitiæ, quibus æterna vita cōparatur.

Appen.

Hinc, prohibuit Dominus, de his gaudere discipulos, cùm ait, Luc. 10. Nolite in hoc gaudere: quoniam spiritus vobis subiecti sunt: sed gaudēte: quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Luc. 10.

Quarta diffic. Vtrùm indifferenter circa res omnes possint mali miracula facere?

CONCLVSIO I.

NEquè boni, neq; mali possunt circa res omnes miracula facere. Et ratio est; quia miraculum de omni re fieri non potest. Miraculum enim, vt ex dictis constat, est, quando fit à diuina virtute aliquid contra solitum cursum naturæ corporalis. Vnde in Angelis, & animabus, cùm non sint corporales, non fiunt miracula.

Alex. Alen. q. 42. m. 4. art. 3. & q. 43. m. 3. ar. 2.

CONCLVSIO II.

Nequè possunt mali, circa res omnes corporales indifferenter miracula facere. Et ratio est: quia, & si ratione naturæ suæ esset diabolus superior omnibus inferioribus creaturis, tamen per peccatum suum, ita præcipitatus est: vt non iam æqualiter possit in omnibus creaturis, sed quò aliqua creatura est ignobilior inter creaturas, eò magis exercet potestatem suam in illa.

Hinc, frequentiùs vtitur serpentibus, & exercet sua miracula in illis: quia ignobilissimi inter omnia animantia serpentes esse videntur.

Appen.

DVB. II. Quomodo intelligenda est autoritas D. Aug. circa miracula?

Alex. Alen. q. 43. m. 3. ar. 3. & m. 1. ibidem. D. Aug.

QVoniam D. Aug. in lib. 83. q. 77. &. 79. scribit, quædam miracula fieri per publicam iustitiam, quædam per signa publicæ iustitiæ, quædam verò per priuatos contractus, decreui locum istum breui explicare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Nota. Est primò animaduertendum duplicem esse potestatem. Quædam enim est priuata, siuè particularis, quædam publica, siuè generalis. Prima confertur vnicuique creaturæ in sua creatione, secundum gradum suum; iuxtà quam dicimus, vnum Angelum potentiorem esse alio; quia in sua creatione maiori potestate fuit à Deo præditus. Et Angelus hoc modo est potentior homine, & homo bruto, & brutum quocunque vegetabili, & similiter de alijs.

Append. Hinc, mali Angeli acceperunt à sua creatione potestatem & eam exercent propter eos, qui vtentes eorum potestate, delectantur, & confidunt in eis, faciendo, quæ possunt; vt eos magis sibi obligent. Quo etiam modo faciunt magi, de quibus intelligenda sunt verba D. August. proposita, vbi dicit. Quædam miracula fieri per priuatos contractus, id est, per virtutem Satanæ, & pactum cum illo initum. Hoc enim appellat D. August. per priuatos contractus. Altera, quæ generalis potestas, siuè vniuersalis, scilicet, diuina, appellatur publica iustitia; propterea quòd publicè regit omnia. Hæc influit super creaturas, & quando aliquis in ea confidit, virtute illius influentis fiunt miracula.

2.Nota. Nota præterea dupliciter influentiam hanc fieri. Nam, vel fit influentia super inuocantem, & factum, pro quo inuocatur; vel super factum dumtaxat.

Prima Propositio.

Primo modo faciunt boni Christiani miracula. Et ratio est, quia influit Dominus potestatem suam, non solùm super factum miraculum, verùmetiam super bonum Christianum, quantùm ad finem formatam, & quantùm ad id, quod cum fide formata ad hoc: vt fieret miraculum, requirebatur. Quia non sola fides formata, verùmetiam vtilitas desiderabatur. Quod breui explicauit D. August. vbi suprà, dicens. Quando eos hoc donum habere vtile est.

Append. Hinc intelliguntur verba citata. Quòd quidam faciunt miracula per publicam iustitiam, vt ex dictis constat.

Secunda

Secunda Propositio.

Secundo modo facit Deus aliquando miracula per malos Christianos, eum inuocantes, propter honorem nominis sui, & tunc: vt dicit B. August. fiunt miracula per signa publicæ iustitiæ. Reliqua de multiplicatione miraculorum, & de impetratione illorum, & alia ad hoc pertinentia, reperies apud Alex. Alen. quæst. 42. & S. Thom. quæst. 105. art. 7. & 8.

Ex dictis in hoc articulo confutatur hæresis Vualdensium asserentium, nulla fuisse vera miracula in Ecclesia. Cùm sint multa sacræ Scripturæ, ad miraculorum confirmationem testimonia. Lege Castr. verbo miraculum, contra hæreses. *Hæresis.* *Castr.*

Artic. IIII. De *mirabilibus magorum.*

ABSOLVETVR, aliquot declaratis difficultatibus. *Alex. Alen. q. 43. m. 3. & Victo. in relect. vbi. 5. & alij infrà citandi.*

Prima diffi. Vtrùm in magicis delusionibus mutatio fiat ex parte rei visibilis? an ex parte potentiæ videntis?

HVIVS Difficultatis explicatio pendet ex his, quæ suprà cum Magistro de potestate dæmonum, circa sensus, dicta sunt: sed ad maiorem declarationem, nota sequentes propositiones. *Castr. c. 14. vbi. 5.* *Alex. Alen. vbi. 5.*

Prima Propositio.

Quædam delusiones, siue aliqua dæmonis virtute fieri possunt. Illustro propositionem exemplis. Vt. V.g. quæ fiunt sola hominum ostendentium, occultantium agitatione; vt videre licet in transiectoribus. Et quæ fiunt virtute quorundam corporũ mineralium, in quibus est virtus quæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam indita; vt ostendant, vel faciant rem apparere, non sicuti est. Et tunc reuerà, ex parte rei visæ, non est falsitas, quin aliquid sit, quod videtur, & apparet, non tamen eo modo, quo videtur, existit.

Secunda Propositio.

Sunt, & deluſiones, quæ per dæmones fiunt. Et ratio est; quia habent dæmones quandam potestatem super res inferiores ex ordine naturæ, quam possunt circa res illas, quantùm Dominus permittit, exercere. Et tunc apparet res, non sicut est, fitquè deluſio tantùm quò ad modum videndi; quia subiacet rei visæ veritas, sicut in prima propositione de mineralibus dictum est. Verùm quod hic fit virtute diaboli, illic fit virtute naturali, illis corporibus indita.

Tertia Propositio.

Illusio dicta à dęmone facta, non dicitur propriè præstigium. Et ratio est; quia præstigium vocatur propriè illa dæmonis illusio, quæ non habet causam ex parte mutationis, sed solùm ex parte cognoscentis, qui siue quò ad organum, siue quò ad virtutem, deluditur.

Aug. libr. de spiritu, & anima. c. 24. & 12. super Gen. c. 6. & infrà. Arist.

Quarta Propositio.

Circa sensibile per se, & proprium, sensus benè dispositus non fallitur. Propositio est Arist. & certissima. Nam quod est album, semper visus album esse iudicat.

Quinta Propositio.

Circa sensibile commune, & per accidens sensus benè potest falli, & intrà, & extra organum, & hoc virtute diaboli efficientis. Quo autem modo hæc fieri possint, suprà, vt diximus, declaratum est.

Quinta

Quinta diffic. Vtrùm magi virtute dæmonum possint localiter transmutare corpora?

IDEST; Per multa terrarum spatia summa celeritate transferre illa?

CIRCA Hanc difficultatem, propter cano. Episcopi. 26. quæst. 5. vbi damnantur credentes mulierculas deferri noctu per aera, Iurisconsulti multum dubitant; sint ne vera, quæ de istis mulieribus, striges, circunferuntur? vel sit sola sensuum illusio? Samuel, nostri ordinis religiosus, in suo opusculo de hac re conatur probare esse illusionem sensuum, quod Abulensis experimento se comprobasse affirmat. Ioannes Dodo, ordinis prædicatorum, tuetur, aliquando non solùm illudit, verùm etiam reuerà ex vno loco in alium transferri. Idem tenet Turrecremata super dictum can. Episcopi.

Alex. Alen. & Vict. Castro. cap. 16. vbi s. Samuel. Abulens. Ioan. Dodo. Turrecrem.

CONCLVSIO I.

FALSVM, & illusio dæmonum est, quod de mulieribus æquitantibus cum Diana, vel cum Herodiade, Philippi vxore, dicitur. Et ratio est; quia Diana, dea paganorum, nulla est, nequè in hoc mũdo, nequè in alio reperitur. Herodias autem est in inferno, nequè ei exire permittitur, nequè est mulier; sed sola anima.

CONCLVSIO II.

FALSVM Quoquè, & illusorium est, super quasdam bestias equitare. Et ratio est; quia bestiæ in tam breui tempore realiter, & corporaliter tanta terrarum spatia transcurrere, & tam silenter ambulare non possent. Fit namquè illusione dæmonum (vt cum D. Augustin. suprà docuimus) quia mentes, quas sibi subiugauerunt, multi-

D. Aug. lib. de anima, & spiritu. c. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO III.

Dæmones, & magi eorum virtute possunt corpora, & homines de loco ad locum mouere, & transferre. Probatur Iob. 1. vbi legitur, dæmonem concussisse quartuor angulos domus Iob, quæ corruens eius liberos, oppressit. Et Matth. 4. Portauit Christum in pinnaculum templi, & in montem excelsum. Et D. Aug. 3. de Trinit. affirmat, dæmones adhibere semina corporalia, ad aliquos effectus producendos, quod sine motu locali fieri haud potest.

Iob. 1.
Matth. 4.
D. August.

Append.
Daniel. 14.

Hinc, multò melius hoc idem bonus Angelus præstare poterit. Quod & præstitit Daniel. 14. quando portauit Habacuc capillo capitis sui ex Iudæa, in Babylonem impetu spiritus sui, & dato prandio Danieli, confestim restituit illum in loco suo. Et Lameæ, & Striges aliquando etiam à dæmonibus transportantur: vt multis positis exemplis Castro vbi suprà probat. Et iis conclusionibus opiniones conciliantur: nam duæ priores continentur in dicto capite Episcopi: vltima autem non semper, sed aliquando transportari dicit.

Sexta diffic. Sunt ne fœminæ, quæ à dæmone fallantur, & ex vno loco in alium transportantur, plures, quàm viri?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 166. m. 6. Castr. c. 16. vbi 3. 1. Timo. 2.

SVNT Quidem multò plures fœminæ. Huius conclusionis duæ sunt inter alias causæ. Et prima est nimia earum credulitas, ob quam sexus ille, ad deceptionem est facillimus, quarum defectum dæmon optime agnoscens, frequentiùs per fallacias, & mendacia illas, quàm viros aggreditur. Nam Hevam primam omnium matrem dæmon seduxit, vir autem illius Adam (vt B. Paul. testatur) non est seductus. Secunda causa est mulierum fragilitas, & ad libidinem pronitas. Sunt enim mulieres naturâ ad libidinem, quàm viri, promptiores: & ideò sexus muliebris à B. Petro fragilius vasculum nominatur: & cum præcipuus, & primus finis, ad quem homines, huius diabolicæ artis professores tendunt, sit carnalis voluptas, propter quam ad libitum, & facietatem assequendam, se totos dæmoni dedunt, & fœminæ vehementiùs carnis voluptates apperant, & faciliùs huiusmodi appetitui succumbant, fit hinc, vt multò pluros fœminæ, quàm viri hanc pestiferam artem profiteantur.

1. Pet. 3.

Append.
1. Timot. 2.
Castr. verb. mulier contra hæreses Theoph. 1. Cor. 11.

Ex prima causa colligitur ratio: cur B. Paul. non permittit mulierem docere: Ne, scilicet, ipsa decepta alios sua doctrina decipiat. Quem locum declarans Theophylactus ait: quia semel mulier virum edocuit, & cuncta peruertit. Idcircò nequaquàm, hæc habeat, velim, docendi de cætero potestatem. Item, quia doctrina Dei à Deo in Christum, à Christo in virum, à viro in mulierem descendit. Quoniam viri caput Christus, caput mulieris vir, & caput Christi Deus.

Septima diffic. Poterunt ne dæmones, & magi eorum virtute immutare corpora?

Doct. d. 7. Vict. nu. 38. Castro, vt in princ. c. 14.

INtelligitur titulus, quòd immutent alterando, secundùm qualitates, nempè, immittendo morbos, &c. è contra præstando sanitatem. Hæc difficultas etiam suprà. d. 7. Magistri est partim exposita.

CONCLVSIO I.

Nec dæmones, nec magi eorum virtute possunt immediatè in rebus naturalibus, & materialibus, aliquam formam, vt calorem, frigus, morbum, &c. inducere. Et ratio est: quia si aliquam talem formam inducere possent, & omnes similiter inducerent, cùm non sit maior ratio de vna forma, quàm de aliis. Atque ita tota natura, sicut & totus orbis, esset illis subiecta. Quod tamen est falsum: quia nempe Angelis bonis subiecit Deus orbem terræ. Et hæc est expressa sententia D. Aug. 3. de Trinit. cap. 6. dicentis. Nec omninò putandum est, istis transigentibus Angelis ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam. Et est quoque communis sententia doctorum dist. 7. citata.

Ad Heb. 2. D. Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

MAGI Virtute dæmonum possunt mirabiliter materiam, & naturas corporales, applicando semina rerum & actiua passiuis, transmutare. Hæc conclusio est expresse D. Augustin. 3. de Trinit. capit. 9. & fuit suprà loco citato rationibus confirmata. Et probatur denuò ratione S. Thom. de potentia, quæst. 6. artic. 3. Nam sicut ars, quæ imitatur naturam, potest quædam, quæ non potest natura efficere: ita dæmones multa facere possunt, quæ, & præter humanum ingenium, & præter omnem artem, & præter solitum cursum naturæ sunt. Tùm etiam quia influentia cœlestis multum facit, & ad effectus naturales operatur.

D. Aug.
S. Thom.
Arist. 2. Phi.

Append. Hinc, in agricultura, & medicina, necessaria est obseruatio, & consideratio motus, & cursus solis, & lunæ. Et dæmones, cùm sint peritissimi Astrologi, possunt meliùs horas ad operandum eligere. Et hæc vna causa est fortassis, ob quam magi in inuocationibus dæmonum stellarum situs obseruant.

CONCLVSIO. III.

Certissimè dæmones, nisi à Deo, & à bonis angelis coercerentur, grauissimis calamitatibus mortales afficere possent. Patet exemplo Iob, quem Satan percussit vulnere pessimo. Iob. 2. Et vt S. Thom. 3. p. q. 29. art. 1. ad 3. ait. Clementissimus Deus non permittit eos vti sua (quam naturaliter habent) potestate: & ab bonis Angelis, præsertim quibus orbis, & hominum custodia commissa est, impediuntur.

Iob. 2.
S. Tho.

Octaua diffic. Poterunt ne dæmones ab omnibus ægritudinibus curare, & vitam per multos annos protrahere?

CONCLVSIO I.

POterũt à multis ægritudinibus curare, à quibus nulli medici possunt: non tamen ab omnibus. Et ratio est: quia vt

vt dictum est, nihil in hac re possunt, nisi per applicationem causarum naturalium; causæ autem naturales non reperiuntur ad curandum hominem, à quolibet morbo, præsertim à morbo senectutis.

CONCLVSIO II.

Nec possunt vllo modo vitam peculiarem, vsq; ad mille annos protendere; vt olim homines viuere solebant. Et ratio est, quia per hominum intemperantiam, & ignorantiam, natura est admodum corrupta, & morbida, nec sufficientes sunt quæcunquè res naturales, ad restaurandam illam antiquam integritatem, neque alimenta ex malo cultu habent illum pristinum valorem, & fortè principaliter ex influentia cœlesti. Deus namquè sua diuina prouidentia ita disposuit, vt primis illis temporibus essent constellationes cœlestes naturales salubriores, & efficaciores ad vitam hominum propagandam, & vt alimenta essent maioris vigoris, & medicinæ, & aer, & aqua, & alia, quæ mortalium vitam conseruant.

Nona diffic. Possunt ne dæmones, & magi eorum virtute absquè seminibus aliquos effectus producere?

Propositio.

EFfectus, qui fiunt per diuisionem partium à toto, vt fit idolum per sculpturam, vel per coniunctionem aliorum adinuicem, vt fit paries per coniunctionem lapidum, possunt à dæmone, & à mago fieri, alij autem effectus, qui sine formæ substantialis introductione fieri non possunt, vt quòd materia ex vna forma in aliam mutetur, & quòd corpus humanum mutetur in bestiam, & quòd mortuus resurgat, nequè bonus, nequè malus Angelus, nisi illusione quadam efficere valet. Constat propositio hæc ex supradictis. *26. q. 5. can. nec mirum.*

Decima

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decima diffic. Artem, & potentiam coagulandi corpora humana, & formandi corpus humanum simile embryoni, quam dæmones habent, possunt ne suos magos docere?

CONCLVSIO.

HOmo ex doctrina dæmonum acquirere non potest artem formandi verum corpus humanum, sola naturalium vitiũ virtute absq; eorum operatione, ita vt de nouo corpus iuuenis, vel pueri faciat: quemadmodum referunt Vergilium à diabolo decepeum rentasse. Et ratio est, quia quo modo per artem faceret corpus heterogenum, & tam delicatum, & tenerum, quale anima rationis exigit; qui non potest per artem facere corpus homogenium, vt puta, aurum, vel argentum?

Victo. vbi. §. Alex. Alen. 4.p.q.8.m.5. ar. 1. ad arg.

Artic. V. De coactione, & expulsione dæmonum?

IN hoc articulo explicatur; possint ne dæmones aliqua arte, vel alio aliquo modo cogi, & compelli, vt intrent aliquem locum. V. g. phialam, &c. & ibi permaneant, & responsa poscentibus dent? & inde expelli?

Prima diffic. Quomodo diuina virtute dæmones cogi possunt?

CONCLVSIO.

S. Th. de potentia. q. 6. art. 10. Vict. vbi. §.

VIrtus diuina immediate, vel mediantibus angelis bonis, & viris sanctis agere in dæmones, & eos ad aliquid agendum cõpellere potest. Et ratio est; quia diuina virtus, cui omnis subijcitur potestas, est dæmonib⁹ ineffabiliter, & incõparabiliter superior. Atq; ita Christus coegit illos,

illos; vt intrarent in porcos. Et Luc. 10. 17. Discipulis dæmonia subijciebantur. Nam dixerunt. Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et de alijs multis & viris sanctis innumera extant exempla, quòd dæmones coegerint. Et de Angelis idem confitendum est, non solùm virtute diuina; vt dictum est de viris sanctis, verùmetiam naturali potestate; vt statim dicemus; saltim superiores possiunt inferiores cogere. Quia habent potestatem naturalem supra inferiores. Nam ad ordinem potestatum pertinet arcere dæmones, vt S. Tho. docet vbi supra.

Matth. 8. Marc. 5. & Luc. 8. Luc. 20.

Hinc, proculdubiò credendum est, dæmones ab Angelis custodibus prohiberi, ne ad suos chenetes accedant, ne vè illis noceant, & à præsidibus prouinciarum frequenter impediri à detrimentis, & nocumentis, quæ ciuitatibus, agris, fructibus, & alijs mortalium bonis inferre vellent, & possent.

Appen.

Secunda diffic. Dæmones superiores possunt ne sibi inferiores cogere?

CONCLVSIO I.

POssunt inferiores cogere per imperium, cui inferiores ex communi concordia, resistere non audeant. Et ratio est; quia dæmones saltim ex nequitia, & concordia illorum inter se principatus, & prælationes habent. Ex odio namque & inuidia, qua erga homines torquentur, non dubium, quin inter se fecerint fœdus, & inter se ordines, & societates constituerint, ad hunc finem, vt homines perdant, vt S. Thom. loco citato tradidit. Et hac de causa Christus apud S. Luc. societatem dæmonum vocauit regnum. Nam omne, inquit, regnum in se diuisum, desolabitur. Et si Satanas Satanam eijcit, quomodo stabit regnum eius?

Victo vbi. §. S. Th. q. 109 art. 2. & 3. q. 43. art. 2. ad 3.

Lub. 11.

CONCLVSIO II.

Possunt quoque ex naturalibus suis illos cogere. Et ratio est; quia rerum subordinatarum debent quoque actiones adinuicẽ esse subordinatæ, vt patet in corporib⁹ cœlestibus, quorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quorum motibus, & actionibus actiones, & motus corporũ inferiorum, quemadmodũ & ipsa corpora, subijciuntur. Et cùm inter angelos alij alijs sint in naturalibus subordinati, habebunt superiores suprà inferiores potestatem. Tum etiã, quia cùm habeant potestatem mouendi localiter animas, & alligandi illas, eadem ratione habebunt potestatem super dæmones inferiores. Lege S. Tho. vbi suprà, & de anima. q. 21. & 4. contra Gent. cap. 90. & alijs multis in locis, & Palud. in 4. dist. 44. q. 7.

S. Thom.

Palud.

DVB. I. Poterit ne tenere dæmonem inferiorem ita alligatum annulo, vel imagini, vt, absente superiore, recedere non possit?

Vict. vbi. 5.

REspondeo. Non est verisimile dæmonem alligatum annulo, vel imagini, semper esse imagini præsentem; sed dicitur alligatus; propterea quòd vocatus à possessore annuli semper venit, nec indiget tempore ad redeundũ, vbicunq; possessor annuli extiterit.

Append.

Hinc, colligitur miseria maxima, & deceptio magorum, qui existimant se, velut compedibus, vinctos tenere dæmones. Quid? quòd maxima ex parte, quæ de huiusmodi annulis, & imaginibus feruntur, sunt fabulæ.

Tertia diffic. Poterit ne homo viribus solùm naturæ dæmonẽ cogere: vt in aliquo loco fixè permaneat?

CONCLVSIO I.

NEquaquam poterit. Et ratio est: quia cũ æqualis æquali prævalere non possit, multò minus inferior, & infirmior prævalebit. Et homo dæmone inferior, & impotentior est: vt cõstat Psal. 8. Minuisti eũ paulò minus ab Angelis. Et Matth. 11. Qui minor est in Regno cælorum, maior est illo. Et Iob. 41. Non est super terram potestas, quæ compa-

Psalm. 8.
Matth. 11.
Iob. 41.

comparetur ei, id est, diabolo qui factus est: vt nullum timeret.

CONCLVSIO II.

Poterit tamen, mediante gratia à Deo data, aliquando illos cogere. Et ratio est: quia, inter gratias gratis datas, datur super dæmones potestas: vt constat Marc. vlt. In nomine meo dæmonia eijcient, &c. Et exemplo sanctorum Apostolorum, & aliorum sanctorum virorum, qui dæmones ab obsessis expulerunt, & illis aliquando aliqua opera imperarũt, quæ inuiti dæmones faciebant. Neque enim dæmones, si potuissent, ad gloriam, & manifestationem nominis Christi, & eius religionis operam dedissent.

Marc. vlt.

Quarta diffic. Possunt ne dæmones virtute diuina verbis aliquibus, vel signis coerceri?

CONCLVSIO.

AD coercendum dæmones virtute diuina, vel angelica, refert multum, quibus verbis, vel signis homines vtantur, etiam si verba sancta, & signa sacra sint. Ratio est, quia cùm ecclesia ex auctoritate Christi, potestatem super omnia dæmonia habeat, maximè interest, ad illos coercẽdos, vti verbis, & exorcismis ab ecclesia institutis. Quoniam hæc, absque dubio, ex institutione ecclesiæ maiorem virtutem, & efficaciam, quàm quæcunque alia verba, & signa, habent. Quemadmodum & exoreistæ, ab ecclesia instituti ad expellendos dæmones maiorem potestatem habent, & aqua benedicta, iuxta ritũ ecclesiæ, maiorem vim habet, quàm si alijs verbis esset benedicta, & consecrata.

Append.

Hinc, credendum est, & pro certo tenendum pro auctoritate, & reuerentia ecclesiæ, Deum siue immediatè per se, siue per Angelos, ad talem inuocationem concurrere.

Quinta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. Verba exorcismi sortiuntur ne semper suum effectum?

CONCLVSIO.

NVlla verba, nec exorcismi, ita habent infallibilem efficaciam, ad cogendos, & arcendos dæmones, vt semper suum effectum consequantur. Ratio est, quia verba, & signa ex natura sua non habent talem efficaciam, sed solum diuina, vel angeli virtute; & Deus potestatem suam non alligauit ex lege sacramentalibus; sicut nec sacramentis, sed operatur ad gloriam suam, & vtilitatem credentium, quando sibi placet, & ad hoc pietas, & fides, ministrorum plurimum conducit. Vnde Act. 19. dicitur, filios Sceuæ inuocasse nomen Domini Iesu, super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes. Adiuro vos, per Iesum, quem Paulus prædicat. Respondens autem spiritus malus dixit, Iesum noui, & Paulum scio; vos autem, qui estis, & insiliès inualuit contra eos. Lege infrà in dubio quomodo Ecclesia, &c. *Act. 19.*

Append. Hinc collige, idem censendum esse de reliquijs sanctorum, & signo crucis, & cæteris, quibus dæmones quandoque expelluntur.

Append. Hinc etiam aliter sacramenta, aliter sacramentalia suum habent effectum.

DVB. II. Quid causæ est, quòd dæmones aliquando nec cruci, nec aquæ lustrali, nec alijs remedijs cedunt?

Petrus Clun. lib. 1. de miraculis. c. 6. & c. 14. & 16. & 17. Castro verb. exorcismus, contra hæres.

Prima Propositio.

NON miretur aliquis benedictæ aquæ aspersione dæmonem non esse fugatum, agnoscat, tabe latente interius, vnguenta exhibita extrinsecus nihil proficere posse. Hæc propositio est Cluniacensis. Et vocat tabem, læthale peccatum. Quod quandiù in interioribus alicuius latuerit,

tuerit, nullius exterius sacramenti perceptio prodesse poterit. Est quoque causa minima inuocantis fides. Luc. 17. Si habueritis fidem, &c. *Luc. 17.*

Secunda Propositio.

Aliquando non cedunt. Quia Deus occulta ratione hoc permittit, quoniam iustum, atque vtile futurum iudicat, tàm in bonis, & timoratis, qui sustinere coguntur, quàm in incantatoribus, & magis. Nam hi confunduntur, & diuinitus impediuntur, quando vniuersorum dominus suis nouit expedire. Constat Exod. vbi incantatores Cyniphes producere nequiuerũt. Et Act. 19. de exorcistis, qui spiritum malignum expellere non potuerunt. *Exod. 8.* *Act. 19.*

Tertia Propositio.

Interdum etiam permittit Deus eos operari ad exercendos bonos, vt in fide solidentur, & virtute patientiæ roborentur; ne grauius Dei iudicium ordinationi resistendo acquirant. Hoc testatur D. Aug. tract. 7. in Ioannem. Quod enim Christus dominus Pilato dixit, hoc & Iob; & eius patientiæ sequaces, diabolo, & angelis eius dicere possunt. Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Daturquè etiam talis potestas, vt meliores & modestiores, boni efficiantur: vt D. Chrysost. homil. 41. in acta apost. docet. Et vt pœnas peccatorum nostrorum hic dantes, puri ad Dei conspectum migremus. *D. Aug.* *D. Chrysost.*

Hinc, non eius voluntas, cuius malitiæ potestas, in bonos datur, sed eius voluntas, à quo hæc potestas confertur, nobis charissima esse debet. Appen. 1.

nota Ex dictis etiam infertur superstitiosum esse, credere repertu aliquam artem in religione Christiana coercendi dæmones, vel esse aliquem exorcismum habentem infallibilem efficaciam, ad illos coercendos, vel expellendos. Ratio est, quia à primitiua Ecclesia, in hunc vsquè diem, non inuenitur proprius, & determinatus exorcismus expellendi dæmones ab obsessis: immò Christus R. N. Matth. 17. ait. Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, & ieiunium. Conceditur ta- Appen. 2. *Matth. 17.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

men quibusdam peculiariter, propter eorum deuotionem, & orationes, quas Deus exaudit: vt per inuocationem nominis Dei, & sanctorum dæmones coerceantur & expellantur.

Append. 3. Nota. 1.

Hinc, si fuit aliquando ars aliqua compellendi, vel coercendi dæmones exorcismis, aut combinatione, siue adhibitione aliarum quarumcunque rerum, illa erat, & est ministerialis tantùm respectu Dei, vel bonorum spirituum, ita, scilicet, quòd ex diuino pacto secreto, quoties talis homo talem exorcismum, tali modo, & intentione, aut talibus ceremonijs, fecerit spiritus maligni per ipsum Deum, immediatè, vel mediatè per angelos bonos, exorcista existente suo modo solùm ministro, coerceantur, seu compellantur. Et ad plenam exorcismi intelligentiam nota exorcismũ vocem græcam esse, & latinè idem sonare, quod adiuratio significat: & propriè exorcismum esse inuocationem nominis diuini, quæ fit super energumenos, id est, habentes spiritum immũdum, adiurando eum per virtutem diuinam; vt ab eis egrediatur. Vnde D. Aug. lib. 1. de vita beata ait. Exorcizare est per diuinam virtutem immundum spiritum adiurando expellere.

Append. 4. Nota. 2.

Hinc, etiam dicitur exorcismus omnis cuiuscunq; rei benedictio, qua contra dæmones, aut contra alia similia toxica vtimur, vt benedictio aquæ salis, candelarum, palmarum, &c. Nota etiam triplicem exorcismum reperiri. Quorum primus dicitur solemnitatis, quem ante baptismum celebriter sancta mater Ecclesia seruat. Secundus est benedictionis, & hi duo celebres sunt atquè frequentes in Ecclesia Dei. Solemniter enim exorcizantur aqua lustralis candelæ palmæ, & alia id genus. Tertius dicitur esse Salomonis, quòd verbis quibusdam sacris ab eo compositus credatur, teste Iosepho, & Rabano, Mauro: vbi & formam ordinationis affert, qua hodie vtimur ex concil. Carthag. 4. cap. 7. Mos autem exorcizandi in Ecclesia vetustissimus est, quem etiam ethnici attestantur. Vlpianus enim iureconsultus Alexandri Imperatoris (teste Lampidrio) consiliarius, & Sorinij magister inquit. Si incitauit, vel imprecatus est, vel (vt vulgari verbo Imperatorum vtar, per impostores, intelligens Christiana religione imbutos) si exorcizauit, non ista medicinæ genera.

D. Aug. epist. 206.

Chrysost. super Matth. c. 12.

Beda super Act. apost. c. 19.

Lib. de corona militis li. de præscript. hæret. & lib. de anima, & lib. ad Scapulam.

Lib. 2. de gratia Dei, & peccatorum. Orig. c. 40. & lib. 2. de nupt. concu. c. 20. homil. de Adam, & Heua.

Orig.

Orig. autem, super illa verba adiuro te per Deum verum, non approbat Salomonis exorcizandi formam. Lege D. Aug. & S. Tho. & Athanasium de his, & c. 19. Act.

Lib. 8. antiq. cap. 11. c. 10. lib. 1. de inst. cleri. ff. de verb. & extra ord. cog. lib. 1. § medicos tract. 35. in Matth. tract. 7. in 10ã. 2. 2. q. 96. artic. 4. epist. ad Marcel. act. 19. Hæresis. Castr. Luc. 10. 1. Cor. 5. Luc. 10. Cano. si quis semel de pœnit dist. 2. § quærendum.

Hinc, confutatur hæresis Vualdensium, & Vuiclephistarum, qui in eorum verba iurasse videntur. Isti enim pestilentissimi homines dictas benedictiones esse magis deductas ex vera Nicromantia, quàm ex sacra Theologia crediderunt. In quos Castro doctissime, vt solet, inuehitur. Nam quid est dicere in nomine tuo, nisi ad vocationem tui nominis, dæmonia subijciuntur nobis.

DVB. III. Quomodo potest dæmon à prælato Ecclesiæ, vel ab exorcista adiurari, & exorcizari?

RAtio dubitandi est. Quia dæmon non est communitatis membrum. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare. Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.

Respondeo dupliciter. Primò quemadmodum Princeps, non solùm habet potestatem coactiuam, compulsiuam, & vindicariuam in suos subditos, suæquè ditioni subiectos; sed etiam in extraneos, potissimum, si iniuriam, aut molestiam communitati, inferant; ita etiam prælatus cõmunem humani generis hostem exorcismis, & adiurationibus coercere potest, quàmq; potestatem directiuam in illum non habeat, sicut nec princeps in extraneos. Secundò respondeo. Minister Ecclesiæ habet potestatem delegatam iuxta illud Luc. 10. Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici, non inquam ordinariam, sed delegatam. Et confirmatur à simili, sicut prophetæ non semper vaticinari potuerunt; sed quomodo à Deo erant illuminati, & edocti, nec indifferẽter vbiq; locorũ crebescere solita sunt miracula, sed iuxta Spiritus sancti motionem, certis in locis, determinatis temporibus, atq; personis cõgruis. Sic exorcismus nõ ita efficaciter valet omnibus, & singulis; sed quibus secundũ instinctũ Spiritus sancti fuerit

Universidad de Deusto
Biblioteca

administratus. Neque verba energiam habent ad expellendum dæmones ex operè (quod dicitur) operato, quasi illis indita sit vis quædam, quæ dæmonem egredi cogat; sed sicut in orationibus quotidianis Deo oblatis infallibiliter præsumimus nos votis potituros; ita ex Dei misereritis clementiam speramus, & confidimus nos per exorcismum optatum effectum assecuturos.

Sexta diffic. Possunt ne magi dæmones cogere?

CONCLVSIO I.

nota

MAgus per se, aut ratione rerum, quibus vtitur, dæmones cogere haud potest. Et ratio est; quia res, & signa, & applicationes herbarum, vel rerum naturalium, quibus magus vtitur, non possunt dæmonem cogere.

Iob. 41. Neque enim est potestas, quæ comparetur ei. Et confirmatur; quia si nulla signa possent cogere hominé, qui est multò imperfectior angelo, siue bono, siue malo; multò minus cogent dæmones.

CONCLVSIO II.

Possunt magi aliquando dæmones cogere. Et ratio est; quia, cùm dæmones superiores habeant potestatem coercendi dæmones inferiores, vt suprà explicatum est, poterunt magi ex pacto, & fœdere, quod habent cum superioribus, inferiores cogere, illos reijciendo, aut expellendo. Hoc enim est, quod Iudæi calumniabãtur de Christo in Belzebub, principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Quam quidem calumniam Christus non ita confutauit, quasi hoc esset homini impossibile; sed alijs rationibus, & argumentis. Nec soli Iudæi Christum magum esse dicebant; verùm etiam pagani obijciebant Christianis, Christum magicis artibus mirabilia pa-

Luc. 11.

D. Aug. trasse, & libros de hac re scriptos reliquisse: vt D. Aug. lib. 1. de consensu euangelistarum. c. 6. docuit.

Appen. 1. Hinc, magi, qui habent fœdus cum aliquo dæmone principali, possunt dæmones inferiores; non autem ipsum superiorem, & principalem cogere.

Hinc, non habentes tale fœdus nullo modo possunt vl- Appen. 2.
lum dæmonem cogere; sed dæmones voluntariè ad operationes illorum magorum concurrunt. Et ratio est; quia cùm magi ipsi fateantur se, etiam seruato toto ritu, & cæremonia magica, sæpè in suis operationibus deficere, certissimum argumentum est dæmones non coactos; sed voluntariè ad magorum operationes concurrere.

Hinc, tota opera, & efficacia magorum in cõducto, & pa- Append. 3.
cto inito, & confirmato cum dæmonibus sita est. Ratio est, quia si dæmones non coguntur, & respondent, & veniunt ad inuocationes magorum, & non aliorum hominum, perspicuum est, hoc non aliunde, quàm ex mutua conuentione, & fœdere magorum, & dæmonum prouenire.

Septima diffic. Fuit ne aliquando ars apud homines cogendi malos spiritus?

CONCLVSIO I.

SI fuit aliquando ars apud homines cogendi spiritus malos, illam à dæmonibus nõ habuerũt. Ratio est; quia verisimile non est, dæmones (superbissimi cùm sint) velle docere homines, quomodo possent eos in suam seruitutẽ redigere, ita vt possent quãdo, & vbi vellent pro libito illos includere, vel expellere.

CONCLVSIO II.

Ars includendi dæmones in imaginibus, vel phialis, de qua locutus fuit Hermes, non est propriè ars, sed conuentio quædam, siue decretum, aut pactum tacitum, vel expressum, inter perditos homines, & dæmones, diuini honoris cupidissimos, nempè, quòd si homines fidem firmam adhibuerint, quòd sint veri Dij, diuino honore colendi, potentes hominibus obesse, & prodesse, & cum tali fide fecerint imaginem aliquam hominis, vel cuiuscunquè animalis, & consecrauerint illam talibus verbis, characteribus, seu figuris, & fumigationibus aliquibus, & vnctionibus, &c. tunc proculdubiò, tali consecratione completa, continuò

Cast. vbi. 5. de iust. hær. pug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquis ſpirituum imaginem illam intrabit, & ex ea reſponſa dabit, deceptis hominibus illum conſulentibus. Quam quidem inſtitutionem, ſiue decretum quibuſdam hominibus perditiſſimis dæmones per inſpirationem, vel alio quocũque modo ita patefecerunt: vt credant ſe talem artem inueniſſe. Quos, & alios ſibi credentes; vt in æternum perdat, ſæpiſſimè dæmon ad eorum vota, quodcunque voluerint operantur. Hoc expreſsè docet D. Aug. 21. de ciuit. Dei. c. 7.

D. Aug. Appen. 1.

Hinc, ars magica inuenta ex traditione malorum angelorum eſſe dicitur. 26. q. 2. can. qui ſine.

Appen. 2.

Hinc, pro certo habe: quòd ſimulat ſe captum: vt te capiat: vinctum, vt te vincat: tuo imperio ſubditũ, vt te ſibi ſubdat: à te incluſum, vt in æternum concludat: & ſe tua arte lapidi, vel imagini alligatum: vt te, funibus peccatorum ligatum, ad infernum perducat.

Octaua diffic. Sunt ne alij modi expellendi dæmones à corporibus obſeſſis?

Prima Propoſitio.

Nicol. de Lyra in c. 16. 1. Reg. Ioan. à Turrecremata de pœnit. diſ. 1. can. voluiſſent. S. Th. q. 115. ar. 5. ad arg. Caſtr. vbi. 5. Limitatio.

DAEmon non poteſt à corporibus obſeſſis expelli, vel à vexatione excludi melodia, vel herba aliqua, vel alicuius lapidis, vel alterius rei ſenſibilis virtute. Et ratio eſt: quia cùm agens ſit præſtantius paſſo, non poterit aliqua res ſenſibilis in dæmonem agere. Quoniam eſt ſpiritus ſeparatus & quacunquè re ſenſibili præſtantior: niſi Deus ſupernaturaliter talem virtutem rebus ſenſibi ibus indidiſſet: quemadmodum ſacramentis, & rebus ſacramentalibus illam indidit.

Hinc, figmentũ dæmonis eſſe deprehenditur: vt decipiat, quando dicit, ſe per herbas, aut lapides, aut carmina cogi.

Hinc, quando dæmon à vexatione Saulis ceſſabat, nõ hoc virtute melodiæ Dauidis fiebat, nec per melodiam à Saule recedebat, ſed virtute diuina immediatè, vel mediantibus angelis ſanctis ex merito Dauidis, qui laudes diuinas pro ſalute Saulis in cithara canebat. Simile habetur. 4. Reg. 3. de Eliſeo, qui,

qui, vt propheraret, dixit. Adducite mihi pſaltem. Et Tobiæ. 6. quod dixit angelus Tobiæ de iecore piſcis poſito ſuper carbones. Non enim fumus iecoris expulit dæmones; ſed meritum orationis Tobiæ, quod per fumi odorem ſignificabatur, & Angeli Raphaelis virtus. *Tob. 6.*

Secunda Propoſitio.

Melodia, vel res aliqua ſenſibilis poteſt dæmonis vexationem mitigare, ita vt illam minus vexati ſentiant. Et ratio eſt; quia cùm dæmon habeat limitatam virtutem, poterit magis, vel minus vexare hominem, iuxtà diuerſam ſubiecti diſpoſitionem; vt ſi dæmon intendat vexare aliquem melancholia, magis vexabit diſpoſitum ad illam, quàm contrariam diſpoſitionem habentem. Propterea quòd dæmones non poſſunt materiam corporalem ad libitum tranſmutare. Nam hoc præſtant (vt ſuprà diximus) applicando actiua corporalia paſſiuis. Conſiderant namquè dæmones ad affligendum aliquando materiæ corporalis diſpoſitionem: vnde aliqui lunatici ex diuina permiſſione, ſecundum variam lunæ diſpoſitionem, à dæmonibus vno tempore magis, quàm alio, iuxtà varium lunæ motum, affliguntur. Quoniam luna habet dominium ſuper humidum, & cerebrum eſt humidum. Præterea attendunt dæmones eſſe res quaſdam, inclinantes ad lætitiam; alias ad triſtitiam, & vtuntur illis ad vexandum, & affligendum. Et herbis contrarijs (quas, Deus, quæ ſua eſt infinita miſericordia, etiam condidit) adhibitis, fit; vt dæmonum afflictio ſit minor, & alleuietur, & melodia diſtrahendo ad ſe mentis intentionem, minuit, & alleuiat afflictionis perceptionem. Expelluntur quoquè per peccatorum confeſſionem. Et præter modos in hoc articulo dictos, per deſtructionem maleficij, &c. Sed de ijs in floribus virtutum & vitiorum in particulari, vbi de maleficio, & alijs magiæ ſpeciebus diſputabitur. *Caſtr. verb. tent. contra hæreſes.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Artic. VI. An liceat sine peccato opera diaboli vti?

CONCLVSIO I.

Ricar. dis. 7. ar. vlti. q. 2. *Aureolus in. 4. d. 34. q. 6.* *Angelus ver. superstitio. §. 13.* *Castr. & Victoria vbi. §.* *1. Cor. 5.* *Leuit. 18.* *Leuit. 20.* Appen.

INTEGRVM est, Dei autoritate, vti ministerio diaboli. Patet exemplo B. Paul. qui tradidit hominem incestuosum Sathanæ in interitum carnis. Nam in primitiua Ecclesia excommunicati corporaliter Sathanæ dilaniandi tradebantur.

CONCLVSIO II.

Non tamen, autoritate propria, licet. Et probatur Leuit. 20. Vir, siue mulier, in quibus phytonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriatur. Et cap. 19. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí. Et. c. 20. Anima, quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei.

Hinc, peccât mortaliter cõsulentes diuinatores, & ariolos, & iudiciarios de rebus occultis, & abditis, quæ non via naturali, nisi artificio dæmonis, possunt cognosci.

Prima diffic. Peccant ne malefici, siue magi adhibentes remedia nocumentis à se, vel ab alijs illatis?

CONCLVSIO I.

Castr. vbi. §. *Roma. 3.*

NOn solùm grauiter peccant, cùm nocent; sed etiam, quando nocumento, à se, vel ab alio illato, remedium per huiusmodi diabolicam artem præstant; vt maleficium operatum obesse non valeat. Et ratio est, quia, licet, sic operantes proximo læso prosint; tamen vt ait B. Paul. Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona. Et cùm pessimum sit, dæmonem inuocare, & pactum cum dæmone expressum, siue tacitum facere, pessimum etiam erit maleficium, iam adhibitum, per inuocationem, & auxilium dæmonis soluere. Quod enim ex se malum est, nulla adhibita bona intentione vel quacunquè alia bona circunstantia, adiuncta, poterit bonum esse.

Hinc,

Hinc, licet, bonum sit proximorum incõmodis obuiare, non tamen, ad proximorum nocumenta tollenda, bonum erit maleficia facere. Appen.

CONCLVSIO II.

Si maleficium adhibitum tale esse dignoscitur; vt naturali aliqua virtute, sine vlla dæmonis inuocatione, & sine vllo pacto, cum illo inito, impediri illius operatio possit, tunc maleficium dissoluere nõ erit peccatum; sed opus bonum, & meritorium; vt verbi gratia, si imago illa, cui est acus infixa, aut aliud simile instrumentum, per quod faciendum est maleficium, inueniretur, & confringeretur. Tunc enim dæmon nõ amplius illum fatigaret; quia ex pacto, quod cum malefico fecit, non assistit, nisi quamdiu signum aliquod ab eo datum permanet.

Secunda diffic. Vtrùm liceat vti opera eius, qui maleficia exercet?

HAEc difficultas est non parui momenti. Et intelligitur titulus de eo, qui paratus est quotidie illa exercere. An liceat petere ab aliquo; vt maleficiũ alicui adhibitum dissoluat, aut impediat, ne operationẽ suam, exercere valeat? Præsertim, si credat illum non sine dæmonis auxilio, & maleficiorum operatione illud posse dissoluere.

Angelus de Claua. Angelus de Clauasio in sua summa vbi suprà adducit sententiam Petri Aureoli loco citato, quam sequitur, scilicet, licere ab eo, qui paratus est ad maleficia exercẽda, hoc petere; quia vnicuiq; licet, vt sibi videtur, malo alterius vti, ad cõmodum suum. Et adducit pro sua sententia autoritatẽ D. Aug. di- *D. Aug.* centis, licitũ mihi esse, ad cõmodum meũ, vti iuramento hominis infidelis, quàmuis sciã illum iuraturũ per Deos falsos, quos colit. Et potest confirmari à simili de illo, qui mutuum petit ab eo, quẽ scit, non nisi ad vsuram daturũ, & de illo, qui petit à suo curato existente in mortali sacramentum.

CONCLVSIO.

Nequaquã licet. Et ratio est; quia cùm maleficus, vt paulò ante diximus, grauiter peccet, quãdo diabolica arte incœptũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

maleficium tollit, ne ad operationem perueniat; fieri non poterit, vt qui hoc petit, non peccet. Nam quisquis petit ab illo, vt faciat id, quod sine peccato facere non potest, peccat: quia sic petens, consentit iniquitati alterius, inducendo illum ad peccatum. Et sicut par pœna, ita par reatus agentem, & consentientem constringit; Teste B. Paul. ad Rom. 1. dicente. Digni sunt morte, non solùm, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus, & fuit petens causa proxima peccati; nam licet paratus esset non tamen fuisset illud peculiare maleficium ab eo petitum, operatus, & exempla oppositæ sententiæ de infideli, & vsurario, & curato nullam, ad hanc rem, de qua agimus, vim habent; sunt enim dissimilia. Et ratio est; propterea quòd, quæ in exemplis dictis petuntur, non sunt ex se mala, cùm possint benefieri ab eis; qui illas facturi sunt, si velint. Et si malefiant, non est ex malitia ipsius rei; sed operantis, qui rem, quam poterat benè, noluit, nisi malefacere. Non enim, qui petit ab infideli iuramentum, vult; vt per falsos Deos iuret. Nam tunc peccaret; sed solùmmodo petit, vt iuret. Et si daretur petenti optio, eligeret; vt per Deum, verum, Trinum, & Vnum, iuraret. Similiter petens ab vsurario non petit; vt det ad vsuram; quoniam tunc peccaret, cùm peteret ab illo, quod sine peccato fieri non posset; sed petit dumtaxat, vt mutuum sibi detur, quod non solùm sine peccato; sed etiam cum merito fieri posset. Et similiter respondè de curato. Potest namquè sine peccato ministrare, si priùs pœnituerit, vt habes in quæst. de ministro sacramentorum, in. p. p. florum. 4.

Ad Rom. 1. Can. nec mirum. 26. q. 5.

Tertia diffic. Licebit ne bona fide magicis incantationibus, & adiurationibus vti?

Victo. vbi. 3. nu. 29.

VErbi gratia, si non vellent aliquod cum dæmonibus habere cõmercium, & si intelligerent dæmones quocunquè pacto interesse, aut fauorem in suis operationibus dare, nulla ratione illis vterentur, sed prorsus abhorrerent, & à tali vsu, & negotio cessarent.

CON-

CONCLVSIO.

Haud licet. Et ratio D. August. super Gen. ad literam est; quia dæmon hominum operibus, illis ignorantibus, & nolentibus, sæpe se immiscet, quod frequenter contingit in huiusmodi superstitiosis ritibus. Homines enim, & præsertim fœminæ stultæ bona fide vtuntur istis ritibus, & verbis, ad remedia infirmitatum; & proculdubiò dæmones illorum operibus assistunt; vt decipiant, & in rebus vanis confidere persuadeant. Et hoc est fœdus tacitum cum dæmonibus habere, vt D. August. ibidem docuit.

D. Aug.

Magist. Sentent. Dist. XII.

HVc vsque de creatione creaturæ purè spiritualis, scilicet de natura angeli disputatum est, modò de creatione naturæ puræ corporalis est quod agamus. Cuius disputatio protrahitur à Magistro à. d. 12. vsque ad. 16.

Quæst. 1. De creatione rerum corporalium.

ABsoluetur. Q. expositis aliquot difficultatibus. Cuius quæstionis bona pars fuit declarata in. q. vnica. 1. d. huius secundi.

Alex. Alen. q. 44. S. Tho. S. Bo. Ricar. Dura. & Scot. hac. di. 12. &. d. 3. per. 6. q. ibidem Scot.

Prima diffic. Vtrùm creatura corporalis sit à Deo?

CONCLVSIO.

OMnes res tam corporales, & visibiles, quàm inuisibiles, fuerunt à Deo creatæ. Hæc conclusio est de fide; omnia enim per ipsum facta sunt. Et vtrunquè symbolum apostolorum, scilicet, & Nicenum, idem confitetur. Vnde confutatur hæresis eorum, qui dixerunt duos esse Deos, quam suprà. q. vnica, & prima huius libri inuenies, in difficultate. 11. Lege quoquè Castrum verb. caro contra hæreses.

Alex. Alen. q. 1. per totũ. q. &. S. Tho. vbi. 3. ar. 1. Io. 1. Hæresis.

Secunda

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Vtrùm fuerint res huiusmodi creatæ propter Dei bonitatem?

CONCLVSIO.

S. Th. ar. 2. vbi. 5. & super. d. 1. q. vnica. diffi. 16. &. 17.

OMnes creaturæ corporales fuerunt à Deo creatæ primaria sua voluntate, ad suã sapientiam, & bonitatem manifestandam. Oppositum huius conclusionis est error in fide. Colligitur enim ex sacris literis. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona; qua bonitate Dei creatoris bonitas declarabatur. Et Io. 9 Neque hic peccauit, neq; parentes eius; vt cæcus nasceretur: sed vt manifestentur opera Dei in illo, Et Io. 11. de morte Lazari. Infirmitas hæc non est ad mortẽ: sed pro gloria Dei. Et ratio est: quia vt totũ ex suis partibus, ita vniuersum ex omnibus creaturis constat. Et vt partes alicuius totius primò sunt propter proprios actus: vt oculus propter videre. Secũdò ignobilior pars est propter nobiliorem: vt pulmo propter cor. Et tertiò omnes partes sunt propter totũ, & totum ad aliquem finẽ extra se ordinatur: vt homo ad Dei fruitionẽ: ita etiam in partibus vniuersi primò vnaquæq; creatura est propter propriã perfectionem, secundò inferior est propter superiorẽ, tertiò omnes sunt propter vniuersi perfectionem, & decorem. Ipsum autem vniuersum cum suis partibus ordinatur in Deũ, sicut in finem, quatenus in ipso bonitas diuina ad laudem opificis, & gloriam creatoris repræsentatur.

Genes. 1.
Io. 9.
Io. 11.

Append. 1. Hinc, eiusdẽ rei possunt esse plures fines subordinati: vnius autem vltimus, & summus.

Error. Appen. 2. Hinc, error Orig. deprehenditur, qui asseruit corporalem creaturam non esse creatam, nisi in pœnam spiritualiũ creaturarũ peccantiũ. Vnde corpus de sententia illius est conditũ: vt in eo anima rationalis pœnas lueret, tanquàm in carcere. *Ad Roma. 5.* Quod est contra D. Paul. dicentem. Regnauit mors ab Adã, vsq; ad Moysem, etiã in eos, qui nõ peccauerũt (peccato, scilicet, actuali) in similitudinẽ preuaricationis Adę: quare manifesta fides est cõtra Orig. q̃ animæ istorum paruulorũ, antequã corporibus infunderẽtur, actuale peccatũ nõ cõmiserũt.

Lege

Lege S. Thom. artic. citato, & Castrum omninò verb. anima contra hæreses, hæresi. 9. *Castr.*

Dub. Dubium autem, quod hinc posset oriri, quòd, cùm Deus sit omnium rerum finis, quomodo agat propter finem. q. vnica, & prima huius libri explicatum fuit. Et ibidem etiam dubium, quod S. Thom. hic artic. 3. proponit. an corporales creaturæ ministerio angelorum à Deo fiunt conditæ? *Dub.* Quibus adde sequens notabile, scilicet, Deus dupliciter potest considerari, vel in se, vel vt est creator. Primo modo Deus non habet finem; sed ipse est finis rerum omnium producibilium. Secundo autem modo Deus habet finem, non extrinsecum, sicut creaturæ: sed intrinsecum, manentem in se, & iste finis est sua immensa bonitas. Quicquid Deus producit, facit, vt in rebus conditis bonitatem suam manifestet: & hoc modo, operari propter finem, non arguit imperfectionem, & indigentiam in operante; sed potiùs perfectionem: vt si aliquis magister sapientissimus, vellet docere discipulum; eius finis tunc esset propria sapientia discipulo tradenda, quod non imperfectionem; sed perfectionem maximam in magistro dicit: similiter in Deo. Quod docuit D. Paul. ad Rom. 1. Inuisibilis enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Et Sap. 13. magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.

S. Th. q. 19. art. 2. &. q. 103. art. 2.

Rom. 1.
Sap. 13.

Tertia diffic. Fuerunt ne omnia facta simul vnico temporis puncto? an interueniente sex dierum spacio?

Alex. Alen. q. 44. m. 3. &. q. 45. & 46. & q. 49. m. 2. dub. 6. S. Th. tota. q. 74. &. S. Bo. d. 12. ar. 1. q. 2. quem omnino lege, & q. 1. art. 1. d. 13.

DVæ sunt circa hanc difficultatem celebres opiniones. Prima tenet vnico momento; & simul in eodẽque instanti fuisse à Deo producta omnia; tàm spiritualia, quàm corporalia, cœlestia, & quatuor elementa, cum ipsomet ornatu, in quo nunc sunt: corpora verò mixta non fuisse actu facta in dicto momento; sed tantùm in virtute, velut in semine; ita quòd, iuxta hanc opinionem, nulla fuit ibi prioritas,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritas aut posterioritas durationis; sed naturæ tantùm. Et ratione huius ordinis naturæ Moyses prius expressit productionē corū, quæ alijs naturaliter præsupponuntur. Nā prius productionem terræ, quàm arborū, & aquæ, quàm piscium. Obseruauit etiam Moyses ordinem & methodum doctrinæ; quia rudi, & imperito populo loquens, ea, quæ simul facta
D. Aug. sunt, per partes diuisit. Hæc fuit opinio D. Aug. quem lege super Gen. ad literā. Et. 11. de ciuit. Dicitque per metaphoram dies sex, de quibus loquitur Moyses, referendos esse ad cognitionem angelorū, essēque tantùm vnum diem sexies repetitum. Per quos quidem dies significatur perfectio creaturarum in mente angelica, in qua à principio concreatæ sunt species omnium rerum, atquè etiam ipsarum rerum creatarum notitia. Ita quòd in cognitione lucis fuit primus dies. In cognitione firmamenti secundus. In cognitione maris, & terræ tertius. Quartus in solis, & lunæ, & stellarum cognitione. Quintus in cognitione piscium, & auium. In cognitione verò iumentorum, & hominis sextus dies. Orig. lib.
Orig. *D Basil.* 4. Periar. c. 2. non fuisse veros dies affirmat. Altera opinio est
D. Chrysost. multorum sanctorum patrum, Basilij, Chrysost. super Ioan.
D. Ambro. Ambro. in exameron. D. Greg. 32. moral. cap. 10. & Magist.
D. Greg. hac distinct. 12. & 19. & aliorum, qui docent mundum fuisse
2. Cor. 10. creatū à Deo sex diebus naturalibus, proprijs, & successiuis, sicut à Moyse refertur. Quæ si intelligere non valemus, captiuemur, oportet intellectum nostrum in obsequium fidei. Verùmtamen ad hanc difficultatem melius intelligendam,
1. Regula. animaduerte sequentes regulas.

In his rebus naturalibus à Deo factis, potiùs debemus inuestigando differere, quàm diffinire, & affirmare. Non enim expedit in his rebus, ita mordicus vnam partē asserere, quin al-
D. Aug. teram libenter audiamus. D. Aug. est super Gen. ad literā. c. 1.
2. Regula. Quando in historia sacræ Scripturæ reperitur aliquid quod videtur absurdum, vel bonis moribus contrarium, sensus historicus est deserēdus; metaphoricus vero, & mixtus est amplectēdus. Et ratio est; quia sacra historia nihil cōtinet, quod verissimum non sit, & bonis moribus consonum. Hæc etiam
D. Aug. est D. Aug. lib. 3. de doctrina Christiana. c. 5. & 10.

CON-

CONCLVSIO I.

Inter istas opiniones sanctorum, nulla est adeò certa, vt sit de fide tenenda. Ratio est, quia Ecclesia hactenus nihil *Eccles. 18.* de hac re definiuit; & defendentes istas opiniones sunt sancti, & pro vtraquè parte sunt multa sacræ Scripturæ testimonia.

CONCLVSIO II.

Omnia corpora simplicia fuerunt vno temporis puncto producta. Probatur; nam Eccle. 18. habetur. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.

CONCLVSIO III.

Sex dies, quos numerat Moyses, non sunt naturales; sed sunt metaphoricè declarandi. Et nota Moysen fuisse sapientia AEgyptiorum plenum, qui, quod sub cōditione erat proferendū absolutè loqui consueuerant; quemadmodū Arist. 2. *Arist.* de cœlo affirmat motum incœpisse ab oriente; cùm tamen de sententia eiusdem motus non incœperit loquēs absolutè, quod sub conditione naturali intelligebatur. Volēs innuere, ꝙ si incœpisset, originem ab oriente sumpsisset. Qui modus loquendi est in sacra Scriptura satis frequens: vt patet Luc. 21. *Luc. 21.* Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea nō transibunt. Quasi diceret. Nihil horum trāsibit, sed si aliquid esset transiturum, prius cœlum, & terra transirent. Hinc Moyses diuino *Append.* afflatus spiritu, vt populus rudis doceretur, & vt singulis diebus singula opera contemplaretur, voluit per sex dies illi populo creationem digerere: vt. 7. die, pro tantis beneficijs Deo gratias agerent. Et hoc modo exponitur locus ille Exod. 20. *Exod. 20.* Sex diebus operaberis, septimo autem die, &c. vbi Moyses refert se ad narrationem Gen. 1. Vnde eadem erit ratio ex- *Genes. 1.* plicandi vtrumquè locum. Hactenus iuxta primam opinionem.

CONCLVSIO IIII.

Potuit Deus omnia simul facere, quæ dicuntur spatio sex dierum creata. Et ratio est, quia ibi nulla contradictio implicatur.

CONCLVSIO V.

NON Omnia simul, sed sex dierum spatio facta sunt.

Probatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Probatur narratione Moysi Gen. 1. vbi expresè dicit. Factum est vespere, & mane dies primus, &c. Et Exod. 20. Sex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Hac conclusione declaratur secunda opinio, quam quidem opinionem D. Aug. recitat aliquando & veneratur, & securiorem esse arbitratur. Quia, vt ipsemet ait, maior est sacræ Scripturæ autoritas, quàm quæcunque humani ingenij perspicacitas. Lege S. Thom. art. 2. vbi suprà Verba autem ministerijs plena, quibus Moyses. 1. cap. Geneseos seriem creationis rerum enarrauit, declarantur diffusè ab Alex. Alen. tota. q. 45. &. 46. m. 5. art. 5. &. quæst. 48. m. 2. & S. Thom. quæst. 74. art. 3.

Gen. 1.
Alex. Alen.
S. Tho.
Alex. Alen. q. 44.
S. Tho. 66.
S. Bona. Du. & Scot. vbi s & reliqui hac. d. 12.
Alex. Alen. m. 1. & 2.
S. Th. ar. 1.
S. Bona. ar. 1. q. 1. & 3.
Dura. q. 2.
Scot. q. 2. Gabriel. q. 1.
Ricar. vbi. s.
Alex. Alen. vbi. s. m. 4.
S. Bona. ar. 2. q. 3. hac. dis. 12.

Quæst. II. De materia prima.

CVm hæc quæst. magis physica, quam theologica sit, breui, aliquot difficultatibus positis, explanabitur.

Prima diffic. Potuit ne Deus producere materiã primam sine forma, & illam informem conseruare?

SAnctus Thom. loco citato, & de potent. q. 4. art. 1. quol. 3. art. 1. & S. Bona. & Dura. locis allegatis, & philosophi antiqui negant. Scot. & Gab. & Marsil. affirmant. Alex. Alens. media videtur incedere via dicens, suo modo formatam, suoquè modo informem productam fuisse. Nota materiam dupliciter posse intelligi sine forma. Primò per carentiam cuiuscunquè formæ. Secundò per formæ completiuæ, & distinctiuæ carentiam.

CONCLVSIO I.

Materia, per carentiam cuiuscunq; formæ; non fuit facta informis. Et ratio est; quia materia secundũ illud esse, in quo fuit primò producta, erat in loco circunscriptiuè, nempè in concauo cœli empyrei; vt communis doctorum sententia tenet.

tenet. Et esse eo modo in loco, non possunt, nisi quæ aliquam formam corpoream habent.

CONCLVSIO II.

Potuit Deus materiam absquè quacunquè forma producere. Et ratio est, quia minus dependet materia à forma, quàm accidens à subiecto, & Deus potest conseruare accidens sine subiecto: vt patet in Eucharistia. Et quia, cùm Deus quicquid potest facere, mediantibus secundis causis, possit sine illis, poterit, & materiam sine forma, quæ causa secunda est, conseruare. Et quia omne prius, virtute diuina, potest absolui à suo posteriori, & materia secũdum se, prior est ordine naturæ, quàm forma. Verùm de his latiùs, fauente Deo, in libro controuersiarum.

Secunda diffic. Est ne eadem materia omnium corporum corruptibilium, & incorruptibilium?

SAnctus Thom. varias affert philosophorum opiniones, quib. & aliis prætermissis, attende materiam esse vnam omnium corporum, tribus modis posse intelligi. Primò secundum communem rationem, iuxtà quam conuenit sibi substantiali formæ subiici. Secundò iuxtà specialem rationem, secundum quam comperit sibi, vt formæ substantiali, ac etiam quantitati subiiciatur. Et tertiò secundum rationem specialissimam, ob quam sibi inest, vt formæ substantiali, & quantitati, & contrarietari, atquè priuationi sit subiecta.

Alex. Alen. m. 2.
S. Th. art. 2.
S. Bon. art. 2. q. 1.
Dura. q. 2.
Scot. Gab. Ricard. & alij. vbi. s.

CONCLVSIO I.

Vna est corporum cœlestium, & inferiorum materia primo, & secundo modo. Et ratio est, quia vbi est forma vnius rationis, ibi etiam est materia vnius rationis, & forma corporeitatis in corporibus cœlestibus, & inferioribus eiusdem rationis est. Propterea quod eadem ratione corpus de cœlo, & elementis prædicatur.

CONCLVSIO II.

Tertio modo non est vna, & eadem materia corporum cœlestium, & inferiorum. Ratio est, quia materia corporum cœlestium non est contrarietati, nec formæ substantialis priuationi

Universidad de Deusto
Biblioteca

tioni (quemadmodum materia horum inferiorum) subiecta.

Tertia diffic. Fuit ne materia prima producta in die? vel ante omnem diem?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q.4. S. Th. art. 3. & 4. D. Bona. art. 2. q. 2. vbi supra. Arist. D. Aug. Append. Hæresis. Castr. Alex. Alen. q.47. S. Tho. q. 61. art. 4. & q. 66 art. 3. S. Bona. d. 2. art. 1. Scot. d. 14. & in 4. dist. 48. q. 2. Dura. & alij dist. 2. Genes. 1.

MAteria prima tàm ordine naturæ, quàm ordine durationis, facta est ante omnem diem. Ratio primæ partis conclusionis est, quia prius natura est illud, quo posito, non ponitur aliud, & quo remoto remouetur. Vel, vt Arist. in post prædica. docuit à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Et materia prima respectu eorum, quæ prima die, & sequentibus facta sunt, est huiusmodi, iuxtà communiorem interpretandi modum. Secundæ autem partis conclusionis ratio est, quia duratio materiæ informis fuit æqualis moræ, qua dæmones fuerunt in cœlo empyreo. Quæ quidem mora, vt suprà expositum fuit correspondet alicui tempori nostro. Et confirmatur autoritate D. Aug. lib. 12. confessionum dicentis. Informem materiam feciſti ante omnem diem.

Hinc, ante productionem omnium rerum in esse distincto, & complero, quæ describitur facta sex diebus, materia informis fuit à Deo producta. Quod innuere visus est Ouidius. 1. mathamorpho. cùm dicit. Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum, vnus erat toto naturæ vultus in orbe, quem dixere chaos.

Hinc, confutatur hæresis Seleuci, & Hermię, qui materiam elementorum, ex qua factus est mundus, non esse factam à Deo, sed esse Deo coæternam docuerunt. Lege Castr. verb. mundus, contra hæreses, hæresi prima.

Quæst. III. De cœlo empyreo.

QVoniam, per cœlum, quod ante omnem diem creatum fuisse videtur, de quo Gen. 1. In principio creauit Deus

Deus cœlum, & terram, multi doctores cœlum empyreum intelligunt, hac de causa visum fuit, hanc quæstionem tractare, quæ seruata methodo nobis in more posita, finietur.

Prima diffic. An sit cœlum Empyreum?

CONCLVSIO I.

ESSE tale cœlum neque autoritate firma sacræ scripturę, neque ratione physica conuincitur. Primùm non auctoritate sacræ scripturæ: quia omnes scripturæ, quæ de hoc cœlo declarantur, possunt optimè de aliis cœlis exponi. Secundò neque ratione physica potest comprehendi tale cœlum esse. Ratio est, quia omnis cœlorum cognitio habetur: vel per motum, vel per visum, vel per aliquem effectum, in iis inferioribus apparentem, & hoc cœlum nec visu comprehenditur, nec subiacet motui, vt infrà dicetur, neque aliquis effectus nobis de illo innotescit. Doct. vbi. s.

CONCLVSIO II.

Negare cœlum empyreum esse, temeritas maxima esset. Et ratio est, quia omnes doct. scholastici in hoc. 2. lib. dist. 2. affirmant tale cœlum esse. Et sancti antiqui illud ponunt: vt Basil. homil. 1. & 2. Exam. Isidor. Beda. Strabo, & alij, quos doct. in principio quæst. allegati citant. Et ratione confirmatur, quia, vt compleatur, & perficiatur vniuersum in genere corporum, secundum determinata extrema, & media, est tale cœlum constituendum. Sicut enim datur corpus opacum in fine, nempe, terra: debet etiam dari, & corpus luminosum in fine, quod cœlum empyreum nominamus. In quo quidem potentia, sapientia, bonitasquè diuina, maximè resplendent. Basil. Beda. Strabo. Isidor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Ad quid factum est Empyreum cælum?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. §. FActum est, vt sit locus corporibus glorioſis, atquè etiam Angelis. Et ratio est, quia decet corpora glorioſa, vt sint in parte vniuersi, cæteris superiore, & excellentiore, quale est cœlum empyreum. Quod quidem erit eis non necessitatis, sed congruitatis locus. Cuius loci erunt homines beati, quasi astra, & quasi sol, erit Dei agnus, iuxta illud Iob. 38. *Iob. 38.* Quando me laudabant astra matutina. Et Apoc. 21. Lucerna eius est agnus. *Apoc. 21.*

Tertia difficul. Quale est Empyreum cælum?

CONCLVSIO.

Doct. locis citatis suprà. COElum empyreum non mouetur, est incorruptibile, & lucidum. Ratio est, quia cùm rationes rei ordinatæ ad finem, debeant fini competere, & cœlum empyreum sit ad statum beatorum ordinatum, beatique sint in plena fruitione, totaliter humanum appetitum quietante, & in participatione æternitatis, & in continua visione lucis æternæ, debet & cœlum empyreum esse non motum, sed quietum, incorruptibile, & lucidum. Ideò enim empyreum dicitur, id est, igneum, non à calore, sed à splendore. Diciturque lucidum, non, quòd sit radioſum: sed quia in compoſitione sua lucem habet: non tamen in tanta partium densitate, sicut corpora solis, & lunæ, & stellarum: vt visum terminet.

Quarta diffic. Influit ne cœlum empyreum in hæc inferiora?

DVas Doct. citati adducunt opiniones, affirmantem vnam, alteram negantem. Et D. Bona. quæst. 2. vbi suprà vtramquè probabilem arbitratur. Nec mirum cùm de illo cœlo nihil, niſi per autoritatem; vt ex. 1. difficultate constat, habeatur. *Doct. vbi. §.*

CONCLVSIO.

Influit cœlum empyreum in hæc inferiora. Et ratio est: quia cùm hoc cœlum sit substantia quædam naturalis, & inter corporeas substantias nobiliſſima, oportet; vt, secundum suam naturam, habeat aliquam operationem. Quæ quidem operatio, cùm non possit esse immanens, siue manens in operante, quia hæc solis rebus viuentibus conuenit, erit necessariò transiens in materiam exteriorem. Quod nihil aliud est, quàm in hæc inferiora influere. Et confirmatur; quia inconueniens est ponere aliquam substantiam otioſam, siue omni operatione destitutam.

DVB. Quidnam est, quod influit?

REspondeo. Potest in corpus sibi proximum, aliquod lumen influere cùm sit lucidum, & si non, quantùm corpora astrorum, &, mediante lumine, virtutem aliquam, quæ nos latet. Sicut nescimus alia multa nobis viciniora. V. g. quid magnes attrahendo ferrum influat, pœnitus ignoramus. *Doct. vbi. §.*

Quinta diffic. Fuit ne cœlum empyreum concreatum materiæ primæ?

CONCLVSIO. *S. Tho. ar. 3. & 4. vbi §. Strabus.*

FVit. Et probatur autoritate Strabi, & aliorum, quia de materia prima, quæ nomine terræ intelligitur, & de

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen.1. D.Aug.

cœlo empyreo est locus Gen.1. (In principio creauit Deus cœlum, & terram) exponendus licet D. August. super Gen. ad literam, &. 12. confess nulla facta mentione de cœlo empyreo, per cœlum, naturam angelicam, & per terram materiam corporalem interpretetur.

CONCLVSIO II.

Fuerunt etiam simul creata, natura angelica, cœlum empyreum, materia corporalis informis, & tempus. Hanc conclusionem communis opinio doctorum; vt S. Tho. refert, confirmat. Et de tempore patet; quia sicut materia prima fuit quodammodo informis, & posteà formata; ita tempus quodammodo fuit informe, & postmodum per diem, & noctem formatum, & distinctum.

Magist. Sentent. Dist. XIII. De opere primi diei.

Quæstio vnica De luce.

Alex. Alen. q.46.m.5.& 48.& 49. S.Tho. q.67. S.Bon. Rica. Scot. Duran. & alij hac. d.13.

COnsuetæ methodo adhærentes, quæstionem hanc declarabimus.

Prima diffic. Quid nam est lux?

Doct. vbi.§. Nota.1.

DIfficultatem, an sit lux? non opus est explicare. Nam qui hoc negaret, sensu communi careret, & cœcus omninò esset, cùm lumen cœli non videret. Sed quid illa sit, declaremus, oportet.

Io.1. 1.Io.1. D.Aug. Psalm.4.

Quamuis lux propriè, quantùm ad proprietatem vocabuli, & vsum scripturarum, & sanctorum doctorum, lucem spiritualem significet. Quo modo Io. 1. Deus lux vera nominatur. Et. 1. Io. 1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Et angeli à D. August. super Gen. ad literam nomine lucis intelligantur. Et lumen etiam interius designetur, quando dicitur Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

Domine. Nihilominus tamen respectu nostræ cognitionis, propriè lucē corporalem, per quam videmus colores, significat. Nominata enim luce, nisi per antecedentia, & consequentia determinetur, lucem corporalem intelligimus. Quia notior est, & omnis nostra cognitio à sensu incipit. Et per hanc lucem corporalem, ad intelligentiam spiritualis lucis peruenimus. Cùm inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, &c. Hinc definitio ab effectu lucis est, quæ sequitur.

D.Dionys. de diui.nom. Ad Ro. 1.

CONCLVSIO.

Lux est id, quo potentiæ obiectum proprium manifestatur. Probatur ad Ephes. 5. Omne, quod manifestatur, lumen est, id est, omne, quod manifestatur, lumine manifestatur. Et Io. 3. dixit Christus. Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem; vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem; vt manifestentur. Quemadmodum luce corporali oculis corporeis colores manifestantur, ita intellectui beato, lumine gloriæ, lumen æternum, qui est ipse Deus, manifestatur. Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen. Et lumine interiori veritas intellectui manifestatur, iuxta illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quo modo intellectus agens dicitur lux mentis; quia intellectui patibili veritatem ostendit S. Tho. in particulari lucem corporalem, de qua est instituta disputatio, definit. Est qualitas realis, actiua, quæ consequitur formam corporis luminosi; vt in sole cernere licet. Cuius definitionis declaratio pendet ex sequentibus difficultatibus. Vel, vt Dura. quæst.1.ait. Lux est qualitas, per quam agunt corpora superiora in hæc inferiora.

Io.3. Psal.35. Psalm.4. S.Th. vbi §. art.3. S.Bona.ar.1. q.1. Duran. q. 1.

Secunda diffic. Est ne lux corporalis corpus?

SAnctus Bona. & Dura. varios modos dicendi adducunt, quibus prætermissis, respondetur.

S.Tho. ar. 2. S.Bon. ar. 2.

CONCLVSIO I.

Lumen non potest dici substantia spiritualis. Ratio est; quia substantia spiritualis non extenditur, & lumen, siue lux est extensibilis.

q. 1. & Du. q. 1. Scot. & Ricar, vbi.§.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Nequè est corpus. Et ratio est; quia cùm lumen, & aer, siue corpus illuminatum, sint simul in eodem loco, esset vnus, & idem locus duorum corporum, quod naturaliter est impossibile. Nequè posset illuminatio siue luminis diffusio in vno momento per totum hemisphærium fieri, si lux esset corpus; nisi sumas lumen, siue lucem pro corpore lucido, scilicet, abstractum pro concreto.

Tertia diffic. Est ne lux forma substantialis, vel accidentalis?

S. Th. ar. 3. S. Bon. ar. 2. & 3. q. 2. & Dur. q. 2. vbi. §.

DIVERSOS Dicendi modos afferunt doctores.

CONCLVSIO

Lux in corporibus luminosis non est forma substantialis. Et ratio est; quia lux est per se sensibilis, & nulla forma substantialis potest sensu percipi. Quoniâ quod quid est, est obiectum intellectus. Arist. 3. de anima.

Arist.

Appen. 1.

Hinc, cùm lux non sit corpus, sed forma, & non substantialis, erit necessariò accidentalis. Nam quicquid est, vel substantia, vel accidens est.

Append. 2.

Hinc, falsa est opinio dicentium, lucem formam esse substantialem solis. Quod enim vni est accidens, nulli potest esse substantia.

Quarta diffic. Est ne lux qualitas realis, vel intentionalis?

Doct. vbi. §. Nota. 1. Nota. 2.

HAbere esse intentionale bifariam sumitur. Primò propriè prout distinguitur contra esse reale, quomodo habent esse secundæ intentiones; vt genus, & species apud dialecticos, & methaphysicos; quia solùm habent esse per operationem intellectus. Secundo modo largè illud habet esse intentionale, quo anima tendit in alterum, & illud in quod

quod tendit. Hoc enim nomen intentionale significare videtur, nempè, quo in alterum tenditur. Intentio namque ad actum animæ solummodò pertinet. Tales sunt species. v. g. coloris, quæ præter esse reale; quod simpliciter habet, retinet quoquè esse intentionale. Quia mediantibus speciebus illis anima tendit in obiectum, scilicet, colorem. Color enim est, qui videtur, mediantibus speciebus.

Lumen est effectus lucis in corpore diaphano, & species sensibilis, siue intentio ipsius lucis, quatenus intentio secundum Scotum; vt in. 2. nota. diximus, est non solùm obiectum, in quod tendit potentia; verùm etiam illud, per quod potentia in obiectum fertur. Vel dic, si placet, habere esse intentionale; quia est qualitas, cui est proprium intendi, & remitti. Et ita dicetur qualitas intensibilis, quasi potens intendi.

Nota. 3.

CONCLVSIO I.

Primo modo lux est qualitas realis, & naturalis; non autem intentionalis. Ratio est; quia lumen denominat. v. g. aerem actu luminosum, & producit naturales effectus. Nam radijs solaribus calefiunt corpora, quod habentibus esse intentionale, primo modo, nulla ratione conuenit. Quoniam intentiones transmutationes naturales non efficiunt.

CONCLVSIO II.

Est etiam lux qualitas intentionalis secundo modo. Et probatur, quia si lux, siue lumẽ esset obiectum sensibile tantùm, & non species sensibilis, siue intentio, aut ratio sentiendi, positum suprà visum, non faceret visionẽ. Quia sensibile, scilicet, quod est tantùm obiectum, & non ratio sentiendi) positum suprà sensum, non facit sensationem. Et luce clarius est, lucem intentionem, & rationem esse visionis colorum. Nihil enim magis requiritur ad sentiendum, quàm immutatio organi, & color non potest immutare visum, nisi actu illuminetur.

Arist. 2. de anima.

Hinc, quia corpus suppositum oculis prohibet illuminationem pupillæ, & organi visus; ideò non videtur. Eademq; est ratio de qualibet reali qualitate sensibili, immediatè sensui superposita.

Appen. 1. *Dura. vbi. §.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Appen. 2.

Hinc etiam quia lumen contingens pupillam, ipsam immutat, potest videri.

Quinta diffic. Lux illa fuit ne conuenienter prima die producta?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q. 48. m. 1. & 2. S. Th. ar. 4. S. Bon. art. 1. q. 2. D. Basil. Hugo.

OPortuit prima die fieri lucem. Et ratio est; quia cùm per lucem; vt D. Basil. homil. 3. Examer. docet, omnia manifestentur, & sine luce non possint esse dies, conuenienter lux facta est prima die. Lege Hugonem lib. 1. p. 1. c. 12. qui dicit, sacrum aliquod in hac re commendari; quia anima, quæ est in peccato, est in tenebris, & non potest euadere tenebras, nisi illuminetur priùs, &c.

Sexta diffic. Cuius corporis luminosi lux est qualitas?

RAtio dubitandi est; quia cùm lux sit qualitas, vt modò diximus, & non possit sine subiecto esse, necessariò de eius subiecto est inquirendum. Quidam viri sancti dixerunt, subiectum illius lucis fuisse nubem quandam, quæ, facto sole quarta die, redijt in præiacentem materiam, ad similitudinem illius, quam dedit filijs Israel egredientibus ex AEgypto. *Exod. 13.* Quod videtur falsum; quia sacra Scriptura non commemorat, nisi creationem rerum, quæ postea perseuerant. Alij affirmant nubem illam adhuc permanere, & esse soli coniunctam, quamuis non appareat. Neq; hæc sententia est veritati consona; quia talis nubes superfluè, & sine causa maneret. Alij verò asseruerunt, ex nube illa solem esse factum, quod etiam improbatur; quia sol non est de natura elementari.

CONCLVSIO.

D. Dionys. Lux illa erat solis. Hæc conclusio est B. Dionys. 4. cap. de diuinis nominibus; quia de sententia illius, sol à principio conditus fuit substantialiter, quantùm pertinet ad opus creationis,

tionis, & statim habuit virtutem illuminandi, & fuit creatus in motu, faciebatq; diem, & noctem; vt modo per præsentiã, & absentiam facit. Eratq; lux illius informis; quia, ante quartam diem, non fuit determinata, nec tàm plenam virtutem, ad producendum particulares effectus fortita.

Append.

Hinc, substantia solis prima die fuit; sed nondùm tàm perfectè illuminata. In hoc enim videtur maximè diuinæ sapientiæ ordo resplendere, quòd in suis operibus sit à minus perfecto, ad perfectius processus. Lux enim illa erat sole imperfectior.

Septima diffic. Quam igitur ob causam, dicuntur sol, luna, & astra, quarta die facta?

IN cœlo duplex est motus. Vnus toti cœlo communis, qui causat diem, & noctem. Alter verò proprius per Zodiacum. *Doct. vbi. §. Nota.*

Prima Propositio.

Quantum ad primum motum, fuit primo die sol factus; vt dies à nocte distingueretur. Constat Gen. 1. Dixit Deus, fiat lux, & facta est. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. Et diuisit lucẽ à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. Factumque est vespere, & mane dies vnus. *Gen. 1.*

Secunda Propositio.

Quantum ad secundum motum, dicitur factus sol quò ad diuersitatem dierum, mensium, & annorum. Ita enim habetur Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. *Alex. Alen. q. 46. m. 5. S. Tho. ar. 4. ad. 3.*

Octaua diffic. Quomodo lux illa fuit dici, & noctis, efficiens causa?

S. Bona. ar. 1. q. 2. vbi. §. B. Damas. D. Basil.

Duæ fuerũt opiniones sanctorũ patrũ circa hãc difficultatem. Prima Græcorum, Damasceni, & Basilij, & aliorum, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui affirmabant, fieri diem per emissionem radiorum lucis, & noctem per eorundem radiorum contractionem. Secunda opinio fuit latinorum Bedæ, & aliorum asserentium, lucem illã suo motu fecisse diem, & noctem; sicut sol sua facit actione. Et hanc opinionem S. Bona. iudicat probabiliorem, & rationabiliorem. Prætermissis varijs diuisionibus, quas doctores hoc loco afferunt, & de die disputantes adducunt, dies dupliciter dicitur. Primò dies appellatur lumen in aere, vel in medio alio: atquè ita dies nominat qualitatem, & dicitur dies artificialis. Secundo modo dies sumitur pro tempore, siue pro spatio. 24. horarum, & hac ratione denotat quantitatem, & vocatur dies naturalis.

Nota.

CONCLVSIO I.

Lux illa diem artificialem efficiebat. Et ratio est; quia omnis causa naturalis, non impedita, necessariò in proprio susceptibili effectum naturalem producit, & lux causa naturalis est luminis, siue illustrationis medij, & non fuit impedita; quia materia prima, licet informis, erat illuminabilis. Quare lux illa medium illuminabat, & diem artificialem causabat.

CONCLVSIO II.

Lux illa, ante productionem solis quarta die factam, diem naturalem suo motu faciebat. Et ratio est; quia ante solis productionem, lux illa vicem solis gerebat. Vnde sicut solo motu diem naturalem, scilicet, diem artificialem, & noctem facit; ita & lux illa suo motu diem naturalem efficiebat. Sua quidem præsentia diem artificialem, & absentia noctem, ex quibus dies vnus naturalis efficitur.

DVB. I. *Cur Deus non fecit lucem, ita sufficientem, vt vndiq; posset illuminare?*

S. Bon. vbi s. REspondeo cum D. Bona. Si Deus ita lucem fecisset, esset vndiquè illuminatio; sed non fuisset horarum distinctio, nec temporum successio. Placuit enim diuinæ prouidentiæ

prouidentiæ mundum, quasi carmen pulcherrimum, quodam decursu temporis venustare. Et vt hominibus fastidium temperaret: quemadmodum canit Ecclesia, & temporum das tempora, vt alleues fastidium.

Nona diffic. Vbinam facta est lux illa in meridie? an in Oriente?

Alex. Alen. tota. q. 48. S. Bona. q. 2. 1. art. vbi supra.

DVÆ Sunt opiniones. Prima tenet factam fuisse in meridie. Secunda tenet factam fuisse in oriente: sicut creditur factum fuisse solem in oriente, & lunam in occidente. Vtranquè opinionem probabilem censet D. Bona.

CONCLVSIO.

Facta fuisse videtur in meridie. Et ratio est: quia lux illa primò faciebat vespere, & posteà mane: quemadmodum docet scriptura, factum est vespere, & mane. Quare oportebat: vt priùs tenderet ad occasum, quàm rediret ad ortum, Et quia Dei perfecta sunt opera: ideò diem, & lucem fecit in sua plenitudine, & ita in meridie. Vnde Beda: alij colligunt primum diem à plena luce cœpisse. Obiicies: tunc igitur à principio diei vsquè ad mane non fuerunt. 24. horæ? Respondent huic obiectioni, qui hanc opinionem defendunt. Sex horas huius diei præcessisse, successione temporis transeunte, propter materiæ mutabilitatem, & post modum sexta hora, quæ est in numero perfecta, factam fuisse lucem, quæ est perfecta in sui natura, in plena, & perfecta irradiatione, nempè, in meridie. Et cùm esset tunc tempus æquinoctiale, vsquè ad occasum fuerunt. 6. horæ. Et posteà vsquè ad ortum sequentis diei fuerunt. 12. horæ, & sex, quæ præcesserant, ante formationem lucis, post creationem cœli, & terræ fuerunt. 24. horæ, atquè factus est dies naturalis perfectus, & integer. 24. horarum.

Gen. 1.

Dub.

Hinc, quæreni, vbi incœpit motus lucis? respondebis. Vbi fuit creata. Verba autem, quibus vsus est Moyses in productione lucis, declarant Alex. Alen. & S. Thom. locis in fine. 2. quæst. distinct. 12. citatis.

Append.

DVB.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. II. Cur Moyses productionis creaturæ spiritualis nullam fecit mentionem?

Alex. Alen. q.49. S.Thom.q. 67.art.4. S. Bona.ar.1. q.1. huius. d. D.Aug. D.Basil.

DIuus Aug. vt Moysen ab omissione productionis naturæ spiritualis defenderet, sicut per cœlum, quando dicitur, In principio creauit Deus cœlum, & terram, intellexit spiritualem creaturam, informen, ita per lucis productionem, intellexit eiusdem creaturæ formationem, quæ est adhæsio eius ad Deum. Alij prætermisisse Moysem spiritualium creaturarum productionem affirmant, verùm non vnica ratione ducti. Nam D. Basil. dicit, inchoasse à temporali initio rerum sensibilium, ponens angelos, ante sensibilem mundum creatos. Alij verò hoc consulto à Moyse factum fuisse, quia rudi populo loquebatur, & ita eius infirmitati condescendens, quæ sensibilia tantùm erant, docebat. Tùm etiam, vt eos ab idololatria retraheret. Qui si sciuissent esse substantias, omni creatura corporali præstantiores, ad eas adorandas proclives fuissent, quemadmodum ad colendum solem, & lunam, & stellas proni extiterunt.

Magist. Sentent. Distinct. XIIII.

Quæst. 1. De opere secundæ diei, nempè, firmamento?

Alex. Alen. q.50. S.Tho.q. 68. S. Ben. Scot. Dura. Ricar. & alij hac.d. 14.

SAcræ Scripturæ interpretes in iis, quæ ad rerum creationem pertinent, dubitando frequenter loqui videntur. Tùm quia ob reuerentiam sacræ Scripturæ, quæ illa diuinæ dispositioni voluit subiicere, non ausi sunt determinatè explicare. Tùm etiam ad nostram curiositatem reprimendam, vt nos in iis, quæ in lege, & prophetis leguntur, contenti essemus, & animo saciati, nihil præterea desideraremus. Verùm enim verò, quia hominum curiosorum sciendi desiderium semper augetur, & curiositas indies crescit, coacti sunt, multa, quæ sine dispendio salutis æternæ omitti poterant, dubitando: vt diximus, tractare. Multò namque satiùs est, piè dubitare, quàm aliquid temerè definire. Hinc tantorum doctorum exemplo motus, decreui flores eorum, quæ ab ipsis tractantur colligere, & quam breuissimè: vt tuo sciendi desiderio satisfaciam, ob oculos ponere. Hinc enim ampla laudandi creatorem materia tibi suppetet.

Prima diffic. Vtrùm sit firmamentum? sitquè secunda die factum?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. S.Tho. art.1. q.2.& alij. vbi suprà. Gen.1.

EST firmamentum, & secunda die factum. Hæc conclusio habetur expressè Gen.1. Fiat firmamentum &c. & factum est vespere, & mane, dies secunda. Et nota ad pleniorem huius rei intelligentiam, triplex esse opus distinctionis factum in tribus primis diebus. Nam prima est distinctio lucidi à tenebroso, quæ fuit prima die facta. Secunda distinctio fuit perspicui à perspicuo, quæ facta est secunda die. Et tertia est distinctio perspicui ab opaco, quæ facta est tertia die.

Secunda diffic. Vtrùm firmamentum sit cœlum?

CONCLVSIO.

Gen.1.

EST cœlum. Ita habetur expressè Gen.1. Vocauitquè Deus firmamentum cœlum.

DVB. Cur firmamentum vocatum est cœlum?

Alex. Alen. m.6.art.4. vbi suprà.

REspondeo cum Alex. Quia hoc cœlum est, quod ex superioribus, nobis primò apparet, cœlatque reliquos superiores cœlos, nempè, empyreum, & aqueum, qui nobis sunt inuisibiles. Cœlum enim à cœlando dicitur.

Tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. Est ne eadem materia firmamenti, & aliarum rerum?

Alex. Alen. m.6.art.3. S. Thom. & Bona.& aly vbi suprà.

DE hac difficultate tot capita, quot sensus, cui suprà in quæst. de materia prima responsum est. Et nota modò cum Alex. Alen. esse eandem materiam informem, de qua dicitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas, non tamen propriam, & proximam. Nam vt cœlum crystallinum, & aquæ inferiores, quæ congregatæ sunt in locum vnum, differunt à firmamento, vt infrà dicetur, ita & materiæ singulorum distinguntur.

Quarta diffic. Est ne fundamentum sphericæ figuræ?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. q.50.m.6.art.3. S.Bona.ar.2.q.1. Dura.q.4.& aly hac.d. Psalm.103. Append.

EST orbicularis figuræ. Et ratio vna, inter alias, quas afferunt prædicti doctores, est, quia perfectissimo corpori, quale est cœlum, debetur perfectissima figura, cuiusmodi est orbicularis figura, inter omnes mathematicas figuras. Et ex motu deprehenditur facilè. Nequè enim circulari motu moueretur, si circulari careret figurâ. Neque obstat locus Psal. vbi dicitur. Extendens cœlum, sicut pellem, quia non extenditur in rectum: sed sicut pellis vestes, quæ in conuexum extenditur.

Hinc, etiam soluitur. q. de figura reliquorum cœlorum quæ propter easdem causas, est orbicularis.

Quinta diffic. Est ne motus cœli naturalis?

Alex. Alen. q.18.m.4. S.Bona. ar.3. Duran. q.2. vbi suprà.

Hæc difficultas etiam de reliquis cœlis est intelligenda.

CONCLVSIO.

Non est cœlorum motus naturalis. Et ratio est, quia motus naturalis est corporis existentis extrà suum locum, naturalem,

ralem, qui terminatur ad quietem, naturalem in proprio loco, & cœlum extra suum locum non est. Nisi dixeris cum S. Tho. motum corporis cœlestis esse naturalem, non propter principium actiuum, sed propter principium passiuum. Quia, scilicet, habet in sua natura ordinem: vt tali motu ab intellectu moueatur. Neque dicetur motus contra naturam, quia non est in oppositum inclinationis naturæ, cùm natura eius ad nullum motum inclinet. Dicetur tamen voluntarius, quia fit à principio mouente per intellectum, nempè, ab Angelo. *S.Th.q.70. art.33.ad.4.*

Sexta diffic. Cœlum mouetur ne à Deo?

S.Bona. & Dur. vbi suprà.

RAtio dubitandi est: quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Quamuis Deus intimè, & immediatè in omni operatione operetur: quia eius voluntas est prima, & summa causa omnium specierum, & motionum: in aliquibus tamen sic operatur: vt ipse sit tota causa, & quæ hoc modo fiunt, dicuntur mirabilia. In aliis verò ita operatur, & mouet: vt virtutem mouendi, & agendi creaturæ communicet. Et hæc dicuntur naturalia, vel voluntaria, quantùm ad egressum. Quando ergo quæritur. Vtrùm motus cœli sit à Deo immediatè? Non est quæstio. Vtrùm virtus diuina intimè operetur, & immediatè ad illam operationem exercendam? Quia nihil mouetur, quin ipse moueat, & virtuti motiuæ cooperetur. Sed quæritur. Vtrùm motus cœli sit à Deo, tanquàm à tota causa? vel an simul cum virtute diuina mouente, moueat aliqua virtus creata? Nota. *S. Bona. q.1. vbi suprà.*

CONCLVSIO.

Mouetur cœlum à Deo, mediante aliqua creatura. Et ratio est, quia cùm motus ille, propter sui successionem, natus sit conuenire virtuti finitæ, & bonitas diuina, ad sui manifestationem, communicet creaturæ, quod ipsa nata est suscipere; perspicuum profectò est, talem motum, mediante aliqua virtute creata fieri. Alioquin si à solo Deo, tanquàm à tota causa fieret, non esset motus naturalis; sed mirabilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam, quæ à solo Deo immediatè efficiũtur, procedunt in esse, secundum cursum mirabilem, vt in creatione, & iustificatione, & miraculorum operatione, patet.

Septima diffic. A quo igitur cœlum mouetur?

S. Bona. & Dura. vbi s. Alex. Alen. q. 18. m. 4. & q. 87. m. 3. ar. 4. & q. 52. m. 2. art. 4. & S. Thom. q. 70. art. 3.

TRES sunt opiniones, vt refert S. Bona. loco citato. Prima asserit cœlos habere animas, & moueri à propria forma perfectiua, sicut mouetur animal. Quam animã motricem posuerunt regi, & dirigi à Deo, mediante intelligentia. Hæc tamen opinio est erronea in fide, & in philosophia, vt in prima conclusione dicetur. Secunda opinio fuit dicentium cœlum à prima forma moueri. Tertia opinio tenet moueri à Deo, mediante intelligentia creata, siue angelo.

CONCLVSIO I.

D. Dama. D. Aug. D. Hiero. 1. Paral. 16. Psalm. 113. Psalm. 18.

Cœlum non mouetur ab anima motrice. Ratio est, quia cœli sunt inanimati, & insensibiles, teste D. Dama. apud S. Bona. Et Alex. art. 4. citato. Et hæc est communis sententia sanctorum. Vnde D. Aug. retractat illud verbum, quod dixerat in lib. de immortalitate animæ, & lib. 1. retracta. c. 5. & 9. nempè, quod mundus animatur. Etsi aliqui sancti oppositum docere videantur, vt D. Hiero. super illud Eccles. 1. Iustrãs vniuersa per circuitum pergit spiritus. Intelligendum illud est metaphoricè. Quare, & si dicat scriptura diuina. Lætentur cœli, & exultet terra, eos, qui in cœlo sunt, angelos, & qui in terra sunt, homines ad lætitiam vocat. Nouit namquè scriptura, & prosopopœm, id est, personarum fictione vti, vt de animatis, inanimatis loqui. Sicut illud. Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Et quid est tibi, &c. Et montes, & colles interrogantur sermones exultationis. Sicut & nobis consuetum est dicere: congregata est ciuitas, non ædificia significare volentibus, sed ciuitatis habitatores. Et cœli enarrant gloriam Dei, non vocem, quæ auribus sensibilibus auditur, emittere, sed ex magnitudine conditoris nobis virtutẽ ostendentes, quorum pulchritudinem excogitantes, factorem, sicut optimum artificem, admiramur, & glorificamus.

Hinc,

Hinc, prima opinio cẽsetur erronea, & temeraria, cùm sit contra cõmunem sanctorum sententiam, quæ etiam est error in philosophia. Et ratio est; quia si perficeretur cœlum à substantia intellectuali, cũ ea non vniatur corpori, nisi mediante vegetabili, & sensibili necessariò cœlum sentiret, & vegetaretur, & ex consequenti naturaliter posset corrumpi. Quod non solùm est contra philosophiam; verùmetiam contra Theologiam, quæ ponit cœlos semper permansuros. Appen. Error.

CONCLVSIO II.

Cœlum à propria forma haud mouetur. Ratio est; quia quod mouetur à propria forma, mouetur propter indigentiã propriam. Natura enim formæ non mouet; nisi propter appetitum rei, qua naturaliter indiget. Et cùm cœlum; vt communis sanctorum, & philosophorum sententia docet, non moueatur propter propriam indigentiam, non mouebitur à propria forma.

CONCLVSIO III.

D. Augusti.

Mouetur à Deo cœlum mediante Angelo. Hanc conclusionem communis, & Theologorum, & philosophorum schola amplectitur. Est enim plurimum pietati, fidei, & rationi, consentanea. Et ratio est; quia hoc competebat ordini, quem Deus vniuerso constituit; nam, vt docet D. Augusti. super Genes. ad literam. Deus mundum sic ordinauit; vt spiritum præficeret omni corpori. Atquè ita sicut congruum fuit Angelos ad hominum ministerium deputari; ita quoquè congruum fuit, eosdem ad motum, & regimen cœlorum destinari, cùm in hoc etiam homini viatori ministrent, & diuinæ subseruiant maiestati. Lege eundem Aug. 3. de lib. arb. Et ratione confirmatur; quia cùm omne, quod mouetur, ab alio moueatur, & cœlum non moueatur à solo Deo, nequè à forma, nequè ab anima, mouebitur à Deo, mediante Angelo.

D. Aug.

Hinc, confutatur error affirmantium, cœlos esse animatos, qui hæresim inducebat. Ex hoc enim ponebant huiusmodi corpora esse Deos. Alex. Alen. & S. Tho. vbi suprà. Appen. Error.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Octaua diffic. Est ne vnum cœlum tantùm? an plures?

S.Tho. q.68. art.4. S.Bon. art.1. q.1.&.q.3.2. p.huius.d. Nota 3.

NOta cum S.Thom.loco citato,cœli nomen tribus modis in sacris litteris sumi. Primò propriè pro corpore sublimi actu,vel potentia luminoso, & incorruptibili. Et hoc modo sunt tres cœli, quorum primum est empyreum, omnino lucidum, secundum aqueum, omnino diaphanum, tertium est partim lucidum, & partim diaphanum, quale est cœlum sydereum, quod in.8. spheras distinguitur. Et prima est stellarum fixarum,& reliquæ.7. planetarum. Secundò sumitur cœlum per quandam proprietatum cœlestium participationem,vt verbi gratia,luminositatis actu,vel potentia,seu sublimitatis. Et hoc modo apud Damascæ. sunt tres cœli, aereum, sydereum, & supremum, sine stellis, de quo intelligit locum B. Paul. vbi se dicit raptum fuisse, vsquè ad tertium cœlum.

D.Damas. 2.Cor.12.

Tertio modo vsurpatur cœli nomen methaphoricè, propter spiritualem altitudinem, & lucem. De quo intelligitur dictum diaboli. In cœlum ascendam, id est, ad Dei æqualitatem. Nam etiá bona cœlestia, spiritualia,in quibus requies beatorum consistit, cœli dicuntur, vt D.Aug. declarat super locum, merces vestra magna est in cœlis, id est, in cœlestibus bonis. Quandoquè verò tria genera supernaturalium visionum, scilicet, corporalis, imaginariæ, & intellectualis, tres cœli nominantur. De quibus exponit D. Aug. locum de raptu Pauli citatum. Iis ita positis, variè sunt de numero cœlorum opiniones. Prima est B. Chrysost. qui vnum tantùm cœlũ posuit, & dicit vocatos fuisse cœlos pluraliter, propter proprietatem linguæ Hebrææ, in qua hoc nomen cœlum singulari numero caret. Chrysostomo adhæserunt S. Bona. q.1. citata, & Marsil. quæst. 10. Et ratio huius opinionis est, quia.1.Gen.non fit mentio, nisi vnius firmamenti. Et confirmatur, quia in opere quarta diei legitur. Fecit luminaria magna,&c.Et posuit eas in firmamento cœli: quare erit vnus tantùm

Isai.14.

D.Aug. Matth.5.

D.Aug.

B.Chrysost.

tantùm orbis, continuus. Huic autem opinioni sententia D. Basil.& Damasc.& aliorum, qui plures constituunt cœlos, si rectè perpendatur,nomine tenus dumtaxat contraria, esse videtur. Nam prima opinio accipit cœlum pro toto corpore, vnde & aues cœli dicuntur. Verùm cùm in hoc corpore sint multæ distinctiones. D.Basil. & Damascen. & alij plures cœlos esse asserunt. Secunda opinio, & prima, inter illas, quæ plures constituerunt cœlos,fuit Rabani, qui 7. tantùm cœlos collocauit, cuius rationem apud S. Bona. q.3. vbi suprà inuenies. Tertia opinio fuit Platonis, Arist. & Ptolemæi, & aliorum philosophorum, qui octo tantùm orbes posuerunt. Quarta fuit Bedæ,& Strabi,qui nouem cœlos, præter empyreum, esse dixerunt, à quibus non discessit S.Thom. qui totidem orbes esse definit,scilicet,empyreum,primum mobile.8. sphera,&.7.orbes,de quibus constat apud omnes Theologos. Quinta opinio communior posuit decem orbes, præter empyreum.

Nota. D.Basil. D.Damas. Plato. Arist. Ptolemæus. Beda. Strabo.

CONCLVSIO.

Quinta opinio videtur omnibus probabilior. Ad cuius probationem prænotanda sunt duo. Primum est ex. 2. de cœlo.c.2.Cuicunque corpori simplici correspondet vnus motus simplex,per se.Secundum est,cœli ex natura sua, neque naturaliter,neque violenter mouentur.Et ratio est, quia si naturaliter mouerentur,post diem iudicij,violenter quiescerent. Lege suprà difficultatem de motu cœli. Iis prænotatis,probatur conclusio. Experimento comprobatum est esse. 10. cœlorum motus, quorum quilibet proprium corpus, & distinctum, & non continuum alteri,requirit,erunt igitur decem orbes. Lege Magistrum Ciruelo, & Ioannem de Monte Regio, & Alphonsum Regem,quos hæc opinio,inter alios, habet defensores,& patronos.

Arist.

Nona diffic.Diuidit ne firmamẽtum aquas ab aquis?

S.Th.vbi suprà art.3.& Alex.& alij.

CONCLVSIO.

DIuidit quidem. Hæc conclusio expresse legitur Gen.1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas q.seq. ab aquis, Gen.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab aquis, &c. Et dicitur diuidere aquas ab aquis, non sicut causa faciens diuisionem; sed sicut terminus vtrarumquè aquarum. Vnde etiam Alex. Alen. dixit, dictum esse firmamentum, non propter stationem, scilicet, quòd non moueatur; sed propter firmitatem, & intransgressibilem terminum aquarum superiorum. Verùm hæc difficultas latiùs quæst. sequenti patebit.

S.Th. vbi.s. ad.2.

Alex. Alen. q.50.m.6. ar.8.ad.3.

Quæst. II. De cælo crystallino, siue de aquis, quæ suprà firmamentum sunt.

Alex. Alen. q.50.

S.Tho.q. 68.

S.Bona.& alij hac.d.

HAEC Quæstio mouetur, ad explicandum locum in vltima difficultate proximæ præcedentis quæst. positum; & vt mos est, positis aliquot difficultatibus, erit clara, & quò ad fieri poterit peruia.

Prima diffic. Vtrùm sint aquæ suprà firmamentum?

Alex. Alen. m.1.

S. Tho.ar.2. 1. q. 1. 1. p. & art.1. q. 3. 2. p. huius dis.

Dura. q.1. & Sco. & reliq. hac.d.14.

NOta primò cum Alex. memb. 5. vbi suprà nomine aquarum, quæ suprà firmamentum sunt, intelligi ab expositoribus sanctis scripturæ sacræ cœlum crystallinum, siue aqueum. Quia, ad modum cœli, aquæ expansæ sunt. Et dictum est cœlum aqueum à materia, & crystallinum à materiæ dispositione: non quod ibi sit congelatio aquarum, sicut in crystallo, secundum discursum naturæ; sed quia, sicut crystallum, habet cum luce perspicuitatem.

Nota.2.

S.Bona.q. 1. vbi suprà.

HOC Nomen aqua, triain sacris literis significat. Primò materiam informem, vt ibi. Spiritus Domini ferebatur super aquas. Secundò naturam transparentem; vt quando dicitur. Fiat firmamentum in medio aquarum. Tertiò pro elemento aqueo; vt quando dicitur. Congregentur aquæ in locum vnum.

Gen.1.

Gen 1.

Gene.1.

DE Existentia cœli crystallini, & de natura illarum aquarum, quæ suprà firmamentū sunt, variæ opiniones à S. Tho. & D.

Nota.3.

& D. Bona. afferuntur. Cùm enim lateat nostros sensus vix, nisi catholici doctores, autoritate sacræ Scripturæ diuinitus illustrati, istarum aquarum existentiam expressè declarant.

CONCLVSIO I.

SVNT Aquæ suprà firmamentum, quæ cœlum crystallinum, siue aqueum nominantur. Constat prima pars Genes. 1. Diuisit aquas, quæ erant suprà firmamentum ab his, quæ erant sub firmamento. Secunda pars patet ex primo notabili.

Gen.1.

CONCLVSIO II.

AQVAE Illæ, non sunt elementares, vel eiusdem naturæ, cum his inferioribus aquis. Ratio à dissimili est; quia illæ sunt immortales, & ab omni corruptione immunes; vt D. August. 13. confessionum scribit. Et non sunt graues, & ponderosæ. Et sunt nobiliores; quia in loco nobiliori, & suprà firmamentum collocatæ, existunt. Et subtiliores; quia corpus, quò subtilius, eò in eminentiori loco collocatur, vt patet de igne respectu aeris, & de aere respectu terræ, quæ omnia ijs aquis inferioribus non competunt. Licet conueniant inter se, quatenus habent naturam luminis receptiuam, & quodam modo retentiuam; vt ista aqua elementaris, in qua quidam lapides positi, quando nocte non videntur, per se relucent, & videntur sub luce retenta ab aqua; vt patet de rubinis, qui per se noctu non lucent. Tum etiam conueniunt in frigiditate: quia ambæ sunt effectiuè frigidæ; quamuis istæ sint formaliter frigidæ, illæ verò minimè.

D. Aug.

Secunda diffic. Ad quid sunt aquæ illæ factæ?

Alex. Alen. m.4.

VArij fines constitutionis istarum aquarum à varijs doctoribus ponuntur.

S. Tho. ar.2. ad.3.

S. Bon.q.1. & alij vbi suprà.

CONCLVSIO.

Positę sūt tales aquę; vt res palios cœlos genitæ cōseruarētur

Universidad de Deusto
Biblioteca

in esse. Et ratio est; quia cùm alia corpora sint principia generationis, & corruptionis rerum, secundum diuersitatem motuum, & diuersas stellarum virtutes; vt patet per motum Zodiaci, qui per accessum, & recessum diuersitatem generationis, & corruptionis operatur, debuit esse cœlum aqueum, quod secundum vniformitatem motus sui, faceret conseruationem rerum in esse. Est enim quædam continuitas inter cœlos, & cùm hoc cœlum cõtinuè moueatur, mouet cœlum proximum, & illud vlterius proximum, &c. Facit; vt, quæ erant mobilia, actu moueantur, & ex consequenti efficit; vt res in suo esse conseruentur.

Tertia diffi. Mouetur ne motu circulari?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m.3. S.Tho. & S. Bon.q.3. vbi suprà.

MOuetur quidem vniformi, & circulari motu. Ratio primæ partis, quòd moueatur motu vniformi, est; quia necesse est medium participare quodam modo naturam vtriusquè extremi, & cùm cœlum crystallinum sit medium inter empyreum, & firmamentum, & empyreum sit vniforme, & immobile; firmamentum verò sit multiforme, & mobile, erit necessariò crystallinum cœlum vniforme, & mobile. Ratio secundæ partis est; quia nobilissimo corpori debetur nobilissimus motus, qualis est motus circularis. Quo quidem cùm firmamentũ moueatur, mouebitur & crystallinum, quod est nobilius dignitate naturæ firmamento. quod D. Aug. contra Manichæos docuit; vt Alex. Alen. memb. 2. vbi supra refert.

D. Aug. Alex. Alen. m.2. vbi. 5.

Quarta diffic. Sunt aquæ illæ in modum orbis congregatæ?

CONCLVSIO.

SVNT Quidem. Tum; quia nobilissimo corpori debetur nobilissima figura, qualis est circularis figura. Et etiam

etiam ex motu; quia circulari motu, quæ circulari figura prædita sunt, mouentur. De ordine verborum, quibus vsus fuit Moyses in productione rerum secundæ diei, agit Alex. Alen. quæst. 50. memb. 6.

Quæst. III. De opere tertiæ diei.

Alex. Alen. q. 51. S. Th. q. 69. S. Bon. in expositiõe lite. dist. 14.

TERRA In suo primo statu duplicem difformitatem habebat, vnam; quia erat inanis, siue inuisibilis, eò quòd erat aquis cooperta, alteram; quia erat vacua, siue incomposita carens decore, quem nunc habet ex plantis, quibus tanquàm vestibus, exornatur, & decoratur.

Prima diffic. Fuit ne vtraquè difformitas tertiæ diei sublata?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. & alij vbi. 3. Genes. 1. Genes. 1. 9 Alex. & alij vbi suprà.

FVit. Hæc habetur expresè Gen. 1. Congregentur aquæ in locum vnum: vt appareat arida. Et infrà; germinet terra herbam virentem, &c. Et sequitur: & factum est vespere, & mane dies tertius.

Secunda diffic. Fuit ne congregatio aquarum conuenienter die tertia facta?

PRÆTERMISSIS opinionibus, respondetur.

CONCLVSIO.

Conuenienter facta fuit congregatio aquarum in locum vnum die tertia, vt sic arida appareret. Et ratio est, quia post distinctionem lucidi à tenebroso, quæ fuit prima die facta, & post distinctionem perspicui à perspicuo secunda die factam, conuenienter fieri debuit die tertia distinctio perspicui ab opaco per congregationem aquarum in locum vnum. Et apparuit terra arida; vt homines, & animalia viuerent super terram.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. Quomodo congregatæ sunt in locum vnum?

RAtio dubitandi est, quia sunt multæ aquæ discontinuæ; vt patet in fluminibus, & fontibus, &c.

CONCLVSIO

Sunt congregatæ in locum vnum; non simpliciter; vt ex ratione dubitandi constat; sed respectu terræ siccæ. Et ratio est; quia omnes aquæ mundi videntur inter se, per quosdam meatus terræ subterraneos, continuari. Quod docet Scriptura sacra Eccles. 1. Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat. Et redditur cõtinuò ratio, cùm dicitur. Vnde exeũt flumina, reuertuntur; vt iterum fluant.

Eccles. 1.

Quarta diffic. Fuit ne plantarum productio eodem die conuenienter facta?

Doct. vbi. §. D. Aug.

DIuus Augustinus scilicet, super Gen. ad literam cap. 4. tenet non produxisse terram herbam, &c. actu: sed virtute, id est, accepisse à Deo virtutẽ producendi hæc.

CONCLVSIO.

Gen. 2.

Actu Deus, per miraculum ex terra; tanquàm ex causa materiali, & diuina sua virtute, tanquàm causa efficiente, produxit herbas, &c. Probatur Gen. 2. vbi summatim referens Moyses creata ait. Fecit Deus omne virgultum agri, ante quàm oriretur in terra, omnemque herbam regionis, prius quàm germinaret. Non enim pluerat Dominus super terram, & homo non erat; qui operaretur eam. Hoc factum fuit conuenienter: quia ad tertium diem pertinet formatio terræ, quæ facta fuit informis; & plantarum productio est quasi formatio quædam terræ.

Alex. Alen. m. 2. & alij vbi. §.

Hinc, ornatus terræ non ad alium peculiarem diem pertinet, sicut animantium productio: quia naturam propinquam

Appen.

quam terræ habent, & ei infixa, & commixta sunt, magis quàm animantia. Quæ, licet, terrestria sint: non tamen sunt terræ, sicut herbæ cõmixta, & infixa: vt experientia, ipsa docet. Tum etiam ad remouendum errorem: vt dicit B. Basil. Ne crederetur, quòd sol esset causa principalis terræ nascentium: quemadmodum Arist. asseruit, terram esse matrem plantarum, & solem esse patrem.

Arist.

Quinta diffic. Fuerunt ne arbores infructuosæ, & spinæ tunc productæ?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 3. & alij vbi. §.

FVerunt tunc productæ. Et ratio est: quia tunc fuit terræ perfecta fœcunditas à Deo data. Et quia nulla est herba, tam vilis, quæ non sit alicuius vtilitatis, & virtutis, & ratione iocunditatis florum, & fructuum. Et hæc est sententia B. Dama. apud Alex. Et ita cum alijs virentibus herbis, & lignis fructiferis, intelliguntur productæ.

B. Damas.

Sexta diffic. Cur ergo, post peccatum, dictum fuit maledicta terra in opere suo, &c.

CONCLVSIO.

Gen. 3.

SPinam, & tribulum generari, vbi frumentum generatur, hoc est in pœnam peccati, & ex maledictione terræ, quæ dum colitur: vt det fructum, vnde homo sustentetur, producit spinas, & tribulos, vnde crucietur; vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneretur, quo admonerentur aliquando à peccatis auerti, & ad Dei præcepta obseruanda conuerti. Hæc est sententia D. Augustt. libr. 1. de Genesi contra Manichæos capit. 13. Lege Alen.

D. Aug.

Hinc, quando in alijs multis locis, ab hominibus incultis, nascuntur spinæ, & tribuli, non oriuntur in pœnam peccati: sed ex natura, & terræ fœcunditate.

Appen.

DVB.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. Cur de mineralibus, & lapidibus, &c. non est facta mentio, cùm sint, sicut herbæ, ex terra?

Alex. Alen. m. 2. S. Th. ar. 2. & S. Bo. vbi suprà. Dub.

REspondeo. Quia latent sub terra, nullam de illis fecit mentionem. Et eandem ob causam, non posuit distinctionem elementorum ignis, & aeris; quia sunt nostris occulta sensibus. Et Moyses ea tantùm apposuit populo rudi, quem docebat, quæ sensibus apparebant. Verborum seriem, quibus vsus fuit Moyses in hoc die tertio. Alex. Alen & S. Bona. & S. Thom. vbi suprà declarant.

Quæst. IIII. De ornatu cœli.

Alex. Alen. q. 52. S. Th. q. 70. S. Bo. Scot. Dura. & alij hac. d. 14.

AD maiorem intelligentiam huius. q. nota primùm hoc differre opus distinctionis ab opere ornatus, quòd opus distinctionis pertinet ad formationem rerum, respectu eorũ, quæ sunt sibi intrinseca, aut immobiliter adhærentia; opus autem ornatus respicit illa, quæ sunt à rebus ipsis distincta. Distinctio verò maximè manifestatur per motum localem, per quem quidem fit separatio distinctorũ. Et ideò opus ornatus considerat ea, quæ præcipuis mundi partibus, scilicet, in cœlo, & elementis (localiter mouentur.

Nota. 1.

Nota. 2.

Triplex est opus ornatus, iuxtà distinctionem trium dierum. Et primum est productionis luminarium, quæ in firmamento mouẽtur, & die quarto facta sunt, de quibus in hac. q. disseritur. Sunt enim sicut gemma pretiosa in annulo, ad decorẽ annuli. Secundum pertinet ad productionẽ piscium, & auium, quibus aer, & aqua, quæ sunt elementa perspicua, exornantur, quæ fuerunt die quinto producta. Tertium opus est sexti diei, nempè, productio animalium, raptilium, & gressibilium, quibus terra ornatur.

Nota. 3.

Firmamentum in hac quæst. non sumitur strictè, & precisè pro cœlo, in quo sunt stellæ fixæ; sed pro toto corpore, in quo, & stellæ fixæ, & erraticæ sunt. Et ita quando dicitur

dicitur Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli, nomen firmamenti continet cœlum stellatum, & cœlos, in quibus sunt septem planetæ. Gen. 1.

Prima diffic. Ex qua materia propinqua facta sunt luminaria?

Alex. Alen. m. 1. S. Th. art. 1. S. Bon. in expositione lite ræ vbi suprà. D. Basil. B. Damas.

HÆc difficultas suprà fuit explicata, circa quam varios dicendi modos affert S. Bona.

CONCLVSIO.

Ex illa luce, quæ primo die fuit facta. Hæc conclusio est B. Basilij, & Damascẽ. quos Alex. S. Thom. & Bona. citant. Quos & alij quamplurimi sequuntur. Quæ propter reuerentiam sanctorum est amplectenda. Et quia securiùs est eorum verbis inniti, præsertim cùm in hac materia plus ex cõiectura, quàm ex ratione certa procedatur.

Secunda diffic. Ad quem vsum facta sunt luminaria?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 2. S. Tho. art. 2. & S. Bona. vbi supra. Nota. Deut. 4. Append.

AD vsum, & vtilitatem hominum facta sunt. Patet Deut. 4. vbi dicitur. Ne fortè, eleuatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & omnia astra cœli. & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit dominus Deus in ministerium cunctis gentibus.

Ex hac autoritate colligitur causa dicta in conclusione. Nam cùm res possit dici facta, vel propter propriam actionem, vel propter aliam creaturam, vel propter decorem vniuersi, vel propter gloriam Dei, Moysen solùm ministerium, & vtilitatem hominum posuit, quæ fuit, vt populum rudem à cultu eorum retraheret, ne fortè, eleuatis oculis, &c. vt in loco citato Deut. 4. habetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. 1. Quotuplex igitur est ministerium, siue vtilitas, quæ ex luminaribus cœli homines recipiunt?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi suprà ar. 1. & 2.

S. Tho. & S. Bona. vbi suprà.

Gen. 1.

DEseruiunt luminaria cœli: primo quò ad visum, quo homo maximè indiget: secundò quantùm ad vicissitudinem temporum, quibus fastidiũ tollitur, & victui necessaria procurantur: & tertiò quò ad oportunitatem negotiorum, & operũ, quatenus ex luminaribus cœli, pluuiosi, vel sereni, accipitur significatio. Hoc triplex ministerium, siue vtilitas in conclusione hac posita, expressè colligitur ex verbis Scripturæ. Nam prima vtilitas patet, vbi dicitur. Vt luceant in firmamento, & illuminent terram. Secunda habetur ibi. Vt sint in tempora, & dies, & annos. Et tertia exprimitur illis verbis. Vt sint in signa. Quo autem modo sint in signa, infrà declarabitur.

Tertia diffic. Cur dicitur luna luminare magnum?

RAtio dubitandi est, quia sunt aliqua luminaria maiora luna, quod probant Astrologi per distantiam, & apparitionem corporum.

CONCLVSIO.

Gen. 1.

Rectissimè appellata est luminare magnum, cùm dicitur, Fecit Deus duo luminaria magna. Ratio est, non quòd sit maior omnibus stellis, sed quia suprà cætera nocti dominatur. Et quia cùm sit nobis magis propinqua, plures, & ampliores effectus producit.

Quarta diffic. Est ne quoquè luna in tempora, dies, & annos?

CONCLVSIO.

S. Bo. vbi s. super literã.

FVit suo modo luna in significationem temporum, & annorum, & dierum apud Iudæos, præsertim quò ad solemnitates, sicut est apud Christianos sol. Constat Eccles. 43. & luna in omnibus, in tempore suo ostensio temporis, & signum æui, à luna signum diei festi.

Eccles. 43.

DVB. 11. Cur Ecclesia magis accepit festa sua secundum solem, quàm secundum lunam?

DE hoc dubio disputat D. August. ad Ianuarium. Et respondetur: quia Synagoga in tenebris noctis ambulabat, & minuenda erat, ideo à luminari, quod nocti præest, & quod minuitur in consumatione, accipiebant Iudæi suarum solemnitatum distinctionem, at verò, quia Ecclesia ambulat in lumine, vt de illa dicitur Apoc. 12. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, hac de causa Christiani menses, & dies solemnes, magis secundum motum solis, quàm lunæ cõputant. Exceptis solemnitatibus Paschatis, & Penrecostes, quia paschalis solemnitas non solùm celebratur in commemorationem resurrectionis præteritæ, verùm etiam in præfigurationem resurrectionis futuræ.

D. B. vbi suprà.

D. August.

Apoc. 12.

Limitatio.

Hinc, Ecclesia solemnitatẽ illam à luna obseruat, non quidem iudaizando, sed potius illam futurã solemnitatem, quam expectat, quatenus sibi competit, præsignando.

Append.

Quinta diffic. De quibus stellis intelligitur textus Gen. 1? & quo motu mouentur?

Alex. Alen. m. 2. art. 4.

S. Tho. art. 1.

S. Bon. in 2. p. d. ar. 1. q. 1. & 2.

Scot. q. 2.

Dur. q. 3. & alij hac. dist.

STellarum quædam sunt fixæ, quæ sunt in 8. sphera, aliæ sunt erraticæ, quæ dicuntur planetæ, & sunt numero 7. quarum stellarum vnaquæquè suum orbem inferiorem illustrat, & ornat.

CONCLVSIO I.

Textus Scripturæ sacræ de stellis, tam fixis, quàm erraticis intelligitur. Et ratio est, quia nomine firmamenti omnes orbes comprehenduntur: vt ex nota. 3. in principio huius. q. posito constat. Et confirmatur: quia si omnia luminaria essent 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

essent in firmamento posita, ita vt esset vnum corpus continuum, tunc omnes stellæ essent fixæ, & nullæ erraticæ, quod est omninò falsum. Cùm experimento compertum sit, esse erraticas stellas. Hac conclusione responsum est. 1. part. tituli huius difficultatis. In secunda verò parte quæritur. An moueantur solùm motu suæ sphæræ? vel, præter illum, habeant proprium motum?

CONCLVSIO II.

Stellæ fixæ solo motu 8. sphæræ mouentur. Et ratio est, quia natura non facit per plura, quod potest fieri per pauciora. Nec facit aliquid frustra. Et frustra ponerentur plures motus, vbi sufficeret vnus. Nam cùm stellæ fixæ semper eandem, & approximationem, & elongationem adinuicem seruent, vnus solus motus erit satis.

CONCLVSIO III.

S. Bo. q. 2. & Dura. vbi suprà.

Erraticæ stellæ, præter motum sphæræ, proprio motu mouentur. Et ratio est, quia cùm aliquando magis, aliquando minus, ad terram appropinquent, vt per astrologicam experientiam constat, erit necessariò proprius motus illis concedendus. Nam, quæ solo motu sphæræ mouentur, nequeunt magis, vel minus ad terram accedere, cùm sphæræ omnes sint concentricæ.

Append.

Hinc astrologi, coacti sunt, motus proprios planetarum in circulis ecentricis ponere, quorum pars, quæ maximè remouetur à terra, aux, siue eleuatio dicitur, quæ verò pars maximè accedit ad terram, oppositum augis appellatur, & similiter in epiciclis, in quibus planeta est retrogradus, stationarius, vel directus.

DVB. III. Cur in vltima sphera posuit Deus plura luminaria, quàm in alijs spheris?

S. Bo. vbi suprà q. 1.

REspondeo: quia proprium est sapientiæ diuinæ multiformitatem ad vnitatem reducere, ideo illam sphæram, quæ plus ad vnitatem motus accedit, multitudine stellarum illustrauit, aliis verò, quæ habent motuum multiformitatem, dedit luminarium vnitatem. Et quia sphera. 8. est præ cæteris spheris perspicua causa vitæ inferiorum, quòd fieri non potest, nisi per diuersum in diuersis stellis lumen.

Sexta diffic. Quo pacto luminaria dicuntur esse in signa?

NOta primùm. Duplex est signi vsus, nam, vel sumitur signum ad signandum, vel ad distinguendum. Alex. Alen. q. 52. m. 2. art. 2.

Secundò nota. Duplex est luminarium motus. Vnus, qui est ad motum vltimæ sphæræ super polos principales, quo motu semel quolibet die naturali reuoluuntur. Alter motus est proprius, quem naturaliter habent in circulo obliquo, scilicet, in Zodiaco, in quo duodecim signa describuntur. S. Thom. q. 115. art. 3. 4. 5. & 6.

Prima Propositio.

Si primo modo primi notab. signum sumatur, luminaria sunt facta in signa, id est, in significationem futurorum, & variationem temporum, & dierum, & annorum, quatenus variatio temporum attenditur in mutatione, quantùm ad calorem, & frigus aeris, & variatio dierum, quantùm ad lucem, & tenebras, & variatio annorum ad dictorum duorum reuocationem. Hæc est sententia D. Damascen. apud S. Bona. D. Bo. super lit. & in. 2. p. d. art. 2. q. 1. & 2. Scot. q. 3. Dur. in. 2. p. d. q. 1. & 2. & alij eadē d. 14. D. Dama. Append. 1. Append. 2.

Hinc, corpora cœlestia sunt causæ eorum, quorum sunt, signa. Quod ita à theologis, & philosophis receptum est; vt noua demonstratione non indigeat.

Hinc, dicuntur sydera esse causæ efficientes rerum naturalium. Et præter quàm, quòd sensu deprehendi potest, ratione confirmatur: nam cui cognita fuerint sol, Saturnus, & luna, atque luna existente cum sole, & Saturno in coniunctione, oppositione, vel tetragono, absque syderis prohibētes pluuias aspectu, nimbosa videbit, & pluuiosa nubila. Quia huiusmodi aspectus sunt nimborū, & pluuiæ causa, sicut solis, & lunæ omnium aliorum aeris particularium mutationū, secundum diuersorum syderum concursum. Vnde fit: vt hi aspectus sint his,

Universidad de Deusto
Biblioteca

his, qui artem penetrant, perpetuò signa, & idem possint facilè prædicere mutationes, quas vel vulgus ipse prædicit, non tamen, vt artifex. Vulgus enim circa pleniluna, & nouilunia, sperat futuram temporis mutationem, non tamen qualem artifex.

Append. *D. Augusti. de Gene. contra Manich. cap. 21.*

Hinc, etiam sidera moralium actionum causæ, non quidem efficientes, sed excitantes dicentur, quæ rationis freno possunt cohiberi, vt Venus exempli causa in ascendente, in propria modo, in genitura alicuius, excitat ad venerea natum per totum serè vitæ spacium. Verùm poterit rationis clypeo munitus eas excitationes, instigationes, & propenciones, arcere, & vincere. Immò resistendi habitudine parum, aut nihil huiusmodi stimulos tractu temporis sentiet. Hinc sapienter in huiusmodi genitura prædiceret artifex, si diceret. Hic natus erit pronus ad libidinem, non tamen prudenter, si præfagiret definitè. Hic committet adulteria, stupros, aut alia libidinosa facinora.

Secunda Propositio.

Si considerentur luminaria cœli secundo modo primi notabilis, & vt mouentur primo motu secundi notabilis, diuidunt diem, & noctem. Et habetur Psal. 135. Qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, lunam, & stellas in potestatem noctis.

Psal. 135.

Tertia Propositio.

Si, vt mouentur proprio motu, accipiantur; distingunt tempora, dies, & annos, præsertim sol. Et ratio est, quia quatuor anni tempora, ver, scilicet, æstas, autumnus, & hyems distinguntur per motum Solis in Zodiaco, quatenus ad nos accedit, & recedit. Similiter, & dies non nunquàm sunt minores Solis recessu, posteà maiores eius accessu, aliquando æquales, iuxtà duplex solsticium æstiuale, & vernale, & duplex etiam æquinoctium vernale, & autumnale. Eodem quoque motu Zodiaci distinguntur & anni, vnde dicitur annus solaris, & lunaris.

Septima

Septima diffic. Vtrùm luminaria cæli agant in hæc inferiora?

CAVSA dupliciter dicitur. Primo illud, quod ineffabiliter, & semper producit suum effectum, vel saltim illud, sine quo non producitur effectus. Secundo modo dicitur causa illud, quo mediante, pluries producitur effectus. Et quando B. Damasc. negat esse causam inferiorum, intelligit de causa simpliciter, siue primo modo dicta. Non enim super secundum suam dispositionem suos effectus producunt. Nam sine istorum propria dispositione, vel etiam his in contraria dispositione existentibus, voluntas Dei, cùm expedit, aliquando hos effectus producit. Philosophi loquuntur de causa propinqua, frequenter, vel vt pluribus. Quo quidem modo sunt causa, vt in sequentibus conclusionibus patebit. Possunt enim ab alia causa impediri.

Nota. 1.

B. Damas.

Alex. Alen. & S. Bo. q. 2. S. Th. ar. vlt. vbi supra.

Nota. 2.

Habere dicitur bifariam. Primo virtualiter, & qui hoc modo habet, dat, quod non habet: sicut mouens immobile dat motum, quàmuis ipsum non moueatur. Vel secundo modo formaliter, quo modo ignis habet calorem.

S. Bo. vbi. 5.

Hinc, quando corpora cœlestia dicuntur imprimere, siue generare diuersas qualitates in hæc inferiora, nõ dant illas ex se, sed educunt illud, quod est in potentia, in actum, nec dant per se solum, sed adiuuãdo virtutem inferioris naturæ. Quod quidem præstant, tum per virtutem lucis, in qua communicant, tum etiam per virtutes proprias, quibus agunt in hæc inferiora, non vt producant sibi similia, sed vt influendo rerum inferiorum qualitates, & naturas conseruent, regant, & intendant.

Append. 1.

Nota. 3.

Quemadmodum in semine, quod non est virtus, est tamen virtus rei viuentis generatiua, seu generatrix, eò quòd semen fuit à viuente decisum, ita in cœlo, licet non sit viuens, est virtus rerum viuentium generatrix, non quòd ab intelligentia moueatur, vel sit illi aliqua virtus ab intelligentia influxa, sed quia est productum

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Deo, tanquàm quoddam semen omnium generabilium, & corruptibilium. Atquè ita dicitur agere in virtute Dei, ad viuentium productionem, sicut semen equi in virtute equi generantis ad producendum equum.

CONCLVSIO I.

Luminaria cœli habent in elementa actionem, quò ad alterationem, & quò ad generationem. Et ratio est: quia Sole, & aliis stellis, calidis accedentibus ad zenith alicuius regionis, superiora elementa, nempè, ignis, & aer augentur, & è contra Sole recedente, & accedentibus stellis effectiuè frigidis, vrpote, Saturno, & Mercurio, accidit aquæ, & terræ generatio. Nequè ob hanc causam dabitur vacuum. Et ratio est, quia sicut, accedente Sole ad zenith vnius regionis, generatur ibi plus de igne, & minuitur de aqua, ita per eius recessum ab alia regione, generatur plus de elementis frigidis, & minuitur de calidis, & sic seruatur proportio, & quò ad totum generatum, æqualitas.

Respondetur tacitæ obiectioni.

CONCLVSIO II.

Habent etiam actionem quò ad loci mutationem in elementa. Et confirmatur exemplo aeris, cuius superior pars fertur circulariter ad motum cœli, vt patet in impressionibus ignis, vt in cometis, & aliis huiusmodi, quæ in illis locis generantur, & circulari motu transferuntur. Probatur conclusio secundò exemplo aquæ, nam luna causat motum in mari, qui fluxus, & refluxus nominatur. Quo autem modo fluxus isti, & refluxus fiant, non est præsentis speculationis. Lege nihilominus Scot. vbi suprà.

Append. 2. Hinc colligunt Astrologi, lunam habere dominium super humida, sicut sol super sicca habet, quod experimento comprobarunt.

CONCLVSIO III.

Agunt quoquè in mixta imperfecta inanimata, vt sunt metalla. Et ratio est, quia propter aspectum luminarium, præsertim Solis & lunæ, fit, vt diuersa metalla in diuersis terris generentur. Quædam enim auro, quædam autem argento, aliæ aliis metallis abundant.

Hinc

Hinc etiam propter eundem aspectum, sunt in diuersis regionibus diuersa plantarum genera, & diuersitas animalium. Quædam enim plus abundant in vna regione, quàm in alia. Quia propter dictum aspectum, quædam regiones sunt alijs calidiores, quædam verò frigidiores. Est perinde diuersitas in hominibus ex parte corporum, nam quidam sunt magis vnius coloris, quàm alterius, quidam passibiliores, quidam verò minus passibiles. Appen. 3.

Hinc dicuntur similiter esse causa eorum, quæ hic fiunt. Vnde dixit Aristot. 2. Phys. Sol, & homo generant hominem. Et. 2. de generatione affirmauit, Solem per accessum, & recessum esse generationum, & corruptionum, aliarumquè variationum, quæ in his inferioribus fiunt, causam. Appen. 4. *S. Tho. ar. 3. vbi S. & alij Arist.*

Octaua diffic. Vtrùm sint causa actuum humanorum?

COElum per se in aliud agere, nihil aliud est, quàm propria actione, & virtute effectum illum immediatè attingere; ita vt actio illa prius ad illum effectum, quàm ad alium quemlibet terminetur: per accidens verò, vt se tenet ex parte effectus, est, quod verè attingat actio effectum; sed non immediatè. Quia priùs terminatur ad aliud, cui coniunctum est, & ob illam coniunctionem, terminatur etiam ad illud. Verbi gratia, actio cœli priùs terminatur ad oculum corporeum. Fit quia huic oculo est affixa virtus visiua; ideo secundariò actio cœli terminatur ad illam, & agit per accidens in illam. Relege etiam nota. 1. difficultatis proximæ. *Alex. Alen. S. Th. art. 4. S. Bona. q. 2. Scot. q. 3. Duran. q. 2. vbi suprà. Nota. Nota. 2.*

CONCLVSIO I.

Asserere actiones liberas, moresquè hominum, & futurorum euentus ipsorum, à luminaribus cœli necessariò, & sufficienter causari, non solùm est rationi, & experientiæ contrarium, verùm etiam hæreticum. Repugnat quidem rationi; quia homini præponit astra, quæ sunt illi inferiora, cùm sit illorum finis. Neq; enim homo, propter astra; sed astra, pro- *Arist.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pter hominem facta sunt. Et recta ratio dictat, vt superiora inferioribus præponantur, ac dominentur. Est etiam religioni Christianæ oppositum, & hæreticum. Nam si omnia necessariò à luminaribus cœli euenirent, honor, & decus morum præiudicium pateretur, dum culpa peccantis in sidera refunderetur, & licentia peccandi, sine reprehensione, concederetur. Tolleretur quoquè meritum, & præmium, & gratia. Et tandem æterna gloria homines priuarentur, si à cœli astris necessitarentur. Opus namquè meritorium similiter, & demeritorium debet esse voluntarium. Postremò probatur conclusio, quia non influunt in voluntatem, & intellectum, quæ sunt principia humanorum actuum proxima. Nam si dæmones non possunt in intellectum, & voluntatem agere, cùm sint spirituales, vt suprà explicatum est, multò minus luminaria cœlestia.

D.Greg. in homi. epipha.

Hinc, nequè dæmones actioni corporum cœlestium subiciuntur. Quia agens est superius patiente, vt docet D. Aug. 12. super Gen. ad literam, & corpora cœlestia non sunt dæmonibus superiora: sed inferiora.

Append.1. *S.Th. vbi.§. art.5. D.Aug.*

CONCLVSIO II.

Contingenter, & dispositiuè, & per accidens cœlum, siue luminaria illius, benè possunt esse humanorum actuum causa. Ratio est: quia varia corporum dispositio plurimum facit, ad hominum affectionum, & morum variationem. Nam, vt plurimùm animæ complectiones corporum consequuntur. Vnde bilioſi sunt iracundi, sanguinei benigni, melancholici inuidi, & flegmatici pigri. Quare cogitationes hominum pronæ sunt ad malum. Genes. 8. Et peruersi difficilè corriguntur. Et cùm cœlorum virtus operetur ad mixtionem, & qualitatem complexionum, hinc, per accidens, vt habet conclusio, operatur ad qualitatem morum, verùm hoc longissimè, quoniam plus facit ad qualitatem complexionis virtus naturæ inferioris, quàm sideris, siue cœli virtus. Quod D. August. 5. de ciuit. Dei confirmat, commendans magis responsionem Hypocratis philosophi, quàm astrologi, ad quæstionem quãdam de duo-

Gen.8. Eccl.1. D.Aug.

de duobus fratribus, qui simul infirmabantur, & curabantur. Propterea quòd Hippocrates dixit, causam esse similitudinem complexionis, quæ causa propinquior, & magis propria erat. Astrologus verò reddidit causam remotam, nempè, identitatem constellationis. Vnde, licet, constellatio disponat, & sit causa; est tamen remota, & contingens, & per accidens; non autem per se, & necessaria, & proxima, & sufficiens. Ex hac, & proxima præcedenti difficultate colliguntur sequentes appendices non contemnendæ.

Hinc, si Astrologi perfectè scirent suam Astrologiam, possent prædicere omnia futura, naturalia, quæ non dependent ex Dei voluntate: vt quòd erit pluuia, & carentia panis, &c. Et ratio est; quia, cognitis causis, potest cognosci effectus, & si Astrologi perfecti esse possent, cognoscendo causas naturales, cognoscerent, & earum effectus, & possent diuitias magnas sibi comparare, scientes charitatem, & inopiam panis, & vini futuram, & rebus necessarijs prouidentes. Notanter dicitur, si perfectè scirent; quia non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Lege Gabriel. hac distinct. quæst. vnica, qui dicit Astrologos de qualitate cœlorum, plura ignorare, quàm scire.

Appen.2. *Gabriel.*

Hinc, errant omninò, qui asserunt, præcessisse signum arcam Noe, & dicentes Christum attendisse horam ad suscitandum Lazarum, & Moysen ad transeundum mare; vt siccaretur. Et ratio est; quia hæc pendebant ex voluntate diuina, quæ non ex causis, per quas solùm Astrologi prædicunt futura, dependet.

Appen.3.

Hinc, affirmare religionem nostram esse sub Mercurio, & prædicere Petrum esse damnandum, vel saluandum, & quando dies iudicij futurus sit, est hæreticum. Et patet Isaiæ. 47. Et saluent te augures cœli, qui contemplantur sidera, & supputant menses; vt ex eis annunciarent ventura tibi. Et Hierem. 10. A signis nolite metuere, quæ gentes timent. Et Iob. 38. Nunquid nosti ordinem cœli, & ponentes rationem eius in terra. Hæc enim ex voluntate diuina pendent.

Appen.4. *Isai. 47. Hiere. c.10. Iob.38.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.5. Possunt Astrologi prædicere naturalia, quæ à nostri arbitrij libertate pendent, non per certitudinem; sed per coniecturas, & in cõmuni. Verbi gratia, illa futura naturalia, quæ; vt plurimũ ex alijs naturalibus sequuntur, vt si sciũt aliquem esse sanguineũ, poterunt dicere; iste erit luxuriosus, cùm sanguinei inclinentur ad venerem, & multi suas sequãtur inclinationes, pauci resistant astris, scilicet, sapientes. Non tamen poterunt hoc sub certitudine asserere. Et ratio est, quia, quæ ex arbitrij libertate pendent, cùm non habeant certam, & determinatam causam, non possunt certò, & determinatè sciri.

Appen.6. Lege Scotum vbi suprà, & magistrum Ciruelo in principio defensorij astrologij.

Isai.47. Hinc, obseruare tempus in ijs; quæ libero arbitrio subduntur, & inchoare actiones sub tali signo cœli, &c. genus superstitionis, & impietatis, & peccatum est. Isaiæ. 47. Stent, &
B.Paul. Ad Gal.4. saluent te augures cœli, &c. Et glossi. super illud B. Paul. ad Gala. 4. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos increpat eos, qui constellationes sequuntur dicentes. Agam hoc mense commeritum; quia talis stella agit mensem. Non

Appen.7. plantabo hoc anno vineam; quia annus bisextilis est.

Eccles.33. Hinc, obseruare temporis qualitatem, ad rerum abundantiam consequendam, & indigentiam explodendam, sagacitatis opus est, quod nec laudatur, nec vituperatur. Eccles. 33. quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole.

Appen.8. Hinc, obseruare tempus ad faciendum aliquid; quod ex naturali complexione elementorum, & temporis, emanare solet, non est peccatum. Quod medici circa ægritudines curandas, & medicamenta conferenda faciunt, considerando motus corporũ superiorũ. Quod quidem nõ præstant, qui motus corporum cœlestium ignorant, & aromatarij potius, quàm medici censendi sunt.

Append.9. Hinc, inuestigare illa, quæ propriè sequuntur immutationem astrorum, nempè, de calore, & frigore, de pluuia, & siccitate, non est peccatum. Erit tamen graue peccatum iudicare de ijs, quæ subsunt libero arbitrio, & non sunt legi astrorum subiecta. Et ratio est; quia in talibus interuenit dæmonum inuocatio. Lege caput extuarum extra de sortilegiis, vbi cuidam presbytero grauis pœna imponitur ab Alex. 3. eò quòd accessit cum quodam infami ad priuatum locum, non ea intentione, vt vocaret dæmonium, sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesiæ posset recuperari. Et hoc fecit ex bono zelo, & simplicitate: quanta ergo pœna dignus erit, qui ex industria, scienspuè, & prudens, hoc fecerit, præsertim si dæmonum inuocatio interueniat?

Hinc tandem, aliis omissis, colligitur, vt plurimum totam Astrologiam, quantum ad illa, quæ pendent ex libertate arbitrij diuini, vel humani habendam esse, tanquàm periculosam. Quod patet primò ex autoritate sanctorum patrum. D. August. in libr. de doctrina Christiana, & super Psalm. 63. & D. Hieron. & D. Bona. quæst. vlt. vbi suprà. & aliorum. Append.10. *D. August.* *D. Hiero.*

Magister Sentent. Distinct. XV.
De opere quintæ diei.

Quæst. I. De ornatu aquæ, & aeris.

DEVS Opt. Max. sua infinita virtute ex elementis aquæ, & aeris, tanquàm ex causa naturali, creauit, in aqua innumeros pisces, & innumeras aues, vt statim dicetur, & Scriptura sacra docet Gen. 1. *Alex. Alen. q.53. S.Tho. q.71. S.Bon. art.2. q.3. & alij hac.d.15. Gen.1. Doct. vbi.3.*

Prima diffic. Conuenienter ne quinta die facta sunt, quæ ad ornatum aeris, & aquæ pertinent?

CONCLVSIO.

SVnt planè conuenienter facta. Et ratio est: quia volatilia, & natatilia ex aqua producta sunt, prout aqua sumi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur pro humore,& vapore. Et quia sunt ad ornamentum naturæ perspicuæ. Nam sicut natura cœlestis præcedit elementarem perspicuam, & perspicua opacam : sic istorum ornamenta sunt ordine tempori correspondente producta.

DVB. I. Cur non fecit mentionem de aere, vt produceret volatilia, sicut fecit de aqua?

Doct. vbi.s. RESPONDEO: Quia nomine aquæ subintellexit aerem, qui sua vicinitate habet humiditatem aquosam. Hæc responsio est ex D. August. contra Manichæum. Lege locum apud Alex. Alen. vbi suprà.

D. Aug.

DVB. II. Cur non agit Moyses de ornatu elementi ignis?

Doct. vbi.s. REspondeo : quia, propter eius actiuam qualitatem, non possent ibi animalia viuere, nequè essent nobis vsui; propter nimiam distantiam. Cùm enim non ascendant vapores illuc, nulla fiet ibi mixtio: & ita non possent saluari. Quia res eisdem saluatur, quibus generatur: atquè ita nequè secundum partem superiorem, quæ dicitur olympium, nequè secundum inferiorem, quæ dicitur ignis, habebit ornatū corporeum. Quid? quòd sicut cœlū aqueum nullum habet ornamentum corporeum, præter sui perspicuitatem luminosam, neq; empyreum, præter suam lucem; ita nequè ignis præter lucem.

Secunda diffic. Animalia, hac quinta, & sexta die facta, constant ne ex quatuor elementis?

Doctor. vbi suprà. S. Bo. art. 1. q. 2. vbi suprà.

CONCLVSIO.

COnstãt ex quatuor elemẽtis. Hoc enim ratio naturalis exigit: vt sint ad sentiendũ idonea. Quia cùm quodlibet animal

animal habeat sensum tactus, quo quatuor elementorũ qualitates percipiũtur, debet ex quatuor elementis constare. Alias rationes affert D. Bona. vbi suprà.

Tertia diffic. Vtrùm corpora animalium magis constent ex elementis passiuis, quàm actiuis?

CONCLVSIO.

IN corporibus animalium, quantùm ad quantitatem molis, prædominantur elementa passiua: at verò quò ad quantitatem virtutis, magis ex elementis actiuis constant. Ratio totius conclusionis sumitur ex parte finis, qui dicitur rebus, quæ ad finem sunt, necessitatem imponere. Et cùm finis corporis animalis sit, vt aptum sit, & habile ad vitam, & sensum, & motum, quæ habet ab anima, qua informatur, oportuit, vt ex quadam mutua prædominatione consurgeret quædam mutua proportio, & concordia, ex qua corpus illud esset aptum ad vitam suscipiendam, & anima, quæ est, quasi quædam armonia, ad sensum. Si enim prædominarentur in eo elementa passiua, secundum molem, & virtutem, vt in mineralibus, propter sui grossiciem, & soliditatem, nõ esset aptum ad vitam. Similiter si actiua, secundum virtutem, & molem, prædominarentur, statim elementa passiua cõsummarentur, nec esset, quod ab anima vegetari posset. Deinde si non prædominaretur terra, secundum quantitatem molis, non esset idoneum ad sensum tactus, qui est primus inter omnes animalis sensus, in quo sensu prædominatur terra. Debetquè similiter prædominari ignis, secundum quantitatem virtutis, vt moueatur. Quia ignis omnia penetrat, vt motum faciat: vt D. August. 3. super Gen. ad literam docet. Eum lege ad hanc difficultatem penetrandam.

Doct. & S. Bon. q. 3. vbi s. Scot. hac d. q. vnica.

D. Aug.

Hinc, aqua, & terra in omnibus animalibus, secundum quantitatem molis, prædominantur. *Append. 1.*

Hinc, non dicuntur aliqua animalia facta ex aquis, q̃ plus habeant *Append. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

habeant de aqua, quò ad substantiã, quã de terra. Cum omne corpus animantis plus habeat de terra: propterea quòd terra præbet alijs soliditatem, & stabilitatem: sed quia plus in eis dominatur aquea natura, secundum aliquam conformitatem naturæ, per quam illa, quæ ex aqua producta sunt, magis existendo in aquis delectantur.

Append. 3. Hinc, cùm humor sit duplex exalans, & fluctuans: ideò aqua, quæ natura humida est, dicitur esse principium duplicis generis animalium, scilicet, natatilium, & volatilium, ratione vaporis, qui cùm sit commixtus aeri, & feratur sursum, volatilia in altum leuantur. Et eò vsque ascendere possunt, donec aerem humidis exalationibus pingues centem inueniant. Et ascendunt quidem per vim animæ, suffragantibus sibi pennis, & spiritibus interioribus, & vaporibus in aere eleuatis. Nam si earum corpora suæ naturæ relinquerentur, nunquàm ascederent in aerem.

Append. 4. Hinc, quando dicitur in textu: producant aquæ reptile, &c. per elementum aquæ, intelligendus non est; vt alij volunt, solus aer iste crassior, vaporibus permixtus, licèt in eo degant, tanquàm in proprio loco, qui ab opifice rerum illis deputatus est. Potuit enim Deus animantibus ex aqua conditis, virtutem sursum se sustollendi, ac subleuandi in aere tribuere. Nam & aqua sua habet volatilia, sicut experientia, eos, qui in nouam Hispaniam nauigant, docet. Et nota reptile dici, quicquid repit, proprieque de animantibus verificari, quæ non pedibus, sed ventre gradiuntur? vt sunt vermes, serpentes, lacertæ, stelliones, & testudines: reptile verò animæ viuentis more Hebraico dici, pro reptile viuens: & volatile, quicquid volat, appellari.

Dub. Scot. Hic ab Scoto quæst. vnica huius distin. explicatur quæst. vtrùm elementa remaneant in quocunque mixto, secundum substantiam in actu? & manere virtualiter in mixto habente formam substantialem, continentem in virtute elementorum formas. *Aristot.* Aristot. docuit. 1. de gener. Qui postea quàm dixit, elementa manere in mixto, subiunxit. Saluatur enim virtus eorum. Sed hæc quæst. merè physica physicis, & medicis relinquatur.

Dubia

Dubia quædam circa verba tex. ab Alex. S. Thom. & D. Bona. vbi suprà declarantur.

Quæst. II. De opere. 6. diei, nempè, de ornatu terræ?

DIE tertia Deus terram diuerso genere arborum, ac fructuum, & varietate plantarum, decorauit. Nunc sexta die, quæ tertiæ diei, quemadmodum &, quinta dies secundæ respondet, iussu suo illam ornat, dicens. Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas. *Alex. Alen. q. 54. S. Th. q. 72. S. Bona. toto ar. 2. vbi sup.*

Prima diffic. Quid per hæc animalia intelligitur?

PER iumenta, animalia hominem ad cultum terræ adiuuantia, & per reptilia, & bestias, animalia eundem terrentia, intelliguntur. Probatur autoritate D. Aug. apud Alex. memb. 1. vbi suprà, dicentis, quædam esse vtilia, quædam deterrentia. Et iumenta dicta sunt à iuuando. Reptilia, quia vel non habent pedes, quibus à terra eleuentur, vt serpentes: vel ita breues, quibus parum eleuantur, vt lacertæ. Vox pecora, quæ in translatione. 70. ponitur sub nomine iumentorum comprehenditur. Et quia sunt aliqua animalia, quæ sub nullo dictorum membrorum comprehenduntur, vt cerui, & capræ, quadrupedia in dicta translatione apponuntur. *Doct. vbi suprà & S. Bo. in expositione literæ. D. Aug.*

Secunda diffic. Fuerunt ne omnia minutissima animalia in operibus sex dierum facta?

CONCLVSIO.

NON solùm minutissima animalia aquatilia, verùm etiam terrestria, quàm primùm terra apparuit arida, fuerunt exorta. Conclusio est D. August. super Genes. libr. *Doct. vbi suprà.*

D. Aug. lib. 3. cap. 14. & de Genes contra Manichæum libr. 1. cap. 16. Lege loca apud Alex. Alen. memb. 2 vbi suprà, & ibi exempla notatu digna inuenies. Quoniam ista (inquit D. Aug.) omnia pulchra sunt conditori, & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis cui summa lege dominatur. Idem docet B. Damasc. apud Alex. loco citato, vbi enumeratis vtilitatibus animalium, & plantarum, subiungit. Non est enim, neque animal, neque planta, in quo non operationem quandam hominum vtilitati, & vsui conferentem conditor imposuerit.

B. Damas.

Append. Hinc, etiam colligitur eadem die creata fuisse animantia venenosa, fera, & rapacia, vt lupi, leones, tigres, serpentes, & alia id genus: propter decorem, & pulchritudinem vniuersi, & hominum vtilitatem, vt infrà dicetur. Vbi hominem finem esse, propter quem creata fuerunt hæc omnia, docebitur.

Tertia diffic. Cur igitur hominibus hæc animalia nocent?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. §. & S. Th. q. 96. Si homo in statu innocentiæ perseuerasset, nunquàm illi nocuissent, sed sibi mansueta fuissent. Hæc conclusio videtur posse testimonio scripturæ probari: quia, adductis ad Adam cunctis animantibus, vt eis nomina imponeret, non resiluit, non expauit, neque Heua, viso serpente, perterrita est, sed cum eo familiariter locuta fuit. Et confirmatur exemplo, nam viris sanctis aliquando diuino imperio factæ sunt feræ mansuetissimæ: vt Danieli leones.

Gen. 2.

Dan. 6. & 14

Append. Hinc, post peccatum, hominibus nocent, non quòd noua eis potestas, post lapsum, contra homines tradita sit, sed propter præfidentiam super illa ab homine, per inobedientiam, amissam, quam contulit illi Deus Gen. 1. quando dixit. Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terrâ. De animalibus autem imperfectis, quæ ex putrefactione generantur, infrà.

S. Tho. q. 96.

DVB.

DVB. 1. Cur dictum fuit producat terra animam viuentem?

RATIO Dubitandi est; quia in productione plantarum, quæ etiam habent animam viuentem, nulla fit mentio de vita. Et in productione reptilium, quæ similiter animam viuentem habent, dicitur. Producat terra reptile animæ viuentis.

Alex. Alen. q. 53. m. 1. §. 2. S. Th. vbi suprà. ad. 1. & S. Bona. in expositione lite.

Respondetur cum Alex. quòd additum est animæ viuentis, non vt differētia; sed vt explicatio. Quasi diceret. Reptile, quod inter habentia animam computatur more hebraico; vt suprà diximus. Et quia plantæ imperfectissimam, & occultam vitam habent; ideò in earum productione non fit vitæ mentio; sed generationis dumtaxat. Quia secundum hanc solùm in eis vitæ actus inuenitur.

Quarta diffic. Animæ dictorum animalium, aquatilium, & terrestrium, fuerunt ne productæ ex nihilo? an ex aliquo subiecto præsupposito?

VARIAS Adducit D. Bona. opiniones circa hanc difficultatem, quas refutat. Quibus omissis, nota, quæ sequuntur.

S. Bon. art. 1. q. 1. huius. d.

Hoc est discrimen inter rationem seminalem, causalem, primordialem, & obedientialem, quòd prima dicitur qualitas actiua, existens in semine: secunda est virtus actiua agentis: tertia est potentia à primordio indita elementis mundi ad hoc; vt ex ipsis fierent corpora mixta: quarta autem dicitur potentia cuiuscunq; creaturæ, ad influxum diuinæ virtutis, & potentiæ sustinendum.

Nota. 1.

Inter ea, quæ successione producuntur, quædam fuerunt in prima rerum productione in simili, non autem in ratione seminali producta: vt animæ rationis participes. Quæ, quia producuntur per creationem, non habent rationem seminalem: productæ tamen sunt in simili. Quia, post productionem animæ Adæ, nō producitur noua species, licet noua

Nota. 2. D. Bo. q. vlt. dis. 15. & S. Tho. q. 73. art. 1. ad vlt.

creentur

Universidad de Deusto
Biblioteca

creentur individua. Quædam secundò fuerunt in primis diebus producta, quò ad rationem seminalem: non tamen in simili, vt sunt, quæ per putrefactionem, & quæ per diuersarum specierum commixtionem generantur. Quæ quidem species: quia quodammodo sunt degenerantes, vt vermes, qui generatur ex humano corpore per corruptionem aliquam, quæ facit corpus humanum à propria forma degenerare: non oportuit in se, nec in suo simili ad primariam vniuersi constitutionem produci. Nec ob hanc causam superflua iudicanda sunt: quia suo modo, quò ad bene esse vniuersum decorant. Quædam sunt tertiò, quæ in ratione seminali, & simili producuntur: vt plantæ, & bruta animalia, quæ habent esse per propagationem.

CONCLVSIO.

Animæ purè sensitiuæ in primordio non fuerunt ex nihilo productæ. Habuerunt enim seminarium principium, ex quo fuerunt productæ, & modò producuntur. Et confirmatur autoritate D. Aug. ad Orosium, dicentis. Sicut semen cuiuslibet arboris quandā vim habet: vt cùm corruptum fuerit, in terra oriatur, & virgultum producatur, deinde ramus nihilominus cum stipite dilatetur in frondibus, deinde in eisdem floribus decorata fructificet: ita est in corpore (vt ita dicam) quoddam seminariū, vnde suo tēpore currente, prouidentia Dei, aliqua genera animalium oriantur. Hoc idem docuit copiosè idem D. August. libr. 3. super Genes. capit. 14. ad literam. Idem etiam tradidit Aristot. in 16. animalium. Vbi ostendit vegetabile, & sensibile prius fuisse in semine in potentia, quàm in actum educerentur. Et ratio insuper est: quia opus ornatus præsupponit opus distinctionis, & distinctionis opus præsupponit opus creationis: quare si in distinctione corporum non fuit noua creatio: sed productio ex aliquo, multò minùs fuit in ornatu. Et cùm corpora animalium, & eorum formæ pertineant ad ornatum, non videntur esse productæ ex nihilo: sed ex aliquo. Hoc autem est discrimen, quòd, quæ productæ fuerunt in principio, fuerunt simul cum suo seminario factæ: at verò, quæ nunc producuntur, educuntur ex seminario præexistente, secundum sufficientem actualitatem.

D. Aug.

D. Aug. Arist.

Hinc,

Append.

Hinc, diuina dispositione ordinatum fuisse intelligitur: vt animalia maioris perfectionis, & organizationis ex suo primo seminario, secundum maiorem actualitatem producerentur: vt sunt animalia perfectiora, quæ generantur per propagationem. Quæ verò animalia minorem habent organizationem ex seminario præexistente producerentur: vt, quæ generantur per putrefactionem. Quæ, quia imperfectiora sunt, minori indigent adiutorio, & virtute, vt ex potentia in actum educantur.

DVB. *Animæ animalium imperfectorum, quæ per putrefactionem generantur, à quo educuntur?*

QVidam dixerunt educi à cœli motore, alij per creationem.

CONCLVSIO.

Educitur in actum talis anima per virtutem agentis particularis, & per adiutorium corporis cœlestis. Et ratio est, quia sicut humor fit semen per generandi potentiam, & post modum fit corpus organicum in matrice, ita quòd anima illa sensibilis, quæ erat in potentia, educitur ad actum per virtutem agentis particularis, & iuuamine corporis cœlestis, ita in casu posito. Nam cùm in terra ista esset aliquo modo seminarium illud, concurrentibus elementis, & adiuuante cœlesti corpore, vt calor viuificus generetur, fit quoddam semē, ita quòd potentia illa actiua, quæ priùs latebat, adiuta actione cœlestis corporis, proficit, & venit ad complemētum, & perfectionem. Tuncquè cœli motor non dat sibi formam vltimam, sed solùm adiuuat, & excitat, vt proficiendo ad speciem perfectam perueniat. Et idem dicendum est de aliis in terra nascentibus.

Alex. Alen. q. 60. m. 3. ar. 1. & 2. S. Tho. q. 75. art. 3. & q. 91. ar. 2. ad 3. S. Bo. vbi suprà.

Alex. Alen. q. 57. S. Tho. q. 91. S. Bo. & alij d. 15.

Quæst. III. De *productione rationalis creaturæ, nempè de homine.*

QVare eadem sexta die, rebus omnibus, quibus terra exornatur, productis, dixit Deus. Faciamus hominem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad imaginem,& similitudinem nostram. Meritò q. hæc de homine in genere erit explicanda. Absoluitur quæstio, vt est nobis in more positum, explicatis nonnullis difficultatibus.

Prima diffic. Quomodo homo cœlis,& cæteris inferioribus creaturis præstat?

CONCLVSIO.

Doct. vbi suprà.

MVltum quidem excellit, & præstat. Et ratio est, quia non solùm inter ea, quæ condita sunt in terris, naturæ dignitate, & conditionis nobilitate antecellit, verùm etiam quòd solus ipse naturæ suæ dignitatem intelligere valeat. Non vt in superbiam erigatur, sed vt ad gratiarum actionem excitetur, & in feruentiorem amorem sui conditoris rapiatur. Omitto interim alia, quibus homo à creatione aliarum omnium separatur.

Secunda diffic Conuenienter Deus hominem, dignitate naturæ omnia creata antecellentem, postremò creauit?

CONCLVSIO.

S. Bo. art. 2. q. 2. vbi suprà.
B. Ambros. Greg. Nice. Chrysost. Alex. Alen. q. 17. m. 3.

COnuenientissimè diuina sapientia hominem nouissimè plasmauit. Ratio est, quia cùm homo sit finis omnium corporaliũ, debuit vltimo produci, vt sua productione omnia præcedentia finiret, & compleret. Alias rationes elegantissimas adducunt autores ex B. Ambro. in epist. 38. ad Horontianum, & ex Greg. Niceno in lib. de homine. cap. 2. Et ex D. Chrysost. lib. 1. de prouiden. Dei, & homil. 8. super Gen. Instar namque Regis in mundum omnigena rerum varietate adornatum, tanquàm in palatium, fuit inductus.

Tertia diffic. Fuit ne homo finis rerum omnium creatarum?

S. Tho. q. 91. art. 4. ad 1. S. Bon. art. 2. q. 1.

FInis, ad quem res ordinantur, duplex est. Vnus principalis & vltimus. Alter non vltimus, siue intermedius. Hoc enim

enim modo, vt perspicuum est, eiusdem rei plures possunt esse fines.

CONCLVSIO I.

Apoc. 1. & vlt.

Finis, primo modo sumptus, soli Deo Opt. Max. competit. Ipse enim est alpha, & omega, principium, & finis: vt suprà explicatum fuit.

CONCLVSIO II.

Apoc. vlt. Deut. 4. Genes. 1. Gen. 9.

Homo, secundo modo, dicitur finis rerum omnium creatarum: quatenus vniuersa eius necessitati subueniunt, vsque dum generalis resurrectio adueniat. Et ratio est, quia omnia ad eius vtilitatem referuntur, eiquè inseruiunt. Et primùm, quòd angeli ei subueniant, constat ad Heb. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, &c. Et Apoc. vlt. Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. De cœlis, & astris patet Deut. 4. vbi Moyses solem, & lunam, & omnia astra, ad eius ministerium esse creata docet. Et de reliquis similiter colligitur ex sacra Scriptura Gen. 1. Dominamini piscibus maris. Et Gen. 9. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Notanter dicitur vsque dum, &c. quia tunc elementa sola manebunt, vt in Horibus. 4. de iudicio vniuersali diximus.

DVB. Fuerunt ne ordinata animalia eodem modo ad hominem in statu innocentiæ, & in statu naturæ lapsæ.

S. Bon. vbi suprà.

DIuerso quidem modo, vt sequentes conclusiones indicabunt.

CONCLVSIO I.

In statu innocentiæ fuerunt ad hominem ordinata. Et probatur quatuor rationibus. Et prima est ad eius imperium (per suam obedientiam ei præstitam) manifestandum. Secunda, vt hominis habitaculũ non solùm multitudine arborum, verùm animalium diuersitate decoraretur. Tertia, vt diuersis naturis animalium multiformem conditoris sapientiam conspiceret. Quarta, & vltima ratio est, vt intelligens homo

Universidad de Deusto
Biblioteca

animalium rectitudinem ; & amorem in id , ad quod creata
Ad Ro. 1. sunt, magis, magisque in Dei cognitionem, & amorem mentem suam eleuaret. Nam per ea, quæ facta sunt, ad inuisibilia Dei mens nostra dirigitur.

CONCLVSIO II.

In hoc statu naturæ lapsæ animalia ordinantur etiam ad hominis vtilitatem ; diuersimodè tamen. Et ratio est ; quia iumenta, & pecora ordinantur ad eius indigentiam releuandam, quò ad cibum, & vestimentum, & obsequium, & etiam ad solatium ; vt psitaci, & aliæ aues, & catuli , & alia id genus animalia, quibus vescimur, & quorũ pellibus vestimur, & ad terram colendam, & iter faciendum, vtimur. At verò bestiæ
D. Aug. Prouerb. 6. noxiæ ordinantur ad hominem ; quia vt D. Aug. lib. 3. super Gen. ad literam ait. Vel pœnaliter lædunt ; vel salubriter exercent , aut vtiliter probant , aut ignoranter docent ; vt formica docet pigrum.

Quæst. IIII. De die septimo.

Alex. Alen. q. 56. S. Tho. q. 73. S. Bon. q. vlt. & alij hac d. 15. Nota. 2. S. Th. ar. 1. & Ale. Alẽ. m. 2. vbi supra.

RElege primùm ad hanc quæst. nota. 1. difficult. vlt. 2. q. suprà in hac distinctione.

Duplex est naturalis rei perfectio. Vna formalis, quatenus res habet ea, quæ ad sui perfectionem concurrunt, & hæc pertinet ad sextam diem. Tunc enim fuit vniuersum per integritatem partium perfectum. Altera est perfectio rei finalis ; vt quando res suum est finem consecuta. Qui quidem finis , aliquando est rei operatio ; vt finis intellectus est contẽplatio ; quandoq; verò aliquid, quod per operationẽ efficitur ; vt finis ædificationis est domus. Quam perfectionem mundus in fine sæculi sortietur , quando intellectualis natura fuerit perfectam fœlicitatem adepta. Nam cæteræ creaturæ ; vt in quæstione proxima dictum est , ad intellectualem naturam ordinantur , & hæc ad septimum diem pertinet.

Prima

Prima diffic. Completio diuinorum operum debet ne diei. 7. ascribi?

CONCLVSIO.

COnsummatio naturalis operum Dei diei sexto, & septimo, secũdum diuersas acceptiones, ascribi potest. Patet ex nota. 2. Nam prima perfectio diei. 6. & secunda diei. 7. tribuitur. Compleuit enim Deus die. 7. opus suum, non creaturam nouam condendo ; sed creata administrando, & ad debitum finem mouendo.

Alex. Alen. m. 1. §. 2. S. Th. art. 1. & alij vbi suprà.

Hinc, consiliantur translationes. Nam, quæ consumationem tribuit diei sexto, intelligitur de consumatione, & perfectione prima , quæ est secundum integritatem partium ; nostra autem translatio vbi dicitur. Compleuit Deus die septimo opus suum, quod patrarat. Loquitur de cõsumatione, & completione, siue perfectione secunda , quæ est secundum operationem partium.

Appen. Genes. 3.

Secunda diffic. Requieuit ne Deus ab omni opere suo die septimo?

CONCLVSIO.

REquieuit prorsus, & si modò aliquid operatur , non est opus illud conditionis generum, & specierum ; sed gubernationis, & multiplicationis rerum, iam creatarum. Ita enim intelligendus est locus Io. 5. Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Et ratio est ; quia quàmuis potuisset plura fecisse, vel adhuc facere ; nihil tamẽ de cætero fecit , vel creando facit, quod illis primis diebus non præcesserit ; vt ex nota. 1. citato huius. q. constat. Quieuit igitur, in quantùm opus primordiale , quod est veluti seminarium , compleuit. Et confirmatur Eccl. 1. Nihil nouum sub Sole. Lege. D. Aug. epistol. 28. &. c. 14. 3. super Gen. ad literam. vbi hæc expresè docet. Et operatur, vt dictum est.

Alex. Alen. §. 3. S. Th. ar. 2. & alij vbi suprà. Ioan. 5. Eccles. 1. D. Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Appen. 1. *Matth. 13.* *Ad Gal. 4.*

Hinc multorum locorum sacræ Scripturæ explicatio colligitur: vt est locus Matth. 13. de consumatione sæculi in fine mundi. Vnde tempus plenitudinis dicitur ad Gala. 4. Et locus Ioan. 19. Consumatum est: quia non loquuntur de consumatione naturæ, quæ facta fuit die septimo; sed locus Matth. loquitur de consumatione gloriæ, quæ erit in fine mundi. Et locus B. Io. & D. Paul. de consumatione gratiæ, quæ fuit in incarnatione Christi; quia gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

Ioan 1.

Appen. 2. *Hierem. 31.* *Eccles. 36.* *Apoc. 21.*

Hinc etiã pendet declaratio illius loci Hierem. 31. Nouum creauit Dominus super terrã. Loquitur de incarnatione Christi. Et loci Eccles. 36. Innoua signa, & immuta mirabilia. Et Apoc. 21. Et dixit, qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Nihil enim nouum ex tunc fecit, quod non præcesserit aliquo modo in operibus primis, vel materialiter, vel causaliter, vel in suo simili, vt suprà in primo nota. in principio huius. q citato prædiximus; vt incarnationis opus nouum præcessit, secundum similitudinem hominum factus.

Ad Phil. 2. *Hæresis.* *D. Aug. lib. cõt. Adimãtum, & de Gene. contra Mich. c. 22.*

Hinc, tandem confutatur hæresis Manichæorum, quij vt autor est D. August. calumniabantur nouo testamento; quia Io. 5. dicitur. Pater meus vsquè modo operatur, & ego operor.

Io. 5. *Io. 5.* *Alex. Alen. q. 53. m. 2. &. q. 56. m. 2.* *S. Tho. q. 73. ar. 3.* *S. Bon. in expositione lit. Magist.*

Nota distinctionem D. Bona. vbi suprà de duplici perfectione vniuersi. Quarum prima, & præcipua est secũdum esse permanens, quæ attenditur in completa existentia principiorum, & completo numero specierum, à qua cessauit die septimo. Secunda est secundum illius esse decurrens, quæ consistit in productione eorum, quæ per tempora decurrunt, & sibi ipsi consequenter succedunt, ex cuius successionis ordinatione resultat quædã vnitatis pulchritudo, & perfectio. De hac intelligi locus: Pater meus vsq; modo operatur, &c.

Tertia diffic. De benedictione in. 5. &. 6. &. 7. die?

HAEC Difficultas est fœcunda, & parit ex se vnũ; atque alterum dubium: sunt tamen iacienda priùs aliquot fundamenta notatu digna.

Bene-

1. Fundam. *Iob. 2.* *Psalm. 67.*

Benedicere, siue benedictio in bonam, & in malam partẽ accipitur. In malam significat blasphemare, asperñari. Iob. 2. Benedic Domino, & morere, idest, blasphema, siue maledic Dño. Nam, per antiphrasim, hoc loco benedic pro maledic, vsurpatur. In bonã verò partem pro laude Dei sumitur. Vnde regius psaltes. In ecclesijs benedicite Deo Domino.

2. Fundam. *Psalm. 33.* *Psalm. 66.*

Benedicitur Deus ab homine, & homo à Deo. Deus quidem ab homine, cũ dignis laudũ præconijs extollitur. psal. 33. Benedicam Dñm in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Homo autem benedictionem à Deo assequitur, quãdo, gratiæ suæ dona homini impartitur. psal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

3. Fundam. *2. Cor. 9.* *Matth. 25.* *Prouerb. 10.*

Quidam sunt in plena benedictione, vt sancti in patria, de quibus. 2. Cor. 9. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Quidam etiam sunt in plena maledictione, vt damnati; Matth. 25. Ite maledicti, &c. Quidam tandem sunt mixti, nempe, in mundo existentes. Nam aliqui replentur benedictionibus, vt qui sunt gratia iustificati, & ab omni mortali peccato immunes, alij verò maledictionibus saturãtur; vt qui peccatorum sordibus sunt inuoluti. De ijs Prouer. 10. Benedictio Domini super caput iusti, os autem impiorum operit iniquitas.

Appen. *Genes. 3.*

Hinc, facile colligitur; cur Deus in statu innocentiæ Adæ benedixerit, & simul atquè peccauit, eidem maledixerit, maledicta terra, &c.

4. Fundam. *Deut. 8.* *Psalm. 15.* *Genes. 1.*

Benedicere significat, gratias agere; vt Deut. 8. Cùm comederis, & saturatus fueris, benedicas Domino. Et psal. 15. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, id est, gratias ei agam. Significat etiam bona alicui imprecari, & tribuere. Genes. 1. Creauit Deus hominem, ad imaginem, & similitudinem suam, benedixitquè ei. Et tandem sumitur pro sanctificare. Genes. 2. Benedixitquè Deus diei septimo, & sanctificauit illum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. I. Cur benedictio facta est super producta ex aquis, & non primò super terræ nascentia, & terrena animantia?

Doct. vbi. suprà. D. August.

RESpondeo cum D. August. apud Alexandrum. Terræ nascentia non fuere primò benedicta; quia non habuerunt effectum prolis procreandæ, & sine sensu gerebantur, & benedictio ad multiplicationem pertinet. Vnde dictum est creaturis, quas benedixit. Crescite, & multiplicamini, &c. Et quia plus pisces, & aues, quàm reliqua animalia multiplicant, priùs hæc ex aquis orta benedixit, per quorum benedictionem intelliguntur quoquè benedicta reliqua animalia.

Append.

Hinc, benedixit Deus homini; quia vbique terrarum conseruatur, & propagatione multiplicatur, quod nulli speciei animaliũ contingit. Lupos enim neq; Sardinia, neq; Anglia, neq; Baleares, in quibus maior, & minor continentur, nequè Ebusus, & huic proxima frumentaria, hactenus nouerunt.

DVB. II. Benedicuntur etiam res inanimatæ?

Prima Propositio.

Doct. vbi. s. Gen. 2. Matth. 26. & 14. & Luc. 9.

BEnedicuntur à Deo. Nam Gen. 2. Benedixit Dominus diei septimo, & sanctificauit illum. Et Christus Dominus panem eucharistiæ, & panes, quibus quinq; millia hominum satiauit, benedixit.

Secunda Propositio.

Benedicuntur quoq; res inanimatæ ab homine. Probatur conclusio multis benedictionum formis, quibus Ecclesia, ad varia genera rerum inanimatarum benedicenda, in missali, & sacerdotali Romano vtitur.

Appen.

Hinc, ex benedictione Christi originem sumpsisse videntur rerum inanimatarum benedictiones.

DVB.

DVB. III. Cur res benedicuntur?

RATIO Dubitandi est; quia cùm omnis creatura Dei bona sit, videtur non esse opus benedictione. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erãt valde bona. *Gen. 1. 1. Timo. 4.*

Respondetur. Quamuis omnis creatura Dei bona sit, tamen, quia inimicus humanæ naturæ hominum saluti, & vitæ spirituali, & corporali inuidens, nociua multa rebus, vsui humano deputatis, adinuenit; vt hominibus, & spirituale: & corporale damnum inferret. Ideò sanctificatur, inquit ibidem Apost. per verbum Dei, & orationem, scilicet, sacerdotis, nempè, ad effugandam inimici virtutem.

Appen.

Hinc, Ecclesia Spiritu sancto edocta; vt inimici prauitas eradicaretur, & fideles in bono statu, & quiete, conseruarentur, varias diuersarum rerum benedictiones in virtute Dei fieri instituit.

Quarta diffic. Cur Deus diem septimum benedixit, & sanctificauit, & non alios dies?

Docto. vbi suprà.

NOta primùm cum Alex. Alen. nomen benedictionis latiùs patere, quàm sanctificationis nomen. Et ratio est; quoniam est benedictio quædam temporalis; vt quæ consistit in rerum multiplicatione. Quæ benedictio; vt ex dictis patet fuit in quinto, & sexto die: est etiam quædam benedictio spiritualis, quæ rursus est duplex. Vna gratiæ, quæ est homini propria. Altera quietis æternæ, quæ dicitur hoc loco benedictio cum sanctificatione. Nota. 1.

Ratio dubitandi in loco est; quia cùm tempus de se sit indifferens, & dies sit temporis pars, non debuit magis dies septimus, quàm primus, & alij benedici. Nota. 2.

Propositio.

S. Bon. est.

Meritò dies septimus, & nõ alij, benedictione donatus est. Et ratio est; quia, vt dicitur malus non ratione sui, vt habet

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Ephe. 5. dubitandi ratio; sed mensuræ actionis malæ; vt B. Paul. ad Ephes. 5. Redimentes tempus; quoniam dies mali sunt. Ita è contrario dies est benedictus; quia est mensura alicuius operationis, in qua est benedictio, & sanctificatio. Nequè enim aliud est, diem benedicere, & sanctificare, quàm tali actioni diem consecrare.

Appen. Hinc, quoniam Deus omnia fecit ad hominis instructionem; vt eum non solùm verbo, verùm etiam opere erudiret: sicut sex diebus operatus est, & die septimo quieuit ab omni opere, quod patrarat; ita etiam concessit homini, vt sex diebus operaretur, & die septimo ab omni opere cessaret, & ei per contemplationem inhæreret. Et quia per quandam inhæsionem recipit homo ampliorem benedictionis, & sanctificationis gratiam, dicitur tantùm dies septimus, non ratione sui, sed illius, quod Dominus deputauit, in illo fieri, benedictus, & sanctificatus.

Alex. Alen. in.p.p. q. 61. per totū, & q. 67. m. 1. & in.2. p.q. 55. m. 2. 3. & 4. & q. 62. m. 5. per totum. B.Tho.q. 35. & 93. Magist. & Doct.scholastici hac. dis. & d. 3. primi. Castr.contra hæres.verbo, Adam, & Heua,hær.2. & vera ima go hær.2.

Dub. multa ad literam huius dist. tractat Alex. Alen. vbi suprà. Et quæst. 55. hactenus de dist. 15.

Magister Sent. Distinct. XVI.

Quæst. vnica, An homo ad Dei imaginē sit conditus?

HActenus Magist. Sent. de conditione creaturæ merè spiritualis, & creaturæ merè corporalis, disseruit. Iam hominis productionem aggreditur, qui ex vtraquè natura; vt Athana. in symbolo docet, conficitur. Anima siquidem rationalis, & caro vnus est homo. Hic enim, velut alter mundus, plasmatus à Deo est. Vnde Microcosmi nomen accepit. Quem si supinum statueris, & in vmbilico, qui in eo centri locum habet, circinum fixeris, & circumduxeris extrema digitorum in manibus expansis, & pedibus, attingendo, absolutum conficies orbem. Eritq; tibi perspicua satis quæstio hæc, si sequentes difficultates diligenter, & attentè legeris.

Prima

Prima diffic. Cur dixit Deus, hominem conditurus: faciamus hominem, &c?

MERITO Hoc quæritur; quia ad alias res producendas solùm vsus fuit verbo fiat; hominem autem producturus videtur consilio, & deliberatione vti dicens, faciamus. Alex. Alen. q. 55. m. 2. S.Tho.q. 93. art.5. &.q.91. art. vlt. ad.1. & alij vbi. s. Gen.1. D.Aug.

CONCLVSIO I.

Conuenientissimè verbum faciamus in hominis plasmatione appositum fuit. Et ratio est; vt hominis excellentissima dignitas præ reliquis omnibus demonstraretur. Ratio est D. August. in sermone quodam de imagine. Non autem, quòd Deus consilio, & deliberatione egeat, aut successiuam de suis operibus considerationem habere debeat, nec quòd plùs consultauerit, aut deliberauerit super homine faciendo, quàm de alijs creaturis, quasi hoc fuerit magis difficile.

CONCLVSIO II.

Nequè est intelligendus locus de Deo, & angelis, quasi Deus consulturus, ab angelis requirat; quo modo hominem nobiliter. Et ratio est; quia Deus non indigebat in creatione hominis adiutorio angelorum, plusquàm in creatione alterius creaturæ. Tum etiam; quia vox nostram identitatem naturæ insinuat; nulla autem est imago vna Dei, & angelorum. Theo. &. D. Basi.hom. 9. exameron.

Hinc, confutatur hæresis quorundam hæreticorum, qui ad angelos factum fuisse sermonem hunc asseruerunt. Hæresis.

CONCLVSIO III.

Nec sermo iste ad solum filium referendus est, quasi ad imaginem solùm filij homo factus sit. Et ratio est, quia dixisset tunc ad imaginem tuam, & non ad imaginem nostram. S.Tho.in sol. ad.3. Append.

Hinc, colligitur errasse, qui soli filio locutū fuisse patrem interpretantur.

CONCLVSIO IIII.

Nequè est locutio vnius personæ ad se ipsam. Et ratio est, quia nunquàm loquitur ad se ipsum, cùm aliquid facit. Castr. verb. anima.hæ. 5.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO V.

Loquitur ad personas, & ratio est; quia voluit vnius Deitatis Trinitatem sanctissimam personarũ insinuare. Et quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

CONCLVSIO VI.

Vtitur quoquè scriptura in hominis productione hoc speciali modo loquẽdi: vt ostẽderetur, alia propter hominẽ facta fuisse. Et ratio est; quia quæ principaliter intẽdimus, cũ maiori deliberatione, & studio facere consueuimus.

Dub. Cur postquã dictũ est creauit Deus hominem, ad imaginem, & similitudinẽ suam, additum est ad imaginem Dei *creauit illum?*

Alex. Alen. m.4.q.55. *Eccl.17.* Append.

REspondeo: primùm; vt declararetur, vnitatem essentiæ esse eius exemplarem causam. secundò, vt conuersio eiusdem ad eandem, tanquàm ad suum finem, indicaretur: Vtrumquè confirmatur Ecclesiæ. 17. vbi de conditione primi hominis loquens scriptura sacra dicit. Secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipsam.

Hinc, hominem ad imaginem, & similitudinem Dei esse factum, de fide tenendum est.

Secunda diffic. Potest ne homo dici imago Dei, *sicut dicitur ad eius imaginem factus?*

Alex. Alen. q.62.m.5. artic.3. S.Tho.q.93. art.1. S. Bon. q. 1. ar.1. Duran.q.5. Scot. & aly hac.d.16.

CONCLVSIO I.

IMago, si proprissimè sumatur, vt inquit Alex. 1. perfectè implés illud, cuius imago est; vt S. Tho. declarat, soli filio in diuinis respectu patris conuenit. Et ratio est; quia imago Dei perfecta, & propiriſſimè sumpta non potest nisi in idẽtitate naturæ reperiri, quæ est in filio, & non in angelis, neq; hominibus, vt fides docet. Et hoc modo Hilarius in lib. de syno. definit imaginẽ dicens, esse indifferentem speciem, & indistinctam, indiscretamquè, & vnitam similitudinem rei, cuius imago est.

CON-

CONCLVSIO II.

Imago propriè sumpta, quatenus repræsentat nobilem actum eius, cuius est imago, distinctionemquè, & ordinem, verè competit homini, & est homo Dei imago. Ratio est; quia hominis anima non solùm repræsentat Deum, quatenus ens, & viuens est; sed etiam nobilissimum eius actum, qui est intelligere. Atquè etiam repræsentat distinctionem, & originem, quæ est in diuinis personis, quantùm ad memoriam, & intelligentiam, & voluntatem. Imago enim dicit ordinem, & originem in potentijs suo modo, sicut est in personis. Et confirmatur autoritate D. August. in libr. 83. quæst. quæst. 51. qui dicit hominem imaginem, & ad imaginem esse. Nam propter similitudinem imago, & propter impefectionem similitudinis ad imaginem esse dicitur. Et; vt dicit D. Bona. in abstracto dicitur imago, in concreto ad imaginem; vt tabula, in qua est Regis imago depicta, dicitur imago, & dicitur ad imaginem Regis depicta. Lege D. Aug. in lib. de decem chordis.

Alex. Alen. ar. 7. vbi. 5. *D. August.*

Tertia diffic. Vtrùm homini naturaliter insit Dei *imago?*

CONCLVSIO.

IN est homini naturaliter Dei imago. Et ratio est; primùm; quia ineſt ei à prima sua origine. Et quia ineſt omni homini communiter, & inseparabiliter. Et quia competit ei, secundũ suas intrinsecas, & naturales potentias, intellectum, memoriam, & voluntatem. Quæ enim hoc modo insunt, naturaliter ineſſe dicuntur.

Alex. Alen. ar. 5. & 6. S. Th. ar. 4. S.Bo. q.2. & aly vbi.5.

Quarta diffic. Imago Dei cõuenit ne alijs ab homine?

Alex. Alen. art.2. S. Tho. ar. 2. S. Bon. q. 3. Dur. q. 1. & aly vbi. 5.

CONcuenit etiam angelis. Et ratio est; quia cùm anima eo ipso imago Dei sit; quo Dei capax, & particeps esse potest, & hoc competat angelis, sicut & homini, conueniet etiam angelis. Neque enim nobilissima omnium creaturarum natura, scilicet, angelica, nobilissima omnium condi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

conditionũ naturalium, quæ est esse ad imaginem Dei carere debuit, cùm intellectu, memoria, & voluntate prædíti sint, quibus imago Trinitatis sanctissimæ repræsentatur. Append.

Hinc, perspicuum est rationem imaginis non competere aliis creaturis, in quibus solùm remanet ratio vestigij, secundum vnitatem, veritatem, & bonitatem.

Quinta diffic. Est ne imago æqualiter in homine, & in Angelo?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. art. 2. S. Tho. art. 3. S. Bona. q. 1. art. 2. Dur. q. 2. & alij vbi sup.

Si loquamur de imagine, quantùm ad essentialia, perfectius in angelo, quàm in homine imago reperitur. Et ratio est, quia in eo est verior, & perfectior, & expressior ratio imaginis, q; in maiori participatione diuinæ perfectionis, conditum est, talis autem est magis angelus, quàm homo.

CONCLVSIO II.

Si autem sermo fiat de imagine, quò ad personalia, quæ est Trinitatis beatissimæ imago, æqualiter est in vtroquè imago. Et ratio est, quia hæc est distinctio, & origo, & æqualitas, & consubstantialitas in potentiis animæ, nempè, in memoria, intelligentia, & voluntate, sicut in potentiis Angeli.

Sexta diffic. Vtrùm imago Dei sit in fœmina?

CONCLVSIO I.

S. Bona. q. 2. art. 2. S. Tho. art. 4. Gen. 1. B. Ambros. Hexam. lib. 6. c. 7. & 8.

Est quidem. Probatur Gen. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, masculum, & fœminam creauit eos. Et mox effectum illius imaginis diuinæ explicans, subiungit. Dominamini piscibus maris, &c. Et ratione confirmatur quia forma æque ac vir mentem, & rationem, & libertatem arbitrij habent, in quibus imago Dei constituitur.

Hinc,

Hinc, imago, quantùm ad suum esse principale, quod in anima, & eius potentiis est, quatenus Deum trinum, & vnum repræsentant, & ad eundem debent conuerti, æquè est in fœmina, & viro, serua, & libero. Append.

CONCLVSIO II.

Ratione tamen quarundam circunstantiarum adiacentium excellentiori modo reperitur in viro, quàm in fœmina, Dei imago. Et probatur. Tum ratione præsidentiæ, quia mulier, etiam ante peccatum, erat naturaliter viro subdita, & vir soli Deo suberat. Vnde. B. Paul. dixit, virum esse imaginem Dei, non mulierem. Vt per pulchrè adnotauit. D. Chrysost. eo in loco, & super Genes. Tum etiam quia vir est caput, & principium mulieris. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Et enim non est creatus vir propter mulierem: sed mulier propter virum. Et propter has causas in viro magis, quàm in muliere, relucet Dei imago, qui est Dominus rerum omniũ, quas condidit, illisquè dominatur, & præest, & est illarum omnium finis, & principium, alpha, & ω. 1. Cor. 11. D. Chrysost. 1. Cor. 11. Apoc. 1. & 22.

Septima diffic. Vtrũ imago Dei sit in corpore hominis.

Circa hanc difficultatem fuit hæresis quorundam, dicentium imaginem Dei, ad quam homo factus est, à Deo esse corpori impressam, & non animæ. Quis autem fuerit huius hæresis autor nec Philaster, Brixiensis episcopus, nec D. Aug. qui contra illam disputarunt, indicarunt, vt Castro vbi suprà scribit. Alex. Alen. q. 62. m. 5. art. 5. S. Tho. q. 93. art. 5. Castro contra hæres. verb. imago. hæres. 2. Hæresis. Genes. 1.

CONCLVSIO I.

Imago Dei non est in corpore impressa, neque ad imaginẽ Dei factum est. Ratio est, quia si Dei imago esset in corpore hominis & non in anima, oporteret, vt alia bruta animalia, quæ similem homini habent sui corporis figuram, (qualia in mari aliqua esse dicuntur) imaginẽ Dei portarẽt, & essent ad imaginem Dei facta: quemadmodum homo. Et confirmatur autoritate sacræ scripturæ: nam postea quàm Deus creauerat cete grandia, & omnem animam viuentem, &c.

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad hominis creationem deueniens, dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem,& similitudinem nostram,vt præsit,&c. quod de solo homine,& de nullo alio animal dictũ est. Tum etiam,quia per id,homo Dei imago significatur,autore D. Augustin.quo irrationabilibus omnibus præest,& super omnia dominatur,quod non facit per corpus, cursus velocitate, fortitudine,&c.(In his enim homo à multis bestiis superatur,)sed per intellectum, & mentem, & memoriam, in quibus ratio imaginis sita est.

D.Aug.1. de Gen.contra Manich. cap. 17. & 12. de Trinit.c.7.

Hæresis.

Hinc, confutata manet hæresis in principio difficultatis posita.

CONCLVSIO II.

Methonymicos tamen non absurdè imago Dei appellari potest. Et ratio est, quia imaginem Dei optimè significant ea,quæ perspicuè in corpore relucent. Cùm corpus humanum, præ corporibus omnium animantium, habeat staturam, membra, vires, & organa rationi congrua. Vnde D. Aug. inquit. Non immeritò exterior homo dicitur particeps similitudinis Dei,non solùm;quia viuit,sed quia ad mentem se regentem conuertitur. Et alibi, corpus nostrum sic fabricatum est, vt erectum indicet nos meliores bestiis, à Deo similes.

D. Aug. lib. 83.q.q 51. & contra Manich.vbi.3. De Eccl. dog. c.vlt.

Octaua diffic. Quomodo imago à similitudine differt?

Alex. Alen. art.4. S.Th.art.2. S. Bo. q. vlt. Genes.1.

NOn immeritò hæc difficultas à doctoribus citatis discutitur. Nam si pro eodem similitudo, & imago sumerentur battologia, & inepta quædam nugatio in verbis Moysi offenderetur,dicentis in persona Dei. Faciamus hominem ad imaginem,& similitudinem nostram,quia similitudo iam antea in imagine fuit comprehensa, quare non opus erat pluribus, si vnum sufficiebat, & imago similitudinem includebat. Varij sanctorum patrum varias differentias adduxerunt ad earum distinctionem,quibus omissis, fit conclusio.

CON-

CONCLVSIO.

Similitudo non est imago, sed imaginis perfectio. Sensus enim germanus illius loci, faciamus hominem,&c. est, scilicet, faciamus hominem ad imaginem nostram, non qualemcunquè, sed apprimè nobis similem ita, vt homini nostra sit imago,non quæ naturam nostram obnubilet,vel obscurè exprimat, sed euidentiori claritate eius perfectionem manifestet.Nam B.Damas.lib.2.per plura capita similitudinem in virtutibus, & gratia Spiritus sancti cum aliis sanctis patribus constituit. Sic enim habet B.Irenæus lib 5.contra Valent. cap. 20. Quod perdidimus in Adam, hoc in Christo Iesu recepimus.Perdidimus autem iustitiam, pietatem, cæteraſquè virtutes,in quibus similitudo,quæ est imaginis Dei perfectio,sita est.Lege eundem lib. & B. Cyprianum ser. 3. de pœnitentia explicante locum. Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est,vbi ait. Etimus perfecti,si similitudo, quã Adam peccando perdiderat,in actibus nostris luceat.Vbi nomine similitudinis nihil aliud,quàm pietatis opera,intelligit.His suffragantur B.Amb. exponens illud Psal. 48. Homo cùm in honore esset. D.Basil. B.Hieron. & alij, quos citat Fœlisius. lege sequentem difficultatem.

Gen.1.

B.Damas.

B.Irenæus.

B.Cyprian.

Matth.5.

B.Ambr. Psalm.48.

B.Basil.

D.Hiero.

Nona diffic. Vtrùm Dei imago per peccatum amittatur?

Castro cõtra hæres. verb. Adam, & Heua.hær. 2. Nota.1. Victorian. Gen.1. Eucherius.

NOta primùm cum Victorino Afro, à quo B. Hieron. Rethoricam didicisse fertur. in lib. 1. contra Arrium, vbi differens locum. Faciamus hominem, &c. ait. Aliud est iuxtà imaginem esse, quod quidem substantia est, aliud autem iuxtà similitudinem esse, quod non est substantia, sed in substantia, nomen qualitatis declaratiuum. Quod confirmauit Eucherius Lugdunensis Episcopus libr. 1. super Gen, eundem locum faciamus hominem, &c. explicans, vbi ita scribit. Inter similitudinem, & imaginem, hoc interest, imago Dei omnium, similitudo paucorum. Hoc namquè imago Dei ab excellentia diuinæ similitudinis distat, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

imago Dei anima peccatrix esse non desinit: ad Dei autem similitudinem, nisi anima sancta fuerit, non perueniet. Quia illa anima creata est per naturam, hæc dabitur consummari per gratiam. Quoniam, si nihil aliud est imago Dei, quàm mens naturaliter animæ humanæ collata, quid aliud erit similitudo, nisi feliciter beatitudo conferenda. Hæc Eucherius.

Nota. 2.

Deinde animaduerte imaginis nomen non solùm capi in sacris literis iuxtà id, quod in natura situm est, & nunquàm perditur: sed aliquando etiam capi, iuxtà quasdam animæ qualitates. Pater ad Col. 3 Expoliantes, inquit B. Paul. Vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum. Ex quo loco apertissimè colligitur, hanc esse datam à B. Paul. differentiam inter veterem, & nouum hominem: vt vetus homo, qui ad peccatum pertinet, non habeat imaginem Dei: quia, scilicet, bonitate caret: nouus autem homo, qui ad gratiam per Christum recuperandam pertinet, Dei imaginem gerat. Iuxtà quod oportet: vt ibi imago non solùm consistat in nuda animæ substantia: sed etiam in gratia, per quam homo Dei formis fiat. Et B. Ambros. super hunc locum, inquit. Imago hæc in conuersatione bonæ vitæ intelligenda est, sicut dicit ad Corint. quemadmodum portauimus imaginem eius, qui de terra est, ita & portemus imaginem illius, qui de cœlo est. Ipse est ergo creator hominis, cuius imaginem portare nos iubet in sanctitate, & bonis operibus, quæ de filij Dei cognitione descendit. Hactenus D. Ambr.

Ad Col. 3.

B. Ambr.

1. Cor. 15.

CONCLVSIO I.

Hæreticum est asserere, imaginem Dei, quæ in nuda animæ substantia consistit, per peccatum amitti. Quantumcunquè enim homo se ipsum peccatis subdat, non perdit mentem, intellectum, nequè arbitrij voluntatem, in quibus sita est. Et ratio est, quia si in dæmonibus (vt B. Dionys. docuit) quorum peccatum multò grauius fuit, naturalia manserunt integra, quanto magis id factum esse in homine putandum est?

B. Dion.

Deinde,

Deinde, si peccatum aliquod subtraheret de natura, crebrescentibus peccatis: tandem aliquando ipsa peccata totam animæ consumerent naturam, quod nefas est dicere, immo, & hæreticum. Cùm anima sit immortalis, & incorruptibilis. Et confirmatur conclusio variis sacræ scripturæ testimoniis, præsertim illo Psal. 38. In imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur. Et illo. 1. Cor. 9. Vir non debet velare caput: quia imago, & gloria Dei est. Quæ testimonia de quocunquè homine dicta esse constat. Quale etiam est testimonium Genes. 9. Quicunquè effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem Dei, quippè, factus est homo. Et illud Iacobi. 3. Lingua maledicimus homines, qui ad imaginem Dei creati sunt. In quibus locis sacra Scriptura, tam de bonis, quàm de malis hominibus, in quibus etiam post peccatum remanet imago, loquitur.

Psalm. 38.

1. Cor. 9.

Gen. 9.

Iacobi. 3.

CONCLVSIO II.

Si imago iuxtà quasdam animæ qualitates capiatur, deperditur per peccatum, & per pœnitentiam, mediante Christi gratia, renouatur. Probata manet conclusio in secundo notabili ex D. Paulo.

Hinc, si Origenes; quando affirmauit imaginem Dei per peccatum amitti, locutus fuit de imagine: vt in prima conclusione sumitur, merito ab Epiphanio, Salaminæ Episcopo in quadam epistola ad Ioānem Episcopum Hierosolymitanum, de errore reprehenditur. Si autem locutus fuit de imagine: vt in secunda conclusione, nulla erit in eo hæresis suspicio. Lege Castrum vbi suprà.

Append. *Orig.* *Epiphanius.*

Magist. Sent. Distinct. XVII.

Alex. Alen. S. Tho. locis infrà citādis S. Bon. Scot. Dura. Rica. & alij hac d.

IN hac distinctione differit Magister de anima rationali, & corpore, ex quibus homo, tanquàm ex suis partibus, constituitur, & de paradiso terrestri, in quo post creationem positus fuit.

Quæst. 1. De anima rationali.

Alex. Alen q. 89. S. Tho. q. 75. & deinceps, & S. Bon. d. 18. art. 2. & d. 19. art. 1. Scot. hac d. q. 1. & alij ibidem. & Ale. Alen. m. 1. vbi suprà.

SEcutus methodum Aristoteleam, quam amplexus est noster Alex. q. citata, positis aliquot difficultatibus, absoluam quæstionem hanc.

Prima diffic. An sit anima rationalis?

CONCLVSIO.

NEgare animam rationalem esse, plusquàm hæreticum est. Nam, qui hanc conclusionem diffiteretur, innumerabiles errores, quos lõgum esset recensere, profiteretur. Et colligitur eius existentia ex manifestissimis eiusdem animæ actibus. Nam ratiocinari, verum à falso, & bonum à malo discernere, liberè velle, interpretari, artes inuenire, & alij id genus actus, indicant in homine esse aliquod principium, quod in alijs viuentibus nõ reperitur. Hoc idem etiam figura corporis humani significat. Prona enim, cùm spectent animantia cætera terram, os homini sublime dedit, &c. vt B. Greg. Nazanzenus apud Alex. docet. Et tandem ex dispositione, & distinctione membrorum aptissimè deprehenditur.

B. Greg. Nazan.

Secunda diffic. Quid nam est anima rationalis?

Alex. Alen. S. Th. ar. 1. q. 75. & 76. S. Bona. Duran. q. 1. vbi suprà.

CIrca hanc difficultatem duo sunt prænotanda. Primum hoc locò non esse instituendam disputationem de anima in genere, quæ ab Arist. 2. de anima diffinitur. Actus corporis physici, organici in potentia vitam habentis: sed de anima rationis participe.

Nota. 1.

Arist.

Nota. 2.

Anima hæc humana, seu hominis, ratione diuersarum operationum, diuersa sortitur nomina. Dicitur enim anima, quatenus corpus vegetat, animat, vigoremquè præstat, sine quo corpus instar trunci iaceret, qui effectus communis quoq; est animæ

animæ bruti. Vocatur quoquè spiritus omnis anima, siue ea rationalis sit, siue irrationalis. Vt Gen. Mortua est omnis caro, quæ habebat in se spiritum vitæ. Aliquando etiam sola anima rationalis spiritus nominatur: vt Ioan. 19. legitur de Christo. Et inclinato capite, emisit spiritum, id est, animam, quam ipse propria potestate emisit: sicut prædixerat. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Et quia dum cœlestia contemplatur, sursum fertur: etiam sensus, dum sentit, animus, dum sapit, mens, dum intelligit, ratio, dum discernit, memoria, quando recolit, voluntas, quando vult, appellatur.

Gen. c. 6. & 7.

Ioan. 19.

Ioan. 10.

Nota. 3.

Perinde animaduerte, diuersis quoq; descriptionibus animæ rationalis naturam à diuersis doctoribus, propter varios eius respectus, & operationes, declarari.

1. Definitio. *Alex. Alen. m. 2. per totũ.*

Anima est Deiformæ spiraculum vitæ. Hæc declarat animæ essentiam, quatenus ad causam efficientem comparatur, & per eam à quibuscunquè, ipsa non sunt, secernit. Nam per particulam, Deiformæ ab animabus irrationalibus separatur. Et spiraculum vitæ, eam ab angelis distinguit. De anima enim sola Gen. 2. dicitur. Et inspirauit in ipsum spiraculum vitæ. Vbi inspirare, idem est, quod spiritum facere, & factum corpori infundere. Similiter, & insufflare est flatum hominis facere, & factum corpori infundere.

Genes. 2.

S. Bona. ar. 1. q. 1. vbi. 5. Castr. verb. anim. hær. 2. contra hære.

Hinc, sicut quando Deus produxit verbo res ipsas, non fuit ibi vox materialis: ita quando insufflauit, non fuit, mediantibus fauçibus, & instrumentis corporeis.

Append. 2. Definitio. *D. Aug. de anim. & spi.*

Anima est substantia quædam incorporea, rationis particeps, regendo corpori accõmodata. Ita definitur à D. Aug. in comparatione ad corpus, quod informat. Quæ etiã perfectè animæ naturã delineat: nam substantia ab accidentibus, incorporea à corporibus, rationis particeps à brutis, regẽdo corpori accõmodata, ab angelis, illam segregat.

3. Definitio. *Cassiod.*

Anima est substantia spiritualis à Deo creata propriæ substantiæ sui corporis viuificatrix. Hæc quoque definitio, qua à Cassiod. in comparatione ad corpus, & ad se ipsam, quid sit declaratur, optima est. Nam pars illa à Deo creata posita est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne quis animam Dei substantiam esse credat. Et pars propriæ substantiæ sui corporis viuificatrix, apponitur: vt à non viuentibus separetur.

4. Definitio. Anima est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se, & in suo corpore ordinatus. Hæc definitio sumpta est à suo fine, & eam tradidit Seneca apud Alexandum, quæ est etiam rectissima.

Seneca.

5. Definitio. Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens, semper in motu, bonæ, malæque voluntatis capax. Hic quid sit anima ab effectis, & viribus, quibus agit in corpore definitur à D. August. in libr. de anima, & spiritu. Quam etiam attingere videtur D. Damasc. vt Alex. testatur. Quæ erit perfecta, si duæ priores differentiæ, intellectualis, nempè, & rationalis, cognitioni: tres autem posteriores, scilicet, semper viuens, semper in motu bonæ, malæque voluntatis capax, motui accommodentur.

D. Aug.
D. Dama.

6. Definitio. Anima est omnium similitudo. Hæc definitio est perinde recta, quæ desumpta est ex similitudine, quam cum rebus omnibus habet, quam D. August. libr. de anima, & spiritu illustrat, & declarat. Et ratio est: quia anima, aut secundum esse, aut secundum cognitionem cum rebus omnibus quodam modo conuenit. Nam conuenit cum substantijs corporeis inanimatis in esse, licet non in corporeitate: cum animatis in vita: cum sensibilibus in sensu: cum angelis in intellectu: cum Deo (siue dicatur substantia, siue suprà substantia, secundum Diony.) in intelligentia.

D. Aug.

D. Dionys.

7. Definitio. Anima est substantia spirituali, simplex, & indissolubilis, in corpore passibilis, atquè mutabilis. Hac definitione, quæ est profectò congrua, quatenus est à corpore separabilis, definitur. Est enim animæ substantia media inter inferiores, & superiores substantias. Vnde ratione superiorum: vtpotè, Angelorum, incorporea, passibilis, & mutabilis: ratione verò inferiorum substantiarum spiritualis, simplex, & indissolubilis, nominatur.

Tertia

Tertia diffic. Vtrùm anima rationalis constet ex materia, & forma?

Alex. Alen. q. 60. m. 2. art. 1. & q. 61. m. 1. & 62. m. 1. S. Tho. q. 75. ar. 5. D. Bon. ar. 1. q. 2. Scot. q. 1.

SAnctus Bona. diuersas affert opiniones, quibus prætermissis, & reuocatis in memoriam, quæ suprà q. 2. dist. 3. de Angelorum simplicitate scripsimus, sit.

CONCLVSIO.

Anima rationalis non est ex materia, & forma, composita. Et ratio est: quia si aliæ formæ non componuntur ex materia, & forma, multò minus anima rationalis, quæ inter omnes formas nobilissima, & simplicissima est. Deinde: quia cùm ex ente perfecto, & completo, non constituatur aliquod tertium per se, & ex anima rationali, & corpore constituatur homo, non erit anima ens completum: sed, vel materia, vel forma pura: & cùm non sit materia, erit forma. Quia dat esse homini, quod est proprium formæ.

Quarta diffic. Vtrùm anima sit corpus?

CONCLVSIO.

S. Tho. q. 75. ar. 1. Castr. contra hæres. verbo, anim. hær. 5. Luc. 24. Eccle. 3. Matth. 26. Luc. 23. Gal. 5. Hæresis.

ANima rationalis non est, nec esse potest corpus. Et ratio est: qa, quod spiritus est, corpus esse nequit. Dicente Christo. Palpate, & videte: qa spiritus carnẽ, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et anima rationalis spiritus est: vt sacra Scriptura multis in locis docet. Eccle. 3. Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum. Et Matth. 26. Spiritus promptus est: caro autem infirma. Vbi nomine spiritus significatur anima. Et Luc. 23. In manus tuas, Domine, cõmendo spiritũ meũ. Et ad Gal. 5. Caro cõcupiscit aduersus spiritũ, &c. Quare cum anima sit spiritus, non poterit esse corpus.

Hinc, confutatur error Tertuliani, qui docuit animam esse corpus, qui si intelligat esse corpus ita: vt partes habeat, in partesque scindi possit: quarũ vna in vno sit loco, altera in altero, ex locis citatis manifestè hæreticus esse conuincitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. Anima rationalis vnde originem trahit?

Alex. Alen. q. 61. m. 2. & q. 60. m. 3. ar. 3. S. Bon. ar. 2. q. 3. d. 18. Castr. hær. 3. contra hære. verb. anima. D. August. Gen. 2. B. Euch.

HÆc difficultas, quàm ex sui natura obscura sit varię opiniones, ac etiam hæreses, quæ ipsius occasione ortæ sunt, nobis ostendunt. Nam D. Aug. in. 4. lib. de origine animæ ex professo scriptis, & in epistola ad Hiero. & in ea, quæ est ad Optatum, & alijs in locis, quos præfati Doctores citant, dubius est. Perinde, & Eucherius libr. 1. super Gen. exponens illud. Et ædificauit dominus Deus costam, &c. sic ait. Quæritur, vtrùm fœmina de latere viri formata, ex eius anima acceperit animam? Et vtrùm, sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur? An nouæ semper procreentur à Deo ex nihilo? Quæ quidem quæst. in definiendo difficilis est, quia nihil est à sanctis viris, vel scripturarum autoritate manifestiùs pronunciatum. Hęc Eucherius. Sed iam ad singulas opiniones explicandas, & hæreses confutandas, accingamur. Fuerunt autem duæ autorum classes. Vna affirmantium non esse aliam animarum originem, præter creationem. Altera asserentium propagatione à parentibus traduci. Et qui sub alterutra classe continętur, sunt etiã inter se discordes. Nam inter primæ classis autores, quidam asseruerunt animas esse ex Dei substantia traductas, & esse quasdã diuinæ essentiæ particulas. Et hæc fuit hæresis Gnosticorum, quos secuti sunt Manichæi. Alij ex nihilo creatas esse affirmarunt. Et ex ijs, quidam sommiant, omnes simul à principio cum angelis productas fuisse. Et inter istos, aliqui opinantur eas sua sponte ad corporis contubernium venire. Alij Dei ordinatione corporibus vniri. Et inter istos posteriores, quidam affirmarunt, quasdam earum in alio sæculo per pietatem Deo adhæsisse, assumptasque ad Angelorum ordines fuisse: quasdam verò per inobedientiam à Deo recessisse, & in pœnam suæ præuaricationis ad corpora demitti, meliora, scilicet, vel viliora pro qualitate peccati vniuscuiusque, tanquàm in carcerem. Et Manichæi confingebant, animas

Hære.

mas descendere ad minima quæque bruta: ideoq; nulla mactanda esse: ne fortè anima patris in gallina occidatur: vt docet D. August. libr. 2. de animabus contra Manichæos. Fuit, & alius error prædictis vicinus Pythagoræ, quem sequuti sunt hæretici Albanenses, & Albigenses, qui dixerunt, animas transire de corpore in corpus. Secundæ classis autores sunt etiam diuisi, & discordes. Quia Tertullianus Apollinaris, & alij, quos D. Hieron. numerat in quodam dialogo suorum operum, ex traduce animas esse autumant: vt quomodo corpus ex corpore: ita anima filij nascatur ex anima patris. Alij, vt D. August. & Eucherius: vt in principio difficultatis dictũ est, neutram amplectuntur sententiam, nec se in alterutram partem determinant: sed in vtraquè fluctuant. Ijs ita constitutis, conclusiones subijciamus, quibus veritas aperitur, & hæreses confutentur.

D. Hie. epis. 27. inter August. ad Mar. D. Aug. epi. 157.

CONCLVSIO.

Anima nostra, nequè Dei substantia, nequè ex Dei substantia est. Et ratio est: quia tunc proprietates, quas Deo tribuimus, ei conuenirent, vt omnipotentia, de qua Genes. 18. Ego Dominus omnipotens. Et immutabilitas, iuxtà illud Malach. 3. Ego dominus, & non mutor. Et Iacob. 1. apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et aliæ, quæ nulla ratione animæ competere possunt, cùm non solùm non possit omnia: sed vix paucissima præstare valeat: sitquè innumerabilibus mutationibus, & vicissitudinibus subiecta. Quod satis in nobis passim experimur, cùm modò lætitia, modò tristitia afficiatur, modò iracunda, modò mansueta sit, modò quod antea nolebat, velit, & quod amabat, odio habeat, & modò virtutibus, modò vitijs studeat. Vnde meritò Iob. de homine scripsit. Nunquàm in eodem statu permanet. Fuit etiam canonizata in con. Braccaren. 1. c. 5. suorum decretorum. Vbi anathemate feriuntur Manichæus, & Priscillianus asserentes, animas, & Angelos ex Dei substantia esse. Est; & à Leone. I. huius nominis Pontifice in epist. 71. c. 5. ad verbum expressa.

Genes. 18. Mala. 3. Iacob. 1. Iob. 13. Hæresis.

Hinc, destructa manet hæresis Gnosticorum dicentium, animam esse ex Dei substantia. Castro vbi supra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæresis. Gen. 2.

CONCLVSIO II.

Hæreticum est docere animam priùs, quàm corpus, formatam fuisse. Constat expresè ex sacra Scriptura Gen. 2. Nam ex ea apertissimè colligitur, priùs fuisse corpus formatum, deinde animam creatam. Legitur enim, Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animã viuentem. Cùm dicit hominem formatum de limo terræ, corpus hominis expressit: quoniam anima non est facta de limo terræ: sed corpus. Dicens inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, animam declarauit: nam (vt suprà diximus) spiraculum vitæ nominatur.

CONCLVSIO III.

Alex. Alen. q. 62. m. 3. S. Bo. d. 18. ar. 2 q. 2. Psal. 32. D. Aug.

Animæ non fuerunt simul cũ angelis productæ. Hæc conclusio colligitur expresè ex Psal. 32. vbi dicitur. Qui finxit sigillatim corda eorũ. Vbi per corda animæ intelliguntur. Et D. Aug. lib. de Eccleſia. dog. credendum est, inquit, & firmiter tenendum, quòd non omnes animæ sint ab initio creatæ.

Error.

Hinc, error. Orig. libr. 1. Periarch. c. 7. & 8. & aliorum deprehenditur, qui animas simul creatas fuisse finxerunt.

CONCLVSIO IIII.

Hæresis. Alex. Alen. & S. Bon. vbi suprà. Rom. 9. 2. Cor. 5. Castr. hær. 32 q 2. cã. quod verò. hæresis. S. Bon. q. 2. art. 2. d. 18.

Hæreticum est asserere, animas antè peccasse, quàm corporibus vnirentur, & in corporibus, vel vt in carceribus detineri. Patet ad Roman. 9. de Iacob, & de Esau, de quibus dicit Apost. Antequàm aliquid boni, vel mali egissent, &c. Quare non ad punienda peccata, priùs commissa, animæ eorum in corpora, tanquàm in carcerem, detrusæ sunt. Et quomodo erit carcer animæ humanũ corpus, quod Apostolus indumentum animæ vocat, & anima tantopere desiderat: vt nolit eo expoliari: sed post separationem superuestiri?

Hinc, confutatur etiam error, dicentium animam hominis esse priùs formatam, quàm corpus. Lege Castr. hæresi. 9. verbo anima, contra hæreles.

CONCLVSIO V.

Est quoq; hæreticum affirmare, animas de corpore in corpus transire. Et ratio est: quia si cuiusque nostrũ anima in alio priùs

priùs corpore vixisset, non posse non esse memor quorundã, quæ ibi gesisset. Nam, vel decrepiti etiam frequenter ea memoria repetunt, quæ à teneris vngulis gesserũt. Et dines epulo, in inferno sepultus, nõ fuit immemor eorum, quæ in hoc sæculo antea contigerant. Lege Castrũ vbi suprà. hæresi. 8. *Luc. 1. 6.*

CONCLVSIO VI.

Doct. locis in principio dif ficult. citatis & S. Th. contra gen. li. 2. cap. 86.

Anima vna ex alia anima propagari haud potest. Et ratio est: quia nec tanquàm ex causa materiali, sicut corpus prolis ex corpore parentis, aut panis ex farina, nec tanquàm ex causa efficiente, nec vtroque modo: ita scilicet, vt anima parentis sit efficiens, & materialis causa animæ prolis. Primum enim non potest dici causa materialis: quia manet anima patris in patre, à qua est alia, & discreta filij anima. Est etiam anima patris simplex, & spiritualis, ab omni diuisionis partitione immunis: quare non poterit esse animæ filij materia. Secundò neque causa efficiens illius est. Et ratio est: quia nulla creatura aliquid facere potest, nisi ex præiacente materia (quia facere aliquid ex nihilo soli Deo proprium est) & cum nulla, vt modo diximus assignari possit animæ materia, non poterit anima parentis esse efficiens causa animæ prolis. Neque vtroquè modo: quia idem respectu eiusdem non potest efficiens, & materialis causa esse; Et cùm non possit materiæ separatim, vel efficientis causæ vicem gerere, non poterit vtriusque simul munus exercere.

CONCLVSIO VII.

32. q. 2. can. quod verò. D. Augusti. Exod. 21. 32. q. 2. can. quod vero.

Dici quoquè non potest animam cum semine traduci, & transmitti. Et ratio est: quia primũ sequeretur, animã esse mortalem. Nam cũ semen humanũ facillimè corrũpatur, fiatque generationi inutile, perinde animæ in semine latentes interirent: quoniã rationes seminales, quæ in rebus sunt, nihilo fortiores ac firmiores sunt rebus in quibus existunt: vt D. Aug. lib 6. de Gen. ad lit. c. 9. docet. Deindè, quia si anima cũ semine traduceretur, veréq; transmitteretur, nũquã esset in vtero matris fœtus siue anima, quod apertissimè repugnat sacrę scripturæ Exo. 21. vbi Moyses sanciuit diuersam pœnã percutiẽti mulierẽ sic, vt aborsum patiat. Quia si fœtus fuerit animatus, percussorẽ tãquã homicidã puniri præcepit: animã p anima, &c.

Si

Si verò non fuerit animatus, pecuniariam mulctam statuit. Quare lex illa fœtum in vtero materno, antequàm animetur, non esse hominem indicat.

CONCLVSIO VIII.

Can. quodvero. 32. q. 2. *D. Bona. q. vlt. d. 18.* *B. Hilarius.* *D. Ambro.* *B. Cyril.* *D. Chrysost.* *Error.* *Alex. Alen. q. 63.* *S. Tho. q. 76. per totam. q.* *S. Bona. d. 17 art. 1. & d. 18. art. 2.* *Scot. d. 9. q. 2. & d. 17. q. 1.* *Duran. q. 1.* *Ricar. & aly eadem. d. 17.* *Castro verbo anima cõtra hæreses, hæresi. 1.* *1. q. 3. can. si quis obiecerit.*

Animæ organizatis corporibus à Deo creantur, & creãdo infunduntur, & infundẽdo producũtur, quod est in masculis circa. 40. aut. 45. diem, in fœmellis, secundum quosdam, circa 84. diem. Et ratio est; quia debuit Deus sibi soli animarũ creationem reseruare. Tũ propter earum dignitatem, cùm eas ad seipsum cognoscendũ, & amandum, & vt ipso fruerẽtur, creauerit. Tum etiã propter animarũ immortalitatem: quia cùm solus Deus sit, qui habet vitam in semetipso, & vitam indeficientem, solus est, qui potest producere perpetuũ vitæ principium. Hæc conclusio multis sacræ scripturæ locis in quibus Deus omnium creator nominatur, & sanctorum patrum testimonijs potest confirmari. Et si per tempus licet, lege B. Hilarium lib. 10. de Trinit. propè finem. Et D. Ambros. lib. de parad. c. 11. de Noe, & arca. c. 4. &. 25. & epist. 21. & Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 9. D. Chrysost. homil. 23. in Ioan. & alios, quos sequitur Magister dist. 18.

Hinc, confutatur error dicentiũ, animas non creari à Deo: Contra quem disputat Castro verbo anima, errore quinto.

Sexta diffic. Vtrùm anima rationalis sit forma hominis.

Eccl. 12. *Iob. 21.* *Matth. 10.*

Circa hanc difficultatem fuit hæresis cuiusdã Parti Ioannis, qui concedebat animã rationalem esse formam corporis, non tamen sub hac ratione, qua rationalis: quia per hanc rationem, dicebet ille nõ potest corpus informare.

CONCLVSIO.

Anima rationalis, in quantum rationalis est forma essentialis corporis humani est. Hæc conclusio est de fide. Et ratio est: quia ex opposita conclusione sequuntur multæ hæreses. Primùm sequitur, hominem non esse Dei imaginem: quia imaginem in anima impressam esse ab omnibus conceditur, hac tola ratione, qua rationalis est. Secundò non esse hominem liberum: nam sublato ab homine eo, quod rationale dicitur, etiam oportet separare ab eodem id, quod est liberũ. Quoniã libertas sine ratione esse nequit. Tertiò nullo modo posse mereri, aut demereri. Quoniam id, quod liberum non est, nunquàm à Deo, siue ad pœnam, siue ad gloriam, imputatur. Quare necessariò confitendum erit animam rationalem, etiã in quantùm rationalis est, esse formam corporis humani. Quod etiam definitum fuit in concil. Vienen. Et refertur de sum. Trinit. & fide Cath. cap. vnico, vbi condemnatus fuit errõr dicti Petri Ioannis.

De pœn. d. 1. can. resuscitatus. *hæresis.*

Sept. diffic. Vtrùm anima rationalis sit immortalis.

S. Tho. q. 75. art. 5. *S. Bo. d. 18. q. vlt. & d. 19. art. 1. q. 1.* *Dur. q. 3. d. 18.* *Castr. contra hær. ver. anima hæresi. 7.* *Nota.*

Hæc difficultas longissimam disputationem postulat: breui tamen est expedienda. Nam, qui plura videre desiderat, doctores citatos legat. Immortale dicitur aliquid bifariam. Primò, vt solùm moriendi actum neget. Et ita immortale dicitur, quod nunquàm morietur, quamuis mori posset. Quo modo: vt infrà dicetur, aliqui affirmarunt, Adam si in iustitia perseuerasset, immortalem futurum ita: vt licet potentiam haberet ad mortem: nunquàm tamen mortuus fuisset. Secundò immortale sumitur, prout non solùm negat actum: verùm etiam potentiam mortis ita: vt sicut nunquàm morietur, ita nec mori possit. Et hoc modo Deum immortalem esse confitemur.

CONCLVSIO.

Anima hominis immortalis est. Hæc conclusio est de fide, quæ variis in locis sacræ Scripturæ clarissimè docetur. Eccles. vltim. Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Et Iob. 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam non possunt occidere. Alios locos reperies apud Doctores citatos, quos breuitati studens prætermitto. Fuit etiam hæc veritas catholica definita expressè ab Ecclesia ad verbum in concil. Lateranensi sub Leone. X. celebrato. Ratione confirmatur: quia cùm

Arist. 3. de anim. tex. 6. cùm anima rationalis sit per se subsistens, secundum suam substantiam: vt constat ex eius propria operatione, quæ est intelligere, quamuis corpus intereat, illa profectò superierit. Hãc quoquè veritatem confessi sunt antiqui philosophi, Pithagoras, Plato, Socrates, & Aristot. multis in locis. Lege S. Thom. 2. contra gent. cap. 78. 79. Et Ferrari. in comment. Et Aristot. lib. 1. de anima, qui quando dubitat, agit inquirendo veritatem, & non definiendo. Est tandem, hæc veritas primùm totius religionis Christianæ fundamentum. Si enim animæ nostræ simul cum corporibus interirent, qui in Christo credimus, miserabiliores cunctis hominibus essemus: vt D. Paul. 1. Cor. 15. docet.

1. Cor. 15.

DVB. Sunt animæ immortales ex dono Dei? An ex natura sua?

S. Tho. q. 50. art. 5. & vbi suprà. S. Bona. q. 1. d. 19. 1. Timoth. 6.

QVemadmodum corpora nostra, post resurrectionem, per gratiam Dei erunt immortalia: licet ex natura sua corruptibilia sint? Ratio dubitandi est: quia D. Paul. 1. Timoth. 6. de Deo dicit. Qui solus habet immortalitatem. Et concil. Constan. 6. actio. 11. dicit, angelos, & animas esse incorruptibiles, non per naturam: sed per gratiam.

CONCLVSIO.

Secundum fidem tenendum est, animas esse immortales, non ex peculiari Dei gratia: sicut erunt corpora post resurrectionem. Definita est expressè in concilio Lateran. citato. Vbi dicitur, animas nostras rationales esse formas corporum essentiales, & per eandem naturam incorruptibiles. Et ratione confirmatur: quia omnes animæ rationales sunt formæ simplices, & omnis corruptio fit per separationem formæ à materia, & cùm esse per se istis formis competat per naturam, tale esse erit inseparabile à forma.

Append. *Gabr. cautè legendus.*

Hinc, cautè legendus erit Gabriel. a. d. huius. 2 quæst. 1. concluf. 6. qui ait, angelos esse incorruptibiles: quoniam miseri-

misericordia Dei tenentur, ne corruant. Quare similiter, & animæ natura sua erunt corruptibiles, cum angeli sint nobiliores spirituales creaturæ. Nam licet, verum sit, quod si Deus non teneret huiusmodi creaturas, angelos, scilicet, & animas, vt docet Gabr. in nihilum resoluerentur, nihilominus tamen ex natura sua sunt incorruptibiles. Et ratio est, quoniam, vt perpetuò perseuerent, satis est communis influentia, & generale auxilium. Et esset maximum miraculum illas annihilare. Et quia per naturam sine miraculo nequeunt corrumpi: ideo sunt per naturam incorruptibiles. At verò, vt creaturæ corruptibiles, nunquàm intereant, non sufficit generale auxilium. Sed, vt perpetuò sint: quoniam in seipsis habent intrinsecè corruptionis principium, speciale auxilium, & miraculum desideratur.

Autoritati D. Paul. citatæ respondetur, accepisse immortalitatem: quia Deus minimè mutatur, reliquæ omnes creaturæ sunt mutabiles, & quæ incorruptibiles sunt mutationi subiiciũtur, vel secundũ cogitationẽ, vel secundũ esse. Hæc D. Ambros. ad Gratianum. Et S. Tho. in eodẽ loco. Vel dic secundò, angelos, & animas non esse per naturã immortales: quemadmodũ Deus: quia Deus habet immortalitatẽ à semetipso, reliquæ autem res incorruptibiles habent immortalitatem, nõ à seipsis sed à Deo. Hæc B. Diony. de diui. nomi. c. 6. Conciliũ autem citatum in contrarium satis se explicat. Nam dicit, angelos, & ex consequenti animas, non esse per naturam immortales, sicut Deus, quia Deus à semetipso: angeli verò, & animæ Dei beneficio. Et appellat gratiam, gratuitam naturam à Deo datam: non autem vocat gratiã bonã Dei voluntatẽ. Vel fortassis vocat gratiã, diuinam cõseruationẽ, qua oẽs creaturæ indigẽt.

D. Ambros. S. Thom. B. Dionys.

Hinc, etiam confutantur duæ hæreses. Vna Sadducæorum, dicentiũ, animas simul cũ corporibus interire. Vnde negabant etiam resurrectionem. Quã hæresim Christus suo ore proprio confutauit: dicens. Non legistis, quod dictũ est à Deo, dicente vobis. Ego sum Deus Habraam, & Deus Isiac, & Deus Iacob. Nõ est Deus mortuorũ, sed viuentiũ. Vnde colligitur, q̃ cum nõ viuãt in corporibus, viuũt alicubi eorũ animæ. Altera hæresis fuit Arabũ, q̃ dixerũt animas simul cũ corporibus interire, sed

Hæresis. Matth. 22. Actor. 23. Exod. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed post modum in resurrectione iterum cùm corporibus suscitari. Et contra illas agit Castro vbi suprà. Alexand. Alen. & S. Thom. quæst. citatis, & aliis nonnullis sequentibus quæstionibus distinct. hac. 17. & sequentibus innumeras, præsertim de anima difficultates, & de corpore etiam hominis tractant, quas data opera missas facimus: ne breuitatem, cui studemus, longiùs quam par est, progredientes, obliuioni tradamus.

Alex. Alen. q. 58. S. Th. q. 102. doctores hac dist. 17. S. Bon. super liter. Scot. q. 2. Duran. q. 3. Ricar.

Quæst. II. De opere collocationis, idest, de paradiso terrestri.

HÆc quæst. positis aliquot difficultatibus, erit conspicua.

Prima diffic. Vtrùm paradisus terrestris sit locus in terra corporeus, vel rei spiritualis figura?

Alex. Alen. m. 1. S. Tho. art. 1. et alij vbi 3.

TRES sunt de hac re sententiæ, vt refert Magister ex D. August. 8. super Genes. ad literam. c. 1. Quidam namquè corporalem duntaxat admiserunt paradisum. Alij metaphoricum, & spiritualem tantum. Tertij verò corporalem, & spiritualem simul cõstituerunt. Et hos sequitur Magister cum D. August. Paradisus in sua generali significatione dicitur, vbicunquè feliciter viuitur. Ita habetur ex D. August. ad Dardanum. Paradisus in sacra scriptura, vel sumitur spiritualiter: vt Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Vel corporaliter, vt Genes. 2. plantauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, de quo infrà. Rursus paradisus spiritualiter significat triplicem paradisum, nempe, anagogicum, id est, beatum cœlicolarum cœtum, allegoricum, id est, Ecclesiæ militantis locum, & moralem, id est, amenitatem virtutum in anima, siue bonæ conscientiæ tranquilitatem. Lege D. Aug. lib. 14. de ciuit. Dei. c. 26. & lib. de Gen. ad lit. c. 5. & 6.

1. Notab. D. August. 2 Nota. Genes. 2. D. Aug. de ciuit. Dei. c. 21. D. August.

Semper

Semper diuina Scriptura est interpretanda in sensu literali, & historico, quando ex tali sensu non sequitur aliquod inconueniens, vel absurdum: super quem sensum spiritualis sensus est fabricandus. D. Aug. est. 8. super Genes. ad literam. c. 1. & 13. de ciuit. Dei. c. 21.

Regula. 1. D. August.

Hoc proprium est diuinæ Scripturæ (maximè veteris testamenti) quòd in ea non solùm significant voces: sed & res gestæ à sapientissimo Deo præordinatæ sunt figuræ, aptissimæ futurorum, & rerum spiritualium. Et probatur: quia, vt B. Paul. docuit: Omnia in figura contingebant illis, scilicet, antiquis Dei cultoribus sub lege, & ante legem, Sara namque, & Agar erant vera fœminei sexus corpora: nihilominus significabant duo testamenta. Petra etiam Christum præfigurabat: tamen in deserto monstrabatur, quæ copiam aquarum effuderat.

Regula. 2. D. Aug. 12. de Gen. ad li. c. 5. & 24. & 13. de ci. Dei. c. 11. & 21. 1. Cor. 10. Gala. 4. Gen. 2.

CONCLVSIO I.

De fide est, paradisum fuisse locum corporeum in terra. Probatur: quia Gen. 2. describitur paradisus quibusdam conditionibus, & circunstantiis: vt patet de arboribus, & fluminibus, quibus quidem circunstantiis apertissimè conuincitur corporeum esse paradisum. Hanc veritatem Catholicam probat D. Aug. in lib. 9. super Genes. ex illo loco. Vniuersa illa terra irrigabatur, sicut paradisus. Et D. Chrys. homil. 13. in Genesim idem tenet. Fuitque hæc veritas canonizata in sexta synodo Constantinopo. actio. 11. Et tandem ex prima regula confirmatur. Ex hac enim interpretatione nullum absurdum, vel inconueniens sequitur. Et cùm sensus Gen. sit historicus, oportet saluare ea, quæ secundum sensum literæ, & historiæ dicuntur.

D. Aug. Genes. 3. D. Chrysost.

CONCLVSIO II.

Potest quoquè, non solùm literaliter: (vt dictum est) paradisus: verùm etiam spiritualiter declarari. Conclusio hæc ex 2. notab. & ex. 2. regula apertissimè colligitur. Et est D. Aug. vbi refert opiniones in principio citatas.

D. Aug. Append. D. Aug. lib. 13. de ciuit. Dei. c. 21.

Hinc, lignum vitæ in medio paradisi accipitur primò literaliter pro materiali arbore, cuius fructus habebat virtutem præseruandi vitam. Secundò spiritualiter significat Christum,

Dei sapientiam, vel Christi crucem. Et lignum scientiæ boni, & mali ibidem materialis arbor fuit: quæ quidem ita appellabatur, propter futurum malorum euentum.

Hæresis. Hinc, confutatus manet error Origenis, qui asseruit, paradisum spiritualiter tantùm esse intelligendum. Vt D. Aug. lib. 2. de hæresib. cap. 43. docuit. Et cap. 59. tribuit eandem Seleucianis. Quam hæresim impugnant B. Hiero. in epist. ad Pama. de erroribus Orig. & Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, quæ habetur in. 2. tomo epistol. B. Hieron. quem citat S. Thom. in hoc. 2. præsenti distinct. 17. art. 2. quæst. 3.

D. Aug.
B. Hiero.
Epipha.

Secunda diffic. Fuit ne paradisus aliquis determinatus locus, vel potiùs tota terra?

Hugo. HVgo de sancto Victore in annotat. super Gen. scribit, quosdam opinatos fuisse paradisum ante peccatum fuisse totam terram. Ita sentit quædam gloss. & citatur in caten. aurea.

CONCLVSIO.

Qui paradisum non esse determinatum locum assereret temerarius: immo hæreticus esset. Et ratio est: quia communis sanctorum sententia determinatum esse locum confitetur. Et *Gen. 2.* probatur: quia dicitur Gen. 2. Tulit Deus hominem, &c. scilicet, de loco, in quo condiderat illum. Quare non tota terra erat paradisus. Et fuit ob culpam eiectus de paradiso, & non *Gen. 3.* de tota terra. Et posuit Deus angelum ad viam paradisi custodiendam.

Tertia diffic. In qua mundi parte fuit terrestris paradisus situs?

Doct. vbi s. VAriæ fuerunt de hac re opiniones. Beda vsque ad lu-
S. Tho. narem circulum pertingere dixit. Alij sub æquinoctiali in monte super omnem altitudinem montium
S. Bon. Dur. eleuato

eleuato constituunt, vbi aquæ diluuij non attingerunt. Hæc fuit opinio S. Thom. in 2. dist. 17. quæst. 1. art. 2. & Bona. & Dura. vbi suprà. Et Marsilij. q. 1. art. 1. Tertia fuit opinio communior Magistri hac. d. Et S. Tho. hoc loco. Lact. Firm. lib. 2. diuinarum institutio. c. 13. Damas. lib. 2. c. 11. Isid. lib. 14. etymolo. c. 13. & aliorum, quæ sequenti conclusione continetur.

Lactan. *D. Damas.* *Isidor.*

CONCLVSIO.

Paradisus est locus in orientali parte constitutus. Et probatur autoritate Hebræorum secundum translationem. 70. interpretum dicentium. Et plantauit dominus Deus virgultum in delitiis ab initio, non temporis inquit gloss. sed loci, id est, orientis, in quo posuit hominem, quem formauerat. Et confirmatur ratione: quia cùm homo sit præstantior cæteris creaturis, dempto Angelo, quo paulò minor est, erat collocandus in præstantiori loco, & nobiliori, qualis est orientalis pars. Propterea quòd ab ea incipit motus. Vnde. 2. de cœlo dextera pars ab Arist. nominatur. Sancti, qui dixerunt paradisum positum esse in monte alto, qui pertingebat vsque ad globum lunarem, locuti fuerunt hyperbolicè, sicut in sacra Scriptura frequenter habetur.

Ioseph. lib. 1. de antiq. c. 2. *Psalm. 8.* *Arist.* Nota. 1.

Quando doctores affirmant, paradisum esse in oriente, non loquuntur absolutè: sed vel respectu terræ sanctæ, vel respectu terræ, quam habitabant: vt quando Matth. scribit, Magos venisse ab oriente, loquitur respectu loci, in quo scribebat euangelium: vel vbi natus est Christus. Nota. 2. *Matth. 2.*

Quarta diffic. In qua parte Orientis fuit paradisus?

CONCLVSIO.

NOn fuit in extremis partibus, quas paulò post lapsum patres nostri cognouerunt. Et ratio est: quia aliæ partes fuerunt orienti propinquiores, quàm paradisus. Propterea quòd ciuitas, quam post fratricidium ædificauit Cain, erat magis orientalis, quàm Edem, in qua Edem fuit paradisus. Et constat apertissimè Gen. 4. egressusque Cain à facie domini, habitauit profugus in terrâ ad orientalem plagâ Edem. *Gen. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. In qua igitur parte orientali erit paradisus?

VAriæ fuerunt sententiæ. Quidam enim dixerunt fuisse in Salmatia Asiatica in montibus Armeniæ: quia ibi est mons Taurus à quo emanant quatuor flumina potentissima, de quibus infrà. Alij esse in Mesopotania existimant: quia Tygris, & Eufrates illam circumeunt. Alij verò opinantur esse in Palestina, vbi erat Sodoma, & Gomorra. Gen. 13. Quia irrigabatur, sicut paradisus domini. *Gen.13.*

Prima Propositio.

Paradisus non est in Salmatia Asiatica. Et ratio est: quia regio illa est frigidissima.

Secunda Propositio.

Verisimillimum est paradisum in. 4. climate esse constitutum. Ratio ex scriptura colligitur: quia regiones, quas coluit Adam post peccatum, sunt in. 4. climate. Non enim credēdum est, quòd ad magnam distantiam discesserit. Tum etiam: quia omnes ciuitates, quas habitauit, sunt in. 4. climate: vt patet de Hebron, vbi Adam maximus sepultus est. Vbi B. Hieron. irridet eos, qui dicunt fuisse sepultum in caluario sub cruce Christi. Et potest confirmari ex eo, quod in Genes. dicitur, habitasse Adam propè paradisum: vt tantæ rei amissæ recordaretur. Quod autem fuerit antè paradisum: patet ex translatione. 70. interp. eiecit Deus Adam de paradiso, & stare fecit antè paradisum. Item vbi nos habemus: plantauitquè Deus paradisum voluptatis, in hebraica veritate habetur. Plantauitquè Dominus paradisum in Edem. Et Edem est in quarta climate. Sed vbi modo sit, ignoramus. *Iosue.14.*

Sexta

Sexta diffic. Fuit ne aquis diluuij innundatus?

CONCLVSIO.

AQuæ diluuij non illum attigerunt. Et ratio est: quia sicut tanta cathaclismi innundatio fuit miraculosa: ita mirabili Dei ordinatione, potuit hic locus à diluuio præseruari. Et cōfirmatur exemplis sacræ Scripturæ: quemadmodū Aegyptus, Israelitis clara lucē gaudentibus, fuit horrore palpabilium tenebrarū percussa. Et rursus Israelitis panem cœlitus missum ad manducandū præbuit: quem tamen Iebuseis, & Amorreis nō administrauit. Et confirmatur exemplo m ris, quod præbuit Israelitis aditum. *Exod.10.*

Septima diffic. Fuit ne paradisus locus humanæ habitationi conueniens?

CONCLVSIO.

FVit. Et ratio est: quia, cùm homo in statu innocentiæ fuerit potens non mori, fuerunt illi duo necessaria, nēpe, sumptio cibi ad reparandum, quod per calorem naturalem ex humido radicali consumebatur, & maxima aeris temperies. Quia mors ex defectu istorum naturaliter euenit. Quæ quidem Deus, qui in necessarijs non deficit, homini in paradiso contulit. Dedit enim illi fructus omnium arborum, præsertim ligni vitæ, & aerem temperatissimū. Erat namque locus hominis dignitati & conseruationi, & perpetuitati naturæ conuenientissimus. Nam in eo erat dispositio magnificæ gloriæ, & super admirandæ virtutis, & aptitudo ad influētias cœlestium contemplationum. *Doct. vbi. §.*

Hinc, cùm paradisus locus sit amenissimus, vnde Hebræi nominant Geneedem, id est, ortum delitiarum, & Græci delitiarum ortum. Et Latini paradisum voluptatis: & ad bonitatem loci, teste Arist. 6. Politico. amœnitas situs, & vegetabilium, & fluminum, & influentiarum, & aeris, &c. desideretur. Ideo Dominus in paradiso terrestri de humo, id est, de terra humectata produxit omne lignū pulchrum visu, id est, omnem arborem pulchram, quantùm ad coloré, & figuram ramorum, florum, fructuum, & foliorum: & suaue ad vescen- *Append.1. Arist.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, scilicet, vt esset homini, ad spirituale delectamentum; & salutare nutrimentum. Nam homo pro statu naturę integrę habuisset animalem vitam cibis conuenientissimis pro conseruanda sanitate indigentem.

Appen. 2. Hinc propter loci dignitatem nullum brutorum animalium fuisset in paradiso. Nam quando eis nomina imposuit fuerunt ministerio angelorum introducta, & statim eiecta. Et serpens à dæmone, Deo permittente, fuit adductus: vt Heuam tentaret.

Octaua diffic. Ad quid Deus primum hominem in paradiso posuit?

Alex. Alen. m. 2. S. Tho. ar. 3. & alijvbi. 8. D. Aug. Gen. 2.

HAnc diffic. præcipuè tractant Alex. & S. Tho. & absoluunt eam cum D. Aug. lib. 8. Gen. c. 8. 9. & 10. & 11.

CONCLVSIO.

AD hunc finem: vt operaretur, & custodiret illum. Hæc conclusio expresè habetur Gen. 2. vbi legitur. Tulit ergo dñs, Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis: vt operaretur, & custodiret illum. Qui locus dupliciter iuxtà sententiam D. Aug. locis citatis, potest declarari. Primò: vt ipse Deus operaretur, & custodiret illum, id est, hominem. Operaretur quidem, illum iustificando, & custodiret, à malis eundem tuendo. Secundò potest intelligi: vt homo operaretur paradisum, non operatione pœnali, nec in sudore, & labore: quinimò in delitijs, & voluptate. Vel magis: vt se in paradiso operaretur: ne quicquam ex acceptis sibi perperà amitteret, & custodiret se ita Deo gratũ: vt non inde maxima cum confusione eijceretur. Nõ enim ab alienis inuasoribus custodiendus erat: quia omnes bestiæ erant ei subiectæ. Lege Alex. Alen.

Append. *S. Tho. ar. 4. vbi suprà.* Hinc, colligitur hominẽ nõ in paradiso fuisse creatũ: sed extrà illũ. Dicitur enim in tex. Tulit ergo dñs Deus hominẽ, scilicet, quẽ anteà formauerat, & posuit, &c. Et ratio est: qa talis locus non cõueniebat ei ex natura: sicut angelis, secundũ naturalem dignitatem cœlũ empyreum, in quo creati fuerunt: sed per gratiam: vt quid homini per naturam, & quid per gratiam competeret, cognosceretur.

Nona diffic. Quot genera lignorum, seu arborum inserunt, & produxit Deus in paradiso?

CONCLVSIO.

TRia. Et probatur inductione, siue partium enumeratione: quia primum genus fuit earum arborum, quæ ad substantiam humidi radicalis actione caloris naturalis resolutam, reparandam, & restaurandam pertinebant. Huius generis erant omnia ligna paradisi, præter lignũ scientiæ boni, & mali, & lignum vitæ. Secundi generis fuit lignũ scientiæ boni, & mali, à Deo prohibitũ: non quòd malum, aut noxiũ esset, cùm omnia à Deo creata essent valdè bona: sed propter puræ, & simplicis obedientiæ meritũ interdicebatur. Tertium fuit lignum vitæ ad immortalitatẽ, cuius vsu virtus caloris naturalis fortificabatur, & species primi humidi radicialis, ne ab extranei ad mixtione dilaberetur, confortabatur. Continentur autem 3. genera lignorum expresè Gen. 2. vbi dicitur. Produxitq; dominus de humo omne lignum pulchrũ visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali.

D. Aug. libr. 13. de ciui. c. 20.

Gen. 2.

Decima diffic. Dedisset ne fructus arboris vitæ tempore infinito, semel sumptus, vitam.

DE hoc ligno latiùs infrà dist. 19. Fueruntque vt ibidem poteris videre duæ de hac re sententiæ. D. namque Aug. sæpiùs fuisse accipiendum opinatur, & ob hoc lignum vitæ dictum, quòd contra vetustatem daret stabilitatem. Nam, vt in proxima diffic. diximus, humidum radicale, seu calorem natiuum debilitari non sinebat: atque ita senectutem arcebat. Quæ de sententia D. Aug. ex caloris natiui diminutione proficiscitur. Alij putarunt, semel sumptum potuisse hominem in statu immortalitatis vitæ transfere.

D. Aug. lib. 13. de ciui. c. 20. lib. 14. c. 26. libr. 6. de Gen. ad lit. c. 25. libr. 1. de pecca. mer. remiss. c. 3. & li. 2. c. 20.

CONCLVSIO.

Haud semel sumptus vitã infinitã dare potuisset. Et ratio est: quia virtus illius arboris, sicut & aliorum corporum, erat finita. atq; ita nõ poterat fructus illius arboris semel sumptus

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitam tempore infinito dare: sed ad certum tempus. Et si iterum, atq; iterū sumptus fuisset, multis annis non tamen tempore infinito, illum comedens vixisset.

Append. Genes. 3.

Hinc, locus Gen. 3. Nunc ergo, ne fortè mittat manū suam; & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternū, erit ita intelligendus: vt æternum pro longo tempore sumatur. Et hoc modo, quæ diuturna sunt, æterna in sacris literis nominantur. Vt Exodi. 21. Perforabit autem eius subula, & erit seruus in sæculū, id est, toto tēpore vitæ suæ. Et Psal. 102. Misericordias domini in æternum cantabo, id est, longo tempore, toto huius vitæ meæ curriculo. Et Hiere. 2. A sæculo cōfregisti iugū meum, id est, à multo tempore. Quia eadem istis in locis ponitur dictio. Vox enim Hebræa leolā non solum, quod est sempiternum: sed etiam longum tempus significat.

Exod. 21. Psalm. 102. Hiere. 2.

Vndecima diffic. Cur arbor scientiæ boni, & mali appellata est?

QVidam contentiosi, & amentissimi homines somniarunt, Adam à comestione ligni, nactum fuisse boni, & mali scientiam: vt D. Chrysost. homil. 16. super Genes. scribit.

D. Aug. lib. 13. de ciuit. c. 20. & lib. 8. de Gen. c. 5. & 6. D. Chrysost.

CONCLVSIO I.

Nomen scientiæ boni, & mali non ei à natura sibi à Deo indita conuenit: sed posteà ab euentu tale nomen accepit. Et ratio est: quia quàm primùm homo fructum illius arboris manducauit, quanta esset inter bonū obedientiæ, & malum inobedientiæ erga Deū distantia, per infelicem experientiam agnouit: quemadmodùm fures addiscunt, quantùm sit malum furari, quantaque pœna dignū, dum suspenduntur. Tum etiam ex dæmonis promissione, qui illis, post degustatum pomi ferculum, scientiam boni, & mali pollicebatur. Homo enim, si non comedisset, nunquàm malum pœnalis miseriæ expertus fuisset: sed sine interruptione in delectatione puri boni perstitisset.

CONCLVSIO II.

Error. Summa dementia, maximusq; error est: ne dicā hæresim, asserere Adam à comestione ligni scientiam boni, & mali, nactum

ctum fuisse. Et ratio D. Aug. est: nam, qui animantibus nomina indidit, & qui assequutus fuit admirabilem prærogatiuam propheriæ, quā de muliere pronuntiauit, dicendo: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quomodo quid bonum, quid vè malum esset, ignoraret?

D. Aug. lib. cont. aduers. leg. & proph. c. 14.

Duodecima diffic. Fuit ne Adam cæcus antè ligni prohibiti comestionem?

RAtio dubitandi est: quia dicitur in textu statim à comestione apertos fuisse oculos eorum.

D. Chrysost. vbi supra.

CONCLVSIO.

Non est existimandum, primos parentes instar canum cæcos esse creatos, & nō crescendo: sed peccādo visum adeptos. Hæc conclusio est D. Chrys. & Aug. locis citatis. Et ratio est; quia ista oculorum apertio, non corporaliter: sed spiritualiter intelligenda est. Et confirmatur à simili, quemadmodū Agar, Saræ ancilla, quæ sitiente, ploranteque Ismahele, apertos aduertit oculos, conspexitque puteum, cui priùs nūquàm clausi erant oculi. Et. 4. Reg. 6. de puero Elisei. Aperuit dñs oculos, & vidit, & ecce mons plenus equorum, &c. Et discipulorū in via ambulantiū oculi peribētur aperti: vt panis fractione dominū agnoscerent: ita primos homines intelligere debemus alterōs esse factos ad intuendū, & cognoscendū, quid iā noui in suis corporibus accidisset. Quę quidem corpora obtutibus quotidie nuda subiacebāt. Alioquin, quomodo mulier vidisset lignum esse oculis ad videndum speciosum?

D. Aug. lib. 1. cont. 2. ep. Pel. c. 16. & lib. 1. de pec. merit. & re. c. 22. & li. 4. cont. art. sibi fal. impos. & libr. 1. de nupt. c. 5. Gen. 3.

Hinc, cōfutatur hæresis dicentiū, primos parētes antè peccatum fuisse cœcos, &c. quam destruit Castr. ver. Adam hær. 5.

D. Chrysost. D. Aug. Gen. 21. 4. Reg. 6. Luc. 24. Hære.

DVB. *Qualis fuit arbor vitæ?*

REspondeo. De sententia Hebræorum fuit ficus. Statim enim: vt comederunt aperti sunt oculi eorū, & cognoscentes se nudos, cōsuerunt folia eiusdē arboris, & fecerunt sibi perizomata, id est, cinctoria circà lūbos, dicta à peri, quod est circum, & zoma corpus. Lege Iosephum de antiquitatibus, & Magistrum historiæ Ecclesiasticæ.

Ioseph.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimatertia diffic. Quid de amœnitate aquarum paradisi dicendum?

Gen.2. RESpondeo. Fuit per magna. Nã Gen. 2. legitur. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum: qui inde ducitur in. 4. capita, nomen vni Phyſon, &c. Quorum duo poſtremi Tygris, atque Euphrates noti ſatis ſunt omnibus. Oriuntur enim ambo ex Armenia maiore, & Euphrates longo tractu per Seleuciam, tãdem Babylonem alluit. Tygris verò attingit tandem Teſiphontem, potentem ciuitatem: poſtea verò in vnum tandem concurrunt fluuium, & exonerant ſe in mare Perſicum. De primis autem duobus maior eſt difficultas. Ioſephus enim, & D. Hieron. in quæſt. Hebraicis opinantur, Phyſon illum eſſe fluuium, qui Græcis triuiali vocabulo dicitur Ganges, in quem de ſententia Plinij lib.6. naturalis hiſtor. cap.18. vnde viginti dicuntur fluere amnes. Gion verò vocatur Nilus, qui inundat fermè totam Ægyptum, poriſſimũ, Sole in cancro exiſtente. Huius ortus ignoratur, teſte Lucano dicente, Arcanum natura caput, non prodidit vlli nec licuit populis, paruum te, Nile, videre. Nec mirum cùm locus paradiſi, vnde flumina trahunt originem, ſit: vt D. Aug. 8. ſuper Gen. ad lit. docet, à cognitione hominum remotiſſimus, & alicubi ſub terras labantur, & poſt tractus prolixarum regionum, locis aliis erumpant, quod nonnullas aquas facere ſolere dubitat nemo.

Ioſeph. D. Hie. Plinius. Lucanus lib. 10. pharſal. D. Aug.

Decimaquarta diffi. Quinam fuerunt in hunc hortum delitiarum, & voluptatis paradiſi tranſlati?

Prima Propoſitio.

Geneſ.2. PRimus ex tranſlatis fuit protoplaſtus Adam. Et habetur ad verbum Gen. 2. Tulit ergo hominem, & poſuit eum in paradiſum. Vnde autem illum tulerit, non ſatis inter Ioſeph. doctores conſtat. Ioſephus enim in cãpo Damaſceno de limo terræ rubræ plaſmatum fuiſſe affirmat, à qua nominis appellationem

lationem traxit. Quia Adam Hebraicè terra rubra interpretatur, ex quo loco fuit in paradiſum tranſlatus. Alij propè campum Damaſcenum. Alij verò formatum fuiſſe circa medium terræ habitabilis, quod videtur eſſe Hieruſalem, quæ eſt, quaſi vmbilicus orbis. Proprerea quòd in Beth-lehem ſecundus Adam Chriſtus erat naſciturus, & moriturus in Hieruſalem. Tum etiam: vt tranſeundo à medio orbis terrarum ad extremum orientis, vbi erat paradiſus, videret, & attenderet, quanta Deus fecerat in ſuperficie terræ, & quantum gloria regionis paradiſi, quam illi præparauerat, à regionibus beſtiarum diſtaret. Appen.1.

Hinc, nec in inſtanti, nec per aera, fuit in paradiſum trãſlatus: ſed ſucceſſiuè, & inferius per terram: vt omnia conſpicere, & animaduertere poſſet: quod intellige breuiſſimo temporis ſpatio factum fuiſſe.

Hinc, etiam intelligitur factum fuiſſe extrà paradiſum: vt agnoſceret, paradiſum non deberi ſibi ex communi concurſu naturæ: ſed ex ſpeciali diuinæ gratiæ dono: quemadmodum, & immortalitatẽ in ſtatu innocentiæ, perſeuerando in gratia, habuiſſet. Append.2.

Secunda Propoſitio.

Fuit etiam Henoch tranſlatus in paradiſum. Hæc cõcluſio habetur expreſsè Gen. 5. Henoch ambulauit cum Deo, & non apparuit: quia tulit eũ dñs. Et Eccl. 44. Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum? vt det gentibus pœnitentiam. Gen.5. Eccleſ.44.

Tertia Propoſitio.

Fuit ſimiliter Elias in paradiſum trãſlatus. Hæc pinde ac. 2. ꝓpoſitio in ſacra Scriptura continetur, licet non ita expreſsè. Nã Malach. 4. legitur. Eccè ego mittã vobis Eliam prophetã, ante quàm veniat dies domini, magnus, & horribilis, & conuertet cor patrũ ad filios, &c. Et de eodem. 4. Reg. 2. & Matth. 17. habetur aſcendiſſe per turbinem in cœlum. Quod cùm nõ poſſit de cœlo empyreo intelligi, qa nemo, ante aſcenſionẽ Chriſti, illuc introiuit: debet de aliquo loco cœleſti, vel cœleſtis diſpoſitionis, qualis eſt paradiſus terreſtris intelligi. Malach.4. 4.Reg.2. Matt.17.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ratione confirmatur.2.&3.propositio: quia cùm scriptura facta non affirmet,Eliam,& Henoch mortuos fuisse, non videtur esse locus conuenientior paradiso, in quo vsque ad finem mundi collocarentur. Nec videtur esse alius locus, vbi congruentiùs vitam animalem conseruare possent,quàm ibi de fructu ligni vitæ,quod est in medio paradisi, comedendo. Illum enim locum D.Dama.diuinam regionem vocat.

B.Dama.

Decimaquinta diffi. Quorsum Henoch,& Elias fuerunt in paradisum translati, & ibi conseruantur?

REspondeo. Ratio,& finis huius rei est:vt communis catholicorum Doctorum sententia testatur, nempe, vt ante diem vniuersalis iudicij, quem præcedet Antichristi perfidia,inde exeant,& contra illum prædicent,& eos,qui tunc erunt increduli, ad fidem Christi reducãt. Aliam rationem adducit. D. Tho. super epist. ad Hebr. c.11. dicens. Quia doctrina veteris testamenti ordinatur ad promissa noui, in quo quidem spes vitæ nobis promittitur.Matth.4. Pœnitentiam agite;appropinquabit enim regnum cœlorum.

S.Thom.

Matth.4.

Hinc,data à dño sententia mortis Adæ,voluit etiam ducere homines in spẽ vitæ, quod fecit in patribus vtriusq; status: in statu quidẽ naturæ in Henoch, in statu legis in Elia, & in statu gratiæ in Christo,per quem datur nobis effectus huius promissionis,qui est vita æterna. Nam resurgens ex mortuis, iam non moritur,&c.

Ad Rom. 6.

Append.

Decimasexta diffic. Quando fuerunt Adam,& Heua à paradiso electi?

CONCLVSIO.

ADam,& Heua ipso die creationis suæ, nempe,feria sexta,& sexto die mundi, circa meridiem præuaricati fuere, & paulò post circa horam nonã fuerunt à paradiso electi. Hæc conclusio ex communi Christianorum sententia colligitur,cui temeratium,propter eandem causam,esset,cõtradicere.Lege Vincent.histor.lib.1.

Hinc,

Hinc,nouus Adam Christus, post multorum annorum circula,feria eadem, & eadem hora sexta cruci affixus, eiusdem peccati debitum soluit, & circa horam nonam expirans, latroni adytum paradisi,reserauit. Append.1.

Hinc, homo ignobilis effectus, propter culpam meretur à loco dignitatis expelli.40.d.can.Adam,& de pœn.d.11. Append.2.

Magist. Sent. Distinct. XVIII.

Alex. Alen. q.42. m. 2. ar. 3. & q. 58. art. 4. per totum. & q.85. S.Tho. q. 92. & q.102.art. 4. & q. 119. art. 1. & D. Bo.Sco. Dur. & Ricar. & alij hac dist. Alex. Alen. q.58.§. 4. & q.85.m.3. S.Tho.q. 94. art.4. S. Bona. & alij vbi.5. D.Aug.

Quæst. vnica. De formatione Heuæ.

QVæstio hæc; vt aliæ, positis aliquot difficultatibus, explanabitur.

Prima diffic. Formauit ne Deus mulierem se ipso solo? An aliorum ministerio?

CONCLVSIO.

SOlo Deo immediatè facta est mulieris formatio. Conclusio est D. Aug.3. de Trinit. & 9. super Gen.ad literam. 15.18 & 19.c.vt Alex.& S.Thom.referunt. Et ratio est:quia sicut nullam valẽt angeli creare naturam, neque costãt transubstantiare, & in formam muliebris sexus humanam reformare. Hac potissimum causa:vt homo solùm in Deum tenderet,quem diligendo,suum creatorem agnosceret. Ac etiam,ne creatura aliquid iuris in homine haberet, quo illi obligatus magis,quàm Deo,maneret.

Secunda diffic. Fuit ne Heua formata in paradiso, vel extrà illum?

CONCLVSIO.

FVit quidem in paradiso formata. Colligitur conclusio ex 2. c. Gen. Nam existente Adam in paradiso, tulit vnam de costis eius,& ædificauit eam in mulierem. Sunt etiam

multæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen.2. multæ rationes, quibus conclusio confirmatur. Id enim Dei sapientiam decebat. Tum propter principij dignitatem, ex quo corpus eius formandum erat. Et quia filij similiter, propter dignitatem parentum, fuissent ibidem nati. Et: vt ex hoc mulier grauior, & honorabilior haberetur.

Append. *D. Greg.* *Gen.19.* *D. Ambr.* Hinc locus non saluat animam. Nam Angelus in cœlo, & homo in paradiso peccauit. Et Loth in peruersa ciuitate fuit iustus, & in monte peccauit. Nec loci, nec generis nobilitate vnusquisque gratiam comparat sibi. Nam vir extrà paradisum factus est, & mulier inferior intrà paradisum. Hæc sunt D. Ambro. & D. Greg. & referuntur can. illud, & sequenti can. quælibet, distinct. 49.

Tertia diffic. Debuit ne potiùs ex viro, quàm ex limo terræ, sicut Adam formari?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. §. DEcuit: vt ex viro formaretur. Et ratio est: quia vir est Dei imago, & sicut omnia ex Deo sunt: ita decuit totum genus humanum ex vno homine sumi. Et vt vir magis vxorem amaret, & vxor viro, tanquàm suo principio, & capiti inseparabiliùs adhæreret. Et, vt processio Ecclesiæ à Christo, secundo Adam, significaretur. Est conclusio hæc de fide. Nam Eccl. 17. legitur post formationem hominis. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi. Et act. 17. D. Paul. ait. Fecitque ex vno homine omne genus hominum, &c.

Eccles. 17. *Act. 17.*

Append. 1. *Doct. vbi supra.* *Dub.* Hinc, etiam infertur responsio dubij. Cur magis mulier de viro, quàm è cõtra? Et ratio est: quia in secundo Adam Christo erat hoc quoque futurum. Ex eo enim erat formãda Ecclesia. Et ideo: vt perfecta essent Dei opera, debuit esse similiter, & mulier de solo viro. Sic enim cõpleti sunt quatuor modi producendi hominem. Vnus communis ex viro, & muliere. Alter sine viro, & muliere: vt productio primi Adæ. Tertius ex muliere tantùm sine viro: vt fuit Christi ex virgine productio. Et quartus productionis Heuæ ex viro sine muliere. Sic enim, tunc congruebat: quoniam vir est caput mulieris, & non vir, propter mulierem: sed mulier propter virum, facta est.

Hinc,

Hæresis. Hinc, destructa manet hæresis affirmantium, Heuam eodem puncto, quo Adam de limo terræ formaram fuisse. Nam sacra scriptura apertè oppositum docet. Sapien. enim. 10. ita legitur. Hæc illum, qui prius formatus est à Deo pater orbis terrarũ, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo. Quare si primus fuit Adam formatus, & solus creatus, non simul ex limo terræ cum illo Heua. Et. 1. ad Timoth. 2. B. Paul. ait. Adam primus formatus est, deinde Heua. Et quid hoc testimonio clariùs?

Sap.10. *33.q.5.can. nec illud.* *1.Tim.2.*

Quarta diffic. Fuit ne Heua formata ex costa Adæ?

Alex. Alen. *q.85.m.2. & alij vbi supr.*

CONCLVSIO.

FVIT planè. Hæc est de fide. Et præter auctoritates proximis duabus difficultatibus allegatas, quibus ad literam hæc veritas Catholica demonstratur. Gen. 2. habetur. Vocabitur virago; quia de viro sumpta est. In quibus verbis, nomen mulieri imponens Adam, illius etymologiam, & deriuationis rationem expressit. Vt quemadmodum à viro mulier educta fuerat: ita à viri nomine nomen mulieris deduceretur. Lege & D. Paul. 1. Cor. 11. vbi eandem sententiam docet, sic inquiens. Mulier gloria viri est. Nõ enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Ecce audis mulierem ex viro esse factam. Et nunquam alibi legitur ex viro facta, nisi cùm Heua fuit ex costa Adæ formata. Accedit ad hæc concors omnium sacrorum Doctorum sententia, quæ tanti est momenti: vt pro Ecclesiæ definitione sit tenenda. Omnes enim ad vnum vsq; hoc concorditer senserunt. Lege D. Aug. lib. 9. super Gen. ad lit. c. 19. & lib. 12. de ciuit. Dei. c. 21. Chrysost. homil. 15. super Gen. Greg. lib. 30. moral. c. 24. Theophylactum super Paul. ad Eph. 5. &. 1. ad Cor. 11. Ansel. super eadem Paul. loca. Eucherium. super Gen. c. 20. &. 21. Petrum Lombar. hac. d. B. Hieron. super epist. ad Philemo. declarantem locum Exod. Credidit populus Deo, & Moysi seruo eius.

1.Cor.11. *33.q.5.can. nec illud.* *Gen.2.* *Castro.lib.1. contr. Hæres. c.7.* *D. Aug.* *Chrysost.* *Gregor.* *Theophyl.* *D. Ansel.* *Eucherius.* *B. Hieron.* *Exod.19.*

Hinc, qui assereret, Heuam non esse formatam ex costa Adæ: & locũ deformatione Heuæ ex costa Adæ nõ esse intelligendũ iuxta literã: sed iuxta mysteriũ: non quidẽ per allegoriam:

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam: sed per parabolã erraret in fide. Ratio est, nam & si in sacris historiis ea, quæ gesta narrantur mysteria, alia sub literæ cortice contineant: semper tamen in illis veritas historiæ priùs iuxta grammaticam significationem accipienda est. Deinde misticus sensus quærendus est, vt regula suprà posita innuit.

Quinta diffic. Fuit ne Heua de sola costa Adæ producta?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. 3. NOn solùm de costa, siue osse: verùm etiam de aliqua carnis particula fuit Heuæ corpus formatum. Probatur ex eodem text. hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quare de osse, & carne Adæ fuit corpus Heuæ formatum. *Dub.* Cur ergo magis à costa, quàm à carne fit denominatio? Respondeo. Quia illa fuit pars principalior. Vel quia vir mulieri confert robur, & mulier par viri consortium vigorem accipit. Et vir per mulieris consortium debilitatur, & emolitur, mollisque & effœminatus redditur. *Append. 1.*

Hinc, colligitur Christum factum fuisse infirmum: vt Ecclesiam roboraret. *Append. 2.*

Hinc, dicitur Gen. 2. Et repleuit carnem pro ea: quia vir dedit mulieri fortitudinem, & suscepit infirmitatem. Et quia costa illa carnis locum occupabat. Non enim facta fuit in Adam costa illa: vt in eo maneret, sed vt ex ea mulier formaretur. *Gen. 2.*

Hinc, licet costa illa superflua videretur esse in Adam, quatenus erat individuum: erat tamen de perfectione, & decentia illius, quatenus erat mulieris, siue humani generis principium. Et confirmatur à simili: vt semen, licet, superfluum in individuo sit: non tamen tale est respectu rei ex ipso generandæ. *Append. 3.* *33. q. 5. can. nec illud.*

Hinc, costa illa non in Adam: sed in Heua, cui erat intrinseca, resurget. *Append. 4.*

Sexta

Sexta diffic. Fuit ne formatum Heuæ corpus de costa Adæ secundum rationem seminalem?

CONCLVSIO.

HAud fuit. Et probatur ex Arist. 5. metha. quia ratio seminalis non attenditur, secundum quamcunque potentiam: sed solùm secundum potentiam proximam. Quãdo, scilicet, ex aliquo proximè, & per vnum processum formari potest: nihil autem tale erat in costa Adæ respectu corporis Heuæ. Neque enim per quamcũque transmutationem, nec per plures, potuit illa costa naturaliter conuerti in corpus Heuæ: sed sola diuina virtute. *Doct. vbi. 3. & S. Bon. ar. q. 2. & 3.*

Hinc, opus formationis Heuæ da costa Adæ non fuit miraculum: sed mirabile. Cùm non simpliciter secundum rationem causalem fuerit. *Append.*

Septima diffic. Cur de costa Adæ dormientis, & non vigilantis formata est mulier?

CONCLVSIO.

IMmisit Deus soporẽ in Adam: vt formaret Heuam, non ad mitigandum, quem sentire poterat, dolorem: sed propter significationem; & mentis Adæ eleuationem. Ratio primæ partis conclusionis est: quia poterat Deus sine vllo prorsus dolore, & horrore, costam à vigilante separare. Secundam partem probat D. Aug. tract. 9. in Ioann. dum ait. Dormit Adam: vt fiat Heua. Moritur Christus: vt fiat Ecclesia. Et de latere dormientis fit Heua: quia dormiente in cruce Christo, lancea percutitur latus: vt profluãt sacramenta, quibus formatur Ecclesia. Tertia pars, scilicet, propter mentis eleuationem, probatur communi sanctorum sententia, asserentium, immissum fuisse soporem Adam: vt ipsius mens per extasim particeps fieret, tanquàm angelicæ curiæ: vt ingrediens sanctuarium Dei, nouissima intelligeret. Vnde continuò spiritu prophetiæ plenus, sacramentum hoc magnum eructauit. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. *Alex. Alen. q. 42. m. 2. ar. 3. & S. q. 2. vbi suprà. Alex. Alen. q. 85. m. 2. D. Aug. in 56. psal. D. Aug. Genes. 2.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Append. Hinc, non secus manifestata est Dei omnipotentia, non excitando à somno dormientem, per extractionem costæ, ac si Heuam de latere sine dolore, & horrore, vigilantis formasset.

Octaua diffic. Decuit, vt non ex capite, neque ex pedibus, sed ex latere viri Heua formaretur?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m.2. vbi. §. & alij. PRofecto ita decuit. Et ratio est: nam cùm mulier non esset viro dominatura, non debuit de capite viri fieri. Et quia vir non erat illam, tanquàm seruam, contemptu-
Doct. vbi. §. rus, & tractaturus, non fuit de pedibus viri facta: sed decuit, vt de latere viri multis de causis formaretur. Quarum prima est: vt vnicum demonstraretur principium, quo nihil commodiùs contra discordiæ vitium (cùm exiterit) explodendum: vel (cùm nondum inualuit) cauendum inueniri potest: vt autor est D. August. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 21. & 26. Secunda est:
D. Aug. vt indicaretur, quàm chara mariti, & vxoris debeat esse communicatio, reciprocaquè dilectio: vt ei separabiliùs adhæreret, dum ex se productam agnosceret, eamquè vt sociam sibi
Gen. 2. gratissimam, haberet. Vnde sanctus Moyses. De viro sumpta est: quam ob rem, relinquet homo patrem, & matrem, & ad-
Gen. 2. hærebit vxori suæ. Tertia tandem sit, & vltima causa, propter
Ephes. 5. significationem: nam per hoc significabatur: vt suprà diximus,
Ad Phil. 2. emanatio Ecclesiæ ex latere Christi, iuxtà illud B. Pauli. Sacramentum hoc magnum est (scilicet, matrimonium) ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Christus namquè, propter Ecclesiam reliquit patrem, se ipsum exinaniendo, vsquè ad formam serui, nec non matrem, scilicet, Synagogam, & adhæsit vxori suæ, sacrosanctæ Ecclesiæ. Quam licet meretricem offenderit: virginem tamen fecit. In fide siquidem est virgo, in carne paucas habet. In fide omnes virgines, & integras habere

habere debet. Optaui vos, inquit D. Paul. Vni viro virginem *2. Cor. 11.* castam exhibere Christo. Hæc, inquam, virgo quamquam sit: parit tamen plurimos, qui virginem sanctissimam imitantur Mariam, quæ Dominum peperit, & virgo inuiolata permansit.

DVB. Mulier quomodo viri socia, eique subiecta simul esse potest?

RAtio dubitandi est: quia si est viri socia, vnde ex latere producta fuit. Cur D. Petrus hortatur mulieres: vt se viris suis submittant? eosquè dominos agnoscant? exem-
Alex. Alen. q. 85. m. 2. *1. Pet. 3. c.* plo Saræ, quæ viro suo Abraham sedulo obtemperabat, eum-
Ad Titum 2. què dominum appellabat. Et ad Titum cap. 2. Paulus: vt doceat adolescentulas subditas viris suis, &c. scribit: Respondeo. Quatenus mulier de latere viri sumpta est, socia viri fuit: inquantum verò ex viro, tanquam ex principio existit, præcipitur ei: vt se submittat viro suo, eumquè dominum præfectum, ac rectorem agnoscat suum. Et ratio est: quia decet, vt qui ab alio originem trahit, ei subdatur, à quo procedit. Lege
D. Aug. D. Aug. de hac re perpulchrè differentem. 19. de ciuit. Dei cap.
33. q. 5. cau. manifestum, & deinceps. 14. & 15. vbi inquit. Præesse debent, qui consulunt, subesse quibus consulitur. Hoc naturalis ordo præscribit. Sic Deus hominem condidit. Lege omninò Alex. vbi suprà de subiectione
9. c. sequent. ante peccatum, & post illud.

Append. Hinc, vir cùm simul socia, & subdita sit ei mulier, non existimet secum arrogantia vxorem suam, tanquàm seruam, aut mancipium, suum proprium commodum quærens, posse tractare: sed quæcunquè dura adhibet, in bonum mulieris dirigere debet: quemadmodum parentes proles castigant, non sui gratia: sed salutis, ergò prolium. De anima Heuæ tractatum fuit in quæstione de anima rationali suprà.

Universidad de Deusto Biblioteca

Magist. Sent. Distinct. XIX.

Quæst. vnica. De immortalitate, siue mortalitate primi hominis, secundum corpus?

Prima diffic. Vtrùm in statu innocentiæ fuerit homo mortalis, vel immortalis?

Alex. Alen. q.88.
S.Tho.q. 97.
S. Bon. Dur. Scot. Ric. & alij hac.d.19.
Alex. Alen. m.1.
S.Tho. art.1.
S.Bon. art.2. & alij vbi.§.
Nota.1.
Ad Rom. 8.
Ad. Rom. 8.
D.Aug.
Nota.2.
Nota.3.
Hugo.lib.1. de sacr. c.18.
Ad Heb.9.
Sap 5.

MOrtale rectè vocatur, quod potest mori: necessariò tamen non debet mori. Et confirmatur ex B. Paul. qui mortalia corpora vocat, quæ mori possunt, etsi non debeant. Viuificabit, inquit, & mortalia corpora vestra. Id est, auferet mortalitatem ita: vt mori non possint. Quia non tantùm auferet necessitatem mortis: sed & possibilitatem. Nam quod necessariò moritur, appellat Apostolus non mortale: sed mortuum. Corpus, inquit, mortuum est, propter peccatum, id est, necessitati mortis addictum. Lege D. Aug. lib.1. de pec. merit. c.3. & 5. & lib.6. de Gen. ad lit. c.25. & lib.3. contra Iulianum.

Immortale bifariam sumitur. Primò: vt significat negationem aptitudinis, siue potentiæ moriendi. Et hoc modo immortale idem est, quod non potens mori. Secundò: vt significat negationem actus moriendi tantùm, atque ita immortale idem est, quod potens non mori.

Triplex est status humanæ naturæ. Primus naturæ institutæ, siue innocentiæ, in quo poterat homo mori, & non mori. Secundus naturæ lapsæ, in quo homo potest mori: sed non potest non mori: quia statutum est omnibus hominibus semel mori. Et tertius naturæ glorificatæ. Iusti enim in perpetuum viuent.

CONCLVSIO I.

Homo ex natura sua in primo statu non erat immortalis: sed mortalis. Et ratio est: quia mortale est, quod est aptum, natumque ad moriendum, siue potens mori, & tale fuit corpus primi

primi hominis ex natura sua, siue ex parte materiæ: vt Alex. & S. Thom. vbi suprà docent. Et probatur: quia tunc poterat calor naturalis agendo in humidum radicale, id consumere, ad cuius consumptionem sequeretur etiam extinctio caloris, & mors: vt patet exemplo ignis, & olei. V. de D. August. 14. de ciuitate Dei capitu. 26. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret, lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret. Quare senecta poterat dissolui, poterat humidum radicale consumi, & tandem mori. *D. Aug.*

CONCLVSIO II.

Fuit tamen tunc immortalis, id est, potens non mori. Et ratio est: quia in statu illo data fuere illi duo remedia, contra duos defectus, ex quibus mors oritur. Quorum primo, qui est deperditio humidi radicalis, ex actione caloris naturalis subueniebatur, per esum omnium lignorum paradisi. Et ita dictum fuit ex omni ligno paradisi comede. Secundo autem defectui, qui est debilitatio naturalis vigoris complexionis hominis, quæ nascitur ex commixtione extranei nutrimenti, cùm calore, siue humido, radicali (quemadmodum vinum eò magis debilitatur, quò ampliùs aqua ei commiscetur) remedium per esum ligni vitæ adhibebatur. Atquè ita erat potens non mori. Tum etiam: quia poterat non peccare, etsi non peccasset, non fuisset mortuus. Vnde dixit Dominus Adæ. In quocunquè die comederis ex eo, morte morieris, id est, morti obnoxius eris. *Gen.2.*

Hinc, si non comedisset, non mortuus fuisset. Append.1.

Hinc, credendum est: vt Scot. docet, quòd ante quàm corpus hominis fuisset alteratum alteratione improportionata, translatus fuisset homo in paradisum cœlestem, & tunc factus fuisset omninò immortalis, id est, non potens mori. Append.2. *Scot. vbi. §.* Append.3.

Hinc, accipiendo mortale, & immortale consuetudine scriptorum Gentilium, Latinè loquentium pro mori necesse, & non mori posse, primus homo ante peccatum, nec mortalis, nec immortalis fuit. Vnde Petrus diaconus inquit. Erat mors, & immortalitas in eius potestate. Capax enim *Li. de gratia Christi. c. 6. Lib.2. de gratia Christi.c. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim erat vtriusquè. Et D. Fulgentius, nec non Maxentius, qui operibus Fulgentij solet apponi, in libello fidei. Confitemur, inquit, rectum in omnibus creatum Adam, non mortalem, nec immortalem: sed vtriusquè capacem. Idem docet Hugo apud Alex.

Alex. Alen. m.2. S.Bon. ar. 3. q. 1. & alij vbi suprà.

Secunda diffic. Fuit ne Adæ in primo statu immortalitas à natura, vel à gratia?

DVas referunt Alex. & S. Bona. opiniones. Prima illarum tenet, non fuisse à natura. Et ratio est: quia proprietates naturales propter culpam non derelinquunt subiectum: vt patet in malis angelis, in quibus naturalia manserunt integra, & in homine descendente de Hierusalem in Hiericò, qui incidens in latrones fuit spoliatus gratuitis, & in naturalibus vulneratus. Et cùm fuerit expoliatus immortalitate iuxtà domini sententiam. In quacunque die comederis. & alibi puluis es, &c. immortalitas non inerat ei à natura. Secunda opinio tuetur fuisse homini immortalitatem à gratia. Et ratio huius opinionis est: quia illi animæ datum fuit donum gratiæ, gratis datæ, per quam posset corpori natura mortali præsidere, & illud regere, elementaquè, quasi in quadam amicitia, quandiù suo autori subiacere vellet, custodire. Quod quidem gratiæ donum vocat D. Ansel. iustitiam originalem. Et D. August. hoc approbat. 6. super Gen. ad literam, dicens, hominem mortalem fuisse conditione corporis: immortalem verò beneficio cõditoris. Quod quidem beneficium nihil aliud, quàm dictum gratiæ donum fuit. Et confirmat exemplo, inquiens: quòd sicut præscitum fuit filijs Israel, quòd spatio quadraginta annorũ eorum vestimenta non veterascerent: ita fuisse præscitum Adæ: vt non morereretur.

Luc.10. Gen.2. Genes.3.

D. Ansel. D. Aug.

Multæ sunt apud Alex. & S. Bona. vtriusquè opinionis rationes. Cæterum: vt vtranquè opinionem vnica conclusione amplectamur, animaduerte. Quòd, cùm dicitur, homo est beatificabilis, duo significantur, & velut digito indicantur. Vnum est aptitudo ad beatitudinem: quæ quidem aptitudo

Nota.

aptitudo inest homini per naturam: quia homo à natura sua habet aptitudinem ad beatitudinem. Alterum verò, quod indicatur, & importatur, est dispositio, per quam aliquis sufficienter disponitur ad susceptionem actus beatitudinis. Et hæc dispositio inest homini nõ per naturam: sed per gratiam, per quam sufficienter disponitur ad gloriam, ad quam sine gratia sufficere haud potest.

CONCLVSIO.

Immortalitas homini in statu innocentiæ quodammodo per naturam, quodammodo per gratiam inerat. Et ratio est, quia immortalitas illa, quantùm ad aptitudinem, inerat illi à natura: quantùm verò ad complexionem, & complementum fuit à gratia. Et confirmatur à simili per notabile positum: nam sicut homo dicitur beatificabilis à natura per aptitudinem, quam habet & à gratia per sufficientem dispositionem, quæ non est sine gratia: ita etiam poterat dici immortalis à natura, à qua habebat aptitudinem, & à gratia, quantùm ad dispositionem, & complementũ, quod fuit à gratia. Nam tribus causis, propter quas mors contingere potest, quæ sunt elementorum pugna, & dissolutio, humidi consumptio, & extrinseca læsio, iam fuerat remedium adhibitum. Habebat enim aptitudinem euadendi hoc triplex genus mortis per id, quod ei à natura inerat. Nam contrà elementorum pugnam erat interna eius corporis qualitas quatuor humorum complexione proportionata. Et quia hæc non simpliciter sufficiebat, fuit eius animæ iustitia originalis concessa. Et contra cõsumptionem humidi habebat virtutem nutriendi, potentem conuertere alimentum sibi sufficiens. Et quia humidum radicale paulatim consumitur, nec potest per quodcumquè alimentum reparari, datum fuit illi, non ex conditione, naturæ: sed ex dono, & beneficio conditoris (teste D. August. suprà citato) lignum vitæ per cuius sumptionem humidum radicale repararetur. Tandem nec læsio extrinseca ei mortem inferre poterat. Erat enim primus parẽs fortis, & potens ad repellendũ nociua, & sapiens, ac diligens ad illa præcauenda. Neq; extrinseca nociua habebat: nã animalia nociua eum lædere nõ poterãt, etiã si cuperãt, & nõ natura: sed ex speciali

D. Aug. 13. deciui. Dei. c.3.

D. Aug. psalm.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei prouidentia, quę ita eum custodiebat: vt sub pedibus eius omnia subijcerentur. Quare immortalitas in statu innocentiæ, quò ad aptitudinem fuit à natura, & quò ad complementum, fuit à gratia.

Tertia diffic. Vtrùm si Adam non peccasset, mortuus non fuisset?

CONCLVSIO.

D. Bon. ar. 2. q. 1. & alij vbi suprà. SI Adam non peccasset, mortem corporalem non incurrisset. Hæc conclusio est de fide. Et confirmatur multis sacræ Scripturæ testimonijs contra Pelagium hæreticum. Et præsertim ad Roma. 5. Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors: ita & in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et in eadem Epistola cap. 8. Corpus mortuum est, propter peccatum. Quare pœna peccati illius fuit mors. Est hæc veritas expresè definita in concilio Mileuitano cap. 1.

Ad Rom. 5.

Ad Roma. 8.

Hæresis. Hinc, Pelagij hæresis radicitus euellitur, qui asseruit Adam mortuum fuisse, non propter culpam: sed ex naturali conditione, qua conditus est, in qua etiam si mansisset, nec à Dei mandato recessisset; nihilominus (vt ille ait) mortuus fuisset. In quem agit Castro verbo Adam contra hæreses hæresi. 4.

Cast. de consec. d. 4. can. placuit igitur.

Quarta diffic. Adam an mori potuisset, si non peccasset?

SCimus iustum Adam potuisse peccare, ac proinde mori: & ne quis ad distinctionem de sensu composito, & diuiso confugiat, sensus tituli est. An Adam in innocentia permanente, & iustitia simul, in eo locum habere potuerit mors?

CONCLVSIO.

Haud potuisset. Et ratio est: quia indubiè sanioribus scholasticis

lasticis est in confesso, quòd in eo nulla potuisset esse pœna, vel mors, si non peccasset. Siquidem Deus primum hominem instituit, non vt creaturam seruilem, qui pro necessitate, & vtilitate aliorum posset occidi, sicut bruta animantia: sed instituit eum, tanquàm dominum quendàm, quo cum tanquàm socio, & altero quodam domino ageret ita: vt nihil pœnæ, afflictionis, vel molestiæ illi inferret, sine merito culpæ. Tum etiam: quia pœna est deordinata, nisi præcedat culpa, & cùm mors sit animæ purę, & innocenti pœna, videtur inconueniens & contra ordinem diuinæ iustitiæ, quòd corpus hominis per mortem in statu innocentiæ, non præcedente culpa, dissolueretur. *S. Bon. B. Aug. lib. 1. de liber. arbitr. c. 6. & lib. 3. de libe. Appen.*

Hinc; homo ad hoc in paradiso positus erat: vt si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem angelorum patriam quandoquè sine carnis morte transiret. Sic namquè est immortalis conditus: vt tamen si peccaret, & mori posset. Et sic mortalis est conditus: vt si non peccaret, etiam non mori potuisset, atquè ex merito liberi arbitrij beatitudinem illius regionis attingeret, in qua peccare, vel mori non posset. *D. Greg. est lib. 4. moral. c. 25. & lib. 5. c. 25. & lib. 9. c. 19.*

Hinc confutatur hæresis Pelagianorum, qui ponunt mortem in paruulos transire, & non peccatum. Nam faciunt Deum iniustum, asserentes, Deum afficere miseria aliqua hominem sine peccato. Quod, cùm iustissimus sit facere haud potest. Lege D. Aug. lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. & concil. Arausica. c. 10. & Mileuit. c. 2. & Cast. verb. peccatum contra hæreses hæresi prima. *Hæresis.* *D. Aug. Castr.*

Quinta diffic. Vtrùm, Adam peccante, corpus eius per esum ligni vitæ potuisset perpetuari?

DVæ sunt circa difficultatem hanc sententiæ, quas sequentes conclusiones declarant. Mouetur autem hæc difficultas, propter locum Gen. 3. Ne forte mittat, &c. & viuat in æternum. *Gen. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

Non potuisset post peccatum comedens de ligno vitę perpetuari, & in æternum viuere. Et ratio est: quia ibi vox in æternum non dicit perpetuitatem: sed vitæ quandam diuturnitatem. Qui modus loquendi est frequens in scriptura sacra: vt quando dicitur rex in æternum viue, ideſt, per longum tempus. *Num. 2.* Quia poterat lignum vitæ adeò naturam hominis adiuuare, tantumquè vigorem conferre; vt diutius viuere posset. Et confirmatur exemplo Henoch, & Heliæ, qui, vt glossa, & sancti docēt, in paradiso per esum ligni vitæ, vsq; ad aduentum Antichristi conseruantur.

CONCLVSIO II.

Gen. 3. Si Adam post peccatum de ligno vitæ comedisset, nō diu turno duntaxat tempore: sed æterno vixisset. Hanc probant *Matth. c. 25.* ex ipso textu in principio citato, nempe: & viuat in æternum. Nam ex prima opinione videtur non posse probari æternitatem pœnarum, præsertim ex illo loco: ite in ignem æternum. Atq; ita incideremus in errorē Origenis. Et ratione cōfirmatur: nam si per aliquod tempus per esum ligni vitæ potuit præseruari in tanta perfectione, & puritate, in quanta fuerat creatus, ergo & in perpetuum potuit. Patet consequētia: quia si Deus potuit facere; vt in æternum viueret: ergo fecit. Pro hac secunda sententia videntur complura patrum testimonia, ex quibus apparet, quòd si homo non fuisset post peccatum à ligno vitæ separatus, non fuisset necesse mori: & brevitatis causa loca aliqua tantū citabo. Nam D. Aug. *D. Aug.* ita sentire conuincitur lib. 18. de Genes. ad liter. c. 25. & lib. 1. *D. Chrysost.* contra aduersarium legis, & prophetarum. c. 15. D. Chrysost. *Hilar.* homil. 18. in Gene. Hilarius in illud Psalm. Quoniam quem *D. Cyril.* tu percussisti. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses. c. 37. & Cyrillus lib. 3. contra Iulianum apostatam. Cæterùm ad veritatem clarius intelligendam animaduerte, duas esse causas, ob quas, Adam in perpetuū viuere poterat. Quarum vna erat interna corporis eius qualitas, quatuor humorum complexione proportionata. Altera lignum vitæ, quod bonam corporis qualitatem conseruabat, atq; fouebat, & vtramq; causam D. Aug. *D. August.* 13. de ciuitat. Dei, cap. 3. assignat. Nam eo, inquit, die mutata indeterius,

indeterius, vitiataq; natura, atque à ligno vitę separatione iustissima mortis in eis, etiam corporalis, necessitas facta est. Et quàmuis vtramquè assignet causam: prior tamē sufficiens est mortis causa, ita: vt illa posita, non potuerit Adam, quomodocunquè de ligno vitæ comedisset, immortalis esse. Et quoniam, quæ ex Cyrillo, Hylario, Irenæo citata sunt, non plus vrgent, neque in se includunt, quàm scriptura Geneseos: Nunc ergo ne fortè, &c. cui innituntur, eliciendus erit sensus non improbabilis, quo veritas locī citati magis elucescat, nēpē: vt Deus in ironia eo in loco perseueret. Quæ est dissimulatio, aut illusio, qua contraria ostenduntur sensui, quem verba præ se ferunt. Ecce Adam, inquit: quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum. Vbi acerbissima ironia, improperat ei vanam fiduciam, quam de verbis serpentis conceperat. Quasi dicat: ecce quàm præclarus Adam est effectus; quod serpens ei, cui fidē adhibuit, repromisit: factus est Deus, qui iam brutis animantibus, similis est, necessitati mortis subiectus, & qui tegumentis, ac perizomatis indiget, quibus mēbra illecebris concupiscentiæ erubescenda contegat. Didicit certè, quid sit nobis obedientiam recusare, & in diaboli verba iurare. Sed fortè quamquàm in tantam sit deiectus miseriam, perspicueq; cognoscat se nō esse Deum, adhuc arbitratur alterum illud verum fore, quod serpens promisit, videlicet, q̄ non morietur: igitur ne se ipsum falsa persuasione decipiat, separetur à ligno vitæ, & extrà paradisum propellatur: ne fortè mittat manū suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Et dicit dñs: Ne viuat in ęternum per ironiam, scilicet, hoc est: vt miser arbitratur, vana promissione deceptus, per lignum vitæ in æternum vitam protrahere posse. Quare: vt quod res est, sibi persuadeat, tollatur illud, in quo confidit. Atquè ita eum dominus paradiso expulit. Hic sensus colligitur ex Cyrillo, & Ambro. & Aug. & ex D. Chrysost. Et eundem in modum doctores intelliguntur, dum asserunt eum de paradisi voluptatibus deturbatum esse: ne perpetuum in eo, & immortale esset malum, hoc est, ne persuadeat sibi, ac reputet se peccaminibus immortalem fore.

Respondetur obiectionibus patrum.

Genes. 3.

Lib. 3. contra Iulian.

Lib. de Heli. & ieiun. c. 4.

Lib. 1. c. 15. con. aduers. leg. Homil. 18. in Gen.

Sexta

Sexta diffic. Qualis est differẽtia inter immortalitatem primi hominis, ante peccatum, & Christi omniumq; sanctorum in cælo?

CONCLVSIO.

DIffert immortalitas illa, quam primus homo habebat, ab ea, quam electi in resurrectione sunt habituri, & Christus nunc fruitur in cœlo, per omnem modum. Et ratio est. quia qui digni habebuntur resurrectione ex mortuis, non poterunt mori: Adam autem poterat mori, & mortuus est. Tum Adæ ante peccatum aberat necessitas moriendi: in sanctis autem post resurrectionem aberit possibilitas moriendi. Aliud siquidem est posse non mori, aliud non posse mori. Tandem D. Paul. inquit. Factus est primus homo in animã viuentem, Adam nouissimus in spiritũ viuificantem. Vbi dictam veritatem probat: nam illorum verborum sensus est. Primus Adam corpus animale habuit, quod ad sui sustentationem alimẽtis indigebat, quod & mori poterat: Christus autem post resurrectionẽ corpus habuit spirituale, quòd nullis ciborũ alimentis opus habebat, nec mori poterat. Lege Aug. lib. 13. de ciui. Dei. c. 23. & de corrept. & grat. c. 11.

Luc. 20.

1. Cor. 15.

D. August. Alex. Alen. m. 3. & 4. Hebr. 9.

Septima diffic. Quæ nã est differentia inter mortalitatem, quam Adam ante peccatum habuit, & eã in qua nunc omnes sumus?

CONCLVSIO.

NON paruã differentiæ est inter vtramque mortalitatem. Et ratio est: quia nos velimus, nolimus, debemus aliquando mori, cùm statutum sit omnibus hominibus semel mori. At ille sic mori poterat: vt tamen facillimè eam, si voluisset, euitasset.

DVB.

DVB. Eadem ne esset immortalitas innocentiæ per essentiam cum immortalitate gloriæ, si homo stetisset?

REspondeo. Vna, & eadem esset. Et ratio est: quia potentia materiæ disposita eadem est per essentiam cum se ipsa indisposita, & immortalitas innocentiæ, & immortalitas gloriæ, sic se habent: sicut potentia indisposita, siue indifferens, & potentia disposita dispositione, quæ est necessitas. Quia in statu innocentiæ poterat mori, & non mori: in statu vero gloriæ necesse habet non mori.

Alex. Alen. m. 3. & 4. S. Bon. q. vlt. vbi suprà.

Octaua diffic. Fuisset ne homo in illo statu passibilis?

PAssio trifariam sumitur. Primò communissimè: vt significat susceptionem alicuius rei, quæ nullam subiecto læsionem infert, neque abiicit aliquid, subiecto conueniẽs, immò perficit subiectum, & solummodò immutat illud: vt est receptio speciei sensibilis in organo: quia teste Aristot. sentire quoddam pati est. Secundò sumitur passio propriè pro susceptione alicuius, quo subiectum immutatur, & aliquid conueniens expellitur: sine læsione tamen, & afflictione subiecti, cuius modi est aliqualis humidi radicalis consumptio. Tertiò propriissimè sumitur passio, quatenus immutat, & lædit, & affligit subiectum, expellens, quod conueniens est, talis est notabilis humidi radicalis consumptio, aut excessiua sanguinis minutio.

Alex. Alen. q. 86. S. Tho. q. 97. art. 2. & 3. ad. 2. Dur. q. 2. vbi suprà. Arist.

CONCLVSIO I.

Duabus prioribus passionibus erat homo in statu innocentiæ passibilis. Et ratio primæ passionis est: quia sentiebat, & sentire quoddam pati est. Ratio verò secundæ passionis est: quia per actionem caloris naturalis verè, & realiter, fiebat in eo aliqua consumptio humidi radicalis, absquè remotione à naturali dispositione & non erat defectus in illo: sicut neque in paruulis est defectus humiditatis consumptio.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Passione tertio modo sumpta non erat homo tunc passibilis. Et ratio est: quia poterat homo, & debebat in illo statu cauere ab iis, quæ ipsum lædere & affligere poterant. Et Deus etiam illum ab omnibus nociuis præseruasset. Vnde non fuisset in eo tanta humidi radicalis consumptio: vt inde fames aut sitis, &c. sequeretur.

Magist. Sent. Distinct. XX.

Litera huius dist. sequentibus quæstionibus explicabitur.

Alex. Alen. q. 89. S. Tho. q. 98. D. Bon. Ric. Dura. & alij hac. d. 20.

Quæst. Prima, De modo propagandi prolem in statu innocentiæ?

Alex. Alen. m. 1. S. Tho. art. 1. & 2. S. Bona. q. 1. & alij vbi suprà. Greg. Nice. D. Chrysost. D. Damas. Euthym. D. Aug. Faber Stapu. cautè legendus.

Prima Diffic. Vtrùm in illo statu facta esset sexuum commixtio?

CIrca hanc diffic. variæ fuerunt sententiæ: nam multi ex patribus Græcis dixerunt, liberos ante peccatum sine concubitu maris, & fœminæ fuisse multiplicandos, vt Greg. Nicenus lib. de creatione hominis. c. 17. &. 18. D. Chrys. homil. 20. super Gen. Ioan. Damas. lib. 2. Ortho. Fid. c. 20. de vera relig. c. 46. lib. 2. Euthymius in locum psal. Ecce in iniquitatibus cõceptus sum. Qui id asserunt, non negando simpliciter coniunctionem maris, & fœminæ: sed modum dumtaxat, quo fit modo generatio, scilicet cum libidine, & fœditate. Tum etiam D. Aug. de sermone domini in monte, & de Gen. contra Manich. Existimauit enim de bono coniug. c. 2. &. 19. homines ante peccatum nõ fuisse multiplicandos: sed solos Adam, & Heuam, & non plures homines mansuros. Sed postea palinodiam cecinit, lib. 1. retract. c. 10. 13. &. 19. & lib. 2. c. 22. & lib. 14. de ciuit. Dei. c. 23. Tandem Faber Stapulensis in comment. in librum Ricardi de sancto Victo. de Trinit. aliud commenrus est. Nam si Adam, inquit, non peccasset, ex se sine fœmina, similẽ sibi masculum peperisset. Sed hoc est figmentum, & error: vt sequens cõclusio demõstrabit.

CON-

CONCLVSIO.

Fuisset quidem facta sexuum commixtio. Conclusio est de fide. Dicitur enim Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, &c. quod nisi per generationem, & coniunctionem maris & fœminæ fieri naturaliter haud potest. Et alibi. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Neque enim ob aliud datum est ei adiutorium mulieris in sexu diuerso, nisi ad humani generis propagationem. Tum etiam colligitur ex illo. Erunt duo in carne vna: & per concubitum duntaxat, & carnalem mixtionem naturaliter masculus, & fœmina fiunt vna caro.

Gen. 1. *Gen. 2.* *Gen. 1.*

Hinc confutatur hæresis Armenorum, qua docetur, Adam & Heuam, si permansissent in iustitia, non coituros vnquam, nec humanam speciem per commixtionem propagandam. Quam hæresim amplexus est quidam Almaricus, qui fuit condemnatus ab Ecclesia: vt refertur in lib. epist. decretalium in titul. de summa Trinit. & fide cathol. c. damnamus. Hic, inter alios errores, non solùm in illo statu negauit cum Armenis copulam carnalem: verùmetiam sexuum differentiam nullam fuisse futuram asseruit. Hoc autem vltimum adeò manifestissima insania est: vt non sit opus impugnatione, cùm Gen. 1. legatur. Creauit Deus hominem ad imaginem, &c. masculum, & fœminam creauit eos. Quæ quidem sexus differentia fuit ante peccatum. Lege omninò Castrum contra hæreses, verbo Adam, & Heua, Hæresi. 3.

Hæresis. *Hæresis.* *Gen. 1.* *Castro.*

Secunda diffic. Vtrùm in eodem innocentiæ statu fuisset incoeundo intensa delectatio?

Alex. Alen. m. 2.

CIrca hanc difficultatem: vt docet Alex. Alen. & S. Bona. duo fuerũt modi dicendi. Vnus opinãtium, quòd fuisset tũc delectatio maior, quã nũc: non tamen immoderata, vt nũc est. Tãta quidẽ, propter naturalis virtutis perfectionẽ. Et maior, quia tunc esset maior perceptio delectationis, quã nunc est. Quoniam tunc sensus essent perfectiores, & potentia magis delectaretur: tunc quia faciliùs suũ actum cõpleret.

S. Tho. art. 2. ad. 3. & in 2. hac dist. q. 1. art 2. S. Bon. q. 3. & alij vbi sup.

Vna

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vna quæque enim potentia eò magis delectatur, quò faciliùs suum actum exercet. Non tamen esset inordinata, quia non transgrederetur rationis regulam, & terminum præfixum: propterea quòd vires inferiores erant superioribus subditæ. Hæc fuit sententia S. Tho. Secundus modus dicendi fuit Ale. & S. Bona. qui sequenti conclusione continetur.

CONCLVSIO.

D. Aug. Non fuisset tunc tanta delectatio, quanta modò est. Probatur auctoritate D. Aug. de ciuitate Dei apud Alex. dicentis. Nuptiæ illæ, dignæ fœlicitate paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent. Ratio est: quia tunc membra applicarentur generationi cum parua delectatione: sicut manus ori modò applicatur: vt idem B. Aug. 14. de ciuit. Dei. c. 22. scribit. Tũc enim iustitia originali, veluti fræno, cohibebatur, ne toto impetu, & conatu se præcipitem in delectabile sibi obiectum daret. Nunc autem, rupto fræno, velut equus lasciuus, velociùs, & impetuosiùs, currit. Fuisset enim homo in illo primo statu in cunctis operibus suis totus rectus, nunquam in actu aliquo libidinem, aut tædium sentiens.

D. Aug. super Gen. ad literam.

Append. 1. Vnde ex rectitudine illa infertur, quòd nunquam nisi ex recta ratione expetiuisset concubitum, nec vnquàm, nisi desiderio prolis habendæ, concubuisset.

Append. 2. Hinc, nulla fuisset in commixtione libido, vel ordinatus cõcupiscentiæ motus, nec membra genitalia ad congressum mota fuissent, nisi quando eis libuisset, nec vir vnquàm rem habere voluisset, nisi & mulier idem exoptasset.

Append. 3. Ex eadem etiam rectitudine, & iustitia, in concubitu nullus pudor, aut verecundia fuisset, nec puduisset illos concubitus, omnibus etiam præsentibus, & cernentibus. Vnde de Adam, & Heua scriptũ est. Erat vterque nudus, & non erubescebant. Et ratio est: quia non plus turpitudinis, aut pudoris membris genitalibus tunc inerat, quàm nunc in facie, manibus, & pedibus existit. Quare sicut modò audemus omnibus faciem exponere, manus monstrare, pedes denudare: sic tunc temporis membra genitalia ostendere, & coram omnibus, iis ad generationem vti non erubuissent.

Gen. 2.

Tertia

Tertia diffic. Vtrùm tunc coissent semper causa prolis habendæ, vel interdum etiam delectationis capescendæ causa? Alex. Alen. m. 3. S. Bona. q. 5. Dur. q. 1. & alij vbi. 3.

CONCLVSIO.

ADam nunquàm cum Heua, nisi causa prolis coisset. Et ratio est: quia, teste D. Aug. 9. super Gene. cap. 7. matrimonium tunc solùm fuit datum in officium, & cùm officium consistat in procreando prolem, solùm coissent prolis procreandæ, & non delectationis causa. Secundò: quia vis generandi habebat perfectæ subiectionis ad rationem obedientiam, & ideò non exibat in actum, nisi ratione dictante. Vnde D. Ansel. De conceptu Virg. inquit. Cùm Deus fecit Adam, fecit in eo naturam propagandi, quam subiecit eius potestati: vt ea pro sua volũtate vteretur, quandiù ipse vellet, subditus esse Deo. D. Aug. 30. q. 3. can. quidquid. 32. q. 2. can. sicut, & can. pudor. D. Ansel.

Quarta diffic. Vtrum quoties conuenissent, toties genuissent? Doct. vbi. 3.

CONCLVSIO.

EX quolibet actu carnali fuisset tunc proles generata. Et ratio est: quia cùm matrimonium tunc fuisset institutum in officium, quod est prolis procreatio, & natura non frustraretur tunc tẽporis suo fine, sequeretur ex quolibet actu prolis procreatio, quam natura in matrimonij officio intendit. Et confirmatur: quia sicut nutriendi facultas nunquàm fuisset tunc priuata suo effectu, qui est comedentis refectio: ita neque generandi facultas suo fructu (qui est proles) caruisset. Nam sicut nunquàm seminasset tunc terram, quin ex ea fructum temporaneum collegisset (sterilitas enim in terra propter hominis culpã est) ita nunquàm mulierem cognouisset, quin ex ea debitum fructum sumpsisset. Erat enim tunc venter mulieris, sicut terra, à sterilitate alienus. Quod enim videmus nunc in brutis animalibus, nempè, non coire, nisi certis temporibus, & tunc ad generandum, multò

Universidad de Deusto Biblioteca

Append. magis,& perfectiùs fuisset in hominibus natura optimè ordinata.

Hinc, magnam coniugij miseriam esse deprehenditur: illum ex concubitu non sequi effectum, ad quem potissimum est ordinatum. Nunc enim crebrò propter culpam ex concubitu non concipit mulier,& dum concipit, subinde, vel petit semen,vel variis modis,ne partus sequatur,impeditur.

S.Tho.hac.d. 20.q.1. art.2. & art.2. vbi ẽ.ad.4. & 1. 2.q.152.ar.2. Dur.q. 2. & alij vbi sup. D.Aug.

Quinta diffic. In illo coitu fuisset tunc integritatis corruptio?

DVæ sunt de hac re opiniones. Prima tenet tunc nullam futuram integritatis corruptionem. Hanc videtur defendere ß. Aug. 14. de ciuitate Dei. c. 26. Secunda futuram fuisse integritatis corruptionem defendit. Hæc est S. Thom. in 2. dist.20. & S.Bonau. & Altisiodor. libr. 2. suæ summæ, & aliorum, &c. Integritatis corruptio tria comprehendit. Et primum, quod est naturæ, est claustrorum apertio. Secundum est pœnalis passio, quæ consequitur claustrorum apertionem, & hoc secundum dicitur esse pœnæ. Tertium, quod dicitur esse corruptionis vitiosæ,quæ tenet medium inter culpam,& pœnam,est fœda delectatio.

Nota.

CONCLVSIO I.

In illo statu fuisset claustrorum apertio. Et ratio est: quia fœtus non posset, nisi per apertam portam exire. Et naturaliter non datur corporum, & dimensionum pene ratio. Nam concipere, & parere, virginitate permanente, solius Virginis fuit proprium.

CONCLVSIO II.

Tunc non fuisset in apertione claustrorum pœnalis passiò, nec fœda delectatio. Et ratio est: quia vis generatiua, nec fuisset tunc infecta, nec corrupta, & obedirent rationi membra: vt suprà diximus,sicut obediunt os,manus, & lingua: & ideò non fuisset ibi pœna,vel passio,vel fœda delectatio, sicut modò in apertione manuum, & oris nulla pœna, vel passio, vel fœda delectatio reperitur.

Hinc,

Append. Hinc, illo in tempore non fuissent aliqua obscœna verba, nec vitio datum fuisset de concubitu miscere sermonem: sed absquè omni pudore, membrorumquè in ordinatu concupiscentiæ motu, de ijs rebus locuti fuissent, quarum iam non, nisi præfata venia, audemus mentionem facere. Propterea quod natura horret, & erubescit actum illum, ratione fœditatis, quæ in ipso consistit. Lege D. Aug. lib. 2. nupt. & con. cap. vltim. & 4. de ciuit. cap. 23. & 3. sequent. & de peccato originali cap. 25. & 36.

D. Aug.

Alex. Alen. m.4. vbi ẽ.

Sexta diffic. An in illo statu licitum fuisset primis parentibus continere.

Solus Alex. hanc difficultatem tractat.

CONCLVSIO.

Seruare continentiam in illo statu primis parentibus non licuisset. Et ratio est: quia ex eis totum humanum genus deducendũ erat, quod aliter, quam per carnis commixtionem, fieri vix poterat. Fuisset enim præcepti diuini transgressor, & neglector voluntatis eiusdem, si semper continuisset. Nam fuit illis præceptum, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quando autem cessauerit præceptum de multiplicatione prolis, & fuerit licitum continere, & virginitatem seruare, declarat Alex. eruditissimè: vt solet loco citato.

Gen.1. Alex. Alen. q.90. S.Tho. q. 99. & 100. & 101. S.Bona. & Scot. & alij hac.d.20. Alex. Alen. m.1. vbi sup. S.Th. q. 100. art.1. Dur.q.5. Scot. & alij vbi suprà.

Quæst.II. De prole propaganda in primo statu.

Absoluetur quæstio, positis aliquot difficultatibus.

Prima diffic. Vtrùm pueri nati fuissent iusti in statu innocentiæ.

CONCLVSIO.

FVissent nati iusti. Probatur: nam dixit Deus. Crescite, & multiplicamini, & dominamini piscibus maris, & bestiis terræ, &c. Quare genuissent filios rerum omnium,bestiarũ,& animantium, dominos, & rectores,& cùm

Gen.1.

dominum sit effectus iustitiæ inseparabilis, fuissent iusti procreati. Nunc autem: quia nascimur filij iræ, bestiæ sunt nobis infestæ, quæ in statu innocentiæ ad conspectū alicuius, quantumuis paruuli, & tenerrimi pueri, agnoscentes eos, ceu dominos, & rectores, expauissent. Deinde: quia si nunc per peccatum Adæ iniusti, & peccatores nascuntur, tunc iusti fuissent: quia iuxtà scripturarum morem iustitia, & iniustitia bonum, & malum, contraria sunt immediata.

Ad Eph. 2.

Ad. Rom. 5.

Append. Hinc, nati fuissent cum gratia gratum faciente.

Secunda diffic. Vtrùm paruuli nati fuissent cum iustitia originali?

Alex. Alen. S. Thom. & alij vbi sup. Hugo.

DVæ sunt opiniones. Vna negans Hugonis lib. 1. de sacram. p. 6. cap. 23. & 24. Nam dicit in illo statu genuissent filios sine peccato: sed non similiter paternæ iustitiæ hæredes. Altera est affirmans D. Ansel. de concept. virg. cap. 10. & 14.

B. Ansel. Nota.

Iustitia originalis duobus modis sumitur. Primo pro qualitate illa supernaturali Adæ pro se, & tota sua posteritate infusa. Secundo pro formali effectu ipsius iustitiæ: qui quidem est triplex. Primus subiectio, siue rectitudo corporis ad animam. Secūdus subiectio appetitus sensitiui ad rationem. Et tertius rationis ad Deum.

Append. Hinc, quando dicitur peccatum originale esse priuationem originalis iustitiæ, sumitur primo modo, pro præcipua rectitudine rationis ad Deum, sub qua aliæ continentur. Et huius deordinatio est originale peccatum, quæ, tanquàm habitus: vt statim dicetur, transfunditur in posteros.

CONCLVSIO.

D. Ansel. Nati fuissent tunc cum iustitia originali. Et ratio D. Anselmi est: quia qualis ipse fuit, tales filios genuisset, & Adam simul gratiam, & iustitiam originalem habuit: vt quæst. sequenti patebit. Tum etiam: quia inter iustum & iniustum in hominibus non datur medium: & cùm non genuisset filios iniustos, genuisset profecto iustos, originali iustitia præditos.

Tertia diffic. Fuissent ne pueri paternæ iustitiæ gratuitæ hæredes?

Alex. Alen. m. 1. ar. 1. & 2.

Dur. vbi. 5.

CONCLVSIO.

NEquaquàm. Ratio est: quia illud dicitur hæreditariè ad filios descendere, quod filij habent à patre, domino, & possessore. Et filij non hæreditarent bona gratuita à patre: vt à domino, & possessore illorum: sed immediatè à Deo gratiæ conditore, & largitore.

Hinc, non fuisset iustitia illa per originem transfusa: sed à Deo gratis infusa: sicut parentibus à Deo gratis collata. Et ratio est: quia cùm iustitia non sit naturalis: quia semper donum Dei est, nequè eius transfusio fuisset naturalis.

Appen.

Quarta diffic. Habuisset ne filius illam per patrem, vel per merita patris, vel parentum?

Scot. vbi. 5.

CONCLVSIO.

HAud habuisset. Et ratio est: quia, quod toti naturæ congruit, non datur vni individuo, mediante alio, vel per meritum illius: sed singulis individuis singulæ fuissent appositæ iustitiæ originales ex mera diuina liberalitate: sicut fuit primo parenti data. Quia iustitia originalis donum Dei est. Nihilominus tamen probabiliùs videtur esse contrarium. Et sit.

CONCLVSIO.

Propter merita parentum filij nascerentur in iustitia originali. Et ratio est: quia Deus non pronior est ad puniendum, quàm ad miserendum: ergò si propter eorum demeritum fuerunt priuati iustitia originali, propter eorum merita, si primam tentationem vicissent, in iustitia originali nati fuissent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ephes. 2.

Non enim plus nociuum fuisset Adę peccatum, quàm eius perseuerantia in gratia, & innocentia profuisset. Quare sicut modò omnes nascuntur in peccato: ita tunc nati fuissent in iustitia.

Quinta diffic. Vtrùm fuissent confirmati in gratia, & in illa gratuita iustitia?

Alex. Alen. ar. 3. S. Tho. ar. 2. Dur. Sco. & alij vbi. ꝫ.

DVæ sunt opiniones. Vna affirmans. Altera negans. Partem aientem tenent Alex. & Gabriel hac dist. q. 1. art. 2. cum D. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. Negantem verò tuentur Scot. S. Thom. Dura. & alij: vtraque est probabilis, & respondet Alex. Alen. argumentis in oppositum.

CONCLVSIO.

Si Adam, & Heua malignum vicissent, proles in gratia confirmatas non ita genuissent: vt nullo deinceps modo preuaricari potuissent. Et ratio est: quia confirmatio in gratia regulariter non prouenit, nisi ex visione diuinæ essentiæ, quã pro illo statu non vidissent. Nec decuisset filios meliores, & perfectiores suis parentibus nasci. Qui, si non fuerunt ita in bono confirmati, quin ab eo deflectere potuerint, certè non debuerunt filij ipsorum maiorem secum perfectionem ex natiuitate adducere. Hoc apertè docet D. Aug. 14. de ciuit. Dei cap. 10. & lib. 9. de Gen. cap. 3. & B. Greg. libr. 4. Moral. cap. 28. & Hugo de sancto Vict. apud Alex.

Gabriel. B. Ansel. D. Aug. D. Greg. Hugo.

Sexta diffic. Adam non peccante, si eius posteri peccauissent, posteri peccantis filij contraxissent ne originalem culpam?

IVniores theologi partem negantem tenent. Quia Adæ soli, inquiunt pro se, & pro tota sua posteritate fuit iustitia originalis concessa: posteris autem pro se solis fuit tributa. Et, vt modò iustificatus non transfundit in liberos suam iustitiam: quia illam pro se tantùm accepit: ita, & posteri Adæ. Non enim peccassent: vt caput naturæ: sicut Adam.

CON-

CONCLVSIO.

S. Thom. Conrad. Driedo. Scot.

Peccante Cain, tota eius posteritas nata fuisset cum macula. Hæc est communior opinio, quam defendunt. S. Tho. quæst. 5. de malo art. 4. Conradus. quæst. 81. Driedo: tract. 2. part. 4. & Scot. dist. 32. huius 2. Si tamen, inquit, accepisset, V. g. Cain in se formaliter iustitiam originalem, vel voluntate consequente, fuisset debitor pro se, & pro tota sua posteritate. Et ratio conclusionis posita est: quia sicut Adam accepit iustitiam pro se, & tota eius posteritate: ita illam transfundebat in filios pro se, & tota eius sobole: ergo si amitteret illam, amitteret pro se & pro sua posteritate. Antecedens patet: nam, vt in Adam continebatur tota humana natura, ita in eius filio tota eius soboles.

Septima diffic. Adam non peccante, nati fuissent soli electi? An etiam reprobi, vt Iudas, &c. procreati?

Doct. vbi. ꝫ.

CONCLVSIO.

NON fuissent filij gehennæ generati: sed soli electi. Conclusio est D. Greg. lib. 4. Moral. c. 28. vbi inquit. Si parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquàm ex se filios gehennæ generaret. est etiam communis doctorum sententia.

D. Greg. Marsil. q. 13.

Dubium autem. Vtrùm omnes, qui nunc nascuntur electi, nati in statu innocentiæ fuissent? non eodem modo soluitur: quia S. Tho. & alij tenent multos electos nasci nunc, qui tunc non fuissent procreati: vt filij electi, & sancti, quos Ecclesia veneratur, qui nati sunt ex parẽtibus infidelibus. Scot. verò arbitratur omnes electos, qui nunc sunt, nasciturọs tũc fuisse. Et ratio est: quia prius non variatur per id, quod posterius est: sed prius fuit, quòd Deus determinaret numerum saluandorum, quàm præscientia casus Adæ: ergò siue caderet, siue non caderet Adam, non fuissent plures electi, quàm modò sunt: sed omnes electi, qui nunc sunt nati, tũc fuissent. Sed de ijs latiùs in libro controuersiarum.

Dub.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. m.2.vbi sup. & Th. q. 101. art.1.

Octaua diffic. Fuissent ne filij in illo statu in scientia perfecta geniti?

NOster Alex. relatis duabus opinionibus, media incedit via. Ad cuius sententiam clariùs intelligendam, nota cum illo, bonum dupliciter in præsentia posse considerari. Vel, vt est naturæ consonum: vt est agno lac. Vel, vt est bonum honestum: vt distinctio præceptorum, & cultuum, quibus Deus est venerandus, & similia.

CONCLVSIO I.

Pueri statim tunc bonum naturæ consonum, & nociuum per naturalem industriam cognouissent. Et ratio est: quia si natura hoc concessit agniculis: vt per instinctum naturæ lupum, quem nunquàm viderunt, fugiant, & mammillas matrum requirant: nequaquàm credendum est hoc filiis Adæ fuisse negatum.

CONCLVSIO II.

Respectu eorum, quæ ad bonum honestum spectant, illuminationem scientiæ habuissent: verùm non statim ab ortu: sed ad tempus, quantùm ad cognitionis vsum. Quamuis non absurdè concedi possit, fuisse eis ad hoc datum habitum. Et ratio est: quia quamuis in corpore paruuli non esset pro illo statu corruptio aggrauans: erat tamen imperfectio retardans. Status enim infantilis semper haberet aliqua simptomata actu cognitiuæ, & vsum rationis aliquo modo impedientia. Hactenus Alex. Sed pace tanti viri omnium theologorum scholasticorum anteſignani, sit.

CONCLVSIO III.

Pueri tunc non solùm mox nati notitiam habuissent ad discernendum inter bona, & mala, commoda, & incommoda, inter calorem, & frigus, & cætera: verùm etiam ad discernendum inter licitum, & illicitum: quantùm quidem ad ipsorum statum, ætatisquè conditionem pertinebat. Et ratio est: quia cognouissent legem Dei, eiusque voluntatis certiores fuissent, & simul atquè ex materno vtero prodiissent, flexis genibus, non secus atq; nunc adulti, Deo omnium bonorum largitori

largitori gratias egissent. Eò quòd rationales creaturas secundum imaginem suam condidisset. Cognouissent prætereà se bestiis prælatos, omniumquè rerum corporalium dominos, fuissentquè tunc pueri præcepti capaces, & dociles, & intellexissent, quando parentes eis aliquid præcepissent, vel docuissent aliquid eorum, quæ salutem animæ, & corporis concernunt. Neque hæc admiratione digna sunt, si humanæ naturæ nobilitas, & excellentia consideretur. Horum autem omnium autor est D. Aug. Et non esse hæc habitualiter tantùm intelligenda, quomodo infantes nunc, sacri baptismatis vnda renouati Deum diligunt: verùmetiam actualiter exsequenti cap. Beati Aug. colligitur, vbi inter alia inquit. Agitur de illius mentis quadam valentia, vsuquè rationis, quo præceptum Dei, legemquè mandati, & docilis Adam caperet, & haud difficulter posset custodire, si vellet. En quomodo D. August. de actuali rationis vsu agit, quo & agnoscerent, & facilè obseruarent legem Dei infantes: ne corrupti, & vitiati essent. Verùm enimuerò non tam perfectè legem Dei, quàm protoplastes Adam: sed pro suo statu, & tempore sine molestia, & labore cognouissent. Eadem fermè docet de vitiis paruulorum, nempè, quòd non rarò petant noxia, & nisi obtemperetur, indignantur acriter genitoribus, feriunt, recalcitrant, ingenti ira efferuescunt, inuidia tabescunt, amaro, pallidoquè vultu subinde collactaneos suos intuentur, non ferentes illos eandem secum sugere mammillam, eisdem vesci cibis, cùm alioqui abundè satis habeant. Et lib. 22. de ciuitate Dei cap. 22. dicit manifestam ignorantiam, in qua nascuntur paruuli, satis contestari progeniem mortalium esse damnatam.

D. Aug. libr. 1. de pec. mer. c. 35. & 36.

D. Aug. lib. 1. conf. c. 7.

Nona diffic. Fuissent ne tunc pueri parui, vel magni nati?

Alex. Alen. m. 3. vbi sup. Scho. q. 99. Dur. q. 4. & alij hac. d.

CONCLVSIO.

FVissent tunc paruo nati corpusculo. Hæc conclusio est scripturæ, & patribus consentanea. Et ratio, de sententia D. August. est: propter materni vteri necessitatem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Aug. lib. 1. de pec. mer. & remiss. c. 36. & 37. Append.

& capacitatem: paulatim tamen grandiuscula corporis lineamenta accepissent, donec ad virilem tandem staturam peruenissent.

Hinc, primitus in lucem emissi non habuissent illico corpus, & membra ad viriles actiones exercendas idonea.

Decima diffic. *Potuissent ne tunc omnibus vti membris?*

CONCLVSIO.

PAruuli illi omnium membrorum suorum vsum ætati ipsorum maximè competentem habuissèt. Potuissent enim manibus operari, pedibus incedere, reliquisq; suum organis imperare, matrem optimè cognouissent, eiusq; spontè mamillam suxissent, illamq; ambulãdo sequi: vt cunq; valuissent. Et ratio in promptu est: quia si naturam pluribus brutorum pullis nunc id indulgere cernimus: quare nõ multò magis hominum rationalium paruulis tunc idem indulcturam forè arbitrandum est?

Append.

Hinc, infirmitas illa membrorum infantilium, quam nunc in paruulis videmus: vt rectè docet noster Alex. pœna peccati est. Lege. D. August. proximè citatum cap. 37. & libr. de baptis. paruulor. &. 9. super Gene.

D. Aug.

Alex. Alen. m. 4. S. Tho. ar. 2. S. Bon. q. vi. Dur. q. 3. Scot. & alij. vbi. §. Berosus. D. Aug. in er. de assum. Virg.

Vndecima diffic. *Fuissent ne tunc fœminæ generatæ, & æquales numero viris?*

CIrca hanc difficultatem noster Alex. indicat opiniones fuisse quatuor. Vna est Berosi vetustissimi autoris (nisi titulus mentiatur) qui docet singulis enixibus gemellos disparis sexus in illo temporum statu producendos fuisse. Altera est affirmantium plures futuras fuisse tunc mulieres: quia, vt D. August. docet sexus fœmineus deuotior est virili sexu, & deuotio est maxima dispositio ad gratiam obtinendam, & perficiendam, & ad maiorem gloriæ cumulum comparandum. Quod confirmat exemplo sanctissimæ

D. Anselm. de cõcep. Virgin. c. 18. D. Aug. 14. de ciu. Dei. c. 10. & 9. super Gen. c. 3. & 5.

ctissimæ Virginis, ad cuius perfectionem nulla pura creatura virilis sexus peruenit. Quæ decuit (vt D. Anselm. scribit) vt ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequeat intelligi. Tertia, quam sequitur Alex. Alen. tenet plures fuisse generandos masculos, quàm fœminas. Et ratione numeri electorum compiendi, & ratione naturæ, quæ semper, quod meliùs, & nobiliùs est, appetit. Estquè hæc opinio satis probabilis. Quarta autem communior, & probabilior sequenti conclusione continetur, qua vtriquè parti tituli difficultatis respondetur.

CONCLVSIO.

Fuissent creatæ fœmellæ tot, quot masculi. Et ratio vtriusquè partis est: quia distinctio sexuũ esset propter generis humani multiplicationẽ, & numeri electorum completionem, & illa multiplicatio ad omnes expectaret. Omnibus enim dictũ erat. Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quare necesse erat tunc tot viros, quot fœminas fuisse, cùm nulla mulier viro careret, & nullus vir vxore, nec vna plurium, nec plures vnius essent.

Gen. 1.

Duodecima diffic. *Vnde eueniret, vt tot fœminæ, quot viri generarentur?*

DIuus Bona. plures constituit causas naturales, ob quas, quandoque fœminæ, quandoque masculi modò generantur. S. Thom. ad. 2. docet, quòd secundum voluntatẽ generantis distinctus fuisset sexus in prole: sed de senten. communi Alex. Bonau. & S. Thom. & aliorum sit.

Doct. vbi supra.

CONCLVSIO.

Potissima causa tunc esset: quia in eo statu generatio maris, & fœminæ virtuti animali, siue imaginatiuæ, & voluntati rationali fuisset subiecta. Et ideò cùm corpus esset tunc animæ subiectum, quando vir intenderet, & imaginaretur generare virum. Virtus naturalis tunc, & semen maioris esset virtutis in agendo, & generaretur masculus. Si vero fœminam intenderet generare, & imaginatione conciperet illam, tunc minùs forti impressione ageret in naturam inferiorẽ corporalem, essetquè semen minùs forte, & produceretur fœmina.

Et ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ratio est: quia si in tempore naturæ lapsæ, in qua corpus voluntati rationali non est subiectum, tantum potest imaginatio, vt patet in ouibus Iacob, & in muliere, quæ concepit Aethiopem: vt gloss. refert ibidem citans D. Hiero. Et in alia muliere, quæ prolem pulcherrimam vtrique parenti dissimilem peperit, quam Hippocrates à crimine adulterij liberauit, inuenta in eius cubiculo simili pictura filio, quem pepererat. Quantò magis efficax tempore legis institutæ imaginatio fuisset ad concipiendum masculum, vel fœminam, quando voluntas rationalis hoc dictaret. Verùm enimuerò, amice lector, quærenti. Quorsum hæc, quæ nunquàm fuerunt, nec erunt, tractantur? respondere cum Hugone poteris, qui de qualitate genitorum in statu innocentiæ disputans: ita ait. Quæ nec auctoritas probat, nec ratio arguit, manifestâ, inter dubia relinquuntur. Tamen ista non inutiliter aliquando in quæstionem admittuntur: vt vel inueniatur, quod verum est: vel saltem quod falsum est, non credatur. Qualibus autem donis fuerit Adam in primo statu præditus, infrà propriis in locis cum Magistro declarabitur.

Gen. 30.

Hugo de sacra. lib. 1. p. 6. c. 22.

Magist. Sent. Distinct. X X I.

IN hac dist. Magister disputat de tentatione. Est autem huius distinctionis litera suprà in materia de tentatione exposita, illam relege, & quæ sequuntur ad pleniorem intelligentiam materiæ tentationis. Et an sit appetenda, nec ne. Diligenter animaduerte.

Prima Propositio.

Tẽtatio ex prauo motu intrinseco scaturiens. v. g. cõcupiscentia ad iram, vindictam, libidinem, inanem gloriam, &c. nulla ratione nec à viro fortissimo appetenda est. Sufficiet enim, quãdo talis tentatio ingruet, ei cõsensum non præbere. Et probatur: quia ad Rom. 7. D. Pau. de huiusmodi tẽtationibus, & motibus ait. Quod odi malũ, illud facio, & iã non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatũ. Quare si oderat huiusmodi tentationes, nõ illas quærebat, seu appetebat.

Ad Rom. 7.

Secunda

Secunda Propositio.

Qui sponte, & voluntariè tales tentationes appetit, iam peccauit. Et ratio est: quia omnis electio voluntaria mali est peccatum, eòquè grauiùs, quò grauiùs est, quod appetitur.

Tertia Propositio.

Tentatio, quæ ab exteriori emanat, nempe, tribulatio, afflictio, mors, quam tyranni, & persecutores infligunt, interdum desiderio felicitatis propriæ, & ædificationis proximorum à sanctis, & in religione Christiana firmiter radicatis appeti potest. Et ratio est: quia hoc modo legimus sanctos aliquando locutos fuisse, dicentes. Vtinam contingat mihi pro Christo subire martyrium: de quibus B. August. ita loquitur. Sicut se infirmitas sanctorum, firmitasquè habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari, dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus. Vt enim metuant tentari, audiunt. Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Vt autem cupiant tentari, audiunt quendam virum (cui occulta sapientiæ à Deo erant manifesta) fortem dicentem. Proba me domine, & tenta me. Vre renes meos, & cor meum, id est exerce me tribulationibus. Vt doleant in tentationibus, vident Petrum flentem. Vt gaudeant in tentationibus, audiunt Iacobum dicentem. Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis: hæc D. August.

D. Aug. lib. 14. de ciuit. Dei. c. 9.

Ad Gal. 6.

Psal. 25.

Matth. 26.

Iacobi. 1.

Quarta Propositio.

Perquàm periculosum est, tam fortem, & validum, quenquam se facere: vt sufferendis huiusmodi tentationibus quis sufficere se iactet. Et ratio est: quia frequenter accidit: vt extra tentationem constitutus aliquis, & in tranquillo portu positus, mira sibi persuadeat, qui cùm ad rem peruenitur, deficit, & infirmitate succumbit. Patet exemplo B. Petri, qui cùm forti, & firmo animo toties pro Christo mortem promisisset, postea, præsente tentatione, dum mori timuit,

Marc. 14. Matth. 26.

timuit, vitam negauit. Simile exemplum legitur in historia Ecclesiastica cuiusdam sancti viri, qui cùm sponte primò bestias, & alia tormenta accerseret, pertractus ad supplicia, fidem, pro qua mortem oppetere debebat, abiurauit.

Eccl. Hist. li. 4. c. 15.

Hinc, D. Aug. inquit. Vnde scit virgo, per quam solicita, quæ sunt domini, quomodo placeat domino, ne fortè propter aliquam incognitam sibi mentis infirmitatem, nondum sit matura martyrio.

Append. *D. Aug. lib. de. S. virg. c. 44. & 47.*

Quinta Propositio.

Gratia exercendæ virtutis à iustis charitatis igne potissimùm inflammatis, potest tentatio desiderari. Et ratio est: quia energia ignis præsentia contrarij magis vim exerit, quàm opprimatur, sicut ventus fornacem perflando magis accendit, licet candelam extinguat. Hîc vre, hîc seca, hîc non parcas: vt in æternum parcas.

D. Aug.

Magist. Sentent. Distinct. XXII.

Quæst. I. De peccato primorum parentum.

Quæstio hæc, aliquot difficultatibus explanatis, erit perspicua.

Alex. Alen. q. 104. S. Th. 2. 2. q. 163. S. Bon. d. 21. art. 3. & d. 22. Scot. Dura. Rica. & alij ibidem. Dur. q. 1. huius. d. & alij ibidem.

Prima diffic. Quodnam fuit peccatum primorum parentum?

VARIAE Sunt de hac re opiniones. Alex. Alen. S. Thomas, Durandus, Gabriel: vbi suprà tenent, primum Adæ peccatum fuisse superbiam. S. Bonau. loco citato asserit fuisse peccatum inobedientiæ. Scot. tenuit peccasse ex nimio amore vxoris. Sed quia omnes opiniones habent maximam probabilitatem, breui proponam conclusiones sequentes: tu verò, si licet per otium, lege doctores

ctores citatos, & controuersias nostras inter S. Thomam, & Scot. & inuenies multa notatu dignissima.

CONCLVSIO I.

Heuæ primũ peccatũ fuit superbia. Hanc conclusionẽ cõmunis Doctorũ sentẽtia amplectitur. Et ratio est: quia peccauit per suggestionẽ serpẽtis. Eritis sicut dij, & hoc est supbia. *Gen. 3.*

CONCLVSIO II.

Probabile est primum Adæ peccatum fuisse superbiam. Et ratio est: quia initium omnis peccati superbia est. Et confirmatur auctoritate D. August. super illud psalm. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Dicit enim rapere voluisse diuinitatem, quod ad superbiam attinet. *Eccles. 10. D. Aug. Psal. 68.*

CONCLVSIO III.

Verisimile etiam est, principale Adæ peccatum fuisse in obedientiam. Et ratio D. Bona. est: quia diabolus ad hoc primum hominem inducere intendebat, quòd patet, inquit, ex principio suæ interrogationis. Cur præcepit vobis Deus. &c. *Gen. 3.*

CONCLVSIO IIII.

Est etiam probabile fuisse primum Adæ peccatum immoderatum amorem amicitiæ vxoris suæ. Et probatur auctoritate D. Aug. dicentis. Adam non carnali concupiscentia victum: sed immobili quadam compulsum beneuolentia (qua plerumq; fit, vt offendatur Deus, ne offendatur amicus) peccasse. Propter quod noluit eam contristare: quia credebat eã sine suo solatio contabescere. Et cõfirmatur ad Timoth. 2. Adam non fuit seductus: sed Heua. Quare si fuit differentia inter eorum peccata, Heua peccauit ex superbia. Quia voluit esse, sicut Deus. Adam verò minimè: sed ex amore vxoris. Et notanter dicitur in conclusione, fuisse amorem amicitiæ: quia amor libidinis nondum erat. Et ideo dixit B. August. vbi suprà, non carnali concupiscentia victum. *D. Aug. super Gen. c. 12. 1. ad. Tim. 2.*

CONCLVSIO V.

Verisimiliùs esse videtur, quòd Adã, post primum peccatũ, appetijt esse, sicut Deus, licet non tanta cum intentione, sicut Heua. Et patet ex eo, ꝙ dicitur. Ecce Adã factus est, sicut vnus ex nobis. Super quẽ locũ lege D. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 29. & lib. 2. contra Manich. c. 15. & 6. Greg. lib. 9. Moral. c. 2. *Gen. 3. D. Augst. B. Gregor.*

Duplex

Duplex est Dei similitudo. Vna vocatur æquiparantiæ, quã parentes nostri non ambierunt: quia talis similitudo nequit in sensum hominis cadere. Propterea quòd diuina natura infinitis parasangis antecellit omnium hominum æstimationem. Altera est imitationis, qua suo modo potest homo tripharíam aliquid de similitudine Dei participare. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã. Nam hæc imitationis similitudo est triplex. Vna naturæ, quæ ab exordio creationis homini, & angelo est impressã. Altera est cognitionis, quam etiam angelus in suæ originis principio suscepit. Legitur enim Ezechiel. 28. fuisse sapientia plenum. Hanc homo non actu, sed potentia erat adeptus. Contra hanc conditionem peccauit homo, quando suapte auctoritate discernere inter bonum, & malum sibi adscripsit, & futura contingentia præsagire concupiuit. Tertia similitudo consistit in potestate operandi, quã nec homo, nec angelus acceperat. Contra hanc deliquit, quando proprio marte vniuersa operari, ordinare, & regere (quod angelis non fuerat concessum, vt auctor est Aug.) concupiuit.

Gen. 1.

Ezech. 28.

D. Aug. 11. de gẽ. ad lit. c. 30.

Secunda diffic. Vter priorum parentum grauius peccauit?

Alex. Alen. m. 3. 4. & 7. S. Tho. ar. 3. S. Bon. d. 22. art. 1. q. 3. & Scot. vbi s. Duran. q. 3. dist. 21. & aly vbi supra.

AD pleniorem huius difficultatis intelligentiam legẽ quæ in secunda huius secundi parte de circunstantijs, & modis, quibus peccatum aggrauari solet scribuntur. De hac difficultate varij variè opinantur in primis D. Chrysostomus homil. 7. ad populum Antiochenum sentire videtur, inter istos tres Adam, Heuam, & serpentem, siue diabolum, omnium leuissimè peccasse Adam. Sanctus Ambros. de institutione virg. c. 4. varijs argumentis ex sacra scriptura desumptis contendere videtur, Adam grauiùs deliquisse, quàm Heua deliquerit, cui adhæret. B. Isidorus à magistro hac distinct. citatus. At verò magister Petrus Lombardus ex quibusdam à B. Aug. disputatiuè dictis concludere sibi videtur, Heuam grauiùs ipso Adam offendisse, illum sequuntur omnes ferè scholastici Doctores.

S. Ambros.

D. Chrysost.

CON-

CONCLVSIO I.

Si intentionem primorum parentum consideremus, par vtriusque peccatum esse videtur. Et ratio est: quia ambo voluerunt per inordinatum elati animi fastum rapere celsitudinem, scientiam boni, & mali, ac futurorum præscientiã. Ambo crediderunt serpenti, pollicenti, quòd non emorerentur ex esu prohibiti fructus. Ambo de fructu vetito comederunt. Ambo tandem excusationis prætextum quæsierunt.

CONCLVSIO II.

Fuit etiam suis respectibus Adæ peccatum Heuæ peccato grauius. Probatur primò ex conditione personæ: nam erat persona dignior, maiori sapientia, fortitudine, & prudentia à Deo plasmatus. Et ideo eius peccatũ grauius, sicut est grauius (cæteris paribus) periti viri peccatum, quàm imperiti, qui non tantùm gratiæ à Deo promeruit. Secundò: quia Adam cessit mulieri simplici, ac se inferiori, cùm mulier solùm victa sit ab hoste longè se, & superiore, & callidiore. Et turpius multò est, ab inferiore se, vinci, quàm à fortissimo, multòque astutiore. Et tertiò: quia Adam præceptum de non gustando ligno scientiæ boni, & mali proximè, & immediate à Deo acceperat: mulier autem à viro dumtaxat suo. Debuerat enim Adam animo repetere. Deus ipse in sua persona mihi hoc prohibuit, nefas igitur est non obsecundare. Plus namque fidei, & reuerentiæ Adam Deo, quàm Heua ipsi Adæ debebat. Hæc ex D. Ambr. vbi sup. Idem etiam sentire videtur expresse super illud Luc. Socrus autem Simonis, &c. vbi ita ait. Prior sanari debuit, qui prior creatus est, nec prætermitti debuit, quæ mobilitate magis animi, quàm prauitate peccauit.

D. Ambr. Luc. 4.

CONCLVSIO III.

Heuæ peccatum quasdam ob causas præualuit. Et probatur: quia induxit virum ad peccandum. Vnde initium peccati à muliere esse dicitur. Secundò: quia ignorans esse peccatum efferœnis, sine vllo conscientiæ retinaculo, in illud ferebatur. Tertiò: quia longè maior videtur fuisse Heuæ infidelitas: quoniam in pluribus serpenti credidit, quàm viro. In animũ enim induxit suum, Deum comestionem ligni scientiæ boni, & mali non vetuisse. Quod quidem vir nõ credidit.

Eccl. 25.

Plus autem peccati committit, qui plures fidei articulos negat, quam qui pauciores. Hæ, & aliæ plures rationes sunt, quibus magister, & doctores scholastici mouentur, ad asserendum grauius fuisse peccatum Heuæ, Adæ peccato.

Tertia diffic. Qua hora Adam peccauit?

CONCLVSIO.

Matth.27. Marc.15. Luc.23. Genes.c.3. Psal.29.

HOra nona. Et ratio est: quia, qua hora primus Adam peccando mortem meruit, eadem hora secundus moriendo mortem destruxit. Et Christus hora nona: vel citò post ipsam, mortuus fuit: licet hora sexta factæ fuerint tenebræ super terram. Vnde dicitur in Gen. cùm deambularet Dominus ad auram post meridiem, abscondit se Adam. Et nota post meridiem, siue ad vesperam sumi in hoc mysterio largè pro tempore, quo sol declinat ad occasum: vt quando dicitur in psalm. Ad vesperum demorabitur fletus. Vide gloss. ibidem.

Quarta diffic. Vtrùm primum hominis peccatum in statu naturæ integræ potuerit esse veniale?

Alex. m.6. vbi suprà. S.Th. in.1.2. q.89.art.3. D.Bon.d.21. art.3.q.1. Scot.q.1. Dur.q.4. eiusdem.d. Gab.q. d.22.

ALexander. S. Thom. D. Bonau. Durand. & alij negant, primum hominis peccatum in statu innocentiæ potuisse esse veniale. Suntquè pro hac opinione multæ rationes: sed vna sola modò pro omnibus in publicum prodeat. Quia omne peccatum est aliqualis deordinatio, & cùm quæcunquè deordinatio, quantùmcunque modica, non potuerit cum summa rectitudine homini in statu innocentiæ possibili stare, illud peccatum, qualecunquè fuisset, mortale extitisset: tanquàm corrumpens illam rectitudinem rationis, quod non potest efficere veniale. Scotus verò affirmat primum Adæ peccatũ potuisse esse veniale. Et confirmat suam sententiam aliquot rationibus, quarum vna est. Quia donum iustitiæ non coniungebat hominem perfectiùs vltimo fini, quàm quæcunq, gratia gratum faciens coniũgit nunc viatorem: sed cum gratia quacunq; potest nunc stare veniale, etiã in viris perfectissimis. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus: ergo potuit Adã tunc cum iustitia originali habere peccatum veniale. Sed de hac re lege lib. controuersiarum.

1.Ioan.1.

Alex. Alen. q. 113. & 146. & 155. per totum. S.Tho.1.2.q. 76. S. Bon. Scot. Dur. Ric. & alij scholastici docto. hac distinct. Sylue. & alij sumistæ ver. ignorantia. Doct. canonistæ super. d.38. Adr. quodl. 1.2. & 4. Castr. de potest. le. pœn. cap.14. Cordub. toto. 2.li. sui quæstionarij. Theologici. Pron.24. Ioan.1.c.1.

Quæst. II. De ignorantia.

DE hac materia tractant doctores hac.d. Et cùm ignorantia multa mala gignat, & ferè omnia nutriat: operæpretium me facturum existimo, si longiorem de ipsa disputationem texam: vt quò ad fieri poterit, ad hominum mentibus relegetur. Qua in re Arist. methodum sequar, & explicatis aliquot articulis, erit quæst. absoluta, & perspicua.

Artic. I. De ijs, quæ ad naturam, & essentiam ignorantiæ pertinent.

Prima diffic. An sit ignorantia?

ARist. primis. c.1. & 2. lib. posteriorum primum locum quæstioni. An sit? docet esse concedendum.

CONCLVSIO.

Tanta est: vt vix sit, qui se à calore eius abscondere valeat. Et ratio est: quia, vel sapientissimi homines plura ignorant, quàm sciunt. Et quia omnis peccans, siue errans, est ignorans. A peccato autem quis excusabitur? cùm septies in die cadat iustus. Et si dixerimus: quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &c.

Secunda diffic. Quotuplex est ignorantia?

CVm hoc nomen ignorantia varia, & diuersa significet, priùs erit in sua significata diuidendum, quàm definiendum, iuxtà receptum methodi doctrinæ præceptum. Sunt autem variæ, & multiplices ignorantiæ diuisiones, quæ à doctoribus in principio citatis traduntur: & necessariæ quidem ad innumeras difficultates, quæ passim circa hanc ignorantiæ materiam excitantur, dissoluendas.

1. Diuisio. *38 d. c. quãuis, & c. qui ea, &. 22. q. 2. & cap. in quibus. 1. Cor. 14.*

Prima Diuisio.

IGnorantia est triplex. Vna bona. Altera mala. Et tertia indifferens. Bona est eorum, quæ sunt occasio ad peccandum: quæ quidem melius est nescire, quam scire. Mala, quando ea, quæ Dei sunt, ignorantur: propterea q; talis ignorans, ignorabitur. Indifferens est eorum, quorũ nihil interest ad regnum Dei consequendũ, siue sciantur, siue ignorentur.

2. Diuisio. Subdiuisio. *1. q. 4. §. vlt. in fine.*

Ignorantia, alia iuris, alia facti. 1. q. 4. §. vlt. & 22. q. 4. innocens. Hæc diuisio est ex materia, circa quam versatur.

Subdiuisio. *11. q. 4. c. ex cellẽtissimo. & c. seq. & 21. q. 2. c. vl.*

Ignorantia iuris, alia est iuris naturalis, quæ in omnibus adultis, & ratione vtentibus est damnabilis. Alia iuris canonici, & ciuilis. Quæ quidem iura quibusdã permittitur ignorare: quibusdam verò non licet. Ignorãtia facti: vna simplex, altera probabilis, tertia crassa, & supina. Prima est vera, & nõ simulata, in qua peccantibus est parcẽdum. Secunda est, quæ probari potest. 1. q. 1. si qui à simoniacis. Tertia est, quando factum omnibus publicum ignoratur. 1. q. 4 §. vlt. 8. q. 1. cap. licet ergo. 11. q. 3. c. cure. 22. q. 2. c. qui diuinis. 23. q. 1. c. paratus. Dist. 16. c. quod dicitis, & 20. d. c. si decreta.

3. Diuisio.

Rursus ignorantia facti. Quædam est dantis operam rei licitæ: quædam verò dantis operam rei illicitæ.

Ignorantia, vel est antecedens, quæ est causa peccati; vel est concomitans, quæ impertinenter se habet: vel est consequens, quæ ex peccato consequitur. Hic diuiditur in ordine ad peccatum commissum.

4. Diuisio. *S. Tho.*

Ignorantia: vel est vincibilis, quã aliqui vocant probabilem; vel inuincibilis. Vincibilis vocatur à S. Tho. consequens: inuincibilis verò antecedens. Quia antecedit culpam.

Subdiuisio.

Ignorantia inuincibilis est duplex. Quædam secundum se, & non secundũ suas causas: vt ebrius, qui inebriaret se: vt occideret hominem, quando occidit, est inuincibilis in se; quia ignorat esse peccatũ. Nõ tamẽ in sua causa: quia voluit ebrietatem. Quædã verò & secundum se, & secundum suas causas est inuincibilis: vt amẽs in se, & in sua causa ignorat inuincibiliter fornicationem esse peccatum. Hæc diuisio est in ordine ad voluntatem.

Subdiuisio. *Iob. 21. Psalm. 35.*

Ignorantia vincibilis est quoquè duplex. Vna affectata: vt quando aliquis ex proposito vult ignorare: vt sunt, qui dicunt Deo. Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et qui noluit intelligere: vt benè ageret. Altera est crassa, siue supina, sic dicta ab eo, quòd homines crassi: vt plurimum solent esse segnes.

5. Diuisio.

Ignorantia, aut est manifestè voluntaria: vt cùm quis non elaborat cognoscere, nec vult scire ea, quæ pietatis, vel salutis suæ sunt: vt, illa ignorando liberiùs peccatis laxet habenas, & cupiditatibus absque aliquo conscientiæ remorsu obsequatur, quàm suprà ignorantiam affectatam nominauimus. Aut est indirectè voluntaria: vt quando aliquis, vel diuitiis congerendis, vel huius sæculi negotiis tanta animi intentione vacat: vt ea, quæ salutem concernunt, agnoscere negligat. Huius socij sunt illi, qui accidiæ, & torpori, ita addicti sunt: vt studere nolint, iis, quæ ad salutem necessariò sunt discenda. Cupiunt quidem hi scire viam salutis, nec aspernantur sciẽtiam legis: sed à laboribus, sine quibus scientia acquiri non potest, abhorrent. Et ideò indirectè volunt ignorantiam. De quibus omnibus D. Aug. Aliud est, inquit, non curasse scire, quæ negligentiæ peccata per sacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec posse. Da proinde, domine, quod iubes, & iube, quod vis. *D. Aug. de natur. & gratia. c. 17.*

6. Diuisio. *Arist. lib. 1. post. c. 12.*

Ignorantia, vel est prauæ dispositionis: vt error, vel est puræ negationis: vt simplex nescientia. Et est sola priuatio notitiæ alicuius rei, aut circunstantiæ illius.

Castr. vbi. §. Subdiuisio.

Ignorantia prauę dispositionis, vel est habitualis, vel actualis. Quia taliter ignorans, vel habitum erroneum habet, vel actum erroneum efficit. Hæc diuisio, & sequens est ex parte scientiæ, cui opponitur.

Subdiuisio.

Ignorantia puræ negationis est duplex. Vna, quæ dicitur simpliciter nescientia. Altera, quæ vocatur ignorantia, & est eorum, quæ aliquis tenetur scire, & nescit. Et reperitur in eo, qui ignorat præcepta diuina.

Subdiuisio.

Ignorantia prauæ dispositionis, quædam est practica quædam speculatiua: vt in Iacob fuit ignorantia speculatiua, non practica. Nõ enim practicè agnoscebat, q; illa non erat vxor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ignorantia tripliciter sumitur. Primò pro priuatione scientiæ oppositæ: vt si quis ignoraret fornicationem esse mortale peccatum, non ob aliud nisi quia priuatur notitia, & scientia huius præcepti, non fornicaberis. Secundò capitur pro errore intellectus iudicantis inter appetitū sensitiuum, & rationem. Comparat enim intellectus adinuicē rationes harum potentiarum, & iudicat appetitum esse sequendum. Exempli causa, ratio dictat omnem fornicationem esse fugiendam: appetitus autem sensitiuus inclinatur ad delectationem veneream, erratq; intellectus, quando, post habito rationis dictamine, iudicantis omnem fornicationē esse fugiendam, profert in gratiam appetitus sensitiui hanc sententiam, scilicet, delectationem sequendam: quoniam est bonum delectabile. Ecce quo pacto dicitur intellectus ignorare, non quòd non sit conscius veritatis: sed, quia iudicat esse potiùs sequendam appetitus sensitiui inclinationem, quàm ipsam rationem.

Append. Hinc, nō errat vniuersaliter, qui veritatis cōscius peccat: sed in particulari. Adulter enim cōscius huius veritatis adulteriū est malum, & fugiendū, errat in particulari, scilicet, hoc adulteriū est modò sequendū: quoniam ducitur ab appetitu sensitiuo. Tertio modo sumitur ignorantia pro inconsideratione, & obliuione eorum, quæ quis considerare, & recordari tenetur. V.g. soluat quis horas canonicas ordine præpostero, primam, scilicet, ante matutinum, & hoc solùm: quia obliuiscitur ordinem persoluendi horas: hic defectus considerationis vocatur ignorātia, non q̄ ita orans nō sit cōscius ordinis, quē tenebatur in solutione horarū seruare: sed quia non recordatur illius ordinis, neq; illum aduertit. Ex huiusmodi in consideratione processit primum peccatum mali angeli. Dilexit enim se primò quam Deum: vt S. Tho. q. 63. ar. 1. ad 4. docet.

3. Diuisio. Solet etiam eadem ignorātia, ex parte scientiæ, cui opponitur, aliter diuidi, nempè, in positiuam, quæ definitur assensus contrarius veritati: vt si quis affirmet Christum non esse Deum, quæ dicitur prauæ dispositionis. Et hac laborant hæretici, & infideles habentes Ecclesiæ Catholicæ notitiam: & dicitur positiua, eò q̄ sit contraria articulis fidei. Et in priuatiuam, hæc est pura priuatio in subiecto apto ad scientiam, & hac

hac laborant, qui nihil audierunt de Christo, qui neq; assensum, nequè dissensum habent. Aliæ etiam ignorantiæ diuisiones traduntur, quas consultò missas facimus.

Tertia diffic. Quid nam est ignorantia? *Doct. vbi. §.*

EX multiplici diuisione licet colligere, nō posse vnā rationem, seu definitionē communē tradi, quæ omnibus mēbris dictarū diuisionum cōpetat, præter rationē etymologiæ: vt ignorantia dicatur priuatio scientiæ.

Hinc, cùm duplex sit scientia, Vna iuris, id est alicuius propositionis vniuersalis: vt huius non est adulterandum. Altera facti: vt scientia alicuius particularis: vt huius, hoc est adulteriū, nempè, accessus ad hanc. Ita duplex erit ignorantia. Vna iuris, quæ definitur priuatio scientiæ iuris. Altera facti, & definitur. Priuatio scientiæ facti: vel ignorātia iuris est nescire legem cōmunem. Ignorantia autem facti est, nescire. An factum aliquod sub tali lege contineatur? Append. 1. *Definitio ignorantiæ iuris, & facti.*

Hinc, etiā cū multiplex sit ius, multipliciter iuris ignorātia definietur. est enim ignorātia iuris naturalis priuatio scientię iuris naturalis. Quod ita vocatur qa ex ipsius naturę institutione prouenit, & est omnibus cōmune, c. ius naturale. d. 1. Quod, & ius diuinū appellatur, si ad conditorē illud referas: quia Deus ipse, qui naturā cōdidit, est iuris naturalis autor, & institutor. Perinde ignorātia iuris diuini positiui pōt definiri. Quod quidē ius nō est necessariò naturę cōiunctū: sed ab illa separabile, & à Deo pro tēpore conditum: vt est præceptū de baptis. aut cōfess. in lege Euāgelica, & multa præcepta cœremonialia, & iudicialia, quæ fuerunt olim solis Iud. eis data. Et ignorātia similiter iuris humani positiui, quod nō à Deo: sed ab homine fuit conditū, quale est ius ciuile, siue Ecclesiasticū. Appen. 2. *1. q. 4. §. vlt.*

Præterea, cùm rectū sit iudex sui, & obliqui, rectas tibi definitiones ob oculos ponam, obliquas verò, quas Castro, & alij locis citatis refutant, prætermittam. Ignorantia igitur præcedens est, quæ tempore præit peccatum, estquè illius causa: vt si quis ex ignorantia peccet ita, quòd non peccaret, si esset præcepti prohibentis peccatum conscius. Ignorantia concomitans est, quæ nequè est causa, nequè effectus peccati: *Definitio ignorātiæ præcedentis, cōcomitātis, & sequentis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

37. d. c. vl. Ignorãtia affectata quid. Psal. 35. & Iob. 21.

vt quando homo occidit inimicum, existimans se occidere feram, alias etiam si sciret, occisurus. Ignorantia sequens est error, vel cœcitas intellectus, quæ est pœna peccati: vt cœcitas ignorantiæ Iudæorũ abnegantium Christum. Ignorantia affectata est, quando aliquis ex industria, & data opera, non vult inquirere veritatem: vt benè operetur. De quo legitur noluit intelligere, &c. Et scientiam viarum tuarum nolumus, &c. Nec vult audire concionem, nec consulere peritos, nec studere, & inquirere veritatem: vt liberiùs peccet.

Definitio ignorantiæ inuincibilis.

Ignorantia inuincibilis est, quam quis habet, posteaquàm fecit totum, quod ad illam vincendam facere tenebatur, & illam superare non potuit. Dices. Quid tenetur quis ad ignorantiam vincendam facere? Respondeo vno verbo: aut consulere peritiores, si ignorans est, & illiteratus: aut si sit vir literatus peculiare circa illam rem studium adhibere.

Appen.1.

Hinc, qui iudicio alicuius literati recepit aliquid vltra sortem ratione mutui, laborat ignorantia inuincibili.

Append.2.

Hinc, pœnitens, qui iudicio confessoris non iterauit confessionem, necessariò iterandam, habet quoque ignorantiam inuincibilem. Quia totum, quod facere tenebatur, fecit ad illam excludendã, & cùm non potuerit illam vincere, non tenebitur confessionem iterare. Definire autem alia membra dictarum diuisionum facile ad imitationem poteris.

Artic. II. Vtrùm ignorantia sit aliquando causa peccati?

Alex. Alen. tota. q. 155. S.Th. vbi.§. ar.1. S.Bona.ar.2. 3. 5. & aly vbi suprà.

CAusa per se est, quæ virtute propria operatur: vt ignis respectu caloris, vel etiam ex intentione: vt in causis liberis. Causa per accidens est, quæ non virtute propria, sed alterius formæ operatur: vt album ædificat, nõ ratione albedinis; sed artis, quam nouit. Dicitur quoque causa per accidens, quæ remouet prohibens effectum: vt destruens columnam, cui ædificium innititur, est causa per accidẽs ruinæ ædificij, & hoc præter intentionem.

Nota.1.

Cognitio alicuius rei illicitæ sæpissimè est in causa, quominùs fiat peccatum. Ratio est: quia ex eo, quòd quis cognoscit fornicationem esse peccatum, plerunquè abstinet à peccato.

Nota.2.

CONCLVSIO I.

Ignorantia affectata est per se causa peccati. Quoniam ex intentione, vult, eam habens aliquid ignorare. Cõstat ex definitione ignorãtiæ affectatæ, quæ est, cùm quis studiosè vult nescire aliqua: vt liberiùs peccet. Vnde ita confirmo conclusionem. Peccare ex intentione est, cùm quis intendit causam peccati, quò peccare valeat: vt potè, si quis inebriaret se animo occidendi hominem. Et cùm ignorantia affectata sit huiusmodi. profectò affectatè ignorans, ex intentione peccabit; & ex consequenti ignorãtia affectata erit per se peccati causa.

CONCLVSIO II.

Contingit aliquando ignorantiã crassam tam iuris, quàm facti esse peccati causam, non per se: sed per accidens. Et ratio est: quia causa, quæ remouet prohibens aliquem effectum, dicitur causa per accidens: vt ex primo notabili constat: ignorantia autem remouet scientiam, quæ quidem si adesset, prohiberet peccatum: vt in secundo notabili patet. Quare erit causa per accidens.

Append.1.

Hinc, si quis accederet ad alienam, & culpabiliter ignoraret esse alienam, talis ignorantia in illo esset adulterij causa per accidens.

Append.2.

Hinc, factum non imputabitur ad culpam, quando procedit ex ignorantia inculpabili: vt patet exemplo Iudæ patriarchæ, cui non imputatur incœstus cum Thamar nuru sua. Et Iacob, qui non peccauit cognoscendo Liam: vt rectè sentit Adrianus quodlib. 4. Licet Caietanus vbi suprà ar. 3. arbitretur nõ excusari à peccato absolutè: sed à peccato imputabili, id est, accessum Iacob ad non suam fuisse peccatum: non tamen imputari Iacob ad culpam, nec ad pœnam, eò quòd inculpabiliter ignorabat Liam esse suam. Sed de his infrà in hac quæstione.

Adria. *Caieta.*

Append.3.

Hinc, si quis occideret patrem, existimans se occidere inimicum, si fuit negligẽs in inquirendo: An esset pater? An inimicus: imputabitur sibi parricidium, propter negligentiam: ex parte tamen excusabitur: vt infrà dicetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. q. 113. m. 1. S. Tho. ar. 2. S. Bona. q. 2. Dur. q. 3. Cast. & alij vbi §.

Prima diffic. An ignorantia sit peccatum?

INtelligitur titulus. An sit ignorare peccatum in se? quamuis non sit causa alterius peccati. Exempli gratia, ignorare futurum esse peccatum. An sit peccatum? etiam si inde nec furtum, nec animus peccandi sequatur.

CONCLVSIO I.

Marc. vlt. Ignorantia vincibilis articulorum fidei est mortale peccatum secundum se, quàmuis nullum aliud inde peccatum sequatur. Et ratio est: quia, cùm credere sit sub præcepto (qui enim non crediderit condemnabitur) profectò, qui non habuerit fidem articulorum, propter ignorantiam culpabilem, siue vincibilem, erit huius præcepti reus, & ex consequenti peccabit mortaliter.

CONCLVSIO II.

Ignorantia puræ priuationis præceptorũ decalogi, quàmuis nullum inde sequatur mortale, erit secundum se peccatũ mortale. Et ratio est: quia, qui ignorat aliquod præceptũ naturale, per talẽ ignorantiã constituitur in certissimo periculo committendi aliquod mortale; vt furtum, homicidium, &c. quod vitare tenetur. Atq; ita ratione talis periculi erit secundum se talis ignorantia peccatũ mortale. Deinde: quia omnes

Matth. 19. tenentur præcepta decalogi seruare. Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, & qui vincibiliter ipsa ignorat nõ poterit seruare. Volũtas enim nõ fertur in incognitũ. Notanter dicitur priuatiua in conclusione: quia positiua hæresis est.

CONCLVSIO III.

Append. Ignorantia culpabilis in eo, qui ignorat aliquod præceptũ Ecclesiasticũ, siue præceptũ aliquod ad suum statũ pertinẽs, secundum se est mortale peccatũ. Et ratio est: quia scientia dictorum est necessaria ad cauendum mortale: & cùm laborans tali ignorantia, in certissimo periculo peccãdi mortaliter cõstituatur: erit talis ignorantia secundũ se mortale peccatum. Cùm sit certissima occasio peccandi mortaliter.

Hinc, qui ignorat culpabiliter præceptũ ieiunandi quadragesimam, vel confitendi singulis annis, & sumendi Eucharistiam, etiã si confiteatur, & sumat Eucharistiã, & ieiunet, erit reus

reus mortalis peccati. Propter periculũ ruinæ sui, & aliorum. Idem est iudicium de episcopis, iudicibus, aduocatis, tabellionibus, medicis, & reliquis, quorum ignorantia culpabilis, est certissima peccandi occasio. Quamobrẽ sunt in statu damnationis, etiãsi nihil mali operẽtur. Hucvsq; de ignorãtia iuris.

CONCLVSIO IIII.

Non solùm ignorantia iuris, sed etiam facti ignorãtia plerumq; est peccatum secundũ se, etiam si nullũ inde sequatur peccatum. Probatur conclusio exemplo. Demus, fideles alicuius parrochiæ omnes hoc anno cõfessos fuisse, & eucharistiam sumpsisse: hoc tamen factum sit, an non? à parrocho ignorari. Talis ignorantia secũdum se est mortalis: quia opposita scientia est necessaria, ad cauenda peccata subditorũ. Non enim satis est parrocho, habere bonos subditos: sed oportet illum hoc scire. Cæterum, vt perfectiùs, quæ ad hanc difficultatem spectant, intelligas, nota sequentes animaduersiones.

Nescientia hoc differt ab ignorantia, quòd nescientia est priuatio scientiæ eorum, ad quæ facienda non sumus secundum nostrã naturã habiles: sed supernaturaliter tantũ: quo quidem modo beati dũ erãt viatores, nesciebãt multa, quæ nũc vidẽt in verbo: & nos in via nescimus ea, quæ vidẽt beati in verbo. Et nulla creatura, vt Christus testatur, scit diẽ iudicij. Ignorãtia verò est priuatio scientiæ, q̃ de lege quis potest habere. Quo modo ignorat, quis geometriam: nescit tamen iudicij diem.

1. Animaduersio. Alex. Alen. vbi §. m. 2. Matth. 24.

Scire nõnulla teneamur ex præcepto, alia verò minime. Ex præcepto quidẽ tenemur primũ scire fidei articulos. Secũdò decalogi præcepta; quia sunt iuris naturæ. Tertiò vniuersalia ecclesiæ præcepta: vt de annua sacramentali confessione, & de communione, & de ieiunio, & de decimis ministris ecclesiæ soluendis, & de audienda missa diebus festiuis. Quartò tenetur quisquè scire, quæ ad ministerium sui status attinent: vt episcopus tenetur scire vtrumquè testamentum. Confessor tenetur scire, quæ ad confessiones audiendas pertinent, communia, videlicet, peccata, &c. Et coniugatus tenetur scire debitum esse soluendũ, & liberos bonis moribus esse instituendos, & de aliis similibus simile est iudiciũ. Quæ autẽ nullatenus homo scire ex pcepto tenet, sũt artes liberales, & cætera omnia

2. Animad. D. Aug. epist. 95. lib. 2. de pec. & remiss. c. 5. de lib. arb. c. 3. de bo. perseuer. c. 20. & lib. 10. consessio x. 29. & 37.

Universidad de Deusto Biblioteca

omnia, demptis quatuor generibus rerum, positis in primo membro huius animaduersionis secundæ.

3. Anima. Ignorantia, vt inuincibilis sit, non tenetur homo facere totum, quod potest. Nam satis est, si efficiat illud, quod facere tenetur: ne sibi talis ignorantia imputetur. Et probatur exemplo Iacob, qui potuit, quãdo iuit dormitum, interrogare Liã, esset ne Rachel, vel saltem cùm ea cõfabulari: vt eam sermone agnosceret, & fortassis siluit. Potuit quoque postulare lumen: vt eam videret, & ita ignorantiam expellere. Et nihilominus habuit ignorantiam inuincibilem. Quare non tenetur homo facere totum, quod potest: vt eam vincat. Satis igitur erit, facere, quod tenetur: vt suprà diximus.

Gen. 29.

4. Anima. Scientia, quæ est homini necessaria, vel est ordinata ex natura rei ad sciendum & seruandũ solum aliquod præceptum. Quia ignorans talem scientiã ratione ignorantiæ cõstituitur incertissimo peccandi periculo: vt est sciẽtia articulorũ fidei, quæ est necessaria ad interius credendum, & ad confessionẽ fidei exteriorem. Ad Rom. 10. corde creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutẽ. Et Marc. vlt. Qui non crediderit, condemnabitur. Vel est secundò ordinata ex natura rei ad vincendum aliquod peccatum: vt est scientia præceptorum decalogi. Et ratio est: quia si quis ignoraret præceptum, non mœchaberis, non poterit abstinere ab adulterio, putans non esse peccatum. Similiter si ignoraret præceptũ Ecclesiasticũ, de annua confessione, nõ confiteretur per totã vitam, & per consequens non pœniteret. Vel est tertiò ordinata necessariò, non ex natura rei ad seruandum aliquod præceptum, vel ad cauendum peccatum: sed solum ad aliquem peculiarẽ euẽtum. v.g. scire, hominem aliquem latere in nemore, non est ex natura rei necessarium ad cauendum homicidium: sed solum venatori est necessarium.

Ad Ro. 10. Marc. vlt.

Secunda diffic. Vnde nam dicta ignorantia est culpabilis?

Doct. vbi. 5. QVod quæritur est. An in prædictis casibus ignorantia sit mortale peccatum, ratione negligentiæ inuestigandi veri-

veritatem? An etiam, seclusa quacunq; negligentia: vt in illo, qui ignorat inuincibiliter. Aliud namquè est quærere, cur ignorantia inuincibilis sit peccatum? Aliud verò inquirere. Vnde ignorantia, quæ est causa illius proficiscatur; Caietanus art. 2. vbi suprà tenet esse peccatũ ratione negligentiæ inquirendi veritatem cui S. Thom. ibidem suffragatur. Ignorantia inuincibilis non tollit obligationem seruandi legem, quam aliquis inculpabiliter ignorat: excusat tamen (vt infrà dicetur) quominus sit transgressio ad culpam imputabilis. Patet ex Euangelio. Lex enim baptismi omnes obligat: vt habetur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. vbi ponitur præceptum comminatorium aduersus omnes infideles, etiam illos, quibus Christus non est annunciatus. Quoniam lex vniuersalis est. Excusabuntur tamen à culpa per ignorantiam inculpabilem illi, ad quos rumor Euangelij nondum peruenit. Fides enim ex auditu.

Nota. Ioan. 3. Ad Ro. 10.

Append. Hinc, poterit accidere, aliquem actum esse intrinsecè malum, & tamen non esse, ad culpam imputabilem. Patet exemplo, nam homicidium est ex natura rei malum: & tamen venatori, inculpabiliter illud ignoranti non erit peccatum.

CONCLVSIO I.

Præcisa ratio, ob quam, ignorantia vincibilis in casibus proximæ difficultatis est peccatum, non est sola negligentia inquirendi veritatem: verum etiam, quia est voluntaria in sua causa, scilicet, in negligẽtia inquirendi veritatem: & quia est talis ignorantia contra aliquod præceptum. Probatur prima pars: nam ad hunc modum definitur peccatum, teste D. Augustũ. Quod voluntariè est contra legem Dei. Et cui competit definitio, eidem necessè est: & vt definitum conueniat. Secunda pars probatur ex eadem definitione peccati: nam peccatum est dictum, vel factum, &c. Quare vbi non est lex, nec præuaricatio, sed habemus præceptum sciendi quatuor in proxima difficultate posita. Ergo priuatio huius scientiæ, nempè, ignorantia est contra aliquod præceptum, & ex consequenti peccatum. Et confirmatur, qui vincibiliter ignorat Grammaticam, vel Geometriam, non est culpabilis: propterea quòd Grammaticam, vel Geometriam scire, non est sub præcepto:

D. Aug. lib. 22. contrar. Faust. c. 27. & 1. retrac. c. 13. Ad Roma. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcepto:ergo præcisa ratio, quare ignorantia est peccatum, erit:quia scientia illi opposita est sub præcepto.

CONCLVSIO II.

Ignorantia inuincibilis non mutat naturam actus, qui est peccatum ex genere:efficit tamen,vt talis actus, taliter ignoranti ad culpam,siue ad pœnam non imputetur. Verbi causa, ignorantia inuincibilis cõtractus vsurarij nõ tollit,quin vera sit vsura, excusat tamen contrahentem à culpa. Et ratio est, quia tale peccatum non est voluntarium in se, neque in sua causa,nempè,in negligentia inquirendi veritatem:quia adhibita fuit omnis diligentia ad relegandam ignorantiam necessaria,consulendo petitiores,vel studendo,&c. & non fuit relegata.Secundò confirmatur conclusio : quia cùm actus proueniens ex ignorantia inuincibili sit circa idem obiectum illicitum,circa quod est,seclusa ignorãtia, erit ex se peccatum: vt patet in exemplo posito de vsura, cuius obiectum vtrobique est pecunia aliena.

Append. Hinc,in materia iustitiæ,destructa ignorantia,ignorans ad restitutionem tenebitur.

Tertia diffic. Ignorantia fidei articulorum potest ne esse inuincibilis?

CVm suprà dixerimus, ignorare inuincibiliter articulos fidei esse peccatum, restat tractemus. An talis ignorantia possit esse inuincibilis? ita, vt non imputetur ad culpam. Quam quidem ignorantiã habere videbantur Indi, antequàm Hispani ad eos Euangelium detulissent. Hoc autem in loco non est sermo de ignorantia positiua, siue prauæ dispositionis,quam,vt in primo artic.diximus, habent hæretici, & infideles, qui de Ecclesia Catholica audiuerunt: sed de priuatiua ignorantia, qua laborant illi, ad quos nullus Euangelij rumor peruenit. Duæ sunt contrariæ opiniones. Vna, quæ negat, post sufficientem Euangelij promulgationem, dari ignorantiam inuincibilem fidei, quam defendunt *Alex. Alen.* grauissimi Doctores antiqui, scilicet, Alex, Alen. quæst. 13. memb.

memb.8.&.q.154. memb. 6.&.3.p.q. 69. memb.3. Altisio. 3. p. summæ in.q.vtrum fidei possit subesse falsum. Gerso.in tract. de vita spirituali lect.4.p.6.Hugo de sacrament.lib.2.q. 2. c. 5. Gabriel.q. 2. huius dist. Hos refert Adrianus quodlib. 4. q.1. Altera opinio affirmat,quæ est S.Tho.2.2.q.10. art 1. & S. Bona.& Armachani, quos refert, & sequitur Vega lib. 6. super concil. Trid.c.18. Antequam ad hanc difficultatem expediendam accingamur,quędam fundamenta maximè vtilia iacienda nobis sunt. Primum fundamentum. Post sufficientem euangelij promulgationem certissimum est apud omnes antiquos Doctores, neminem absque fide Christi explicita, id est,in particulari,saluari:bene tamen posse iustificari. De hac re lege Flores. 4. lib. de baptismo. Probatur fundamentum exemplo Cornelij, quem scriptura vocat iustum: quia ante fidem Christi explicitam, erat gratus Deo. Aliter enim scriptura sacra non eum appellasset iustum. Fuit quidem iustus non solùm iustitia morali: qua philosophi gentium iusti nominabantur: sed & fidei iustitia, qua homo est Deo ad vitam æternam acceptus. Nam credebat implicitè. Alioquin non placuisset Deo: quia sine fide impossibile est placere Deo. Quòd autem non possit quis saluari absque fide explicita Christi, testatur D. Aug. apud Magistrum lib.3. dist.25.dicês. Si Cornelio sine fide Christi posset esse salus, non ad eum mitteretur architectus Petrus, &c. & loquitur de fide explicita Christi: quoniam implicitam iam habebat:vt ibidem.D. August. tradidit. 2.fundam. Qui crediderit duos illos articulos,quos B.Paul.proponit ad Hebræ. 11.dicens.Oportet accedentem ad Deũ credere,quia est, & q. inquirentibus se remunerator sit.Et præcepta Decalogi (quæ naturali lumine cõstãt,& in illo principio includũtur. Quod tibi vis fieri,&c.)seruauerit,is facit,quod in se est,ad iustificationis gratiã assequẽdam. Quæ quidẽ omnia,quãuis naturali lumine constent: viribus tamen naturæ absque peculari Dei auxilio seruari à nobis haud possunt: vt in secunda huius secundi parte in tractatu de gratia explanatur. 3. fundament. Quãuis ad gratiam iustificationis assequendam sufficiat homini facere totum,quod in se est: non tamen sufficit, neque requi-

Altisiod. *Gerson.* *Hugo.* *Gabr. 2. sen. dist. 22. q.2.* *Adria.* *S.Thom.* *S.Bona.* *Vega.* *1.Fundam.* *Actor.10.* *Ad Heb. 11.* *D. August.* *2. Fundam.* *Ad Heb. 11.* *3. Fundam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

requiritur ad ignorantiam inuincibilem Christi, & articulorum fidei relegandam. Primùm, scilicet, quòd non sufficiat, &c. constat exemplo Cornelij, qui multò, antequàm illuminatetur, fecerat totum, quod in se erat, ad iustificationem assequendam. Nam dicitur, quòd deprecabatur Deum semper, idest, per multum tempus, antequam reuelationem fidei acciperet, & tamen tunc inuincibiliter fidem Christi explicitam ignorabat, priusquàm Petrus ad eum veniret. Secundum patet, scilicet, quòd non requiratur, nec sit necessarium: vt quis seipsum vltimatè disponat ad gratiam: ne ignorantia fidei imputetur sibi ad culpam. Quia multis, qui erant pessimis moribus imbuti, fuit fides reuelata, quemadmodum. D. Aug. de natura, & gratia scribens, de Paulo testatur. Ait enim, Paulus cùm nullis bonis meritis, immò cum multis malis demeritis, gratiam Dei (reddentis bonum pro malo) est assecutus: & latro, qui in cruce paulò ante Christum blasphemauerat, recepit fidei reuelationem. Et Corinthiis idololatriæ deditis est euangelium annunciatum. Ait enim Apost. cum gentes, essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes, &c. Et cap. 6. neque fornicarij, neque idolis dediti, &c. regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

Actor. 10. *D. Aug.* *Luc. 23.* *1. Cor. 12.* *1. ad Cor. c. 6.*

Append. 1. Hinc, apertissimè colligitur, multis, qui olim malè viuebant, reuelatam fuisse fidem. Quam quidem doctrinam non semel ad Rom. & ad Galat. D. Paulus confirmauit. Ait enim: arbitramur iustificari hominem per fidē sine operibus legis. Vbi ad iustificationem per fidem docet non esse necessarium seruare mandata.

Ad Rom. 3.

4 Fund. Fides de lege solùm per prædicationem manifestatur. Dicit enim B. Paul. ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? &c. Ergo fides ex auditu. Quibus verbis apertissimè docet, fidem de lege nemini, nisi per vocem prædicantium reuelari. Quòd si aliquando per internam reuelationē Spiritus sancti fuit manifestata: ita, vt B. Paulo, hoc speciali priuilegio factum est.

Actor. 9.

Append. 2. Hinc, qui nihil de euangelio, & ecclesia audiuit, nec potest, nec

nec tenetur aliquid facere ad talem ignorantiam vincendam. Et ratio est: quoniam hoc est illi impossibile. Et probatur primò: quia de lege; vt dictum est in 4. fund. prædicatio exterior est illi necessaria; quæ quidem prædicatio non est in potestate hominis, nisi solius Dei mittentis prædicatores. Ad Roma. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Secundò, quia non habet, quos interroget ad talem ignorantiam vincendam. Non prælatos, de quibus dicitur. Interroga iumēta, & docebunt te. Et prælati intelliguntur nomine iumentorū, quoniam pondus dici, & æstus portant. Non habent sapientiores, qui nomine volatilium ibidem significantur, quando dicitur. Et volatilia cœli indicabunt tibi. Nam alta contemplantes, omnem veritatem penetrant. Cùm enim omnes, quibus cùm viuit, eadem laborent ignorantia, nō habet quos interroget. Tertiò, quia nullus tenetur adhibere diligentiam ad inuestigandam aliquam veritatem, nisi aliquo modo præcognoscat illam. Voluntas enim non fertur in incognitum, & ad illum; vt dictum est, nullus rumor, vel præcognitio veritatis Euangelicæ, & fidei peruenit. Quartò, nec orationibus vacare ad hoc destinatis, scilicet, ad relegandam ignorantiam. Nam inquit B. Paul. ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Tenebitur tamen iste rectè viuere: non tamen ad hunc finem: vt illuminetur. Quia cùm hic finis, nempe, Christus, non sit aliquo modo præcognitus, non potest esse ab operante intentus.

Ad Rom. 10. *Iob. 12.* *Ad Ro. 10.*

CONCLVSIO.

Ille, qui nihil audiuit de Christo, si quis sit modò in orbe, non peccat, nō credendo, & habet suæ infidelitatis priuatiuā ignorantiam inuincibilem. Hæc conclusio est D. Aug. in. q. noui testamenti (quem citant Gabr. & Vega) dicentis. Si nō fuit, à quo quis disceret, neq; ad eum aliquo modo rumor doctrinæ peruenerit, tunc non aliquo vitio ignorat, & immunis est à condemnatione. Intellige propter infidelitatem: vt idem Aug. declarat super Ioan. c. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuissem, &c. peccatum nō haberent, scilicet, infidelitatis. Et confirmatur ex fundamentis positis: nam potest quis iustificari habēs ignorantiam Christi absq; fide explicita: vt habetur

D. Aug. *Gabr. 2. sen. d. 22. q. 2.* *Vega libr. 6. super concil. Trid. c. 18.* *Ioan. 15.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

betur in primo fundamento. Tum etiam: quia potest quis facere totum, quod in se est, ad gratiam consequendam, & tamen non statim illuminabitur: vt ex 2. & 3. fundamento constat. Et interim in illo spatio, dum illuminatur, ignorat inuincibiliter Christum. Et tandem: quia sola prædicatio exterior est de lege medium necessarium ad vincendam ignorantiam articulorum fidei: vt demonstratum est in 4. fundamento, & eius appendice. Quare itaque ignorans nihil tenetur facere ad vincendam ignorantiam: vt ibi probatum est.

Append. *Ad Rom. 10.*

Hinc, Beatus Paul. ad Rom. 10. Non increpabat infideles, eò quòd nõ fecissent totum, quod in se erat ad iustificationẽ: sed quod non crediderint prædicantibus. Ait enim: nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum. Sed de his in libro controuersiarum.

DVB. I. Sarraceni, & alij infideles, ad quos rumor Euangelij nondum peruenit, ignorant ne inuincibiliter fidei articulos?

Alex. Alen. 3. p. q. 69. m. 3.
S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 6. 7. & 8.
Dur. d. 25. q. 3. lib. 3.
Marc. vlt.

RAtio dubitandi est: quia videtur par ratio de illis, & de Indis, antequàm Hispani ad eos peruenissent, de quibus intelligitur præcedens conclusio. Non enim habent, quos interrogent.

CONCLVSIO.

Caterua dictorum Sarracenorum non ignorat inuincibiliter, sed culpabiliter fidei articulos. Et ratio est: quia habent ignorãtiam prauæ dispositionis. Quoniam habent dissensum omnium veritatum fidei. Nam inficiantur Christũ esse Deũ, & hominem, & Deum esse trinũ, & vnum. Et nolunt admittere prædicatores Euangelij, qui habent ius deferendi Euangelium per totũ orbem, iuxtà præceptũ Saluatoris. Mar. vlt. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et nolunt discutere argumenta nostræ religionis, quæ sunt miracula supernaturalia. Ponuntque obicem veritati: quia in secta eorum statutum est: ne illam discutiant argumentis, & rationibus: sed armis defendant. Cùm veritas nõ armis: sed rationibus inuestigetur, & elucescat.

Hinc,

Hinc, non est par ratio de his, & de Indis, qui ignorantia tantùm priuatiua legis Euangelicæ laborant. Append.

DVB. II. Sunt ne modò fideles intra Ecclesiam, qui possint ignorantiam aliquorum articulorum fidei inuincibilem habere?

CONCLVSIO I.

CIrca articulos fidei, qui in symbolo Apostolorũ proponuntur, & circa Ecclesiæ sacramenta, nullus fidelium potest ignorantiam inuincibilem habere. Et ratio est, quia sæpissimè à prædicatoribus proponuntur, & singulis fere articulis sunt dies solemnes, quibus celebrantur, instituti.

CONCLVSIO II.

Præter ignorantiam articulorum fidei, & sacramentorum potest aliquis fidelis intra Ecclesiam habere ignorantiam inuincibilem quarũdam propositionum, quarũ oppositæ sunt tanquàm de fide habendæ. V. g. quòd sacramenta non conferant gratiam ex opere operato: sed tantùm iuxtà suscipientium deuotionem: vel quòd potest aliquis habere certitudinem fidei suæ gratiæ, &c. Et ratio est: quia Christianus simplex, & illiteratus potest à quodam viro maximæ auctoritatis occultè hæretico propositiones huiusmodi audire, quas tenetur credere: propter auctoritatem proponentis, quarum oppositæ sunt solis hæreticis notæ.

Quarta diffic. Potest ne esse ignorantia inuincibilis præceptorum naturalium?

Nota.

TAlia sunt decalogi præcepta. Tripliciter dicitur esse aliquid de lege naturæ. Primò tanquàm primum principium, cuius veritas ex sola apprehensione terminorum absquè vllo studio, & labore, & collectione consequentiarum constat. Huius generis est illud principium, omne bonum est faciendum, omne malum fugiendum. Sit illud, quod tibi nõ vis, alteri ne, &c. Et illud omnia quæcũque

Universidad de Deusto
Biblioteca

vultis faciant vobis homines, facite illis. Et illud summum bonum est diligendum. Secundò, quod per bonam, & necessariam consequentiã ex aliquo dictorum principiorũ vniuersaliſſimorum colligitur. Huiusmodi sunt omnia præcepta primæ tabulæ, quæ colliguntur, ex illo principio, summum bonum est diligendũ. Ita enim inferuntur. Deus est summè bonus: ergo summè diligendus, quod est primũ præceptum. Præterea: ergo nullo periurio blasphemandus. Quod est secundum. Ad hæc: ergo certo die hebdomadæ colendus: prout cõmune est omnibus nationibus, quod est tertium. Præcepta verò secundæ tabulæ colliguntur ex illo principio. Quod tibi non vis, alteri ne feceris, & immediatè, sine vllo studio, & labore. Tertiò dicitur de iure naturali esse illud, quod ex aliquo principio colligitur: non tamen absque studio, & scientia. Quod quidem ad sapientes spectat. Huiusmodi sunt multæ propositiones: vt illa fornicatio est fugienda, quæ infertur sic. Est in præiudicium prolis generandæ propter incertitudinẽ parentum; ergo non est committenda. Colligitur tamen studio, & labore ex illo principio, quod tibi non vis, &c.

CONCLVSIO I.

Ignorãtia inuincibilis principiorũ practicorum, & vniuersaliſſimorum, quæ sunt de lege naturæ primo modo, dari non potest, neq; vtenti ratione est possibilis. Ratio à simili est: nam vt in speculatiuis non est ignorantia primorũ principiorum possibilis: propterea quod, posteaquàm aliquis habet notitiã terminorũ, impossibile est ignorare illud principium, omne totum est maius sua parte: vel si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia: Ita à simili in practicis principiis non dabitur ignorãtia inuincibilis, siue inculpabilis illorum, quorum veritas ex sola terminorum apprehensione constat. Sequela pater: quia par est, & æqualis vtrobique ratio.

CONCLVSIO II.

Per breue tempus in aliquo euentu potest dari ignorantia inuincibilis præceptorũ decalogi, quæ de lege naturæ secũdo modo esse dicuntur. Demus. v. g. esse aliquam gentium nationem, in qua ob maximam mentis caliginem ignoratur furtum esse peccatũ, in tali euentu, si quis, cùm primùm ratione vteretur,

vteretur, intelligeret furtum ab omnibus, tanquàm licitum exerceri, & eisdem roganti maiores, licitum esse furtum responderent, haberet hic ignorantiam inuincibilem illius præcepti, non furtum facies, per breue tempus, donec ipse consulens se ipsum, intelligeret, nõ esse licitum facere in alium id, quod in se ab alio fieri nollet. Iam conclusionẽ sic confirmo. Cùm primùm hic ratione vteretur, non teneretur aliorum mores damnare: ergo excusaretur per breue tempus illos sequendo. Ostenditur etiam à definitione ignorantiæ inuincibilis. Nullo enim labore, vel studio illam ignorantiam per breue tempus (vt dictum est) vincere posset.

Hinc, per breue etiam tẽpus posset ex patribus idolis deditis natus, & in idolorum cultu educatus, ignorantiam inuincibilem primi præcepti decalogi habere: non autem per longum tempus: quia si solo rationis naturalis ductu id consideraret, certè intelligeret Deum esse vnum: quemadmodum philosophi gentium intellexerunt, teste B. Paul. qui ait. Gentes, quæ legem non habent (scilicet scriptam) naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Cuiusmodi sunt præcepta decalogi in lege reuelata, quæ naturaliter sunt omnibus nota. Append. 1. *Ad Ro. 2.*

Hinc, præcepta decalogi secundæ tabulæ, quæ immediatè in illo principio vniuersali, quod tibi non vis, &c. sicut singulares propositiones sub sua vniuersali, continentur: vt hæc Petrus est animal, sub hac omnis homo est animal, non possunt inuincibiliter per multum tempus ignorari: vt patet ex B. Paul. modò citato. Quia sicut non cadit ignorãtia inuincibilis in dicto principio, quod tibi non vis, &c. Ita neque cadet in suis particularibus, quæ omninò immediatè, & necessariò ex illo colliguntur. Append. 2.

CONCLVSIO III.

Præcepta naturalia tertio modo dicta, quæ non colliguntur ex principiis vniuersaliſſimis, nisi magno sapientum studio, & labore, possent ab infidelibus inuincibiliter ignorari: vt exempli gratia, fornicationem simplicem nullo modo esse peccatum. Et ratio est: quia hæc, & alia huiusmodi vix à sapientibus, & philosophiæ moralis studio deditis colliguntur, esse contra legem naturæ.

Doct. vbi. §. *Quinta diffic. Datur ne ignorantia inuincibilis iuris positiui?*

CONCLVSIO I.

IGnorãtia inuincibilis iuris positiui, Ecclesiastici, & ciuilis potest haberi. Et ratio est: quia non omnes tenentur scire ius positiuum. Non enim colligitur ex principijs vniuersalissimis iuris naturalis: vt præcepta decalogi: sed pendet solùm tale ius ex beneplacito legislatoris, iuxtà illud. Quod principi placet, legis habet vigorem. Quod quidem non est ex natura rei omnibus notum.

Append.1. Hinc, qui inculpabiliter ignorat legẽ, qua cauetur, ne vltrà pretium definitum à lege, frumẽtum vendatur, neq; erit reus iniustitiæ, neque ad restitutionem tenebitur.

Append.2. Hinc, ignorãs cathalogũ prohibentẽ aliquos libros, si per ignorantiam inuincibilẽ, retineat librum prohibitũ, vel oblitus est libri: vel quia consuluit peritiores, qui fortè ignorabãt cathalogũ, in hoc euentu nõ contrahet excõmunicationem. Et de similibus erit simili modo, censendum.

CONCLVSIO II.

Nemo potest ignorantiam inuincibilem habere eorũ, quæ sunt iuris positiui, & frequentissimè omnibus nota: vt exẽpli gratia, qui percutit clericũ est excõmunicatus: vel in quadragesima sunt lacticinia, oua, &c. cauenda. Et ratio est: qa istorũ ignorãtia esset culpabilis, cũ sint hęc lippis, & tõsoribus nota.

Sexta diffic. Tenebitur confessor docere pœnitentem, laborantẽ ignorãtia aliqua inuincibili iuris diuini, naturalis, aut positiui?

DE Hac re in floribus quarti libri multa diximus.

CONCLVSIO.

Confessor pœnitentem, ita ignorantẽ ius positiuũ, nec debet, nec põt admonere. v. g. fit ita q̃ pœnitens ignoret ignorantia facti se esse coniugatũ cum consanguinea intra quartũ gradũ: fine q̃ laboret ignorantia iuris, quod non põt exigere debitum, postquam cognouit consanguineã vxoris suæ: Præterea,

terea, esto q̃ intelligat confessor pœnitentem negligentẽ futurum in petenda dispensatione, & quòd interim cũ peccato accedet ad vxorem, in his, & similibus euentibus, meliùs erit non docere pœnitentẽ. Et ratio est: quia pœnitens non peccat tunc: quoniam per ignorãtiam inuincibilẽ excusatur, & monitus fortassis in periculo peccandi, propter negligentiã impetrandi dispensationem, constitueretur. Quare præstat tunc tacere, quàm illum admonere. Immò tenetur tacere: frustra enim niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extrema dementia est.

Septima diffic. Culpabilis ignorantia fieri ne potest, virtute pœnitentiæ inculpabilis?

CONCLVSIO.

LAborans ignorantia culpabili, si pœniteat eũ ignorãtiæ: vel esto, q̃ nõ pœniteat, si ꝓponat, vel cõsulẽdo peritiores, vel ꝓprio studio, veritatẽ inuestigare, in hoc euentu cùm primùm hoc ꝓposuerit, nõ imputabitur illis talis ignorantia ad peccatũ, etiã antequàm illustretur. Ratio est: qa præcisa causa, ob quã, ignorãtia imputatur ad culpã est, ꝓpter negligentiã inquirendi veritatẽ: & cùm talis proponat veritatẽ inuestigare, non erit illi ignorantia imputanda.

Hinc, si hæreticus cõstitutus extra Ecclesiã ignorans explicitè veritates articulorũ fidei, quas tenebatur explicitè credere, proponat interrogare Catholicos, & veritatẽ inquirere, interim postquàm hoc proposuit, illo tẽpore intermedio, antequàm inquirat, & illustretur, ignorantia inculpabili laborat. Iam enim cessat causa culpabilis, quæ erat negligentia. Append.1.

Hinc, si ignorãs fidẽ proponat inquirere, qui eum doceat, & simul eum pœniteat, per fidem implicitam Christi, antequàm illustretur, iustificabitur. Patet exẽplo Cornelij, quod suprà retulimus. Idem iudicium est de idololatra, qui proponit inquirere veritatem. Si eum pœniteat, dummodò non perseueret in idololatria. Quoniam si perseuerasset in suo errore, esset tunc infidelis positiuè, quàmuis proponat veritatem inuestigare. Appen.2. Appen.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. q. 113. m. 7. 8. & 9. & q. 154. m. 4. 5. & 6. S.Tho.q. 76. ar.3. S.Bona.ar.2. q.3. Dur.quæst.4 in hac. d. & Castr. & alij vbi suprà.

Artic. Vtrùm ignorantia excuset à peccato?

Prima diffic. Quando ignorantia excusat omninò à peccato?

AD maiorem intelligentiam huius difficultatis relege primùm distinctiones ignorantiæ suprà positas, & notata, quæ sequuntur.

Peccatum ex ignorantia commissum est inuoluntarium in se, & voluntarium in sua causa, nempe, in negligentia inquirendi veritatem: quæ quidem negligentia est ignorantiæ causa. Exempli gratia, quando quis fornicatur ex ignorantia iuris, putans non esse mortale: ita quòd si sciret, non fornicaretur, talis fornicatio non est voluntaria in se ipsa, quatenus est peccatum. Et ratio est: quia nihil volitum, quin præcognitum, & cùm is, qui ex ignorantia fornicatur, non cognoscat fornicationem esse peccatum, non vult illam in se. Si enim agnosceret esse peccatum, non fornicaretur: dicitur tamen voluntaria in sua causa, scilicet, in negligentia inquirendi veritatem.

Nota.1.

Nota.2. Dicitur negligentia volita bifariam: vel actualiter, vt si ignorans dicat, nolo interrogare sapientes, & tũc erit ignorãtia affectata: vel interpretatiuè: vt quando quis tenetur, & potest veritatem inquirere, & non vult diligentiam adhibere.

Nota.3. Aliud est peccare ex ignorantia, aliud verò ignorãter. Peccat primo modo, qui si sciret, nõ peccaret: ita q; ignorantia est causa peccati. Peccat autẽ secundo modo, qui si sciret nihilominus peccaret: vt si quis accedat ad non suam, quam suã esse existimauit: accessurus nihilominus, si non suam esse sciret.

Nota.4. Sicut peccatũ tantum habet malitiæ, quantũ habet voluntatis (Omne enim peccatum ideò peccatum: quia est voluntarium, id est, euitabile) ita ignorãtia tantũ habet excusationis à culpa, quantum habet inuoluntarij. Et huius rei causa est: quia sicut tota ratio peccati est voluntarium, vbi nihil fuerit voluntatis, nihil erit peccati, & vbi fuerit aliquid peccati, erit aliquid voluntatis.

CON-

CONCLVSIO I.

Quando ignorantia est, nõ totius facti: sed alicuius circunstantiæ mutantis speciẽ, si fuerit inuincibilis excusat à malitia non totaliter: sed ex parte. V.g. si quis intendẽs occidere inimicum, occidat patrem, quem inuincibiliter ignorauit esse patrem hic à peccato patricidij: non tamen homicidij excusabitur. Et ratio est: quia illa circunstantia patris fuit omninò inuoluntaria, & ex consequenti non fuit peccatum. Et confirmatur: quia patricidium non fuit voluntarium in se, nec in sua causa: quoniam adhibuit omnem diligentiam, quæ à peccato patricidij excusauit.

Hinc, Iudas, quando accessit ad Thamar, nurum suam, excusatur ab incœstu: non tamen à fornicatione. Quia ad scortum accedere arbitrabatur. Append.1. *Gen.38.*

CONCLVSIO II.

Quando ignorãtia iuris, aut facti fuerit affectata, nullo modo à peccato excusat. Et ratio est: qa talis ignorãs, sciens, & volens intẽdit peccati causam, & peccatũ ipsum pse, & est omnino volũtariũ. Vult enim ignorare: vt liberi' peccare valeat.

Hinc, tali ignorantia laborauit Achab, Rex Israel, Nã monitus: vt cõsuleret voluntatẽ domini per prophetã, respondit. Odi illum: nunquàm enim mihi prophetat bonũ: sed malum. Append.2. *3.Reg.22.*

CONCLVSIO III.

Ignorantia iuris, aut facti crassa, vel supina nõ excusat omnino à peccato. Et ratio est: quia tale peccatum est voluntarium in sua causa, nempe, in negligentia inquirendi veritatẽ. Atq; ita est ad pœnam æternã imputabile. Tantum enim habet peccatum malitiæ, quantum voluntatis: vt ex tertio notabili constat.

CONCLVSIO IIII.

Ignorãtia inuincibilis omninò à peccato excusat. Et ratio est: quia nullo modo est voluntaria in sua causa: propterea q; ignorans adhibuit diligentiam: vt eam vinceret, nec potuit.

Hinc, prætermittens peccatum aliquod, aliàs confitendũ, de consilio confessoris est à culpa immunis: quia huiusmodi peccatum nullo modo fuit volitum. Et idem est iudicium de eo, qui consilio sapientis facit contractum vsurarium. Append.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Vtrùm ignorantia concomitans à peccato excuſet?

EXempli gratia. Si quis, adhibita ſufficienti diligentia, occidat inimicum, quē feram eſſe arbitrabatur. An talis ignorantia inuincibilis eum à peccato excuſet: Inter voluntarium,& inuoluntarium datur mediū, ſcilicet, nō voluntarium. Nam voluntarium eſt, quod voluntas vult, & eligit in ſe, aut in ſua cauſa. Inuolūtarium contrariè dicitur, quod neq; in ſe, neq; in ſua cauſa eſt volitū. Non voluntariū appellatur contradictoriè: vt quādo voluntas neq; habet volitionē, neq; nolitionem actus: eò q; non prægnouit illum, neq; voluit cauſam eius. Voluntariū trifariam dicitur. Primò formaliter; vt quod eſt volitum in ſe. Secundò interpretatiuè, quod non eſt volitum in ſe: ſed in ſua cauſa: vt homicidium commiſſum ab ebrio, qui ſciens,& volēs inebriauit ſe. Tertiò virtualiter, quando quis vult aliquid, quod ſequitur neceſſario ab actu præcedenti formaliter volito. V.g. dicat quis. Volo celebrare miſſam, ecce actum formaliter volitum. Iſte, ſi conſecrationis tempore diſtrahatur, tunc conſecratio eſt virtualiter volita. Quia ſequitur ex actu formaliter volito, nempe, ex actuali volitione celebrandi miſſam.

Nota.1.

Nota.2.

CONCLVSIO I.

Ignorātia cōcomitans, ſi fuerit vincibilis, nō excuſat à peccato: quin potiùs accuſat,& eſt peccatū. Et ratio eſt: qa eſt volita in ſua cauſa immediata, ſcilicet, in negligētia inquirēdi veritatē: vt qui intēdens occidere ferā, occideret inimicū, nulla diligentia adhibita. In hoc euētu ignorantia nō eſt cauſa peccati. Nam ſi ſciuiſſet: nihilominus occidiſſet. Sed eſt peccatū, propter cauſam dictā, nepē: quia voluit cauſam immediatam homicidij, ſcilicet, negligentiam inueſtigandi veritatem.

CONCLVSIO II.

Ignorātia cōcomitās peccatū, ſi fuerit inuincibilis, neq; accuſat, neq; à peccato excuſat. Nō accuſat: qa nō eſt peccatum volitū in ſe, cùm ſit ignotū: neq, in ſua cauſa: quoniā adhibuit debitā diligentiā. Neq; excuſat: quoniam ignorantia eſt cauſa peccati, eò q; tollit ſcientiā, quæ ſi adeſſet, phiberet peccatū. Si enim ſciret etiam peccaret: quare à peccato nō excuſat: vt patet

patet exemplo illius qui adhibita ſufficiēti diligentia occidit inimicū, quē ſi ſciuiſſet, etiā occidiſſet. Hic enim non accuſat: quia debitā adhibuit diligentiā, nec excuſatur: quoniā ignorātia illa excuſat à peccato, quā qui habet, ſi ſciret factum eſſe malum, nòn efficeret,& hic ſi ſciuiſſet, factum cōmiſiſſet.

CONCLVSIO III.

Actus ille, ex quo ſequitur homicidiū cōmiſſum per ignorantiā inuincibilē cōcomitantē: vt ſagittatio, nullo modo eſt imputandus ad culpā: immò ſi honeſto fine fiat, eſt actus laudabilis,& homicidiū inde ſecutū, niſi ſubſecuta fuerit ratihabitio, rationem peccati nō habet. Et ratio eſt: quia cū de ratione peccati ſit, q; ſit voluntariū,& tale homicidiū nullo modo ſit voluntariū: quia nō formaliter, ideſt, in ſe: neq; interpretatiuè, ideſt, in ſua cauſa, quoniā præfuit debita diligentia: neq; virtualiter: propterea q; ſagittatio, ex qua ſecutū eſt homicidiū, nō fuit ab animo iræ, aut vindictæ, ſed ab animo venandi imperata: profectò nullo modo neq; actus, cū ſit laudabilis, ſi honeſto fine fiat, neq; homicidiū habet rationē culpæ. Alio quin ſi aliquis inculpabiliter mittēs lapides, vel tegulas deorſum occideret inimicū prætereuntē, peccaret, quod eſt abſurdū. Notāter dicitur in cōcluſione: niſi ſubſecuta fuerit ratihabitio. Nā ſi illi placuerit occidiſſe inimicū, eſſet mortale. Iuxta illud, Lætātur, cū malefecerint,& exultāt in rebus peſſimis. Oppoſitū. 2.&. 3. cōcluſ. tenēt aliqui Thomiſtæ, quorū rationes facilè ſolues, ſi ſequentem animaduerſionem notaueris. *Prouer.c.2.* *Adimaduer.*

Hæc cōditionalis, ſi ſciret dictus ſagittarius, ibi latere inimicū, occidiſſet ipſum, poteſt dupliciter haberi. Aut formaliter, tēpore, quo mittit ſagittā, dicēs. Si in illo nemore lateret inimicus meus. N. libenter occiderē illum: & hoc modo homicidiū tunc eſſet volitū. Aut habetur ſecundò in promptitudine animæ, ita q; ſi recordaretur inimici, formaret dictā cōditionalē, quā non format: quia non recordatur. In tali caſu conditionalis non efficit actum culpabilem. Et ratio eſt: quia ſolus actus eſt meritorius, aut demeritorius,& nō ſolus habitus. Et ita in præparatione animi ſolum ſapit naturam habitus.

Hinc, ſola habitualis animi præparatio dādi eleemoſynā, ſi occurreret pauper, ſi nō do: quia nō occurrit, vel ſi non elicio talē cōditionalē, nō erit meritoria. Similiter ſi ego repercuterē aliquē, à quo eſſem pcuſſus,& nō haberē huiuſmodi conditionalem, *Appen.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. ditionalem, non peccarem. Hinc quanta sit Christianorum vecordia in eliciẽdis actibus meritoriis facillimè deprehẽdiẽ.

Tertia diffic. Excusabitur ne dictus ignorans à pœna canonica incurrenda, sicut ratione illius circunstantiæ excusatur à culpa.

VErbi gratia, qui occidit clericum, quem inuincibiliter ignorabat esse clericum. An committat sacrilegium: ratione cuius incidat in excõmunicationẽ canonis, siquis suadente, &c. Scot. in 4. dist. 6. q. 8. in principio obiter tractat hanc difficultatem. Cuius sententia est, quòd dans operam rei illicitæ, contrahit iuris canonici pœnam: etiam si illam inuincibiliter ignoret. Vbi distinguit, quando fuerit iuris, aut facti ignorantia. Lege Caietanum vbi suprà. *Notabil.*

Pœnæ canonicæ sunt duplices. Quædam enim sunt, quæ ponuntur, tanquã pœnæ, quæ nõ nisi propter delictũ contrahuntur: vt excõmunicatio, interdictũ, & suspensio. Aliæ verò sunt, quæ imponũtur, etiam si nõ interueniat delictũ: vt irregularitas propter homicidium licitũ, aut illicitũ, quæ non est propriè pœna: sed tantum inhabilitas, propter horrorem sanguinis. Non enim decet tales homines ad altare accedere.

CONCLVSIO I.

Quãdo ignorãtia est facti inuincibilis respectu alicuius circũstantiæ, nõ incurritur excõmunicatio. Exempli gratia, occidit aliquis iniustè hominẽ, quem inuincibiliter ignorabat esse clericũ, talis homicida non est excõmunicatus. Ratio: quia excõmunicatio solũ fertur ꝓpter peccatũ cõtumaciæ, & inobediẽtiæ cõtra ecclesiã, & non contra Deũ: vt colligitur ex illo: *Matth. 18.* Si ecclesiã nõ audierit, sit tibi, tanquã ethnicus, & publicanꝰ. Et in casu posito sicut liberatur à culpa cõtumaciæ, & inobediẽtiæ cõtra ecclesiã, eò ꝙ laborat ignorãtia inuincibili circa illã cõminationẽ: ita etiã excusatur à pœna excommunicationis, quæ nõ, nisi propter cõtumaciã, cõtra ecclesiã, cõtrahitur. Et est definita in c. si verò de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO II.

Irregularitas, etiãsi factum non imputetur ad culpam, propter

pter ignorantiam inuincibilem, incurritur, dummodò detur opera rei illicitæ, ex qua ex natura rei potest homicidium sequi: cuiusmodi est sagittatio. Et ratio est: quia irregularitas nõ est pœna propriè: sed inhabilitas, quæ solùm propter horrorem sanguinis imputatur.

Artic. IIII. Vtrùm ignorantia imminuat peccati malitiam? *Doct. vbi. §.*

PEccatum eò est grauius, vel minus graue, quò magis est voluntariũ. Et ratio est: quia tota quiddiras, & radix malitiæ peccati est, quod sit liberũ, & voluntarium iuxta illud. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, &c. Nota. *Eccl. 31.*

CONCLVSIO I.

Ignorantia affectata non minuit: sed auget peccati malitiã. Et ratio à definitione ignorantiæ affectatæ est: quia vult ignorare præceptum: vt liberiùs peccet: quare peccatum tali ignorantia commissum erit magis voluntariũ, quàm secluſa ignorantia, & ex consequẽti erit deterius, & grauius peccatum: vt si quis nollet audire concionatores, vt liberiùs peccaret, instar Regis Achab. Almain in suis moralibus tenet oppositũ: *3. Reg. 22.* Nam dicit, peccatũ ex tali ignorantia esse minus volũtarium, *Almain.* quàm ex scientia: quoniam si sciret, inquit, nõ peccaret. Quæ ratio nihil valet: nã vt ex dictis cõstat, ex affectu, & vehemẽti peccãdi desiderio procurauit ignorare: ne remorsus conscientiæ peccatum impediret exemplo Regis Achab.

CONCLVSIO II.

Ignorãtia cõcomitans, & inuincibilis, neq; auget, neq; minuit peccati malitiam. Probatio huius cõclusionis pendet ex proxima diffic. vbi demonstratũ fuit huiusmodi ignorantiam non excusare à peccato: qui non est peccati causa. Nã si sciret, nihilominus peccatũ cõmitteret. Neq; accusare: quoniã tale peccatũ neque est volitũ in se, cùm non sit cognitum, neque est volitum in sua causa, cùm omnẽ diligentiam ad inquirendam veritatem adhibuerit. Vnde: vt S. Tho. vbi suprà ait. Talis ignorantia inuincibilis neque auget, neque minuit peccati malitiam.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO III.

Ignorãtia vincibilis,& præcedens peccatũ, peccati malitiã minuit. Ratio ex notabili posito sumitur:qa tãtò aliquod peccatũ est minus graue,quantò est minus voluntariũ. Tale autẽ peccatũ non est volitũ in se,nam, qui ita peccat,si intelligeret esse malũ, non illud cõmitteret: quare erit minus graue peccatũ,quàm si scientia,& cognitione pręcedẽte, cõmitteretur,

Quinta diffic. An peccatum commissum per ignorantiam sit eiusdem speciei in genere moris, cuius est peccatum ex certa scientia commissum?

VErbi gratia. An contractus vsurarius per ignorantiam factus sit sub specie iniustitiæ:ita, vt talem contractum faciens ad restitutionem teneatur? Est hæc difficultas confessoribus valde notanda, quam tractat Caiet. vbi suprà

Caiet.

Relege primùm ignorantiæ diuisiones. Quemadmodũ aliud est peccatum: aliud verò peccati obiectum (peccatum enim furti est volitio furandi, aut extensio manus ad arripiendum alienum: obiectum autem furti est res ipsa aliena) ita etiam aliud est volitio peccati:& aliud volitio ipsius obiecti. Ignorans præceptũ fornicationem prohibens non vult peccatum

1. Fundam.

2. Fundam.

in se:quoniam non cognoscit illud. Vult tamen obiectũ fornicationis,nempe,mulierem non suam. Vultque illam in se ipsa:quia cognoscit non esse suam. Perinde ignorans vsuram esse peccatum,nõ vult vsuram in se ipsa,id est,peccatũ vsurę, propterea quòd ignorat peccatum,& nihil volitũ, quin præcognitum:vult tamen pecuniam in se ipsa:quia cognoscit illam. Peccatum sumit speciem malitiæ ab obiecto volito in se ipso:nõ autem ab obiecto per accidens volito in sua causa.

3. Fundam.

Oseæ.9.

Probatur Oseæ.9.vbi dicitur. Facti sunt abominabiles, sicut ea,quæ dilexerunt. Quando peccatũ est volitum in sua causa, speciem sumit ab ipsa peccati causa. Probatur ex D. Aug. 22. contra Faustum: vbi docet Loth esse culpandum, non quantùm incœstus:sed quantùm ebrietas meruit.

4. Fundam.

D. Aug.

Gen.19.

CONCLVSIO I.

Peccãs ex ignorantia excludente scientiam iuris prohibẽtis

tis aliquod malum: quia malum, committit peccatum eiusdem speciei cum illo,qui,eiusdem iuris conscius, peccat. Ratio colligitur ex tertio fundamẽto: quia peccatum sumit speciem ab obiecto volito in seipso, & cum peccans ex prædicta ignorantia,velit obiectum in se ipso,ac si esset iuris conscius, erit profectò vtrumque peccatum eiusdẽ speciei. Et cõfirmatur:quia peccatum sumit speciem à conuersione ad obiectũ: vt in secunda huius secundi parte dicetur, & peccans ex huiusmodi ignorantia vult conuersionem in seipsa.

Hinc,si quis committat vsuram ex ignorantia culpabili iuris,erit restitutioni obnoxius, perinde ac si esset iuris cõscius. Et ratio est:quia vterque committit peccatum iniustitiæ. *Append.1.*

Hinc, prætermittens culpabiliter ex ignorantia peccatum confitendum,tenetur iterare confessionẽ,ac si esset iuris conscius,& illud prætermitteret. Ratio est:quia vtriusq; obiectũ (scilicet, peccati cõfitẽdi prætermissio) est volitũ in se: & ex cõsequẽti vtrũq; peccatũ est eiusdem speciei,nẽpe,sacrilegij. *Append.2.*

CONCLVSIO II.

Peccatũ cõmissum ex ignorantia priuante hominẽ rationis vsu sumit speciẽ tantũ à sua causa:vt furtũ homicidiũ.&c. eõmissum ab ebrio sua spõte in ebrietatem incidẽte. Et rãtio est:quia huiusmodi peccata sunt soliùs intẽperantiæ. Et probatur:quoniã hęc peccata,& eorũ obiecta non sunt in seipsis volita: sed in suis duntaxat causis:quare nõ habent aliam volitionẽ,præter volitionẽ suę causę,neq; habebũt aliã malitiã. Si quidẽ peccatum extenus est malũ, quatenus voluntarium.

Hinc ebrij,cõburẽs segetes,ad nullã tenebitur restitutionẽ. Quia nõ cõmittit peccatũ iniustitiæ: sed intẽperãtię, scilicet, gulæ. Similiter si hominẽ interficiat,nõ erit pœna homicidij plectẽdus. Quia nõ est homicida formaliterã. ex intentione: sed formaliter est intẽperatus: materialiter autem homicida. *Append.3.*

Verũ intellige exemplũ hoc cũ quadã limitatione, ea, nẽpe,legẽ:ne hoc animo inebriauerit se vt priuatus ratione,mala cõmitteret,licet nõ sit expertus se inebrietate talia peccata cõmittere. In his enim euẽtibus solũmodò ebrietas à peccato iniustitiæ,& restitutionis nõ excusat. Et ratio est: quia volens ebrietatẽ,vult etiã interpretatiuè iniustitiã, cuius est cõscius. *Limitatio.*

CON-

CONCLVSIO III.

Peccatum ex ignorantia facti cõmissum nõ est eiusd: speciei cũ peccato cõmisso ab illo, qui facti erat cõscius: vt homicidium cõmissum ab homine incautè proijciente regulas, nõ est eiusdem speciei cum homicidio ex industria commisso. Et ratio est: quia neq; obiecta sunt in se ipsis volita, neq; intenta, cùm sint incognita: sed tantùm in sua causa, nempe, in negligentia circunspiciendi: ne quem interimeret. Peccata enim sumunt speciem ab obiecto in se volito.

Append.4. Hinc, occidens hominem ex ignorantia facti: non homicidij pœna est plectendus, etiam si det operam rei illicitæ.

Appen.5. Hinc, neque comburens incautè alienas segetes contrahet sententiam excommunicationis contra incendiarios latam. Et ratio est: quia talia crimina non fuerunt volita, neque intenta: tenebuntur tamen ex tali ignorantia culpabili facti peccantes ad restitutionem, non ratione ignorantiæ: sed ratione negligentiæ propter quam fuerunt causa damni, etiam si rei licitæ operam dederint in dictis casibus. Nam qui causam damni dat, ad damni reparationem tenetur.

CONCLVSIO IIII.

Peccatum commissum ex ignorantia iuris positiui, humani, prohibentis aliquod malum, non ex natura rei malum: sed quia prohibitum, est eiusdem speciei cum peccato ex certa scientia commisso: vt peccatum culpabiliter ignorantis ius positiuum ieiunij quadragesimalis, & non ieiunantis propter ignorantiam talem est eiusdem speciei, nempe, intemperantiæ, cum peccato commisso à sciente ius ipsum. Et ratio est: quia peccatum sumit speciem ab obiecto, & conuersio ad cibum vetitum (scilicet esus carnium) fuit in se volita, & vtrobique obiectum, & talis etiam cibus quò ad comestionem.

Appen.6. Hinc, qui non soluit ecclesiæ decimam partem frugum: sed duodecimam, aut vigesimam ex ignorantia culpabili iuris positiui, tenebitur ad residui restitutionem. Et ratio est: quia voluit retinere alienum, quod est obiectum iniustitiæ. Et idem est de similibus iudicium.

Appen.7. Hinc, si quis laboraret ignorantia facti per ius positiuum prohibiti,

proh ibiti, excusaretur à peccato per ignorãtiam inuincibilẽ: vt patet exemplo B. Antonij in eius historia, qui à quadam fœmina nobili deceptus, per totam quadragesimam comedit oua ab illa oblata, ita quadragesimalibus escis palliata: vt non potuerit præsagire se quadragesimam frangere. Tum propter occultationem cibi. Tum etiam quia non erat suspicionis occasio, propter fidem nobili fœminæ, ac piæ debitã. Non autem excusaretur, si cocus fuisset de hæresi suspectus, vel simile factum iam antea commisisset. Nam tunc fuisset peccatum illius speciei cuius fuisset negligentia inquirendi veritatem, scilicet, aut intemperantiæ, aut iniustitiæ: vt ex dictis constat.

Sexta difficultas. Vtrùm liceat consulere alicui; vt operetur iuxta ignorantiam inuincibilem. quam habet?

Soto.18.d. 4. q.2.art.4.

TItulus huius difficultatis triplicem potest habere sensum. Et primus est. An confessor, vir peritus teneatur pœnitentem ignorantia inuincibili laborantem illuminare, quando pœnitens nihil interrogat? Secundus sensus est. Vtrùm teneatur quando interrogat? Tertius est. Teneatur ne consulere veritatem: dummodò sit conscius se consulendo profuturum.

CONCLVSIO I.

Si laborans inuincibili ignorantia, nil interroget, non tenetur confessor illuminare illum, veritatem explanando, nisi sit ignorantia eorum, quæ ad vitam æternam sunt necessaria; vt est articulorũ fides, sacramentorũ, pœnitentiæ, & baptismi ignorãtia. Et ratio est: quia cùm in proximo solum teneamur vitare, quod est peccatum, & peccati causa, quæ vitam æternam impediunt: & ignorantia inuincibilis in casu huius conclusionis non sit peccatum, nec peccati occasio: quia gloriæ ingressum non præcludit (non enim est de articulis fidei, &c.) non tenebitur confessor pœnitentem non interrogantem illuminare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.

Hinc, si ego scirem Titium cum Berta contrahere velle, & agnoscerem ex parte patris fratres esse, quam fraternitatem vterquè inuincibiliter ignoraret: quamuis possem aliqua via occulta, vel etiam reuelando fraternitatem, matrimonium impedire, non teneor reuelare. Quia tale matrimonium in dictis coniugibus non est peccatum, nequè peccati materia, nequè talis ignorantia est de necessarijs ad vitam æternam consequendam.

CONCLVSIO II.

Quando pœnitens tali ignorantia laborans, nihil interrogat de re, quam ignorat, & confessor intelligit se profuturum veritatem docendo, debet illum instruere: sin minùs tacere, vel generaliter respondere, dummodò non mentiatur, & celet veritatem. Et ratio est: quia frustra laboraret. Frustra autem niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extrema dementia est. Tum etiam: quia in casu huius conclusionis pœnitens est absquè culpa, & si illustraretur, in periculo peccandi mortaliter, constitueretur. Quare

Dub. si non intelligit se profuturum, debet veritatem tacere. Dices. quomodo veritatem celare poterit absq; peccato, quin mentiatur? Respondeo. Hoc modo. v. g. ignorat pœnitens inuincibiliter contractum, quem facit, esse vsurarium, dicet tunc confessor. Tu consuluisti aliquem virum doctum de iustitia huius contractus? qui, si respondeat. Consului. Et dixerunt mihi, licere. Si putat se non profuturum, poterit celando veritatẽ dicere illi. Absq; peccato poteris hoc facere. Et tunc non mentitur confessor: sed dicit verum: propterea quòd si pœnitens posteaquàm consuluit virũ doctum, adhuc laborat ignorantia inuincibili, poterit sine peccato talẽ contractum facere. Quia fecit totum, quod tenebatur ad vincendam ignorantiam facere, quam superare non potuit.

CONCLVSIO III.

Licitum erit consulere alicui: vt operetur iuxtà ignorantiam inuincibilem, quã habet, etiam si actus fuerit aliàs prohibitus. Hæc conclusio est aliquorum Thomistarum, quam illustro exemplo. Scit aliquis certissimè Titium habere ignorantiam inuincibilem huius iuris, nempe, accedens ad consanguineam vxoris, quàmuis possit, & teneatur reddere debitum: petere tamen non potest. In hoc euentu poterit confessor consulere ex ignorantia interroganti: vt debitum petat. Et ratio est: quia non est peccatum consulere alicui, quod absquè peccato est paratus efficere. Non enim in hoc casu consulens peccato alterius cooperatur. Tum etiam: quia consilium tunc est malum, & prohibitum, atquè peccatum, quando est causa peccati, & in casu posito consulens non est causa peccati. Quod autem dictum est de celanda veritate, *Limitatio.* intelligendum est priuatim: quia in concionibus, & electionibus publicis, non est celanda veritas: sed cum grano salis prudentiæ manifestanda. Est enim prædicatorum, & magistrorum aperire veritatẽ; iuxta illud. Væ mihi: quia tacui. *Isai.6.*

Septima diffic. Est ne omne peccatum ex ignorantia?

DVę sunt circa hanc difficultatem extremæ sententiæ. *Adria.* Vna Adriani quod l. 4. q. 1. vbi varios in suam sententiam adducit autores, quos sequitur Caiet. 1. 2. q. 77. *Caiet.* art. 2. Hi affirmant omne peccatum procedere ex ignorantia. Altera, & contraria tribuitur Scot. in 3. dist. 36.

CONCLVSIO I.

Vita an possit à dæmonibus protrahi. 362. & cur non est ita longa: vt olim erat. 363. & quæ dicantur viuere, & eorum operationes. 199
Vitanda quæ sunt in proximo. 545
Vnitas duplex, & quæ minor vnitate numerali. 64
Vnio hypostatica quid requirat. 193
Vniuersale per operationem intellectus. 64

Vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Voluntas ab extrinseco dupliciter mouetur. 43. & soli Deo patet, & est subiecta, & est suarum operationum domina. 93. & quomodo libera. 136. 187. & duplex eius actus, conditionatus, & efficax.
Voluntas quo modo merendi principium. 184. 185. eadem est in via & in termino. 187. & quomodo potest immutari. 213. & incendi. 214. eius operandi modus est contrarius modo operandi intellectus. 114. & ad quæ bona naturaliter inclinatur. 114
Voluntatis operatio quando non est meritoria. 539
Volita simpliciter, & absolutè, & conditionatè differunt. 149. & volita esse possunt impossibilia, etiam sub conditione. 149. 150. & duplex volitio. 149. 151
Voluntarium dicitur tribus modis, & habet medium 538
Voluntas Dei sola peccare non potest. 139
Volatilia cur in altum leuantur? 428
Vsuras à parato quomodo licet petere. 378
Vxor quam chara viro esse debet. 482
Vxor viri socia, & subdita. 482
Vxores quomodo debent à viris tractari. 483. & cur non concipiunt. 498

FINIS.

FLORES THEOLOGICARVM QVÆSTIONVM, IN SECUNDUM librum Sententiarum, nunc primùm collecti, & in lucem editi.

Ab Illustri admodum, & Reuerendissimo D. D. Fratre Iosepho Angles Valentino, Episcopo Bosanensi, ex Ordine Minorum assumpto.

PARS SECVNDA.

Ad Sanctissimum D. N. Sixtum Quintum, Pont. Optim. Max.

CVM PRIVILEGIO REGIO.

MADRITI
Ex officina Petri Madrigalis.
M. D. LXXXVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FLORES

TRACTATVS

De libero arbitrio.

DISPVTANT De libero arbitrio noster Alexand. Alen. quæst. 72. S. Thom. quæst. 83. S. Bonau. Ricard. Durand. Scot. & reliqui doctores scholastici, distinct. 24. & 25. huius secũdi lib. Castro verbo libertas contra hæreses. Vega lib. 2. super concil. Trid. à cap. 10. vsq; ad finem libri. Soto de natura, & gratia, à cap. 13. vsquè ad. 20. lib. 1.

Magist. Sent. Distinct. XXIIII. Et. XXV.

Quæstio vnica. De libero arbitrio.

Difficilis admodũ est quæst. hæc, sed Deo Opt. Max. adiuuante, positis aliquot art. fiet lucida, perspicua, & clara.

Artic. I. De ijs, quæ ad essentiam liberi arbitrij pertinent?

HVNC Articulum (seruata methodo explicandarum. q. quam Arist. in primis capitibus. 1. &. 2. lib. posteriorum tradit) nõnullis difficultatibus propositis, declarabimus. Et prius animaduerte, quæ sequuntur ad litteram. 24. dist. *1. Animaduersio. D. Bona. Dura. & alij dist. 24.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dist. Magistri intelligendam. Vires animæ, vel sunt superiores, vel inferiores. Superiores sunt mens, & voluntas, inferiores verò sunt sensus, & eorum affectus, hoc est, appetitus sensitiui.

2. Animad. Inter superiores potentias, mens (quæ alio nomine intellectus, & ratio, appellatur) est, quæ de rebus iudicat, bonaq; à malis discernit. Dicitur q; mens, aut intellectus, dum iis cõparatur, quæ quieta contemplatione, citra inquisitionem, intuetur. Ratio autem, quando discursu quodam, & progressu alia ex aliis colligit.

3. Animad. Mentem diuidit Magister cum B. Aug. in superiorem, & inferiorem, non quod diuersæ sint potentiæ, sed, quia diuersa sunt eiusdem officia. Vna enim eademque animæ vis est, quæ superior dicitur, quatenus per eam, legem Dei æternam consulimus, & contemplamur; inferior verò nominatur, quatenus per eam leges, siue rationes temporales, consideramus.

4. Animad. Voluntas tandem est, quæ iudicio, vel repugnat, vel obtemperat, & inferioribus viribus imperat.

Prima diffic. An sit lib. arbit.

Alex. Alen. m. 1. artic. 1. S. Tho. art. 1. S. Bon. d. 25. artic. 1. q. 1. Duran. q. 1. & Ricar. Castro hæresi. 1. Vega. c. 13. 14. & 15. vbi supr. Gen. 4. Hæresis Manichæorum. & Luther.

CIrca hanc difficultatem orta fuit hæresis multorum hæreticorum, negantium, in homine arbitrij libertatem, qui varia incedunt via. Nec mirum, cùm hoc sit illis peculiare, vt veritatem tenere nesciant. Contra quam hæresim, quia totius impietatis fomentũ est, copiosissimè modò agendum fuisset, nisi brevitas, quam in nostris operibus profitemur, obstitisset.

CONCLVSIO I.

Est quidem arbitrij libertas. Hæc conclusio, præterquàm in nobis ipsis experientia comprobatur, multis in locis veteris, & noui testamẽti expressè habetur. Dixit enim Deus ad Cain. Nonnè si benè egeris, recipies, sin malè statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub tẽ erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius? Quare si homo dominabitur appetitui, falsum, & hæreticum est, asserere hominem non posse vitare peccata, quæ ab appetitu proficiscuntur, vt falsissimè Manichæus affirmauit. Vnde confutatur etiam error Lutheri dicen-

dicentis, arbitrium hominis esse seruum. Cùm Deus dicat esse dominum Exodi. 35. omnes viri, & mulieres, mente deuota, & infrà omnes filij Israël voluntaria domino dedicauerunt. Voluntaria dixit, & non necessaria; quare voluntatis libertatem à necessitate distinguit. Et Deut. 30. Et Iosuè vlti. Et 2. Reg. 24. Et 3. Reg. 3. datur optio, & electio, & electio non est, nisi eorum, quæ sunt in nostra potestate. Nullus enim dicitur eligere id, quod velit, nolit, erit futurum. Et Matth. 23. Hierusalem, &c. quotiens volui congregare, &c. & noluisti. Et Luc. 9. Si quis vult, &c. Fuit etiam definita hæc conclusio in concil. Arausicano. 2. c. 13. suorum decretorum & in consil. Trid. sessione. 6. cap. 5. & consi. 45. & 6. Citat etiam ad corroborandam conclusionem Castro vbi suprà hæres. 1. multas vetustissimorum doctorum; sanctorúmque patrum auctoritates. Et qui voluerit plura videre, legat duos lib. Ioannis Cochei de lib. arbitrio aduersus Philippum Melanch. Et Ioannem Ecchium, qui diffusè; vt solet, de hac re aduersus Lutherum scripsit. Et Ioannem Rossensem contra Lutherum. Tandem confirmatur ratione, quia si homo libero esset destitutus arbitrio, frustrà profectò essent concilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, & immeritò bonis præmia, & malis pœnæ deputarentur, cùm non liberè, sed necessariò operarentur. Lege etiam varias rationes apud D. August. lib. 5. de ciuitate Dei. c. 9. & de Vera relig. cap. 14. & Damas. lib. 2. orthod. fid. c. 7. & Chrysost. homil. 60. super Matth. & Tertulia. lib. 2. contra Martionem, & Clementem B. Petri discipulum lib. 3. recognitionum, & Irenæum lib. 4. cap. 72. contra hæreses, & Greg. Nicen. lib. de libero arbitrio. c. 1.

Exod. 35. Deut. 30. Iosue vlti. 2. Reg. 24. 3. Reg. 3. Matth. 23. Luc. 9. Damasc. D. Aug. B. Chrysost. Tertulia. Clemens. Irenæus. Greg. Nice. Hæresis Stoicorum. Castro. verb. fatum contra Hæres. Vega c. 12.

Hinc confutatur error Stoicorum, qui ita omnia fato subiacere commiscebantur, vt nullum liberi arbitrij locum relinquerent, fatum appellantes vim, & positionem siderum, in qua quisque nascebatur. Huic hæresi subscripsit, quidem pestilentissimus Bardesanes Syrus, cui adhæsisse hac in parte Prisillianus legitur.

D. Aug. lib. 5. de ciuitate Dei. c. 1. & 10. hæresi. 35. & 70.

Hinc etiam destruitur hæresis Manichæorum, dicentium, peccata prorsus esse ineuitabilia. Quorum magister fuit quidam Manes, à quo Manichæi nomen originẽ habuit. Horum errorem,

Hæresis Manichæorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

errorem, iam diu sepultum, quasi ex Oreo ad superos reuocauit Petrus Abailardus. Quem errorem à D. Bernard. destructum post ducentos, & quadraginta annos Ioānes Vuitcleph conatus est dogmatizare, fuitq; condemnatus in concil. Constantien. sess. 8. c. 27. Huic post centum, & quadraginta plus minus annos, successit Martinus Lutherus, & eius sequaces Bucerus, Melanthon, Caluinus, & reliqui, asserentes, liberum arbitrium esse nomen absq; re, nullamq; in se habere actiuitatem. Fuit etiam tempore apostolorum impugnatum liberum arbitrium. Nam Simon Magus inter christianos primus est liberum arbitrium inficiatus, cuius errorem D. Petrus, teste Clemente eius discipulo, ita confutauit, vt nullum Simon, nisi post centū annos, habuerit successorē, præter Marcionem hæreticum, qui centū annis traiectis eūdem errorem docuit. Quem post centū alios, & triginta annos, secutus fuit Manes, à quo Manichæi, vt paulò ante diximus, fuerunt appellati.

Secunda diffic. Nomen lib. arbitrij quid significat?

Alex. Alen. art. 3. & Castro vbi. §. & Vega super conc. Trident. lib. 15. cap. 4. Alex. Alen. art. 2. §. 2. vbi suprà. Dur. d. 24. q. 3. 2. Cor. 3. ad Rom. 6. Rom. 8.

MEritò hoc quæritur, quia omne ambiguum, & multiplex priùs est distinguendum in suas varias significationes, quàm definiendum.

CONCLVSIO.

Nomen hoc in sacris litteris æquiuocum est. Et ratio est, quia libertas, à qua arbitrium liberum nuncupatur, diuersimodè accipitur. Aliquando enim libertas significat gratiam, per quam à seruitute peccati, cui opponitur, liberamur. Et dicitur libertas gratiæ, de qua dicit B. Paul. Vbi spiritus, ibi libertas. Et ad Roman. 6. cùm enim serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ. Et de hac significatione non est præsens disputatio. Nequè enim illa omne hominis arbitrium liberum esse dicimus. Secundò est alia libertas, quæ sola habetur in gloria, vel est ipsamet gloria, de qua ad Rom. 8. Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Nequè de hac libertate est modò sermo. Tertiò est libertas, quæ opponitur necessitati, vel vt veriùs dicam coactioni. Et hæc est libertas naturæ, de qua loquimur in præsentia. Ab ea enim denominatur hominis arbi-

arbitrium liberum; ita vt cùm operatur, possit non operari, & cùm nihil operetur, possit operari. Et hæc dicitur à Magistro libertas à necessitate, & spontanea operandi. De hac etiam libertate sacra scriptura locis in prima difficultate citatis, & alijs innumeris loquitur. Est etiam libertas miseriæ, idest, priuatio pœnæ æternæ, quæ non contingit, nisi per gratiam lege apud Alex. vbi suprà, alios modos, quibus liberum arbitrium sumitur.

DVB. 1. Reperitur ne hoc nomen liberū arbitrium in sacra scriptura?

CONCLVSIO.

Licet nomē hoc, liberū arbitriū, in scriptura non inueniatur; res tñ nomine significata, reperitur. Hæc cōclusio colligitur à simili ex D. Aug. Per eā enim respōdet Pascētio Arriano dicēti nomēclatura Homousion nō legitur in scripturis, ergò somniū est, velle astruere filiū patri esse consubstātialē. Air. n. & si nomē nō inueniatur in scripturis; res tñ nomine significata reperitur. Sic etiam hæretici, dicētes nō esse liberū arbitriū; quia istæ duæ voculæ in scripturis nō inueniuntur, sunt cōfutādi. Nā licet has voces ignoraret scriptura; res tñ nominibus significata reperitur, & est in scripturis compertissima. Quemadmodum, teste eodem Aug. laudabiliter patres instituerūt nomen personæ, qi prædicatur pluraliter de Patre, Filio, & Spiritu sancto; nō quia scriptura ita dicit; sed quia scriptura non contradicit. *D. Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4.*

Dub. Cur duplici nomine appellatur? Resp. Quia circa liberum arbitrium consistit meritū, & demeritū, & ad vtrūquè desideratur cognitio, & affectio, & est potētia respectu vtriusquè determinatā, ideò sortitur duo nomina. Dicitur ēñ liberum propter voluntatem, & arbitrium propter rationem. *2. Dub. Alex. Alen. §. 4. vbi. §.*

Dub. Cur non dicitur liberū iudicium? Resp. Liberū arbitrium habet etiam in se officiū iudicis, quò ad rationem, quia quatenus deliberat, debet sequi leges. Iudex enim legibus arctatur, at uerò quatenus eligit, & vult, officio arbitri fungitur, quod ad voluntatē pertinet. Arbiter enim nec legibus arctatur, neque secundum imperium, sicut iudex, diffinit. *Dub. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. IIII. Peruenerunt ne philosophi ad liberi arbitrij cognitionem?

Dub. 4.

Alex. Alen. §. 5. vbi sup.

D. Aug. in lib. Hypogn sticon.

D. Bern.

REspondeo. Lib. arb. potest biffariam considerari. Primò, prout dicitur ab arbitrando rationali considerationē, siue vt est potestas rationalis ad opposita. Vel secundò, quatenus est vnum ex principiis meriti, quod sine duobus effici non potest. Nam, vt inquit D. Bernar. apud Alex. loco citato, si tollas liberum arbitriū, non erit, quod saluetur, si gratiam tollas, non erit, vnde saluetur. Primo modo cognouerūt philosophi liberum arbitrium: non autem secundo, quatenus est initium meriti, quia ad cognitionem meriti, quod est ex gratia, & libero arbitrio, non potuerunt peruenire.

Alex. m. 1. art. 1. S. Th. art. 2. & 3. D. Bona. per sex. ferè. q. in p. 1. d. 25. Dur. d. 24. q. 1. Ricar.

Secunda diffic. Quid nam est liberum arbitrium.

Alex. noster tres adducit lib. arb. definitiones art. 2. citato.

CONCLVSIO I.

Liberum arbitrium non est actus alicuius potentiæ. Et ratio est, quia cùm actus non semper maneat in homine, vt constat in dormiente, & pueris ante rationis vsum, & liberum arbitrium semper in homine permaneat, nullo modo erit actus.

CONCLVSIO II.

Neque est liberum arbitrium habitus. Ratio est, nam primò non est habitus acquisitus, neque infusus, quia isti habitus nō sunt naturales, ideſt, de quidditate hominis, liberum autē arbitrium est naturale; & de quidditate hominis. Secundò non est habitus naturalis, hoc est, inclinatio tātùm naturalis, quia tunc eius operatio non esset libera. Homo enim per habitum naturaliter inclinatur ad vnum, at verò per liberum arbitriū est ad bonum, & ad malum indifferens.

CONCLVSIO III.

Liberum arbitrium est potentia. Ratio à sufficienti diuisione est, quia in anima tria tantùm reperiuntur, nempè, habitus, actus, & potentia. Et cùm liberum arbitrium non sit habitus, neque actus, erit planè potentia.

Iam quid sit liberū arbitriū, definitione explicemus. Et primò,

Definitio, li. Arb. prima. B. Ansel. in lib. de lib. arbit.

mò à B. Ansel. ita definitur. Potestas seruandi rectitudinem propter rectitudinē, in qua definitione potestas seruādi sumitur quātū ad aliquid, quod pertinet ad naturā potēris, & hoc modo est cōmune angelis malis, & dānatis, in quibus (vt videbimus infrà) est lib. arb. & absente rectitudine, ineſt illis potestas seruandi rectitudinem. Quemadmodum in homine dicitur esse potestas videndi tantùm, quantùm ad virtutem, quę est ex parte nidentis, siue sit absens, siue præsens obiectum, & medium dispositum, siue indispositum.

2. definitio. D. Aug.

Secundò definit illud D. Aug. lib. arb. est facultas voluntatis, & rationis, qua bonum eligitur, gratia assistente, & malū, eadem desistente. Et dicitur in definitione, qua bonum eligitur, &c. Quia facultas voluntaria, quæ cum libero arbitrio conuertitur, est ad opposita. Et ideo ponitur in definitione, qua bonum, assistente gratia, & malum, &c. eligitur.

3. definitio. D. Bernar. in lib. de lib. arb. Alex. Alen. §. 4. art. 2. vbi sup.

Tertiò definitur à D. Bern. Cōsensus ob voluntatis inamissibilē libertatē, & rationis indeclinabile iudicium. Differunt autē istę tres definitiones, q̄ prima datur per causam finalem. Quia rectitudo æterna est finis, ad quē lib. arb. per se, mediante suo actu, ordinatur. Secunda verò attēditur penes potētias, rationē, scilicet, & volūtatē, quæ se habent, ad modū causę materialis. Mouentur enim à primo motore ad bonum, & gratia est forma, secūdū quā in finē diriguntur. Tertia est penes motāctē causam, nā cōsensus dicit cōuersionē virium ad causam mouētem. In nobis enim est cōsentire Deo, vel nō cōsentire.

4. Definitio. Hugo de S. Victo. tract. 3. cap. 8. Orig. D. Aug. lib. 2. cont. 2. epist. pelag. c. 25.

Hugo de S. Victore in lib. qui summa sententiarū inscribitur, sic illud describit. Habilitas rationalis volūtatis, qua, gratia assistēte, bonū, vel eadē deficiente, malū eligitur. Cuius definitionis primam partem, nempè, q̄ sit habilitas rationalis voluntatis, accepit ex Origene in principio tertij lib. Periarchon, siue de principiis, secundam verò partem sumpsit ex D. Aug. scilicet, qua bonū eligitur. Et dicitur liberū propter voluntatem, quæ ad vtrumlibet flecti potest. Nam voluntatis, inquit D. Aug. arbitrium huc, illucque liberum flectitur. Et dicitur in definitione esse facultas, siue habilitas rationalis, siue rationis, quia non nisi in rationali natura Dei, & angeli, & hominis reperitur, vt sequenti art. patebit.

Tertia diffic. Est ne liberum arbit. potentia appetitiua, an cognitiua?

Alex. Alen. m. 2. toto art.1.S.Tho. art.3. S.Bonau.per 6.q. in.1.p. dist.25. Dura.q.1.d. 24.&.d.25. q.1.Ricard. & alij vbi s.

CVM constet ex iã dictis lib.arb.esse potentiam, & sit duplex potẽtia, vna appetẽdi, cognoscendi altera, explicãdũ modò est, quæ illarum sit. Et sunt prænotanda, quæ sequuntur.

Nota.2.

Electio alterius extremi est propria, & peculiaris liberi arbitrij operatio. Et ratio est; quia homo dicitur libero arbitrio præditus, eò q̃ propter eius indifferẽtiã, potest vnũ extremũ, altero excluso, recipere. Quod quidem est propriè eligere.

3.Nota.

Electio nõ est de fine, sed de mediis ad finẽ consequendũ. Et ratio est; quia nũquàm consultamus, bonũ ne sit, an non beatitudinem obtinere; sed fit cõsultatio de mediis, quænam, sint cõmodiora, & magis cõducẽtia; vt sit ne cælibatũ, an matrimoniũ eligendũ ad æternã vitam assequendam: debetque medium esse bonum, aut vtile ad finem consequendum.

Ad electionẽ vtriusq; potentiæ cognitiuæ, scilicet, & appetitiuæ, operatio est præmittẽda. Et ratio est; quia ex parte potẽtiæ cognoscẽdi prærequiritur cõsilium, quod est cõsultatio per cõparationẽ extremorũ (cõsideratis multis circunstãtijs) quod eorũ sit alteri anteponendum. Exempli gratia, cõsultat quis; an sit magis sibi appetendũ matrimoniũ, vel cælibatus? Confertque cõmoda, & incõmoda vtriusq; status, & iudicat alterũ istorũ, nempe, quod magis sibi, & reipub. expediẽs est, esse appetendum. Nã si fuerit rex, iudicat pro vniuersali reip. bono matrimonium esse contrahendũ, si verò persona priuata, iudicat sibi vitã cælibem, vel quid simile magis expedire. En tibi cõsilium, scilicet, extremorũ collationẽ, & post consilium, iudicium, id est, sentẽtiam, nẽpè, quid sit eligendum, & vtrunq; est intellectus operatio, nondum tamen facta est electio, quæ est veluti sentẽtiæ executio. Nã electio est voluntatis acceptatio. Acceptat enim talis sententiæ executionem.

Append. Arist.3.

Hinc, ante electionẽ duæ illæ intellectus operationes prærequiruntur. Et ideò Arist.3. & hic, affirmauit electionem esse appetitus intellectiui operationem; formaliter tamen, & priè electio voluntatis operatio est. Quamuis consilium, & iudicium intellectus connotet.

CON-

CONCLVSIO.

Liberũ arbitrium supponit pro potentia appetitiua; verùm connotat cognitionem. Ratio primæ partis huius conclusionis colligitur ex notabilibus positis; quia cum propria operatio liberi arbitrij sit alterius extremi electio; vt ex primo nota. constat, & electio sit potentiæ appetitiuæ operatio, erit liberum arbitrium idem, quod appetitiua potentia. Deinde electio est mediorum ad finem sub ratione boni, vt ex secundo nota. patet, & bonum est voluntatis obiectum adæquatum (nihil enim voluntas nisi sub ratione boni appetit) quare erit electio operatio liberi arbitrij, & voluntatis, & potentiæ appetendi. Et per consequens liberum arbitrium, & appetendi potentia erunt idem, & pro illis lib. arb. supponet. Secundæ partis conclusionis ratio est, quia electio præsupponit iudicium rationis (álioquin non esset actus humanus) iudicium autem est operatio intellectus, vt ex 1. nota. constat, ergo liberum arbitrium, cuius est eligere, præsupponit, & connotat intellectus operationem.

Quinta diffic. Est lib.arb.idem quod voluntas?

Alex. Alen. S.Tho. art.4. d. Bona. Ric. Dura.& alij vbi supr.

RAtio dubitandi est, quia cùm supponat pro voluntate, vt in proxima difficultate dictũ est, iure optimo quæritur; an sit idem, quod voluntas?

Animaduersio.

Animaduerte, q̃ quemadmodũ intellectus sortitur duo nomina respectu diuersorum actuum; nam ex eo, q̃ assentimur primis principiis absq; discursu, talis assensus nũcupatur intellectus; & est solùm intelligere, ex eo autẽ, q̃ cõclusionibus per ratiocinationem, & discursum præbemus assensum, vocatur idẽ intellectus ratio, ita etiam & volũtas respectu diuersorũ actuum duo sortitur nomina. Habet enim duas operationes, quarum vna, quæ est respectu finis, dicitur simplex volitio, & tunc nominatur voluntas. Non enim tunc præsupponit, nisi solam finis intellectionem. Altera verò operatio est respectu mediorũ, quæ dicitur electio, & ratione huius operationis eadẽ volũtas dicitur liberũ arbitriũ, & p̃supponit discursum. Et hæc est causa, cur respectu volitionis finis non dicitur volũtas liberum arbitrium, quemadmodum respectu

voli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

volitionis mediorum, nempè, q; electio, & discursus nõ est de fine. Nõ em̃ circa volitionẽ finis habemus libertatem, quò ad specificationẽ actus; quẽadmodum circa electionẽ mediorũ, quæ est actus liberi arbitrij præsupponitur discursus.

CONCLVSIO.

Liberũ arbitrium est idem, quod volũtas. Probatur cõclusio ex animaduersione præmissa; nam sicut se habet intellectus ad rationem, ita se habet volũtas ad liberum arbitrium; ergo quemadmodum intellectus, & ratio sunt vna, & eadem potentia, solume; in modo cognoscendi distinguntur. Quia intellectus, cùm sit principiorum, per solam appræhensionẽ terminorum sine discursu cognoscit; ratio autem, cùm sit respectu conclusionum cognoscit per discursum. Ita quoq; voluntas, & liberum arbitrium sunt vna, & eadẽ potentia, quæ solùm in modo volendi differunt; propterea quòd voluntas est volitio solius finis, nulla præuia intellectus consultatione; at verò liberum arbitrium est electio mediorum ad finẽ, præuia intellectus consultatione.

Quinta diffic. Quæ est præcisa ratio, & causa libertatis, & indeterminationis in voluntate?

S. Bona. q.3. & .6. vbi 3. Dura. q.3.1. p.dist.24.

CVm voluntas non sit determinata ad vnum oppositorum, sicut agens naturale; sed sit libera ad alterum illorum eligendum (quod quidem est. Habere liberum arbitrium) quæritur. An radix, & ratio præcisa huius libertatis sit discursus intellectus? an ipsamet voluntas?

Duæ sunt cõtrariæ opiniones circa hãc difficultatem. Vna

Alex. Alen. art. 3. §. 2. vbi suprà. Scot. in p. d. 38. & in. 2. d.25. S.Thom.art. 1.q.83.

Alex. & Scot. dist. 25. citata notab. vltimo, &. d. 38. versiculo, si autẽ actũ volũtatis in primo lib. sent. Qui tenẽt nihil aliud à voluntate esse totalẽ causam volitionis in voluntate, idest, q; sola voluntas cum causa prima efficit suas operationes, ita vt nulla causa secunda effectiuè cum illa ad eliciendam suam volitionem concurrat. Altera est S. Thom. opinantis intellectũ esse potentiam indeterminatam ad vtrũq; oppositorũ, vt patet in syllogismis topicis, quibus modo vnũ oppositorũ, modo alterũ suadet, vel dissuadet, & hãc intellectus indeterminationẽ dicit esse causã liberę electionis in volũtate.

Libe-

Liberum arbitrium differt ab eius vsu. Ratio est, quia liberum arb. vt ex dictis constat, est ipsamet potentia, ex se ad vtrumq; oppositorum indeterminata; vsus autem eius est libera operatio. Et confirmatur, quia furiosi, & paruuli ante vsum rationis habent liberum arb. non tamen eius vsum. Quare lib. arbit. differt ab eius vsu, quemadmodum rationale à rationis vsu, & risibile à risu.

CONCLVSIO I.

Ratio præcisa, ob quam, homo libero vtitur arbitrio, est indeterminatio intellectus ad vtrũq; oppositorum. Et probatur, quia si volũtas est indeterminata, & habet electionẽ circa media, est, propterea q; intellectus ad assensum alterius extremi est indeterminatus. Et quia electio præsupponit extremorum cognitionem, & comparationem per intellectum indeterminatum faciendam: quare indeterminatio intellectus, quæ præsupponitur, erit præcisa ratio, & causa libertatis in voluntate, ob quam homo libero vtitur arbitrio. Et in hoc sensu vera est S. Thom. opinio.

CONCLVSIO II.

Indeterminatio intellectus non est præcisa ratio, siue fundamentum libertatis in voluntate. Et ratio est, quia voluntas quò ad volitionẽ finis vniuersalis, saltẽ quò ad exercitium est libera libertate cõtradictionis, quantùm ad hũc actũ, scilicet, volo esse beata, licet nõ libertate cõtrarietatis. Non enim potest elicere hunc actũ, nẽpè, volo esse misera; & tamen intellectus, circa assensum finis in vniuersali, est determinatus; quia circa talem assensum, non est cõsultatio. Nõ enim est indifferens, sit ne bonum esse beatum, an non? Quare cùm non sit cõsultatio, neq; erit indeterminatio, & ex cõsequẽti indeterminatio intellectus nõ erit præcisa causa, vt volũtas sit libera. Dices, liberũ arbitriũ non est respectu finis? Respondeo. Verũ est, quò ad specificationẽ actus, est tñ quãtùm ad exercitiũ, idest, circa finẽ habemus vsum liberi arbitrij libertate cõtradictionis, nõ tamen contrarietatis. Et in hoc sensu est vera Alex. & Scoti opinio. Sed de ijs in libro controuersiarum. Lege de hac difficultate flores. 4. lib. in. 2. p. in. q. de beatitudine art. 2. diffic. 1. & art. 3. diffic. 3.

Sexta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. m. 4. §. 1. vbi supra, & in. 4. p. q. 8. m. 7. art. 2. §. 1. S. Tho. 1. 2. q. 6. ar. 4. S. Bona. in. 2. p. d. 26. à q. 4. vsque ad finem. Dura. d. 24. q. 3. & d. 25. q. 4. & d. 29. q. 1. lib. 4. Ricard. Soto. c. 16. lib. 1. de natura, & gratia.

Sexta diffic. Vtrum voluntas, siue liberum arbit. ab aliqua creatura possit cogi, siue compelli?

Difficult. hæc est vtilis, fiet autem facilis, si sequentia prænotaueris fundamenta. Primum fundamentum. Violentum est, cuius principium est extrà, passo non conferente vim. Hæc descriptio violenti est Arist. 2. Physic. Cuius definitionis sensus est. Operatio dicitur violenta, quãdo, vel passum non habet principium actiuum respectu talis operationis; vt aqua respectu caloris, quem violenter recipit, & lapis respectu motus sursum; vel quando non habet inclinationem ad talem operationem; vt patet in exemplo aquæ respectu calefactionis; quod Arist. illis verbis significauit, scilicet, passo non conferente vim, ideſt, inclinationem.

Hinc, materia prima respectu cuiuscunq; formæ substantialis non violentatur. Quia à quacunque forma substantiali perficitur, cùm ab ea recipiat esse specificum, quamuis nullius formæ respectu habeat principium actiuum.

Hinc, quando agens est principium suæ operationis, nullo modo talis actio, siue operatio potest dici violenta; quia principium operationis violentæ non est intra ipsum agens; sed extra, vt ex Arist. in principio fundamenti citati constat.

1. Fundam.

Inclinatio voluntatis est ad omne ens sub ratione boni. Et ratio est; quia bonum est obiectum motiuum, & propriũ voluntatis. Nam vt B. Dionysi. inquit, voluntas nunquàm operatur ad malum aspiciens, nisi sub ratione boni veri, aut apparentis, aut præfixi honesti, vtilis, aut delectabilis.

Appen. 1. Append. 2. 2. Fund. B. Dionys. 3. Funda.

Voluntatem induci, mutari, aut violentari maximè inter se differunt. Et ratio est; quia voluntas persuasionibus inducitur. Mutaretur autem, si Deus supernaturaliter efficeret in ipsa, siue ipsa aliquem actum. Violentaretur verò, si nolens vellet, ideſt, quando habendo actum nolitionis alicuius obiecti, eliceret simul volitionem circa idem obiectum.

S. Bona. q. 5. vbi suprà. 4. Fund.

Voluntas multipliciter compellitur. Primò quantùm ad actus elicitos, vel quantùm ad Imperatos, quos per ministerium aliarum potentiarum exequitur. Secundò, quando impe-

impeditur, ne interiùs operetur, ideſt, ne vllam volitionem habeat.

Non idem sunt voluntarem cogi, & violentari. Et ratio est, quia cogitur metu, vt aliquid, propter cauendum maius malum, velit. Quo quidem modo cogitur natura proiicere merces in mare, ne naufragium patiatur, non tamen tunc violentatur. Nam vult proiicere, sed non liberè. Hoc fundamentum colligitur ex cap. Abbas de his, quæ vi. met. &c. 5. Fund.

Voluntarium differt à libero. Et ratio est, quia latiùs patet, quàm liberum. Illud enim est voluntarium, quod est quocunque modo volitum, etiam metu, & terroribus, eò quòd est actus à volũtate elicitus. Hoc namquè satis est, vt aliquid voluntarium esse dicatur. Liberum autem dicitur, quod absolutè, & non propter cauendum detrimentum malũ, est volitum. 6. Fund.

Append 3.

Hinc, qui metu mortis violentæ latronibus sua donat, voluntariè, sed non liberè donat.

CONCLVSIO I.

Voluntas, quò ad actus elicitos simpliciter, neque violentari, nequè compelli potest, nempè, vt habens volitionem alicuius obiecti, producat eiusdem nolitionem, vel è contrà. Et ratio ex primo fundamento est, quia violentum est, cuius principium, &c. Et operationes elicitæ à voluntate sunt ab ipsa, tanquàm à principio intrinseco, & productiuo earundẽ. Deinde, quia violentum est contra propriam agentis inclinationem, & cùm voluntas non possit velle aliquid, nisi sub ratione boni, quod est proprium eius obiectum, vt ex secundo fundamento patet, ad quod quidem naturaliter inclinatur, nunquàm poterit operari contra suam inclinationem, & ex consequenti neque violentari.

Append. 4.

Hinc, quando operatur metu mortis, nõ violentatur, quia sub ratione boni, scilicet, propter cõseruandã vitã, operatur.

CONCLVSIO II.

Voluntas secundum quid, scilicet, propter vitandum maius malum, compelli, & cogi potest. Hæc conclusio colligitur ex cap. Abbas, quod in quinto fundamento citatur, vt patet exemplo nautæ ibidem positio. Huiusmodi enim actus est voluntarius simpliciter, inuoluntarius autem secundum quid,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid, nempè, quia extra illum casum non proiiceret merces in mare. Et in huiusmodi casibus actus dicitur voluntarius, non tamen liber. Hæc est sententia Arist.3.lib. Ethic. c.1. lege. S.Thom.art.6.& alios doct.vbi suprà.

Append.5. *Hinc*, multi casus soluuntur. Nam primùm quandocunque ad aliquem actum, præter voluntatem, prærequiritur libertas, vt in contractibus matrimonij, donationis, voti solemnis, &c. tunc talis actus, licet, sit voluntarius, est tamen in conscientia nullus, propter defectum libertatis, præsertim quando libertas fuerit violenter sublata, vt in floribus.4 lib. in materia de matrimonio in.q. de consensu libero, & coacto tractauimus.

Append.6. *Hinc*, secundò metus tollit libertatem electionis, non tamen tollit, quin actus sit voluntarius, at verò non erit liber. Quia non est in potestate eligentis aliud extremum sine graui dispendio optare. Hæc de actibus elicitis à voluntate. De actibus autem imperatis, vt de locutione, ambulatione, motu locali, &c. sit.

CONCLVSIO III.

Gabriel. Voluntas non potest quò ad actus Imperatos violentari, vt illos exequatur. Hæc conclusio est contra Gabrielem præsenti distinctione dicentem, posse violenter moueri, & loqui, quod videtur falsum, & ratio est, quia linguam moueri, nisi voluntate mouente, est impossibile. quòd si vult, propter vitandum maius malum, tunc non violentatur.

CONCLVSIO IIII.

Voluntas benè potest violentes impediri, ne actus imperatos exerceat. Hanc conclusionem experientia ipsa demonstrat. Nam potest homo ligari, ita vt imperante voluntate, nequeat moueri, tuncque violentabitur, quò ad imperij executionem.

Alex. Alen. S.Tho. Bon.q.5. Dur. Ric. & alij vbi sup.

Septima diffic. Vtrùm voluntas possit ab ipso Deo immutari?

INtelligitur difficultas ita, vt voluntas respectu alicuius actus habeat se merè passiuè,

CON-

CONCLVSIO.

Voluntas à Deo potest immutari. Probatur; quia potest Deus se solo producere in voluntate actum amoris, vel odij. Et ratio est; quia Deus, qui est humana natura potentior, potens est voluntatem mouere. Iuxta illud Prouerb.21. Cor regis in manu Domini est, & quocunque voluerit, vertet illud. *Prouerb.21.* Vnde D.Bernard.in tract.de diligendo Deo, ita ait. Noluit enim, quamuis potuit, Deus compellere hominem in suum obsequium; quoniam haberet tunc nō hominem, sed asinū. Et quomodo posset tunc homo dicere, volūtariè sacrificabo tibi? Oppositum tenet Ricard. vbi sup. lege apud D.Bona. & alios interpretionem locorum Luc.13. exi in vicos, &c. & compelle eos, &c. Et Ioan.6. nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, &c. Vbi videtur voluntas à Deo cogi, quod non ita se habet. *D.Bern.* *Luc.13.* *Ioan.6.*

Artic. II. De subiecto Liberi arbitrij?

Absoluetur Artic. Aliquot expositis difficultatibus?

Alex. Alen. toto m.3. 4. & 5. S.Tho. ar.1. D.Bona.q.1 Duran. q.1. Ricar. & alij vbi 2.

ANimaduerte priùs ad maiorem explicationem huius artic. quę sequuntur. De natura liberi arbitrij non est eligere, quatenus electio est rei dubiæ priùs ignoratæ in alteram partem determinatio. Et ratio est; quia in Deo est liberum arbitrium, vt statim dicemus; & tamen nō est in eo talis electio. Quomā importat ignorantiam, quia Deus non consiliatur. Ignorantis enim est cōsiliari. Est tamen, in Deo electio, quatenus est inter aliqua duo certa, & determinata, definitio.

1. Animad. 2. Anim.

Posse ad bonum, & malum inflectere voluntatem, siue, posse peccare, non pertinet ad rationem liberi arbitrij, neq; est de eius natura, cū possit ab ea separari. Et rarò est, quoniam vbi est natura ab omni mutabilitate aliena, qualis est diuina, aut etiam in bono confirmata; vt cœlicolarum natura, voluntas ad malum inflecti haud potest. Quia liberi

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbitrij natura, & essentia non mutabitur, quando erimus regnum cœlorum, vbi peccare non poterimus, assequuti: vt autor est D.August. multis in locis. Quemadmodum, nec humana natura mutabitur, cùm illa æterna gloria, & fœlicitate perficietur. Posse enim peccare illorum tantùm est; qui adhuc peregrinatur à Domino, quibus vita, & mors, bonũ, & malum proposita sunt, vt ad quod voluerint, manus suas extendant. Ad malum quidem propria potestate; ad bonum verò non aliter, quàm Dei gratia. Beati nihilominus, & angeli sunt liberi, non solùm inter diuersa bona, verũ etiam inter opposita. Nam ita aliquid eligunt, vt liberum sit eis, voluntatem in diuersum mutare. Possunt siquidem apparere hominibus, & disparere, ascendere, & descendere, &c.

D. Aug. Enchir. cap. 105. lib. de actis cũ Rel. 4. de correp. & gratia. 11. & lib. 22. de ciuitate Dei cap 30. Epist. 15.

Prima diffe. Vtrùm liberum arbit. conueniat creatori?

CONCLVSIO.

ITa conuenit Deo liberum arbitrium, vt cùm bona operatur, & non nisi bona: in suis tamẽ actionibus liberrimus sit. Ratio est; quia, quicunquè sola voluntate, & nulla necessitate bonus est, liberè bonus est, liberumquè habet arbitrium, & Deus sola voluntate, & nulla necessitate, bonus est. Tum etiam constat, quia cœlestis Pater mandatum dedit filio suo vnigenito, vt pro redemptione humani generis prorosam subiret mortem. Quod quidem poterat non mandare: sed vel totum genus humanum damnare, vel aliter, quàm per vnigeniti acerbissimam mortem, à diaboli tyrânide eripere: vt in floribus tertij lib. patebit. Et vt liberè mandauit Pater: ita Filius mandanti Patri liberè obediuit. Iuxta illud prophetæ. Oblatus est, quia ipse voluit. Et Christus Petro loquens dixit. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi, plusquàm duodecim legiones angelorum. Vbi & Patris, & Filij libertas insinuatur. Poterat enim Filius rogare Patrem, & Pater Filium liberare: & quæ poterant facere, omiserunt, & quæ amittere poterant, fecerunt, & Spiritus sanctus diuidit singulis, pro vt vult.

Alex. Alen. m. 3. art. 1. S. Tho. q. 19. art. 10.

Isaiæ. 53. Matth. 26.

Hinc

Hinc colligitur, quod noster Alexan. vbi suprà docuit; nomen, scilicet, liberi arbitrij commune esse creatori, & creaturæ, non vniuocè, nequè equiuocè, sed analogicè: quia per priùs dicitur de creatore, & per posteriùs de creatura. Quod confirmat autoritate B. Anselm. in lib. de lib. arb.

Ambros. in lib. de fide. Append. Alex. Alen. vbi supra. B. Anselm.

Secunda diffic. Conuenit ne soli creaturæ rationali lib. Arbit.

CONCLVSIO.

LIberum arbitrium soli creaturæ rationali inest. Ratio ex suprà dictis constat: quia cùm liberum arbitrium sit facultas voluntaris, & rationis, & liberi arbitrij sit electio, quæ præsupponit iudicium, & sola creatura rationalis sit ratione, & voluntate prædita, solaquè illa de suis operibus iudicet; bona ne sint, an mala; & solum bonũ, verum, vel apparens eligat, sola profectò illa erit libero arbitrio prædita.

Alex. Alen. m. 3. art. 2. S. Tho. ar. 1. S. Bona. q. 1. Duran. q. 2. Ricar. vbi supra.

Hinc bruta animantia libero arbitrio carere dicuntur. Nam licet quædam operentur præuio iudicio: non tamen libero, sed naturali. Quis enim viso lupo, fugit, quia cognoscit lupum sibi disconuenientem, & fugiendum, & non libero iudicio: quoniam non fit præuia extremorum collatione, scilicet, malum est expectare lupum, & bonum illum fugere; sed naturali tantùm iudicio. Nam fit solùm præuia lupi disconuenientis apprehensione. Bruta enim naturæ impulsu, & necessitate, in ea feruntur, quæ concupierunt, nec valent suos appetitus rationis discerniculo cohibere, & refrenare: quemadmodum rationalis creatura, quæ in sua potestate habet, non solum actiones suas, sed, & iudicium, quo actiones instituat: vt hoc ipsum iudicium suum iterum, atque iterum expendere, & de nouo in iudicium reuocare possit, & valeat. Lege D. August. lib. 83. q. quæst. 36. & Aris. 3. Ethicor. cap. 4. & doctores citatos, præsertim D. Bonauẽ. vbi suprà.

Suprà. Append. D. August. Aristot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. tota q. 29. S. Tho. q. 59. per. 4. art. S Bona. d. 7. art. 1. & 2. & dist. 24. & 25. Scotus i hoc 2. dist. 23. & in 1. dist. 39. & in quol. q. 16. Dura. d. 7. q. 1. Append.

Tertia diffic. Vtrùm in Angelis sit liberum arbit.

De libero arbitrio angelorum disputant Alex. & alij locis in margine citatis, & de hac difficultate peculiariter m. 1. q. 39. & q. 72. m. 3. art. 3. & S. Tho. art. 3.

CONCLVSIO.

Est in angelis liberũ arbitrium. Et ratio est; quia vbicũq; est intellectus, est etiam liberum arbitrium, & cùm in angelis sit intellectus, erit etiam liberum arbitrium. Deinde; quia in angelis bonis fuit meritum, & in malis demeritum, & meritum, atque demeritum est penes liberum arbitrium. Præmium enim non consequitur, nisi in his, quæ libera voluntate aguntur.

Hinc etiam colligitur propter easdem rationes, in dæmonibus esse liberum arbitrium; quia liberum arbitrium naturaliter illis inest, & quòd semel naturaliter est in aliquo, semper in eo remanet.

Quarta difficult. Vtrùm liberum arbitrium in omni statu innocentiæ, scilicet, culpæ, & gratiæ, commune fuerit homini?

Alex. Alen. m. 3. art. 4. & alij locis in. 1. diffic. 1. art. huius q. citatis. Eccles. 15.

CONCLVSIO I.

IN statu innocentiæ habuit homo liberum arbitrium. De fide est, & expressè habetur Eccl. 15. Deus ab initio cõstituit hominem, & reliquit illũ in manu cõcilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.

CONCLVSIO II.

Homo in statu culpæ liberum quoque arbitrium habet. Perinde est hæc de fide, & in sacra scriptura multis in locis expressa. Nam Exodi. 10. dixit Dominus per Moysen

Exod. 10.

Pharaoni. Vsquèquo non vis subijci mihi, dimitte populum meum: vt sacrificet mihi, sin autem resistis, & non vis dimittere eum. Ecce ego inducam cras locustam in fines tuos. Et Prouerb. 1. vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, &c. Sæpissimè enim conquæritur Deus, eò quòd peccatores ei resistunt, quod minimè facerẽt si libero arbitrio carerent. Lege Ierem. 7. & Isai. 5. & 10. & 29. & Matth. 23. & Acto. 7.

Prou. 1. Iere. 7. Isai. 5. Matth. 23. Acto. 7.

CONCLVSIO III.

Habet etiam in statu gratiæ liberũ arbitrium. Hæc etiam apertissimè ex multis locis sacræ paginæ colligitur. Sancti enim in hac vita non meruissent, si libero arbitrio destituti fuissent.

Quinta diffi. Vtrùm liberũ arbitrium in Christo homine, sicut in cæteris hominibus fuerit?

Alex. Alen. vbi supra art. 5. S. Tho. 3. p. q. 18. art. 4. Isai. 7.

CONCLVSIO.

FVit in Christo liberum arbitrium. Et ratio Alex. & S. Tho. est; quia Christus elegit bonum, & reprobauit malum. Iuxta illud Isaiæ. 7. butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Et eligere, vt ex dictis constat, actus liberi arbitrij est.

Sexta diffic. Vtrùm liberum arbitrium æquè sit in omnibus, in quibus reperitur?

Alex. Alen. q. 29. m. 1. art. 3. & q. 72. m. 4. S. Bona. q. 1. 2. p. dist. 25. Duran. q. 3. d. 25.

TRiplex est libertas. Vna à coactione. Altera à peccato, de qua. 2. Cor. 3. vbi spiritus Domini, ibi libertas, & Io. 8. si Filius vos liberauit, verè liberi eritis. Tertia à miseria ad Rom. 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

2. Cor. 3. Ioan. 8. Rom. 8.

CONCLVSIO I.

Quo ad libertatem primo modo æquè in angelo, & in homine est liberum arbitrium. Et ratio est; quia neque mali angeli, neque boni, neque mali hominis voluntas cogi potest, vt ex dictis constat, & confirmatur autoritate D. Bernard. in lib. de libero arb. dicẽtis. Libertas à necessitate, nec peccato,

D. Bernar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec miseria amittitur, nec per oppositū augetur, nec plenior est in homine, quàm in angelo.

CONCLVSIO II.

Perfectius tamē omninò est in Deo, quàm in angelo, vel in homine liberum arbitrium, eo modo sumptum. Et ratio est; quia voluntas diuina in nullo actu suo potest impediri; vel difficultatem pati. Subest enim ei, quandocunque voluerit posse; volūtas autem angeli, vel hominis potest à quolibet actu suo virtute diuina impediri, ne, scilicet, aliquid velit, aut faciat, vt suprà in difficultate de impeditione, & immutatione lib. arbitrij diximus.

Sap.12.

CONCLVSIO III.

Quò ad libertatem secundo, & tertio modo sumptā, non æquè est liberum arbitrium in angelis bonis, & hominibus, & dæmonibus. Et ratio est, quia angeli boni, & etiam beati, sunt omninò liberi à miseria: nam ibi neque luctus, neque clamor erit vltrà. Et à peccato, quoniam peccare non possunt, homines verò magis liberi sunt à miseria, & à peccato, cū ab eo per pœnitentiam liberari possint, quā dęmones, qui perpetuæ miseriæ, & pœnæ sunt subiecti: & à peccato nunquàm erunt liberi: quia eorum superbia ascendit semper.

Psalm.73.
Alex. Alen. 72. m. 5. 6. & 7.
S. Bona. q. 2. & 3. 2. p. d. 25.
S. Tho. 1. 2. q. 8. art. 2.
Duran. d. 25. q. 1. & Ric & alij ead. dist.
Vega, Castro & Soto, vbi suprà.
D. August.

Artic. III. De vsu. & potestate lib. arbit.

CIrca titulū huius difficultatis fuerūt duæ extremæ hæreses, omissis interim, quas sup. in hac q. retulimus. Vna Pelagij, qui tantū liberi arbitrij vsum, & potētiā extulit, vt docuerit, sufficere nobis liberi arbitrij naturā, & potentiam ad euitandum omne malum, & ad bonum gratiæ Dei, & vitæ æternæ meritorium operandum. Contra quam inter alia plurima opera scripsit ad Timasium librum de natura & gratia D. Aug. Altera hæresis fuit Lutheri, qui ita potētiā libertatēque, & vsum liberi arbitrij negauit, vt diceret in potestate nostra nō esse, vias malas facere: sed Deum esse, qui mala opera in impijs operatur, cui subscripserunt Philippus Melanēthon, & Bucerus. Quæ quidem hæresis fuit priore multò pestilentior: quia non solùm liberū arbitrium subuertebat: verùm etiam Deum causam principalem, & efficientem peccati faciebat, dum nos (vt illi dicunt) cogit ad peccandum. Quod, cum communi sensui repugnet, refutatione non indigebat. Quis vnquā sanæ mentis credit, Deū contra suam legem, quæ lignū, & norma suæ voluntatis est, aliquem compellere? Erit autem manifesta istorum hæreticorum insania, positis nonnullis difficultatibus quibus articulus absoluetur. Cæterum ad pleniorem huius articuli intelligentiam animaduerte, quæ sequuntur.

Deus Opt. Max. cū nostra voluntate ad omnes eius operationes cōcurrit. Aliter enim Deus nō esset causa vniuersalis, si aliquid sine eius cōcursu efficeretur. Hoc docet scriptura sacra multis in locis. Ioā. 1. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Ita distinguit D. August. Et ad Roma. 11. ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. *1. Animaduersio.* *Ioan. 1.* *D. Aug.* *Ad Rom. 11.*

Hinc, nō dicitur liberū, q̄ possit absque prima causa, quæ est vniuersalissima, quicquā efficere: sed q̄ sit indifferens, ita vt à nulla causa secunda determinetur. Notanter dicitur, ab aliqua causa secunda, quia Sol, v.g. est indeterminatus ad oppositos effectus, vt ad indurandum luttum, & liquefaciendū ceram, & determinatur à causa secunda, nempè, à diuersitate materiæ. Vnde dictum est hic, vt limus durescit, hæc, vt cera liquescit vno, eodemque Sole, at verò liberum arbitriū à nulla causa secunda, immò quod maius est, neque ab ipso Deo ad alterum oppositorū determinatur. Et ratio est, quia determinare causam aliquam, aliàs indeterminatam ad aliquem effectum, est, quòd nullo modo, & per nullam potentiam, habeat virtutem actiuam oppositi effectus, vt ita per materiam ceræ ad eius liquefactionem determinatur, quòd per nullam potentiam, virtutem durefaciendi eandem cerā habeat. Deus enim non potest cum sole, tanquàm cum causa principali, ceram durefacere: quia calor Solis nullo modo potest esse principium durefactionis ceræ. Append. 1.

Ex hac appēdice colligitur, quòd quātumcūque Deus cū voluntate Fracisci ad amorem Ioānis concurrat, ita quòd in hoc instanti necessariò producat amorem erga Ioannē (quia omne quod est, quādo est, necesse est esse) nihilominus tamē Append. 2.

manet voluntas indeterminata. Propterea, quòd in instanti sequenti potest Deus eum eadem voluntate ad odium eiusdem obiecti concurrere. Hoc enim est libere agere, vt theologi declarãt. Lege D. Thom. q. 83. ar. 1. ad. 3. vbi docet Deũ cum causis secundis ita concurrere, vt cum liberis, vt liberè operentur, & cum naturalibus, vt necessariò suos producant effectus, concurrat. Vbi, ne, quæso, intelligas per operationẽ liberam, quod in sensu composito, & de facto possit oppositum euenire: sed quòd manet potentia indifferens, ita q̃ in sensu diuiso, ideſt, Deo aliter disponente, possit voluntas nostra contrarium actum producere, quòd non posset Deus cum aliqua causa naturali efficere. Et ideò ista operatio naturaliter fit, & illa liberè; Deus autem cum vtraquè operatur contingenter.

Regula. Hinc, collige regulam perpetua memoria dignã, dummodo ei fidem adhibeas, nempè; Nostri liberi arbitrij vsus non consistit in hoc, quod, stante diuina determinatione, ab æterno alicuius futuri contingentis possit voluntas nostra de facto in oppositum: sed in hoc tantum, scilicet, quòd de possibili possit efficere contrarium. Quodquidem est verum, tam ex parte Dei operantis ad extra contingenter, quàm ex parte voluntatis nostræ, quæ ad oppositos effectus est indifferẽs.

2. Animad. Liberum arbitrium, siue potentia indifferens, siue determinata aliud est à libera executione, & à libero vsu. Et ratio, vt suprà in hac quæst. diximus, est, quia hæc sunt separabilia, & vnum sine altero potest existere. Nam in pueris ante vsum rationis, & in dormiẽtibus est liberum arbitrium, ideſt, indeterminata, & indifferens potentia ad vtrumquè oppositorum, & non determinata ad vnum; vt est causa naturalis, nempè, ignis ad calefaciendum; libertatis tamẽ vsum non habent.

3. Anim. Quando doctores antiqui, & recentiores libros de natura & gratia scripserunt, per naturam voluntatem solo generali auxilio suffultam, & per gratiam eandem voluntatem diuino, ac particulari, siue speciali Dei auxilio immitentem intellexerunt. Quid autem sit generale auxilium, & quid speciale in floribus. 4. lib. & infrà in materia de gratia, & quomodo ad inuicem distinguatur, dẽclaratur.

4. Anim. Libertas; vt supra diximus, est triplex, à coactione, à peccato, & à miseria. Libertas, tamen à culpa & à miseria potius priuatio, quàm libertas vocanda est. Nam liber à peccato, & à pœna idem est, quod innocens, carens culpa, & pœna. Et probatur ex B. Paul. ad Roma. 6. cum serui effecti peccati (scilicet ante baptismũ) liberi fuistis iustitiæ, hoc est, alieni à iustitia. Nam sicut Hispanè dicitur Libre de culpa, el que no tiene pecado, ita, Libre de justicia el que carece della.

Ad Roma.

Prima diffi. Vtrùm homo habeat liberi arbitrij vsum?

Doct. vbi. suprà. ESse in homine liberum arbitrium suprà in prima difficultate. 1. artic. & in. 2. arti. huius quæstionis explicatũ est. Nunc de solo vsu agitur, qui à libro arbitrio, vt in secunda animaduersione diximus, distinguitur.

Castro v. g. Hæresi. 1.

CONCLVSIO.

Homo, cùm primum ad annos discretionis peruenit, libero vtitur arbitrio, liberumquè eius habet vsum. Hæc conclusio multis diuinæ scripturæ testimonijs, & sanctorum Patrum autoritatibus, & rationibus à Vega, & alijs doctoribus in principio huius articuli citatis, contra hæreticos demonstratur. Eam enim docet experientia: siquidem nihil tam in nostra potestate esse experimur: quàm liberas exerere actiones, vel ab ipsis abstinere. Ego enim qui, hæc modo scribo, in mea potestate esse experior, actum suspendere, & non suspendere posse. Et qui hunc liberum arbitrij vsum negant, essent, quemadmodum Arist. 2. topic. docet, verberibus torquẽdi, quòusque, nos potestatem habere abstinendi ab eorum cruciatu, faterentur. Tum etiam quia si in potestate nostra propria operatio non esset, iniustè peccata nobis imputarentur, cùm nullus in eo, quod vitare non potest, peccet. Quod tamen est plusquàm errorneũ. Nullus tandem est liber sacræ scripturæ, in quo nostræ libertatis non admoneamur. Lege Vegam lib. 2. super concil. Trid. à cap. 13. & infrà, qui omnia fere diuina testimonia perstringit.

Arist.

Hinc destruitur hæresis negãtium liberum hominis arbitrium, & eius vsum.

Hæresis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Vtrùm actus liberi arbitrij sit contingentium tantùm, vel etiam necessariorum?

Alex. Alen. in 6. art. 2. S. Bona. q. 2. 2. p. d. 25. & alij vbi. supra.

LIberum arbitrium potest, vt docet D. Bona. dupliciter considerari, vel quatenus liberum est, vel quatenus deliberans est.

CONCLVSIO I.

Actus liberi arbitrij potest esse, & est necessariorũ. Ratio est, quia in Deo, angelis, & in hominibus beatis, in quibus, vt in secundo art. diximus, est liberum arbitrium, quod quidem immutabiliter, & necessariò in suum actum exit: quia Deus per naturam, & angelus, & homo beatus per gloriam, immutabilis est.

CONCLVSIO II.

Si liberum arbitrium secundo modo accipiatur, actus illius contingentiũ est. Ratio est, quia non cõciliamur, neque consultamus de necessarijs, & impossibilibus, sed de contingẽtibus, quæ facere, vel nõ facere in nostra potestate situ est.

Tertia diffi. Vtrùm liberũ arbitriũ sit respectu actuũ interiorum tantùm, an etiam respectu exteriorũ?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art. 3. vbi. supra.

ESt respectu actuũ interiorum, & exteriorum, quatenus ab interioribus emanãt. Et ratio est, quia, qui liberè appetit, liberè vult, liberè inquirit, liberè scrutatur, liberè eligit, liberè impetũ facit, & liberè agit, & operatur semper in his, quæ secũdũ naturã sunt, vt D. Damas. apud Alex. docet. Et quia cũ sit dominus actuum suorum, dicitur liberum.

B. Damas.

Quarta diffic. Quis nam est proprius, & principalis liberi arbitrij vsus?

CONCLVSIO.

RAtio dubitandi est, quia cũ varij sint illius actus, quos in difficultate prima cum B. Damasceno enumerauim⁹, meritò dubitatur. Quis inter illos principalior sit.

CON-

CONCLVSIO.

Principalior actus est eligere. Et ratio est, quia ab electione formaliter liberum arbitrium dictum est liberũ, quẽadmodum à iudicio, vel arbitrio materialiter arbitrium est nũcupatum. Sed de ijs iam suprà egimus.

Quinta diffic. Vtrùm liberum arbitrium, secundum quòd liberum, possit in malum?

CONCLVSIO I.

SI liberum arbitrium, secundum rationem communem, quatenus creatori, & creaturæ rationali cõuenit (vt in secundo art. dictũ est) sumatur, eius actus nõ est circa malũ. Et ratio est, quia propriũ obiectũ cuiuscunque potentiæ est illud, quod potẽtia per actũ proprium intẽdit, siue quod efficit, & proprium obiectum, quod intendit liberum arbitrium, secundum rationẽ communem sumptum, est bonũ, & æquum, malum autem non est eius obiectum, nisi dicas esse illius obiectum, quatenus respuit, & detestatur illud.

D. Bona. q. 3. vbi. supra. Castro. v. g. Hæresi. 1.

CONCLVSIO II.

Si liberũ arbitrium, vt est in creatura, & in quãtùm liberũ est, accipiatur, habet pro obiecto bonũ, & exit in eius actũ. Et ratio est: quia si nullũ malum, nunquàm appetitur, nisi sub ratione boni, & quatenus apparet bonum, solum bonum erit liberi arbitrij obiectum, quatenus liberum est.

CONCLVSIO III.

Si verò consideretur: vt deficiẽs est, potẽs est elicere actũ in malum. Et ratio est, quia facilius est deficere, quàm proficere. Nunquàm tamen eligit malum principaliter, quia repugnat suæ naturæ: sed quatenus apparet bonum.

Hæresis.

Hinc hæreticũ esse deprehẽditur, asserere per liberũ arbitriũ desiciens, ideſt, diuina gratia priuatũ, nõ posse hominem aliud facere, & velle, siue eligere, quàm peccatum. Quod est contra diuinã scripturã multis in locis, in quibus sunt monitiones, quibus peccatores ad pœnitẽtiã præteritorũ exortãtur. Vt Iohelis. 2. cõuertimini ad me in toto corde vestro. Et Matth. 3. agite pœnitẽtiam, appropinquabit regnũ cœlorũ.

Iohel. 2. Matth. 3.

Fuitque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fuitq; hæresis hæc damnata, ad verbum in cõcil. Trid. sess. 6. can. 7. Et ratione ita refellitur ex iam dictis; quia cum hominis arbitrium ex se, & ex sua natura liberũ sit, & eius libertas, per nullum peccatum amittatur, potuit profectò etiam cùm in peccato fuerit, sicut peccare; ita, & peccatũ vitare, & bonũ opus, quãuis nõ meritoriũ operari. Lege Cast. ver. lib. hær. 2.

Castro.

Sexta diffic. An liberum arbitrium deperdi, vel minui possit in illis, in quibus est?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 5. vbi supra Vega lib. 2. sup. cõcil. Tridẽtinũ cap. 1. 10. & 11.

LIberum arbitrium attenuatum est, & inclinatum in omnibus hominibus propter Adæ peccatũ, non autem extinctum. Hæc cõclusio fuit expressè definita in cõc. Arausic. 2. can. 8, 13. & 25. & in concil. Trident. sess. 6. c. 1. & can. 5. Et confirmatur exẽplo hominis descendentis ab Hierusalem in Hierico, qui fuit a latronibus vulneratus, & semiuius relictus: quia fuit gratuitis expoliatus, & in naturalibus vulneratus. Neque enim in hoc statu sine speciali Dei auxilio omnia diuina mandata implere, neque credere in Deum, sicut oportet, neq; ipsum diligere, aut dolere de peccatis propter ipsum, neq; in Dei gratia perseuerare, neque præcellentia aliqua opera facere possumus. Quæ quidem omnia potuisset homo, si quidem permansisset in statu innocentiæ, alias non fuisset in eo natura nostra integra.

Hæresis Pelag.

Castro v. g. Hæresi. 1. D. Aug.

Hinc confutatur error Pelagij, qui nõ fatebatur apertè in nobis liberum arbitrium esse infirmũ, & imualidum, contra quẽ inuehitur D. Aug. epist. 106. In quẽ etiã agit in Enchir. c. 30. quãdo dicit. Homo malè vtẽs libero arbitrio, & se perdidit & ipsum. Nã voluit illis verbis insinuare cõtra Pelagiũ amisisse hominem per peccatum libertatem, hoc est, immunitatem à peccato, & factum fuisse eius seruum, a quo nõ potest liberari per naturam, sed per gratiam.

Hæresis Albanẽ. & Luther. &c.

Hinc etiam cõfutatur hæresis Albanẽsium, & Lutheri, & Oecolampadij & Melanethon, & aliorum, qui Luthero adhæserunt, negãtium in homine esse liberum arbitrium post peccatum, cùm sit, licet attenuatum.

Septima

Septima diffic. Vtrùm sit in nobis vsus liberi arbitrij ad actiones meritorias eliciendus?

Alex. Alen. m. 7. vbi suprà, & alij scholastici. doct. dis. 27. infrà: Vega libr. 6. super concil. Trid. Castro v. g. Hæresi. 1.

HActenus in hoc art. de libero arbitrio secundũ naturã, siue pro vt nomine naturæ intelligitur, nunc autem in hac difficultate de eodẽ secundũ gratiam, siue quatenus nomine gratiæ significatur in animaduersione. 3. in principio huius art. legẽdi sunt doctores Alex. Ale. m. 7. S. Tho. 83. art. 1. ad argumenta, alij dist. 27. infrà. Vega lib. 6. super cõcil. Trid. præsertim cap. 4. & 5. Soto de natura, & gratia c. 16. & sequent. Vt difficultas hæc contra quam multæ fuerũt hæreses, dilucidior fiat sunt aliqua prænotanda.

1. Nota.

Operum, quæ ad nostram iustificationem spectant, tria sunt genera. Quædam enim antecedunt nostram iustificationem, quædam verò sunt extrema, & quædam intermedia. Primi generis sunt, quæ illam antecedunt, talia sunt auxilia præuenientia, quæ longo tempore nostram iustificationem præcedunt, vt est prædestinatio ab æterno, vocatio interior per inspirationem, siue exterior per concionatorem, vocatio per flagella, terror pœnarum, gloriæ desiderium, de quibus dicitur Apoc. 3. Ego sto ad ostium, & pulso. Secũdi generis sunt productiones qualitatũ supernaturaliũ; vt infusio fidei, & gratiæ, quibus homo formaliter iustificatur. Nã, vt homo dicitur formaliter, & non effectiuè ab albedine albus; ita à iustitia infusa videlicet, à gratia dicitur iustus. Tertij generis sunt opera intermedia quæ sequũtur post auxilia præueniẽtia, & antecedunt gratiã iustificantẽ, tales sunt actus fidei, & spei, & dilectionis, & pœnitẽtiæ, disponẽtes nos ad gratiam.

Apoc. 3.

2. Nota.

Differunt hæc tria operum genera respectu causæ efficientis inter se in hoc, quòd opera primi & secundi generis, vt auxilia præuenientia, & gratia, sunt à Deo sine nobis. Prædestinat enim Deus & vocat iustificandos sine ipsorum cooperatione. Nam D. Petrus, quando fuit ab æterno prædestinatus, ex tempore ad apostolatum vocatus, dicente Christo, venite post me. Similiter, & D. Paul. quando audiuit: Saule, Saule, quid me persequeris? nihil ambo cooperabantur;

Matth. 4.

Act. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bantur; sed passiuè tantum se habebant;vt se habent etiam passiuè respectu virtutum infusarum,quæ sunt qualitates supernaturales,instar aeris recipientis lumen à sole:at verò respectu operum tertij generis, quæ sunt dispositiones intermediæ ad gratiam, homo iustificandus, non se habet passiuè tantùm; verùm etiam actiuè. Et ratio est; quia cooperatur ipsi Deo; nam voluntas elicit actum pœnitentiæ, & amoris,& intellectus fidei actum producit. Et confirmatur multis sacræ scripturæ testimonijs, in quibus huiusmodi dispositiones à nobis exiguntur; vt fidei actus exigitur Marci vltimò. Qui non crediderit, condemnabitur. Et pœnitentiæ Luc.13. 13.nisi pœnitentiã habueritis, &c. Et amoris Ioan. 14.qui diligit me,diligetur à Patre meo. Quare hæc præstare in nostra potestate est;quia nobis præcipiuntur & præcepta non dantur,nisi de actibus, qui sunt in nostra potestate, & quos possumus præstare. Aliter enim Deus esset iniustus, si nos ad impossibile obligaret,quod est blasphemum.

Marc. vlt.
Luc.13.
Ioan.14.

3.Nota. Duplex est gratia, operans vna, altera cooperans. Prima in concil.Trid.sess.6.c.5.excitans.Secunda adiuuans nominatur.Vtriusq; meminit D.Aug.de libero arb.c.17.dicens. Deus,quod operando incipit,cooperando perficit. Ipse, vt velimus operatur incipiens,qui volentibus cooperatur perficiens. Vtramq; postulat ecclesia in quadã oratione dicens. Tua nos,Domine,gratia semper præueniat,& sequatur.Prima est auxilium præueniens tempore nostram iustificationem, quæ operans nominatur, quia solus Deus illam in nobis sine nobis operatur.Hanc gratiam impartitus fuit Deus Pharaoni,quãdo vocauit illũ per flagella. Et Regi Nabuch. Daniel.4.quando eiecit illum extra consortium hominum; vt tanto labore perpulsatus,conuerteretur.Hanc quoq; frequentissimè communicat Deus peccatoribus, quando per terrores,siue gloriæ desiderium,illos ad pœnitẽtiam prouocat.Secunda autem, quæ est auxilium concomitans ipsam pœnitentiã,dicitur gratia cooperans,non ob aliud, nisi quia ille actus, scilicet, pœnitentia, non elicitur à solo Deo, sed etiã à nobis.Et est hæc gratia actualis cõcursus,idest, actualis volitio Dei,mouẽs nos ad peccatorũ detestationem eliciendam,

D.Aug.
Exod.10.
Daniel.4.

ciendam. Non enim possemus moueri, nisi Deo mouente, instar mobilium naturalium, quæ non à se; sed ab alio mouentur.Sed de ijs infrà dist.sequenti. *Arist.7. Physi.* *4.Nota.*

Distinguntur dictæ duæ gratiæ;quoniam prima, scilicet, operans,siue præueniens præcedit tempore nostram iustificationem. Non enim cùm primùm terremur, statim pœnitet nos peccasse,vt patet exemplo Pharaonis, qui plagis, & terroribus vocatus,non statim pœnitebat.Secunda verò scilicet cooperans est prior natura,simul tamen tempore cũ nostra iustificatione.Et ratio est;quia iuuari, & adiuuare habẽt se,sicut moueri, & mouere, quæ sunt simul tempore; priùs tamen natura Deus mouet.Nã hæc est vera;quia Deus mouet peccatorem,ideſt,quia Deus vult voluntate,scilicet,beneplaciti peccatorem conuerti,ideò conuertitur.Ecce quomodo ibi est prioritas naturæ. Respexit dominus Petrum, post negationem,& egressus foras fleuit amarè.Prius natura respexit dominus Petrum;simul tamen tempore fuit dominum respicere Petrum,& Petrum conuerti. *Luc.22.*

5.Nota. Auxilium adiuuans,siue cõcomitans nõ est qualitas positiua,vt est gratia gratũ faciens:sed solum est volitio diuina, qua vult voluntate beneplaciti, & non tantùm voluntate signi, peccatorem sufficienter pœnitere. Et quoniam quibusdam concedit hoc auxilium adiuuans, quibusdam verò negat;ideò auxilium speciale nominatur. Concessit enim illud Petro,& negauit Iudæ:& ideò ille pœnituit, & iste desperatus,laqueo se suspendit. *Luc.22.* *Matth.27.* *6.Nota.*

Licet causa vniuersalis præstet minus vniuersalibus causis operãdi virtutem,& sit eiusdem operationis principium; quia priùs natura,quã inferior causa operatur,non tamen ab inferioribus causis virtutem recipit.Probatur in naturalibus exẽplo Solis,qui præstat terræ,calefaciendo ipsam, operãdi virtutẽ,& nullã ab ea recipit.Et in moralibus multis exẽplis potest illustrari;vt in eo,qui porrigit manum iacẽti in terra, vt se erigat,& in aduocato,qui præstat clientulo conciliũ,& in magistro,qui præstat scientiam discipulo:qui quidem ab illis,quibus præstant auxilium,nullã recipiunt operandi virtutem:immò repatiuntur,quia dum illa præstant,lasantur.

Hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. 1. Hinc colligitur, quòd quamuis idem effectus simul à causa vniuersaliori præueniente, & à causa minus vniuersali producatur; nihilominus tamen semper hæc est vera, causa inferior non potest agere sine superiore, & non è contra. Et ratio est, quia principium actionis est à causa superiori, quæ tribuit inferiori virtutem. Hæc enim est vera. Clientulus nihil sine aduocato potest efficere, & prostratus in terra non potest sine adiuuante erigere se: falsum tamen est, quòd adiuuans non possit virtutem præstare prostrato sine ipso; quia potest sine illo, extendere manum suam, & dare illi virtutem, vt se erigat.

Append. 2. Hinc etiam colligitur, Deum dare homini virtutem operandi meritorie, & esse eiusdem actionis principium. Et probatur Zachariæ, 1. vbi inquit Deus. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Cui respondemus. Cõuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Quibus verbis docet scriptura diuinæ exordium nostræ iustificationis esse à Deo per gratiã præuenientem, & excitantem, nullo tamen modo initium iustitiæ esse à nobis. Quod etiam diffinitum est in concil. Trident. sess. 6. cap. 5. ijs ita elliõtutis, quibus sequentes cõclusiones cõfirmantur, & hæreticorum argumenta soluuntur, ponendæ sunt conclusiones. Quarum prima initium iustificationis à quo sit, declaratur. Secunda eiusdem immediata dispositio indicatur. Et tertia titulo difficultatis respõdetur.

Zachar.1.

Treno.c.5.

CONCLVSIO I.

Initium nostræ iustificationis non est à libero arbitrio nostro, sed est solum ab ipso Deo, nobis merè passiuè nos habentibus. Et probatur, quia nostræ iustificationis initium est à gratia præuenìente, & à vocatione Dei. Ioã. 15. non vos me elegistis, &c. Et à prædestinatione, quæ est initium finalis iustitiæ; quæ est etiam opus solius Dei. Ad Romanos, 9. non est volentis, neq; currentis. Et à prædicatione, & miraculis & flagellis, quæ (vt in primo, & secundo notabili diximus) sunt à solo Deo. Et confirmatur multis sacræ scripturæ testimonijs hæc conclusio. Quale illud est psalm. 126. Vanũ est vobis ante lucem surgere, ideſt ante gratiam præuenientẽ. Et illud,

Ioan.15.

Roma.9.

Et illud, sine me nihil potestis facere. Et illud, nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. *Ioan.15.* *Ioan.6.*

CONCLVSIO II.

Quamuis initium nostræ iustificationis sit à solo Deo, nos variis modis excitante; hoc tamen initium sine vsu liberi arbitrij suum effectum haud sortitur. Et ratio est: quia possumus hæc auxilia præuenientia reiicere: vt reiecit Pharao, & Iudæi, prædicatione Christi, & apostolorum abutentes. Possunt enim huiusmodi auxilia, cùm præcedant tempore nostram iustificationem, frustrari. Et est diffinita in conc. Trid. cap. 5. citato. *Vega lib. super con Trid.c.5.*

CONCLVSIO III.

Vltima dispositio ad iustificationem, quæ est conuersio in Deum, hoc est, actus pœnitentiæ, aut dilectionis, &c. non est opus solius Dei; sed etiam nostri liberi arbitrij auxilio diuino concomitante adiuti. Hæc conclusio ex nota. 2. & ex append. vltimi notab. constat. Et probatur multis diuinæ scripturæ autoritatibus. Zachariæ enim. 1. dicitur. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos Quibus verbis nostræ libertatis admonemur. Et Trenorum vlti. conuerte nos Domine, & conuertemur. Vbi insinuatur, nihil nos absquè auxilio diuino efficere posse. Passim enim in scriptura sacra exigit Deus à nobis nostram conuersionem; vt Ioel. 2. Conuertimini ad me, &c. & Isaiæ. 31. &. 45. Et Ierem. 3. &. 15. Et Matth. 11. venite ad me, &c. Luc. 3. nisi pœnitentiam habueritis, &c. Et ad Roma. 2. tu autem, secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, &c. Vbi apostolus impœnitentes increpat. Quare si Deus exigit à nobis actum conuersionis, & damnat auersos, cõuersio erit in nostra potestate eliciriuè. Alioquin Deus esset iniustus: quia obligaret hominem ad actum, qui non est in eius potestate. Vltimò sine me, inquit Christus, nihil potestis facere, ergo à contrario sensu, illo adiuuante, aliquid vitæ æternæ meritorium poterimus facere. Similiter, si nemo potest venire ad illum, nisi Pater traxerit, poterit, Patre trahente, & adiuuante, homo per cooperationẽ liberi arbitrij, mediis operibus meritoriis, ad eius gloriam peruenire. *Zachar.1.* *Treno.5.* *Ioel.2.* *Isai.31. & 45.* *Iere. 3. & 15.* *Matth.11.* *Luc.13.* *Ad Roma.2.* *Ioan.15.* *Ioan.6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.3.

Hinc,opera infidelium,non solùm sunt à Deo;verùm etiam elicitiuè ab eorum libero arbitrio. Et ratio est;quia multa sub præcepto iustis tradūtur, quæ non præciperentur;si nullam haberent potestatem. Non enim ad impossibile obligarentur.

Castro verb. libertas. Hæresi.1. Hæresis Luther.

Hinc,confutatur error lutheranorum affirmantium,Deum sine nobis operari nostram iustificationē ;quia nos,inquiunt illi pestilentissimi homines , respectu nostræ iustificationis nullam prorsus habemus actiuitatem : sed habemus nos merè passiuè,ranquàm inanime,& brutum animal: immò quòd trahat nos nolentes , & reluctantes ad iustitiam , affirmant. Quod est falsissimum,& contra sacram scripturam , vt ex dictis apertissimè constat.

FLORES TRACTATVS de Gratia.

SVPERIORIBVS Distinctionib.24.&.25. disputauit Magister de natura.1. de libero arbitrio, quod est principium operationum naturalium , nunc tribus distinctionibus sequentibus, nempè. 26. &. 27. &. 28. comprehendit totum hunc tractatum de gratia,quæ est principium operationum supernaturalium. De quo scholastici doctores D. Bona. Ricar. & alij super eadem distinctiones , & Alexand. Alen.& S.Thom.locis infrà citandis disputant. Sunt quoque legendi Castro contra hæreses , verbo gratia. E Vega super concilium Trid.& in opusculo de iustificatione,gratia,& meritis.Et Soto de natura,& gratia.

Alex. Alen. 3.p.q.61. S.Tho.1.2. q.110, D.Bona. Duran. Ric. & Scot. & alij hac d.26.

Magister Sentent., Distinct. XXV I.

Quæst. I. De Gratia.

HÆc quæstio explicabitur,consueta methodo seruata, & aliquot propositis articulis.

Alex. Alen. m.1.vbi.3. Castro.

Artic.

Artic. I. De his, quæ ad essentiam gratiæ pertinent?

Hic articulus nonnullis difficultatibus positis absoluetur.

Prima diffic. An sit gratia? & si est, an sit ad salutem necessaria?

CONCLVSIO I.

LOquantur quicquid velint philosophi, obstrepent, disrūpanturque hæretici Pelagiani,indistinctè admittimus diuinam gratiam , & ita omninò necessariam confitemur; vt absquè ea , tum maximè gratum faciente,nullatenus homini possit esse salus. Hæc conclusio multis rationibus ab Alexād.confirmatur, & à Castro multis autoritatibus vtriusquè testamenti contra Pelagium , & Cælestinum , & Iulianū,hæreticos qui dixerunt hominem sine gratia posse omnia præcepta Dei implere,& suis meritis vitā æternam consequi. Cùm D.Paul.dicat.1.Cor.3.nō quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis , quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est.Hinc sic colligo rationem;si non sumus sufficientes cogitare,minùs,& velle(quoniam nihil volitū,quin præcognitum)& si velle nō possumus,nec operari valebimus,& ideò,cùm nostra sufficientia ex Deo sit,erit gratia Dei ad nostrā iustificationē,& salutē necessaria.Hanc enim ob causam, respōdit dñs eidē Paulo,ter rogāti,vt ab eo carnis stimulū auferret,sufficit tibi gratia mea.Nā si Paulus ipse,hoc,quod petebat,præstare,quātuis difficulter,potuisset,meritò respondisset illi dñs , quod beatæ Luciæ pro matris suæ salute beatam Agathā deprecāti eādē Agathā respondisse fertur , scilicet, vt quid à me petis , quod ipsa poteris continuò præstare matri tuæ? Tandē ad Philip.2.ait. Deus est enim qui operatur in nobis velle,& perficere pro bona volūtate.Si Deus est, qui operatur,nō ergo scientia sufficit.Cùm autē dixit velle , & perficere, docuit; vt credamus gratiam Dei esse necessariam , non solùm ad bonū aliquod incipiendū;sed etiam, vt possimus in bonō incepto perseuerare.Hoc enim est perficere;qm̄ qui cœpit ædificare,& non potuit consumare, hic vir perfectus non

Verbo gratia Hæresi.1.

1.Cor.3.

2.Cor.12.

Ad Philipp. c.2.

Matth.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, sed qui perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit. Quæ quidem salus non habetur, nisi per Dei gratiam, vt idē Paulus ad Titum.3.docet, dicens. Apparuit benignitas saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauachrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in vos abundè per Iesum Christum saluatorē nostrū, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Ex his, & aliis locis, quos adducit Castro confutata manet hæresis in principio huius difficultatis citata.

Ad Titum. cap.2.

Hæresis Pelag.

Secunda diffic. Quid Gratiæ nomen significat?

Alex. Alen. m.1. & m.2. art.5. vbi.§. & S. Thom. & alij vbi.§.

MEritò hoc quæritur; quia multa, & non vnum significat, vt de qua significatione instituta sit disputatio, intelligatur.

CONCLVSIO.

Nomē hoc, gratia, multa equiuocè significat. Et ratio est: quia habet multa significata, quibus nomē est commune, & ratio secundum illud est alia, & alia. Quod confirmatur inductione, seu enumeratione significationum. Nam primò significat donum increatum, nempè, Spiritum sanctum, vel Deum ipsum, vt autor est D. Aug. dicens. Cùm data fuerit gratia, si se gratia subtraxerit. Quod quidem de gratia creata non potest intelligi. Neq; enim se subtrahit qualitas illa animis nostris: sed misericordis Dei manum operatricē, Deūque ipsum nomine gratiæ B. Aug. significauit. Ita, & aliàs dicit, gratiam subdere sibi rebelles hominum voluntates, quod nō creatam gratiam facere vult, sed increatam, ipsum, scilicet, Deum imbecilles adiuuantem. Et in concil. Arausicano gratia facere dicitur, vt inuocetur à nobis, vel Deus, scilicet, vel gratia. Quibus verbis non aliud significatum est, quàm, Deū misericordia sua corda nostra excitare, facereq;: vt eum inuocemus. Secūdò dicitur gratia donum creatum. Et hoc modo multifariàm vsurpatur. Primò gratia est donum à Deo in nobis concreatum, quo modo nos esse ad imaginem Dei, est gratia. Secūdò gratia dicitur donū superadditum; vt est scientia, vel

D. Aug. de lib.arb. c.6.

vel notitia, siue cognitio de Deo. Hoc enim donum non cōcreatur in anima; sed postèā ei additur. Tertiò gratia idē est, quod donum in anima residens, à plenitudine gratiæ Christi ad eam deriuatum; de qua gratia Ioan.c.1. ait. Gratia, & veritas, per Iesum Christum facta est. Et B. Paul. ad Roma. 5. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui datus est nobis. Et ad Roma. 7. infœlix ego homo, &c. gratia Dei per Iesum Christū, &c. Hæc enim gratia est, quæ liberat. Hanc scholastici doctores vocauerunt gratiam gratū facientem. Hæc est, quæ proprio nomine gratia Christi, siue gratia Dei per Iesum Christum appellata est. Quæ etiam gratia iustificans nominatur. De qua D. Paul. ad Roma. subtiliter philosophatur: & de qua omninò nostra futura est disputatio. Differendum enim nobis est de gratia, quia iustè viuitur, aut saltem iniustæ actæ vitæ venia obtinetur. Quartò gratia dicitur primus habitus, vel prima virtus, in qua donum gratiæ manifestatur. Et hoc modo fides gratia nominatur ad Hebræ. vlti. Optimum est gratia stabilire cor. vbi gloss. vt habeatis fidem perfectam, credentes omnia munda mundis. Quintò gratia nominatur primus gratiæ effectus post lapsum: vt est remissio peccatorum. Ad Roma. 1. gratia vobis, & pax à Deo, vbi gloss. gratia remissio peccatorum, pax reconciliatio ad Deum. Sextò significat hoc nomen gratia donum prærogatiuæ, vel dignitatis, quómodo sacer ordo dicitur gratia. 1. ad Timoth. 1. gratia, & misericordia, &c. Vbi glo. misericordia hic accipitur, quod in alijs epistolis remissio peccatorū dicitur, gratia verò, quam addit hic Episcopis optatur. Hæc est donatio Spiritus sancti, qua ministri Dei armantur, idest, sacer ordo. Septimò gratiæ signum nomine gratiæ appellatur, vt est prophetia, & miraculorū operatio; quia est signum, quod aliquis sit gratus Deo, quādo habet prophetiam, vel operatur Deus per illum miracula, &c. De qua. 1. Cor. 12. diuisiones gratiarum sunt. Alij namq; datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ, alij prophetia, &c. & D. Petrus vnusquisquè, sicut accepit gratiam, in alterutrū illam administrantes, sicut Dei dispensatores multiformis gratiæ Dei. Cuiusmodi dona gratuita scholastici gratias gra-

Ioan.1.
Ad Rom.5.
Ad Roma.7.
Ad Hebr. vlti.
Ad Rom. c. 1.
1.ad Tim.c. 1.
1.Cor.12.
1.cap.4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis datas, docendi gratia, vocauere. Hæc tamē per se, nec iusta sunt, nec iustitiæ partis: quia neq; absolutè, neq; ex parte homi nē iustum reddunt. Nō enim semper, hoc signo posito: vt ait noster Alex. ponitur res. 8. dicitur gratia præmium ipsius gratiæ, quod cōsequitur ad gratiam; vt est vita æterna. Et ita interpretandus est locus Ioā. 1. & de plenitudine eius accipi mus omnes, & gratiā pro gratia, idest, vitā ęternā, glos. gratiā glorificationis pro gratia iustificationis. Et Zach. 4. adæquabit gratiā gratiæ eius. 9. nomē gratiæ tā in sacris literis, quàm inverecū scriptis, interdum pro ipso munere gratis propter Christū homini dato vsurpatur, aliquādo pro misericordia, & liberalitate, quod scripturæ bonam Dei voluntatē, beneplacitū, aliquando simplicitèr voluntatē appellāt. Vt ps. 50. Benignè fac in bona volūtate tua Sion, idest, propter tuā misericordiam, siue ex gratiæ tuæ fauore. Et psal. 29. Ita in indignatione eius, & vita in voluntate eius, idest, benignitate, & fauore. Et ad Ephes. c. 1. vocatur beneplacitū Dei, idest, magna misericordia. 10. accipitur etiam gratia pro quòdā fauore, quo quis gratiam alicuius habere dicitur, quod illi nunquàm non fit acceptus. Sic Lucas accepisse creditur, quando dixit Angelus, Virgini sanctissimæ. Inuenisti gratiam apud dominum. 11. Sumitur etiam aliquando pro dono, & temporali beneficio exhibito. Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos? 12. sumitur quoquè pro memoria impensi beneficij, & voluntate respōdendi. Hinc dicimus, gratias agere, & referre gratiam, &c. 13. pro obligatione; beneficij accepti: vt apud Salustium, nunquàm redditam tibi gratiam putaris, semper apud me integra erit, hoc est, pro tuo in me beneficio puta me perpetuò tibi deinctum fore. 13. gratia est, quòd non sumus arbores, oues, boues, rationis expertes; sed creaturæ fideles, beatitudinis capaces: vt D. Augustinus docet. 14. gratia appellatur, quæ à Deo gratis, & nō ex debito datur. Alioqui iam gratia non esset gratia. Et alibi, inquit Apostolus: merces imputatur non secundum gratiam: sed secundum debitum. 15. pro dilectione: dicimus enim militem esse gratum Regi, idest, charum, ac dilectum. Lege Ambro. Calepinum verbo gratia.

Ioan. 1.

Zachar. 4.

Psal. 50.

Psal. 29.

Ephes. c. 1.

Luc. 1.

Ruth. cap. 2.

Salustius in bello Lugurtino.

D. August. Epist. 95. ad Innocētium.

Tertia

Tertia diffic. De diuisione gratiæ.

Alex. Alen. q. 61. m. 3. & q. 63. S. Th. q. 111. & aly vbi. s.

GRatiæ de qua disputant Theologi variæ à doctoribus diuisiones proponuntur, quas præmittere modò oportet, vt facilius eiusdem gratiæ definitio colligatur, & clariùs, quæ de illa tractanda sunt, intelligantur. Claritatem enim diuisiones in vnaquaquè disciplina præstāt. Sit igitur prima diuisio.

1. Diuisio.

Alex. Alen. p. 4. q. 5. m. 1. art. 2. S. Bon. d. 26. q. 2.

Gratia alia increata, alia creata. Hæc diuisio cōstat in principio proximæ difficultatis. De gratia increata in floribus primi li. sent. Deo, ppitio erit sermo, de creata infrà agemus.

2. Diuisio. Ephes. 1. S. Tho. 1. 2. q. 110. art. 1. 3. Diuisio.

Gratia alia Dei, alia hominis. Prima dicitur ipsa æterna Dei dilectio, de qua ad Ephes. 1. Prædestinauit nos in adoptionē filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ. Secunda significat aliquid supernaturale in homine, à Deo proueniens. Hoc enim est hominem gratiam Dei habere, hæc est S. Tho.

Gratia creata, vel est generalis, vel specialis. Prima accipitur latissimè pro quocūquè generali concursu Dei cū creatura, & pro quocūquè beneficio accepto, & indebito; vt pro beneficio creationis, conseruationis, &c. Ita accipitur in concil. Constantiensi act. 11. vbi diffinitum est, angelos esse immortales per gratiam, cùm sint immortales per naturam, & quidditatem. Accipitur enim gratia eo in loco pro beneficio creationis, & quidditatis naturæ. Nam cùm creatio sit indebita angelis, ideò dicitur gratia.

Append.

Hinc, generalis Dei concursus ad legendum, ambulandū, scribendū, &c. vocatur gratuitus: quia est indebitus. Est autē generalis iste Dei cōcursus pactum Dei cū creatura, nunquā nō cōcurrendi cum ipsa, ita q; si non concurrat, sit miraculū. Est enim iste concursus actualis diuina volitio, qua Deus instituit: vt causæ secundæ suas actiones operentur. Nam sic Deus, inquit, D. August. res suas condidit, sic administrat, vt proprios motus agere sinat. Gratia specialis est duplex, quædam dicitur gratis data: quædā verò gratum faciens. Prima sumitur pro dono supernaturali hominibus ad vtilitatem ecclesiæ potiùs, quàm ad propriam dato. De hac Apost. multis in locis, præsertim 1. ad Cor. 12. diuisiones gratiarū sunt, &c.

D. Aug. 4. Diuisio.

1. Cor. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et rursus alij datur gratia sanitatum, alij operatio virtutum, &c. & huiusmodi gratiæ in habentibus illas, nō sunt entitates positiuæ: sed tantùm pactum diuinum de concurrendo cum quibusdam hominibus ad tales operationes supernaturales, vt ad faciendā miracula in confirmationem fidei, & ad conuertendum, & ad exponendam scripturam diuinam, &c. Altera accipitur pro speciali Dei auxilio, quòd Deus nobis communicat, vel ad eliciendum actus vitæ æternæ meritorios: vt ad diligendum, & credendum, sicut oportet, & hoc quando sumus in gratia, vel ad aliquem actum, qui sit dispositio ad gratiam: vt ad contritionem. De auxilio ad credendum loquitur Paul. vbi ita ait. Gratia saluati estis per fidem, atquè hoc non ex vobis. Donum enim Dei est. Et datur ad vtilitatem recipientis illam, nempè, ad eius cōuersionem, & perseuerantiam. Et dicitur specialis: quia non omnibus conceditur: vt generalis gratia, sed quibusdam tantùm gratis, prout Deus ab æterno instituit, conceditur: alijs verò gratis denegatur, & hoc absquè miraculo. Vtrumq; tamen abditissimo Dei iudicio: vt constat Matth. 11. væ tibi Corozain, væ tibi Beth-saida, quia si in Tyro, & Sydone essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim cilicio, & cinere pœnitentiā egissent. Ecce quomodo auxilia necessaria ad credēdum, vt prædicatio, & miracula fuerunt ciuibus Tyri, & Sydonis negata, quibus erant bene vsuri, & concessa habitantibus Corozain, & in Beth-saida, qui illis male vsi fuerunt.

Ad Eph. 2.

Matth. 11.

Diuisio. 4.

Gratia specialis rursus, quæ pro dono supernaturali (vt modò diximus) accipitur, duplex est. Vna, quæ non est entitas positiua: sed solùm volitio diuina, qua Deus vult vti, & non alteri auxiliari: vt patet exemplo Beth-saidæ, & Corozain, &c. Altera, quæ significat donum habituale, quo formaliter aliquis est iustus, & eò ad vitam æternam acceptus.

Diuisio. 5.

Alex. Alen. q. 9. m. 3. ar. 2.

Gratia gratum faciens duplex, vel gratum faciens de nomine: vt baptismalis: vel magis gratum faciens, ex iam grato: vt gratia confirmationis.

Diuisio. 6.

Gratia peculiariter hominibus communicata triplex est, scilicet, auxilium generale, auxilium præueniēs, & auxilium concomitans nostram iustificationem. Differūt aūt hæc trīa

auxilia in hoc, quòd duo priora sunt in nostra potestate: quia possumus illis resistere, vel acquiescere. Et primùm de auxilio generali quò ad opera moralia, quæ possumus viribus naturæ elicere, patet: quoniam est frustrabile. Sicut enim possumus scribere, vel non scribere cum auxilio generali, similiter studiosè vel vitiosè scribere. Secundò de auxilio præueniente constat prouerb. 1. Vocaui, & renuistis, &c. & in concil. Trid. sess. 6. cap. 5. vbi dicitur, posse hominem abijcere gratiam excitantem, per quam vocatur à Deo. Et Matth. 11. tum cœpit exprobrare ciuitatibus, &c. eò quòd, visis miraculis, quibus ad credendum excitabantur, nō fuerunt conuersi.

Prou. 1.

Matth. 11.

7. Diuisio.

Gratia vna operans, alia cooperans. Hæc diuisio est D. Augustini vt refert Magister hac d. 26. Et gratia progratum faciente eadem numero est operans, & cooperans: dicitur enim operans, quatenus hominem sanat, & iustificat: cooperans verò quatenus voluntatem ad bene operandum inclinat.

Magist. hac dist. 26. & D. Augustin.

8. Diuisio.

Gratia, vel est præueniens, vel subsequens.

9. Diuisio.

Gratia præueniens diuiditur in concil. Trid. sess. 6. c. 5. in gratiam excitantem, & adiuuantem. Sed sit satis hæc delineasse: quoniam infrà cum Alex. & S. Tho. & alijs de ijs diuisionibus latiùs erit agendum.

Quarta diffic. Gratia est ne aliqua entitas positiua in anima?

SAnctus Thom. quæstio. An gratia ponat aliquid in anima? quod idem est. Proponenda erat post diuisionē gratiæ eius definitio, sed priùs gratiæ genus, quod primum in diffinitione obtinet locum, in hac; & sequentibus difficultatibus inuestigandum est. Priùs tamen quæ sequuntur animaduerte.

S. Th. q. 110. art. 1.

D. Bona. dis. 26. q. 1.

Homo hominem diligens non facit illum bonū: sed præsupponit aliquam bonitatem in illo. Et ratio est, quia voluntas non fertur in aliquod obiectum, nisi sub ratione boni, honesti, vtilis, aut delectabilis: Deus autem diligens hominē, facit illum bonum. Et ratio est: quia Deus non diligit nos,

1. Animad uersio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eò quòd sumus boni: sed sumus boni, quia diligimur à Deo. Et confirmatur: quia cùm diligere aliquem in communi sit velle dilecto aliquod bonum, & voluntas diuina diligens aliquem sit infrustrabilis, & suum velle, sit suum efficere, statim in creatura dilecta efficiet bonum, quod vult. Alioquin non esset omnipotens, & ex consequenti, Deum aliquem diligere, erit illum bonum efficere. Propterea, q. idem est Deum velle aliquid ad extrà, & illud efficere; quia, præter voluntatem, nō habet aliquam aliam potentiam executiuā. Omnia enim, quæcunquè voluit, fecit in cœlo, & in terra.

Psalm 113.

2. Anim.

Dilectio Dei erga creaturas duplex est. Vna generalis, qua vult eis bona naturalia, & temporalia, qua diligit Lucifer ū, & omnes malos: iuxta illud. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Altera est specialis, qua vult creaturæ aliquod bonum supernaturale, & trahit illam, vt sit diuinæ naturæ particeps, ideſt, vitæ æternæ digna. Qua quidem dilectione diligit tantùm iustos: quia vult illis bonum æternum, ideſt, acceptat illos ad tale bonum, quòd est gloria.

Sapien. 11.

Append. 1.

Hinc, colligi potest gratiæ definitio, scilicet, quod sit gratia dilectio specialis, qua Deus acceptat aliquē ad præmium æternum struendum, quod est ipse Deus.

CONCLVSIO.

Hominem specialem Dei gratiam, de qua modò est instituta disputatio, habere, est aliquod donum supernaturale positiuum in anima retinere. Ratio huius cōclusionis colligitur, ex 1. animaduersione: quia cùm Deus diligēs hominem, velit illi aliquod bonum, de facto habebit illud. Propterea q. voluntas eius non est frustrabilis. Quis enim voluntati eius resistet? Tum etiam: quia cùm factio terminetur ad aliquid positiuū, & Deus volēs aliquod bonū supernaturale homini dilecto, vt est gratia, faciat illud, erit planè gratia aliqua entitas positiua in anima existēs: si quidē donū quoddā Dei est.

Ad Rom. 9.

Append. 2.

Hinc, quantum segnitiæ, & socordiæ in nobis sit circa animarum nostrarum salutem, facillimè deprehenditur: quia nihil minus curamus, quam petere à Deo, vt ignē sui amoris accendat in cordibus nostris: quod semper, & vbiq; erat à nobis

nobis efflagitandum: vt qui boni sunt, meliores fierēt, & qui mali, boni efficerentur. Nam Deus, quos diligit (vt in prima animaduerſione dictum est) diligendo bonos facit.

Quinta diffic. Est ne gratia qualitas absoluta? an relatio realis?

Alex. Alen. q. 61. m. 2. art. 1. & 2. & 3. S. Th. q. 110. art. 2. S. Bona. q. 3. Duran. q. 1. Vega lib. 7. super concil. Trid. c. 24. Scot. & Duran. d. 17. 1. sent. q. 2. Th. Vualdē. Cautè legendus. Magist. cautè legendus d. 17. 1. lib. sentent. 1. Funda.

CONstat ex præcedenti difficultate esse gratiam entitatem absolutam, restat, videamus qualis entitas sit absoluta ne: an relata?

Circa hanc difficultatem fuit olim Magistri opinio dist. 17. primi lib. sentent. asserentis, gratiam non esse qualitatem, aut entitatem positiuam in anima, sed esse ipsammet Spiritus sancti personam, non quòd Spiritus sanctus animam informaret, sed quòd, nullo mediante habitu, iustificaret nos, & ad actum meritorium nostrum concurreret: ita Magistrum, Scotus, & Durand. exponunt. Solus Thomas Vualdensis titul. 1. de sacramētal. cap. 1. sequutus est Magist. affirmans non esse hæreticum dicere, gratiam non esse qualitatem positiuam: non tamen est hæresis calculo notandus. Quoniam scripsit ante concil. Trident. Esset tamen modò hæreticus censendus, qui inficiaretur, gratiam esse qualitatem, vt statim demonstrabitur. Sed sunt iucienda sequentia fundamenta priùs. Quemadmodum agentia naturalia per suas formas mouentur ad operandum: quia forma est principium, quò agens operatur, ita anima per suos habitus mouetur ad operandum; vt per habitū moralem, scilicet, per iustitiam mouetur ad actus studiosos præstandos, quorum finis est naturalis, nempè, rectè viuere: & per habitum supernaturalem: vt per charitatem infusam mouetur ad operandum actus, quorum finis est supernaturalis, scilicet, beatitudinis assecutio. Et ratio vtriusquè partis est: propterea quòd Deus tam agentibus naturalibus, quàm liberis elargitur formas, quibus faciliter, & delectabiliter operentur. Hoc docuit scriptura sacra, quando dixit, Deum disponere omnia suauiter. Aliter enim si potentia

Sap. 8.

habe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

habentibus careret, non perfectè, & faciliter: sed imperfectè, & difficulter, & non suauiter, operaretur.

2. Funda. Nullus ab actu transeunte, sed ab habitu remanente virtutis, aut vitij studiosus, aut vitiosus denominatur. Et ratio manifestissima inter omnes philosophos est: quia denominatio, siue substantialis, siue accidentalis sit, non fit nisi à forma actu in subiecto existente. Non enim corpus dicitur animatum, nisi ab anima, quæ in ipso est, neq; album, nisi ab albedine actu inhærente. Et cùm actus transiens iam nõ sit, neque animæ inhæreat, nullus ab illo; sed ab habitu studiosus, aut vitiosus denominabitur.

Vegam omnino. Lege lib. 7. super cõc. Trid. c. 21. & 22. & 23. & Sotũ lib. 2. de nat. & gratia c. 25. Lutherani inter alia negant aliquã iustitiam, quæ sit qualitas nobis inhærere: nam dicunt nos esse formaliter iustos, non per iustitiam nobis inhærentem: sed per imputationem iustitiæ Christi, quæ nobis, acti esset nostra, imputatur. Addunt etiam gratiam esse fauorem, & beneuolentiam Dei ad hominem, sicut gratia regis ad militem, fauor, & peculiaris regis beneuolentia est. Iam cùm istis hæreticis est in hac difficultate certandum.

CONCLVSIO I.

Hæreses. De lege, & potentia Dei ordinaria, negare modò gratiam, per quam nobis vita æterna promittitur, esse qualitatẽ animabus iustorũ, & amicorum Dei inhærentẽ, est hæreticum.

Ad Rom. 5. Probatur primò ex D. Paul. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vbi cùm non loquatur B. Paul. de charitate actuali, scilicet, quòd solùm diffundatur charitas in illis, qui actu cogitant diuina, & actu diligunt Deum, alioquin iustus cùm dormit, vel versatur circa actiones humanas, maneret extra charitatem, vt

2. Ad Tim. c. 4. D. Paul. quando scribebat Timotheo, vt afferret secum penulam, quam reliquit Troade, fuisset extra charitatem; quia actu tunc non cogitabat de Deo. Quare loquebatur profectò ibi de charitate habituali, quæ est qualitas animæ inhærens. Secundò, idem B. Paul. de charitate scribit dicẽs, Charitas nũquã excidit, quod de actuali charitate nullo modo potest intelligi. Quia hæc in dormientibus, & in amẽtibus iustis,

1. Cor. 12. & in habentibus humanas cogitationes planè non excidit.

Tertiò,

Tertiò, quia hæreticum est negare, quæ à conciliis vniuersalibus, tanquàm de fide, & sub anathemate definiuntur. Et cõclusio posita definita est in concil. Vienen. Et ponitur in clementina prima de summ. Trinit. & clariùs, & expressiùs in concil. Trident. sess. 6. can. 11. vbi dictæ hæreses lutheranorum aduerbum condemnantur. Quartò confirmatur ratione ex primo fundamento: nam si agentibus naturalibus præstat principia operandi, vt igni calorem, & aquæ frigiditatẽ multò magis voluntati præstabit habitum, quo perfectiùs, & faciliùs eliciat actum erga ipsum Deum. Quod patet exemplò iustorum, quorum voluntas faciliter, & delectabiliter, & intensè dilectionem meritoriam, quæ est actus supernaturalis, operatur. Aliter enim Deus voluntati humanæ minùs sufficienter consuluisset: siquidem dedisset ei principia ad operandum perfectè moraliter per habitus morales acquisitos, & non ad operandum perfectè supernaturaliter. Hinc destructæ manent lutheranorum hæreses ante conclusionem positæ.

Lege cap. maiores de Bapt. & eius effec.

CONCLVSIO II.

De potentia absoluta posset anima esse grata Deo absque vlla qualitate, quæ sit gratia, sed per solam simplicem Dei promissionem, qua vult ex tempore dare alicui gratiam absquè aliquo positiuo in anima. Et ratio est; quia gratia non facit modò hominem gratum ex natura rei, sicut albedo facit hominem album; sed ex institutione diuina, & per consequens posset Deus supplere eius causalitatem: ita quòd per solam volitionem acceptaret hominem ad gloriam. Posset enim Deus instituere: vt habens albedinem esset vita æterna dignus, & tunc albedo esset gratia. Et quia potest Deus supplere causalitatem causæ extrinsecæ, scilicet, efficientis, & finalis: non autem formalis causæ. Quoniam causa formalis est de intrinseca ratione totius, idest, de eius definitione physica. Immò Scot. dist. 26. 3. lib. quem sequitur Caiet. 2. 2. q. 171. art. 2. & Gab. dist. 17. 1. lib. q. 1. & Almain in morali. cap. 1. opinantur nullam esse rationem naturalem, quo conuincat ad ponendos hos habitus supernaturales. De fide tamen tenendum esse gratiam esse habitum, siue qualitatem infu-

Scot. Caiet. Gabr. Almain.

infusam propter autoritatem ecclesiæ,quæ ita scripturam interpretatur. Et Soto lib.2.de natura, & gratia consultò,ac deliberatè(quoniam negat esse idem cum charitate)noluit gratiam habitum infusum nominare: sed illam iustitiam inhærentem,scilicet,qualitatem vocat.

Soto lib. 2.de natura, & gratia c. 17. Alex. Alen. art.4.vbi. 3. & in. 4. p.q. 8.m.8.art.3. §.1.& q.9. m.3.art.2. §. 1.q.1.collateral. ad arg. & q.12.m. 1.art. 1. & q.13.m.3. & S.Th.art. 3.q.110. S.Bona.in.2. d.26.q.5.& in.3.d.27. q. 2.& d.27. 3.lib.art.1. q.3.& 4. Soto lib. 2.de nat. & grat. c.17. Duran. q.1. Gab.q. vnica.d.26. Henricus Vega.Ricard. 1.Nota.

Sexta diffic.Vtrùm Gratia sit virtus?

CVm constet gratiam esse qualitatem,est difficultas,an sit virtus:idest, vna ex virtutibus Theologicis? vel aliqua qualitas ab illis tribus fide, scilicet, spe, & charitate distincta.

Duæ sunt contrariæ opiniones circa hanc difficultatem. Vna est D. Tho. asserentis, gratiam non esse virtutem infusam,nempè,charitatem, sed esse potiùs qualitatem quandam animæ inhærentem,qua à Deo diligimur. Propter quam Deus omnia bona nobis confert: eiusdem sententiæ est D. Bona. & Soto,qui mordicus illã tenet. Altera, & opposita est Alex. Alen.locis citatis, & Scot. d. 27. huius secundi libri, quos sequuntur Dura.& Gab.in hac dist. & Henricus de Gauda. aliquos citat Vega lib.7.super concil. Trid. c. 25. &.26. Ricard. hac dist.q.4.vtrãq; sententiam probabilem arbitratur.Suntq;, vt veritas magis eluceſcat,aliqua prænotanda:

Duplex est obiectum materiale vnum, alterum formale, v.g. in materia fidei materiale obiectum est articulus fidei, qui creditur:formale verò obiectũ est ratio præcisa,quæ mouet intellectũ ad credẽdũ,scilicet,Deus,qui nõ potest mẽtiri. Quærẽti enim quare fidem adhibes huic, Deus est trinus, & vnus:respondebitur;quia Deus, qui nõn potest mentiri, ecclesiæ suæ reuelauit; quam quidem reuelationem miraculis, quæ non,nisi à Deo fieri possunt,confirmauit.

Hinc in vnaquaq; scientia obiectum materiale erunt conclusiones,siue propositiones, quibus assentimur:formale autem obiectum erit ratio præcisa operandi,siue essentiendi dictis conclusionibus,siue propositionibus.

Hinc axioma illud,scilicet,habitus distinguntur per actus, & actus per obiecta:intelligitur de obiectis formalibus.Nam sensus

Append.1. Append.2.

sensus est de sentẽtia Scoti, q̃ habituũ distinctio cognoscitur ex distinctione actuum,ad quos diuersi habitus inclinant, & actuum distinctio ex distinctione formalis obiecti.

Per gratiã à Deo diligimur,& per charitatẽ diligimus Deũ, & obiectũ formale gratiæ,& charitatis est idẽ numero,& sub eadẽ ratione,scilicet,infinita Dei bonitas. Et ratio est;q̃m percõtanti,cur Deus per gratiã diligit creaturã rationalẽ,constituẽs eã filiã adoptiuã:Respondendũ est:propter suam infinitã bonitatem. Quia cũ sit infinitè bonus, & infinitum bonũ sit infinitè cõmunicabile: ideò propter suam infinitam bonitatẽ,diligit nos ad vitam æternam,quæ est supremum,& maximum bonum.Similiter etiam quærenti: cur homo per charitatem diligit Deum super omnia?Respondebimus; quia est infinitæ bonitatis.Nam cùm bonum sit ratio dilectionis, infinitum bonum, erit ratio supremæ dilectionis. Vnde colligitur gratiæ, & charitatis esse vnum, & idem formale obiectum,scilicet,infinitam Dei bonitatem. *2.Nota.*

Charitatis,& gratiæ idem prorsus numero est effectus, nẽpè, actus meritorius vitæ æternæ dignus. De charitate, q̃ sit actus meritorij principium,testatur B.Paul.1.ad Cor.13.Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,& si tradidero corpus meum: ita vt ardeam, charitatẽ non habuero, nihil mihi prodest,scilicet, ad meritum. Nam circa meritum opera facta extra gratiam aliquem habẽt fructum,vt in prima huius secundi parte, & in floribus quarti libri exposuimus. De gratia autem, q̃ sit eiusdem actus meritorij principium; cõstat,ex eodẽ Paul.1.Cor.15.Gratia Dei sum id,quod sum,& gratia eius in me vacua non fuit:sed abũdãtiùs illis omnibus laborauí:non ego autem,sed gratia Dei mecum. *3.Nota.* *1.Cor.13.* *1.Cor.15.*

Quando in creaturis duo entia absoluta realiter sunt distincta,& nõ se habẽt sicut totũ,& pars, potest Deus secundũ suã absolutã potẽtiam,vno illorũ destructo,alterum conseruare. Et ratio est; quia cum realiter distinguantur,& non habeant mutuam dependentiam, non implicat vnum sine alio esse: Notanter dicitur entia absoluta: propter relatiua, quæ licet realiter distinguantur, vnum sine altero propter mutuam dependentiã,quam habent,esse haud potest. Dicitur secundò *4. Nota.*

sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut totum, & pars: quia licet vna pars distinguatur realiter à toto, & è contra, vt in homine corpus: totus tamen homo non potest sine corpore, quod est eius materialis causa, vel sine anima, quæ est eiusdem formalis causa, existere.

5. Nota. De ratione amicitiæ est, quòd sit amor mutuus, & reciprocus. Et ratio est: quoniam aliter non esset amicitia: sed vnius ad alterum beneuolentia.

Append.3. Hinc frequentissimè à theologis dist.27.3. lib. sent. charitas amicitia inter Deum, & hominem nominatur.

6. Nota. Hoc differt potentia ab habitu, quòd per potentiam simpliciter possumus operari: at verò per habitum non simpliciter: sed facilius operari valemus.

7. Nota. Distinctio duplex est. Vna formalis, quæ per diuersas descriptiones datur. Altera realis, quæ est inter duo entia realiter distincta.

CONCLVSIO I.

Gratia, & charitas formaliter solùm modò distinguntur. Et ratio est: quia habent distinctas descriptiones. Est enim gratia quatenus diligimur à Deo. Et est charitas, quatenus per ipsam ad diligendum Deum inclinamur. Hæc est Alex. & Scot. & aliorum, contra Duran. asserentem nullo modo, neque formaliter, neque realiter distingui.

CONCLVSIO II.

Gratia, & charitas sunt vnus habitus numero, & vna virtus infusa. Hæc conclusio ex notabilibus positis erit probanda. Et primò sic illam demonstro: quia cùm habitus distinguantur per actus, & obiecta formalia, vt ex primo nota. constat, & gratiæ, & charitatis sit omninò idem obiectum formale, nempè, infinita Dei bonitas, vt in secundo nota. diximus, & idem vtriusque effectus, nempè, actus meritorius, vt in tertio nota. docuimus: erunt profectò vnus, & idem habitus, & vna virtus infusa, & non duo habitus realiter distincti. Confirmatur autem ratio hæc ab Scoto: quia quæcunque excellentia tribuitur charitati, eadem numero gratia conceditur. Nam vtraque diuidit inter filios regni, & perditionis. Matth.22. Vtraq; vestis nuptialis à Christo nominatur. Vtraque est forma virtutum. Vtraq; enim fidei, & spei, & reliquis virtutibus moralibus,

moralibus; vt propter Deum operentur, imperat. Nam, vt forma ignis est principium, quo ignis operatur, ita gratia, & charitas sunt vnum principium, quo homo ad credendum, & sperandum, &c. mouetur. Quod quidem significauit D. Paul. ad Galat 5. dicens: Fides, quæ per charitatem operatur. Ad Gal.5. Ac si diceret: dilectio Dei imperat intellectui: vt credat. Vtraquè tandem coniungit nos perfectè scilicet, per amorē. Secundò probatur conclusio ex 4. nota. Deus non potest per finum omnipotentiam gratiam à charitate separare: quia esset tunc aliquis simul amicus, & inimicus: amicus quidem ratione gratiæ, & inimicus propter defectum charitatis: ergo erunt realiter idem habitus. Et confirmatur: quia gratia est separabilis à fide, & spe; quæ in peccatore fideli, deperdita per peccatum gratia, permanent: non est tamen separabilis à charitate: vt modò diximus. Ergo est idem habitus realiter cum charitate. Nam si realiter distinguerentur, quid obstaret, quominus, gratia à charitate: quemadmodum à fide, & spe, à quibus realiter differt, separaretur? Tertiò probatur, qnia de ratione amicitiæ est, quòd sit amor reciprocus, & mutuus, ideſt, vt amici se inuicem diligant, iuxta illud. Ego diligentes me diligo. Et alibi, qui diligit me diligetur à patre meo. Et charitas amor mutuus, quo, & Deum diligimus, & ab eo diligimur, est. Atquè ita erit vnus, & idem habitus numero, vnaq; virtus infusa. Hæc ruditer modò depicta, amicè lector accipe, quousque, Spiritu sancto adiuuante, liber controuersiarum in lucem prodeat. Prouerb.8. Ioan.14. Alex. Alen. q.61.m.2. art.6. & m. 4.art.2.§.1. & in.4.p.q. 9.m.3.art.2. §.1. q.2. collaterali.

Septima diffic. Quænam est Gratiæ diffinitio?

CVm ex dictis constet varias esse huius nominis, gratia, significationes, diuersasque eiusdem gratiæ diuisiones, non poterit vnica diffinitione, quid gratia sit, explicari. Et ideò apud nostrum Alexand. variæ sunt eius definitiones. Primò gratia est id, quod gratuito Dei munere habetur. Hac descriptione, quam D. August. affert, videtur gratia in communi posse describi. Secundò gratia gratis data sic diffinitur. D. Aug. lib. 1. ad Simplicianum. q.2. & de nat. & gratia.c.4. Diffinitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gratiæ gratis datæ.

Alex. Alen. q.63.m.2.

S. Thom. q. III. art.1.& 4.

Diffinitio gratiæ gratũ facientis.

D. Aug. de nat. & grat. c.4.& 7.& lib.2. contra duas epistol. Pelag.c.5.6. & 9.& epist. 106.ad Paulinum.consti. Arausic.2.c. 17.& Trident. sess.6. can.11.

Num.24.

1.Cor.13.

D. Aug. lib. 1. cont. Donatis. cap.9. & serm. cõt. Emeritum Episcopum.

finitur. Est donũ infusum rationali naturæ sine meritis, quãtũ in se est ad salutẽ propriã, vel alteriùs ædificationẽ disponens. Hanc diffinitionẽ noster Alex. proponit, & explicat in q.63.m.2. Tertiò gratiæ gratum facientis diuersæ definitiones traduntur ab Alex. Alen. locis in principio difficultatis, & ab aliis doctoribus in principio huius quæstionis adductis.

CONCLVSIO I.

Gratia est forma à Deo nobis data gratis sine meritis, gratũ faciens habentẽ, & opus bonũ dignũ vita æterna reddens. Primum ponitur in definitione forma: vt demõstretur præter donũ increatũ Spiritũ Sanctũ, esse in nobis donũ creatũ, & intrinsecã quãdã qualitatẽ mẽti inhærẽtẽ, à qua anima iustificatur, & sanctificatur: vt ex sup. dictis constat. Et ex D. Aug.& ex concil. Arausi.& Trid. Deindè per particulam, data gratis sine meritis, restringitur ad primã gratiã, qualis est gratia baptismalis in paruulis, & in adultis gratia post peccatum in contritione habita, de qua infrà in difficult. Vtrùm gratia cadat sub merito? agetur. Præterea additur (gratum faciens habentem) quo excluditur gratia gratis data quæ, vt ex secunda definitione suprà posita constat, non iustificat habentem, nec reddit illum Deo acceptum, quia possunt gratiæ gratis datæ inueniri in idololatris; vt patet de Balaam propheta. Et. 1. Corinth. 13. inquit D. Paul. si linguis hominum loquar, &c. Charitatem autem non habeam, &c. Quia sine charitate, vt sentit D. August. inesse possunt sed prodesse non possunt: non tamen omni effectu laudabili destituuntur. Quoniam si illis homo benè vtatur, eisdem ad æternam disponitur beatitudinem: si verò malè Deus aliorum profectui, & saluti eas ordinat. Verùm enim verò gratia gratum faciens hominem, illam habentem, amicum, sponsum, filium Dei, hæredem, & Christi cohæredem facit. Tandem apponitur in definitione, bonum opus reddens vita æterna dignum: quibus verbis perspicuũ fit, per gratiam non solùm Deo hominem esse gratũ; verùm etiam vniuersa eius opera, & munera adeò illi placere: vt æterna retributione digna habeantur. Tum quia ita sacratissima ordinatione disposuit. Tũ etiam quia nõ ab homine solũ: sed etiã ab ipso Deo proficiscuntur.

cũtur. Nã sicut dixit Christus: nõ enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis; ita dici potest, nõ estis vos solũ, qui operamini, pœnitemini, orationes funditis, ieiunatis, &c. sed spiritus patris ingemiscere facit, in vobis operatur, vt D. Aug. nõ incõgruè docuit. Cuius sentẽtia hoc districho cõpræhenditur? Quicqd habes meriti, præuẽtrix gratia donat. Nil Deus in nobis, præter sua dona, coronat.

Matth.10.

D. Aug.

CONCLVSIO II.

Gratia est acceptatio ad gloriã, ideſt, promissio gloriæ. Hæc cõclusio colligitur cũ ex B. Petro vbi ait. Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Ecce, quomodo promissum diuinã, & maximum donum est acceptari ad diuinæ naturæ cõsortium, scilicet, ad gloriam, quæ in clara Dei visione consistit. Tum ex B. Paul. ad Roma. dicente: quòd si filij, & hæredes, &c. Nam si per solam gratiam efficitur homo filius Dei adoptiuus, & huiusmodi filiatio, siue adoptio est, q̃ homo constituatur hæres gloriæ: quoniam si filij, & hæredes, erit profectò gratia acceptatio ad gloriam, siue ad hæreditatem, ideſt, promissio hæreditatis.

Alia gratiæ definitio.

2.Pet.1.

Ad Roma.8.

Hinc prædicatio ista, gratia est acceptatio ad gloriam, non erit idẽtica, & formalis: sederit causalis. Ad hunc sensum, scilicet, gratia est acceptatio ad gloriã, ideſt, gratia est principium, ratione cuius aliquis per suos actus potest promereri gloriã. Quod intellige in adultis: nam in paruulis gratia erit velle dare illis gloriam, propter merita Christi.

Append.1.

Hinc, admittere aliquẽ: vt eius opera sint meritoria, est gratia: quia gratis, & sine meritis. Dare autẽ illi gloriam est propter merita. Et confirmatur à simili. Esto q̃ nullus possit stipẽdium promereri, nisi sit miles. Tunc, vt admittere aliquem ad militiam est gratis, dare autem præmium est ratione laboris: ita à simili, & gratia. Et cõfirmatur Ioã. 1. vbi loquẽs de iustis inquit. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quod perinde est, acsi diceret. Dedit eis potestatem promerẽdi beatitudinẽ. Quod nihil aliud est, quam dare gratiam. Propterea q̃ gratia est acceptatio ad gloriam, ideſt, principium promerendi gloriam per propriu.n actum, si fuerit adultus, aut per meritum Christi, si fuerit paruulus.

Append.2.

Ioan.1.c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Art. II. De subiecto Gratiæ.

Alex. Alen. toto tit. 4. q. 61. S.Th.q. 110. art.4. S.Bona.dist. 26.q.5. Duran. q. 2. & Scot. & Ricard. & Gab.eadem dist. Psal.50. Ad Eph.2. Ad Roma. 5.

Hic articulus; vt mos est, positis aliquot difficultatibus, absoluetur. Lege in floribus. 4. in q. de suscipientibus baptisinum.

Prima diffi. Vtrùm paruuli sint gratiæ susceptibiles?

ALexand.Alen.art.1.§.1.vbi sup. & in q.de suscipientibus bapt.in floribus 4.

CONCLVSIO.

Cùm gratia potissimè liberi arbitrij potentiam respiciat, sitque hæc in paruulis, illos verè susceptibiles gratiæ poterimus appellare. Et ratio est; quoniam si peccatum Adæ inficit paruulos:ita vt in peccato concipiantur,& filij iræ nascantur (quia omnes in Adam peccauerunt) multò magis gratia Christi paruulos à peccato liberabit. Nam vbi abundauit delictum,superabundauit,& gratia. Non enim sicut delictum,ita & donum. Quia gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.

Secunda diffic. Vtrùm adulti dormientes, alienati mente, siue furiosi, & dementes gratiam recipere valeant.

Alex. Alen. §.2. vbi sup. et doct. in q. de suscipientibus baptisimum citati.

CONCLVSIO.

ADulti dormientes, furiosi, vel amentes, si quam gratiam suscipiunt, in sacramento; & cum sacramento illam recipiunt, ita tamen, vt secundum habitum, coperati fuerint:at verò extra sacramentum, vel sine sacramento nullo modo eam suscipere queunt. Hæc conclusio est definita ab Innocent.3. Et refertur in cap. maiores extra de bapt. & eius effectu. Lege quoquè flores quæst.de suscipientibus bapt.

Tertia

Tertia diffic. Est ne maior gratia in vno subiecto, quàm in alio?

Alex. Alen. art.2.§.1.vbi §. S.Th.q.112. art.4. D. Aug. ad Dardanum. 4.Reg.2. Legeomninò Vegam toto lib. 10. super concil. Trid. & Sotũ lib. 2.de nat. & gratia. Append.1.

CONCLVSIO.

GRatia in vno maior,quàm in alio esse potest. Hæc est D.Aug.ad Dardanũ dicẽtis. In quibus habitat Deus, non æqualiter habitat:quia inde est illud, quod Heliseus proposcit:vt in eo esset duplex spiritus, idest, in duplo, quàm in Helia. Ergo in eo poterat spiritus maior esse, & gratia in duplo. Quia ibi spiritus ille gratia est. Idẽ etiam Aug. ad Bonifacium inquit. Gratia meretur augeri,&c. potest igitur esse maior in vno,quàm in alio;maior,inquam,non quãtitate molis, siue dimensionis; sed virtutis. Quia qui maiorem habet plura,& maiora opera efficere, & præstare valet. Et est definita in concil. Trid. sess. 6. cap. 7. & 10. & 24.

Hinc maior fuit gratia in Christo, quã in sanctissima eius matre; & in beatissima Virgine maior respectu angelorum; & aliorum sanctorum,& iustorũ. Et hoc est quod Heliseus petebat,nempè,vt ei virtus plus induplo ad operandum cõcederetur. Quod quidem propter populi incredulitatem postulabat.

Hinc confutatur error Lutheranorum dicentium, iustos æqualem iustitiam,& sanctitatem habere. Castro verb. beatitudo hæresi.7. Append.2.

Quarta diffic. Intenditur ne, & remittitur gratia magis in vno, quam in alio?

Alex. Alen. ar.2. §.2. vbi.§. D.August.

CONCLVSIO.

INtenditur quidem,& remittitur. Probatur autoritate D. August.ad Dardanum, vbi inquit. In sanctis alij sunt sanctiores alijs,&c. Et hoc est,quia habent abundantiorem,& magis intensam gratiam. Et ratione confirmatur ex definitione gratiæ:quia cùm gratia sit forma,& forma sit qualitas, & qualitatis sit proprium intendi,& remitti: gratia profectò intendi,& remitti poterit.concil.Trid.vbi sup.lege.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffi. Vtrũ gratia subijciatur, siue recipiatur in essentia animæ? an in potẽtia, scilicet, in volũtate?

S. Thom. S. Bona. & alij locis in principio huius art. citatis.

AD explicationem tituli huius difficultatis animaduerte, q̃ cùm duplex sit subiectum, vnũ inhæsionis, quod est formæ receptiuum, vel quod formam ipsam in se recipit; alterum perfectionis, quod immediatè, ideſt, ratione sui, & nõ alterius rei perficitur, cuiusmodi sunt potẽtiæ, quæ per suos habitus perficiuntur, vt facilius, & delectabilius operentur, non est intelligendus titulus de subiecto inhæsionis: propterea q̃ cùm anima sit indiuisibilis, quicquid inhæret vni potentiæ inhæret etiam toti animæ, propter eius indiuisibilitatẽ: sed intelligitur de subiecto perfectionis. Et est sensus; quid immediatius per gratiam perficiatur: an tota essentia animæ? Cuius est regenerari, & ratione animæ voluntas? An è contra immediatius volũtas perficiatur? quia faciliter, & expeditè, & meritoriè per gratiam operatur, & ratione voluntatis tota anima regeneretur. Rem illustro à simili: vt si quæratur, cùm albedo informet quantitatem, & substãtiam, quod sit subiectum immediatum albedinis quãtitas, an substantia? vtrũ insit albedo prius substãtiæ, & ratione substantiæ quãtitati? Ita hic quæritur? an gratia perficiat animã ratione volũtatis, an volũtatẽ ratione animæ? Ijs ita cõstitutis. Est cõtrouersia inter S. Tho. & Scot. vbi sup. Nã S. Th. dicit immediatũ subiectũ esse totã animæ essentiã: Scot. verò volũtatẽ esse immediatũ subiectum defendit, quã opinionem prius D. Bona. fuit amplexus, quibus etiam Duran. adhæsit.

Totũ autem huius controuersiæ discrimen in hoc cõsistit, nẽpè, quæ istarũ propositionũ sit verior. Videlicet, quia tota anima est Deo grata, ideò eius operationes sunt meritoriæ. Vel è cõtra, quia volũtas perficitur per gratiã: vt meritoriè operetur; ideò tota essentia animæ est Deo grata. Perindè ac si diceretur, quæ istarum est verior. Quia albedo recipitur in quantitate, ideò substantia est alba, vel est cõuerso, quia recipitur in substãtia, ideò quantitas est alba, suntq; animaduertenda, quæ sequuntur.

1. Animaduersio.

Nihil est in anima præter essentiam, quod non sit vel potentia,

tentia, vel habitus, vel actus, vel passio Arist. est. 2. Ethic. nã species intelligibilis, quæ in anima reperitur, quãuis non acquiratur eo modo, quo habitus, nẽpè, per plures actus, sed per cõuersionẽ ad phãtasmata: est nihilominus suo modo specialis habitus, siquidè inclinat potentiam ad operandum. *Aristot. 2. Ethic.*

Hinc sequitur gratiam esse habitũ animæ: quia cũ nõ sit potentia, vel actus, vel passio, erit necessariò habitus. Append. 1.

2. Animad. Habitus nullo modo principalius ad perficiendã animæ essentiam; sed ad perficiendam potẽtiam: vt faciliùs, & delectabiliùs operetur, collocatur. Hæc animaduersio ex definitione habitus constat.

3. Animad. Sap. 14. Extra gratiam nullus meretur, scilicet, de condigno. Iuxta illud; similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius.

Append. 2. Hinc gratiam principium esse actus meritorij infertur.

4. Animad. Ad Roma. 3. Gratia iustitia supernaturalis est. Colligitur ex D. Paul. ad Roma. 3. iustitia Dei per fidem, &c. Et iustus ex fide viuit. hoc est, iustitia, qua apud Deum iusti, & grati sumus. *Ad Roma. 1.*

CONCLVSIO.

Gratia immediatius subijcitur in volũtate, & perficit illã, quã animæ essentiã. Probatur cõclusio nõnullis argumẽtis. Primò virtutes, & earũ habitus ponũtur; vt facilius potentiæ operẽtur (earũ enim, & nõ essentiæ est operari: vt ex secũda animaduersione cõstat) & gratia est virtus: vt ex sup. dictis patet, & est habitus, vt ex appẽ. 1. animaduersionis colligitur: ergo necessariò immediatè perficiet volũtatẽ, & nõ animæ essentiã. Secũdò gratia, & charitas sunt vnus, & idẽ habitus, vt in primo art. demõstratũ est, & charitas est in volũtate: vt oẽs cõcedũt, & fides ipsa docet, ergo, & gratia erit immediatè in volũtate. Hæc duo argumẽta cõfirmantur ex 1. & 2. animaduersione. Tertiò, quia actus meritorius est actus elicitus, aut imperatus à sola volũtate, & gratia principiũ illius actus est, vt habetur in 3. animaduersione; atq; ita erit immediatè in volũtate, & illã perficiet, vt in 2. animaduersione cõtinet. Quartò quia gratia, & peccatũ opponũtur, sicut iustitia; & iniustitia; nã gratia iustitia est, vt in. 4. animaduersione docetur. Et cũ peccatũ sit in volũtate, erit quoq; gratia in volũtate: quoniam opposita circa idẽ subiectũ versantur. Quintò, quia de

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententia Thomistarum; gratia, & peccatum opponuntur, sicut habitus, & priuatio, inter quæ nõ datur medium, & peccatum est in voluntate: ergo, & gratia. Impossibile enim est habitũ, & priuationẽ esse circa diuersa subiecta. Nã, vt ridiculus esset, qui affirmaret cæcitatẽ esse in oculis, & visum in auribus: ita qui diceret, peccatũ, quod est priuatio gratiæ de sententia illorũ, esse in volũtate immediatè; gratiam verò minimè. Sextò quia cũ gratia sit dispositio ad gloriã, & gloria sit in potẽtijs (quoniã est operatio circa Deũ clarè visum) erit, & gratia immediatè in potẽtia. Propterea q; dispositio, & forma sunt circa idẽ subiectũ. Vltimò; quia etiam si demus animæ essentiam perfici à gratia; nõ tamẽ perficitur essentia respectu omniũ potentiarũ: sed respectu solius volũtatis: ergo principaliter gratia perficit volũtatẽ, & ad eius operationes perficiẽdas principalius datur. Nã ex oppositio, scilicet, q; gratia detur animæ ratione omniũ potẽtiarũ, vt earũ operationes essent meritoriæ, sequeretur operationẽ intellectus, quæ est prior volũtatis operatione, ẽsse meritoriã absq; actu volũtatis, q; est falsissimũ: sed de his abũdãtius in lib. cõtrouersiarũ.

Alex. Alen. q. 61. m. 3. & q. 63. S. Th. q. III. 1. 2. Duran. q. 3. Ricar. & aly hac dist. 26. Alex. Alen. m. 3. S. Tho. art. 2. Duran. q. 3. & aly vbi. s. Vega lib. 6. super concil. Trident. c. 5. 6. & 7. S. Bona. d. 27. q. 1.

Artic. III. De diuisionibus Gratiæ?

Quoniam Magister in hac distinctione diuisionẽ gratiæ in operantem, & cooperantẽ, &c. affert. Opere pretium duxi præcipuas diuisiones gratiæ suprà positas examinare. Absoluetur autẽ art. hic, etiam positis aliquot difficultatibus.

Prima diffic. Vtrùm rectè gratia in operantem, & cooperantem diuidatur?

MAxima est inter discipulos S. Thomæ cõcertatio, quid per gratiam operantem, & cooperantem intelligendum sit. Sunt enim de hac re tres opiniones. Prima dicentium auxilium Dei speciale ad omnes actus interiores: vt ad credendum, diligendum, & pœnitendum, &c. sicut oportet, esse gratiam operantem, quoniam isti actus fiunt à solo Deo, sine nobis; auxilium autem ad actus exteriores meritorios, vt ad ieiunium, eleemosynam, &c. vocari gratiam coopetantem. Secunda opinio tenet gratiam operantem

rantem nominari auxilium speciale, quo primo homo mouetur ad volendum finem, nempè, ad diuertendum à malo, & ad seruiendum Deo viuenti. Vt quando dicit homo; volo esse bonus; quoniam hic actus fit in nobis à solo Deo, sine nobis. At verò auxilium ad electiones mediorum, quibus Deo seruiendum est: v. g. an in cœlibatu, vel in coniugio, & ad exequendum media ad finem assequendum conuenientia, vocari gratiam cooperantem. Tertia opinio tuetur gratiam operantem esse auxilium præueniens, quo Deus aliqua in nobis sine nobis operatur, huiusmodi est multiplex Dei vocatio, in qua nihil agimus, sed habemus nos merè passiuè, instar audientium: cooperãtem verò gratiam esse auxilium concomitans ipsam conuersionem, & omnem bonam finis, & mediorum volitionem. Sunt tamen prius notanda, quædam fundamenta, eruditione plena.

Hæc est Soti lib. 1. de nat. & gratia. c. 16.

Vega. cap. 3. propè finem vbi. s.

Inter agentia creata, quæ agunt à proposito: vt sunt artifices, & Deum summum omnium opificem, quando ad extra operantur, hoc interest, quòd in agentibus creatis alia est potentia volendi à potentia exequendi, quod volitum est. Artifex enim per voluntatem vult. v. g. domum extruere: exequitur tamen per motum manuum volitionem. In Deo autem non est alia potentia volendi, & exequendi. Cùm primùm enim vult aliquem effectum, statim est in rerum natura ipse effectus. Quoniam inter actum voluntatis Dei, & effectum, nulla est actio media, qualis est in agentibus liberis, siue per voluntatem. Colligitur hoc fundamentum ex diuina scriptura dicente. Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Et alibi, ipse dixit, & facta sunt. Item omnia, quæcunq; voluit, fecit, &c. Et ratio est; quia omne agens exequitur suã actionem per aliquam potentiam, sibi propriam, & in Deo nulla est potentia executiua ad extra, præter voluntatem; ergo operatur suũ effectũ ad extra per solam propriam volũtatẽ.

1. *Fundam.*

Gen. 1. Psal. 148. Psalm. 113.

Hinc, quotiescunq; in diuina scriptura apud Theologos dicitur, Deum mouere, creare, concutere, causare, præstare auxilium creaturis, vel aliud ad extra operari, nihil aliud intelligendum est, quàm Deum velle talem effectum. Et ratio ex proximè dictis est, quia velle Dei est suum efficere.

Append. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append. 2. Hinc, auxilium diuinum in generali, vel Deũ alicui creaturæ auxiliari, est gratuitus Dei concursus cum creatura ad aliquem effectum producendum, idest, Deum velle, quòd aliqua creatura, producat talem effectũ. Nam cùm in Deo nulla sit actio ad extra præter eius volitionẽ, eius auxilium erit tantùm eius volitio alicuius effectus.

2. Funda. Auxilium Dei est duplex. Generale vnũ. Alterum speciale, quæ bifariam differunt. Primò ex parte effectus; quia generale est voluntatis diuinæ concursus, siue volitio diuina, qua vult Deus, vt creatura producat actiones naturales (id est non meritorias) quarum finis est naturalis. Speciale autem est volitio diuina, qua vult; vt creatura aliqua producat actiones supernaturales; quarum finis est supernaturalis, nempè, assecutio beatitudinis. Cuius generis sunt actiones meritoriæ existentium in gratia, vel quæ sunt dispositiones ad consequendam gratiam, vt est pœnitentia. Secundo distinguntur ex parte Dei; quoniam auxilium generale nemini vnquàm, nisi miraculosè à Deo negatur; speciale verò ad actus meritorios; vt ad pœnitendum, multis citra miraculũ denegatur; vt Pharaoni, quando fuit cor eius induratum. Et *Exod. 10.* Iudæ, quando laqueo se suspendit. *Matth. c. 27.*

Hinc denegatio auxilij specialis, nihil aliud fuit, quàm Append. 3. Deum non habuisse volitionem: vt dictos suorum peccatorum pœniteret, quemadmodum voluit, vt B. Petrum pœniteret. Et ideò dicitur specialis, quando citra miraculum vni conceditur, & alteri denegatur.

3. Funda. Subtractio auxilij specialis ad pœnitendum necessarij est pœna peccati. Ratio est; quia ex eo, quòd aliquis abutitur generali auxilio, ad benè moraliter operandum, subtrahitur illi auxilium speciale ad conuersionem necessarium. Ideoquè illi imputatur; quia fuit volita subtractio in sua causa. Quod *Ad Roma. c. 1.* testatur D. Paul. ad Rom. 1. vbi de gẽtibus ait. Qui cùm Deũ cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, &c. Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt facerent ea, quæ non conueniunt.

4. Funda. In iustificatione impij, siue peccatoris aliqua Deus se solo sine nobis operatur in nobis; vt prædestinatio ad gloriam, inspiratio

spiratio ad bonũ, &c. De quibus Apoc. 3. Ego sto ad ostium *Apoc. 3.* & pulso. Quæ nobis non imputantur; quia respectu illorum merè passiuè nos habemus: sicut dæmonis tẽtatio est ab ipso sine nobis. Suggestio enim quæ est tẽtationis initium, nobis non imputatur; immò cedit in meritum, si cùm primũ incipit, reijciatur. Aliqua autem operatur Deus nobiscum, vt est actus pœnitendi, qui est vltima dispositio ad gratiam. Est autem hoc funda. in concil. Arausic. 2. can. 20. breuissimè definitum, vbi ita scribitur: Multa in homine bona fiunt, quę nõ facit homo, huiusmodi autẽ est iustificationis initium, quod vocatur gratia præueniens, aut excitãs. Sumptã igitur gratia pro auxilio Dei speciali, & nõ prout significat qualitatẽ inhærentẽ; quæ etiã operans dici potest; vt facit nos formaliter Deo gratos, & cooperans: vt nobiscũ ad opera bona cõcurrit; qũi inclinamur ad meritoriè operãdũ, est adhùc sub iudice illis, vt diximus; quãdo operãs, & quãdo cooperãs esse dicatur.

CONCLVSIO I.

Gratia operãs nõ est auxilium diuinũ ad opera tãtũ interiora. Et ratio à definitione gratiæ operãtis, quam ponit D. Aug. est, quoniã cùm gratia sit auxilium diuinũ, quo Deus *D. Aug.* operatur aliquẽ effectũ sine nobis, & pœnitentia sit opus interius, quod nõ producitur sine nobis; quia est effectus liberi arbitrij (qui enim creauit te sine te, nõ iustificabit te sine te) profectò nõ dicetur gratia operãs respectu cuiuscũq; actus interioris; vt autores primæ opinionis arbitrantur.

CONCLVSIO II.

Neq; est gratia operans auxiliũ diuinũ, quo homo primo, mouetur ad volẽdũ finẽ. Hanc conclusionem cõtra secundã opinionẽ defendit Vega. cap. 5. vbi sup. propè finẽ. Et ratio, *Vega vbi. 5.* præter illius argumenta, est: quia intentio ista, volo recedere à peccato, & Deo inseruire, est dispositio immediata ad gratiam, quoniam est prima pars pœnitentiæ, & est à nobis, mediante auxilio diuino: ergo non est solùm à gratia operãte, per quam Deus in nobis sine nobis operatur.

CONCLVSIO III.

Gratia operans, & cooperans solùm, sicut auxilium, excitans, siue præueniens, & auxilium adiuuans, siue concomitãs

distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act. 9. distinguntur. Probatur exemplo B. Pauli. Act. 9. Nã primò obiurgatione illa; Saule, Saule, quid me persequeris? Et lucè, quæ circumfulsit, & eũ de equo, & in terram prostrauit, excitatus est: vt ad Christum conuerteretur. Et ita vocatio ista, in qua Paulus nihil operatus est, sed solus Deus, dicitur gratia præueniẽs, & operãs. Secũdo autẽ est misericorditer adiutus: vt vocationi suę obediret, & diceret. Dñe, quid me vis facere? Ecce cõuersionẽ per auxiliũ cooperãs, & adiuuãs. Nã adiutus Paulus diuina volitione, alicuit prædictũ actũ. Dñe, quid me vis facere: quæ quidẽ fuit vera cõuersio elicita à libero arbitrio Pauli, & à gratia cooperãte, ideſt, à speciali Dei auxilio.

Append. 4. Hinc gratia operãs erit auxiliũ præueniẽs, in quo nos habemus merè passiuè; vt vocatio peccatoris, quæ, vt suprà diximus) fit variis modis, vel per terrores, & visiones, vt Nabuch. Vel per flagella, vt Pharaoni: gratia autẽ cooperãs erit auxiliũ, ideſt, volitio cõcomitans omnes nostras bonas operationes, de qua scriptũ est. Sine me nihil potestis facere.

Ioan. 15.

Secunda diffic. De diuisione gratiæ in præuenientem, & subsequentem?

Alex. Alen. vbi 3. m. 3. S. Th. q. 110. & 111. art. 2. & alij vbi 3. Vega lib. 6. c. 6 in concil. Trid. sess. 6. cap. 5. Psalm. 58. Psal. 22.

RFuoca primũ in memoriã gratiũ sumi, vel pro auxilio speciali, quod nõ est qualitas positiua in homine, sed solũ est volitio diuina, & dicitur gratia, eò q; gratis, & indebitè datur, vel secũdo pro gratia habituali, quæ est celebris apud Alex. & S. Th. locis citatis diuisio, de qua hactenus mẽtionẽ fecimus. Et respõd. huic difficultati p̃sequẽtes ꝓpos. 3.

Prima Propositio.

Si gratia pro habitu gratũ faciente accipiatur, eadẽ numero præueniens, & subsequẽs: diuersis tamẽ respectibus nominatur. Dicitur enim præueniẽs, quatenus hominẽ sanat, & iustificat, & quatenus ad operãdũ inclinat, subsequẽs appellatur. Probatur hæc ꝓpositio ex ps. 58. misericordia eius præueniet me, & rursus ps. 22. misericordia tua subsequatur me, hinc sic colligo rationẽ. Misericordia Dei est vna numero, & eadẽ vocat gratia præueniẽs, & subsequẽs; ergo vtraq; est vna numero. s. vnicus habitus pro qua quidem obtinẽda erat ecclesia dicẽs.

Tua

Tua nõs, domine, gratia semper præueniat, & sequatur, &c. Et animaduerte, quòd cùm sint varij gratiæ effectus (vt infrà dicetur) ita se ad inuicem habent, vt prior respectu subsequentis semper dicatur gratia præueniens, & posterior subsequens.

Secunda Propositio.

Gratia pro auxilio speciali sumpta etiam in gratiam præuenientem, & subsequentem diuiditur. Hæc propositio confirmatur ex concilio Trident. sess. 6. cap. 5. vbi inspiratio, Deiq; vocatio gratia præuenientis nominatur.

Tertia Propositio.

Gratia præueniens est omne illud, quo misericorditer peccatores ad iustitiam pertrahuntur; hæcque est gratiæ præuenientis definitio. Et pertrahuntur aliquando aduersis: vt Nabuchodonosor, Et Dauid quando per Nathan comminatus est illi, dicens. Non recedet gladius de domo tua, &c. Et Ezechias per Isaiam. Aliquando etiam prosperis, vt habetur in psalm. Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei, & talis confessio non reprobatur.

Daniel. 4. 2. Reg. 12. Isai. 38. Psalm. 48.

Quarta Propositio.

Gratia præueniens alia excitans, alia adiuuans. Hæc propositio expresse habetur in eodem cap. 5. sess. 6. concil. Trid. nomine gratiæ excitantis intelliguntur, quæ à solo Deo in nobis efficiuntur, vt pœnitere velimus. Gratia verò adiuuans est concursus diuinus, quo adiuuamur ad fidem, spem, dilectionem, & pœnitentiam eliciendam, quæ omnia sunt immediatæ dispositiones ad iustificationem. Et hic concursus est volitio diuina, qua Deus vult nos elicere tales actus, qui sint immediata dispositio ad gratiam: vt credere, sperare, diligere, & pœnitere, sicut oportet ad iustificationem. Et licet tale auxilium, siue discursus, non sit in potestate hominis: est tamen in eius potestate, tale auxilium bonis operibus moralibus à Deo impetrare. Quæ quidem opera moraliter bona possunt fieri ex viribus naturæ, & auxilio generali ipsius

Dei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei, quod nemini vnquàm denegatur. Hoc enim est quod Daniel Nabucho. Regi consuluit dicens: Rex cõsilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime. *Daniel. c. 4.*

DVB. Quomodo gratia excitans, & adiuuans distinguntur. *Dub. 1.*

REspondeo; non vno tantùmmodo, sed multis inter se differunt. Primò ex parte causæ efficientis: quia operationes gratiæ excitantis fiunt à Deo sine nobis; operationes verò causæ adiuuantis, vt sufficienter pœnitere, sunt à Deo simul, & à libero arbitrio nostro. Aliter enim non essent meritoriæ. Secundò, quia vtraque gratia semper requiritur ad impij, scilicet, infidelis iustificationem; non tamen ad iustificationem peccatoris, ideſt, fidelis. Patet exemplo B. Pauli, qui vt crederet, fuit increpatus. Saule, Saule, &c, & illustratus. Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Et ratio est, quia illustratio est gratia excitans, & impiùs, nisi illustraretur, non posset conuerti; fidelis autem, cùm iam sit illustratus per fidem, potest subito odio habere peccata, cùm sit conscius gehennæ, & gloriæ, &c. Atquè ita non semper ad iustificationem peccatoris requiritur gratia excitans, cùm sit satis sola adiuuans. Tertiò quia gratia adiuuans non semper sortitur suum effectum: vt patet in Pharaone. Et Prouerb. 1. vocaui, & renuistis: adiuuans autem nunquàm frustratur, sed semper suum sortitur effectum. Et ratio est; quia gratia excitans est voluntas signi, quæ est impedibilis; vt apud Matth. Quoties volui congregare, &c. & noluisti. Gratia autem adiuuans est volũtas beneplaciti Dei, quæ impediri non potest. Iuxta illud. Et quis resistet tibi? Quartò differunt, quia multi, quibus Deus maiorem gratiam excitantem confert, deteriùs conuertuntur, vt patet in Pharaone, qui deterius fuit conuersus, quã Dauid, quem Deus mitius flagellauit. Et illud reprobationis: hoc autem prędestinationis est signum. Secus autem est de gratia adiuuante: nã illi perfectiùs conuertuntur, quibus Deus maiorem gratiam adiuuantem impartitur; vt patet exemplo Petri, & Pauli, & Magdalenæ. Et ratio est, quia isti mo- *Vega vbi. ꝟ. à cap. 5. vsque ad 9.* *Actorum. 9.* *Prou. 1.* *Matth. 23.* *Psalm. 75.*

mouentur efficacius à Deo per voluntatem beneplaciti: alij verò per solam signi voluntatẽ mouẽtur. Quintò, quia gratia excitans præcedit tẽpore iustificationem. Non enim cum primũ quis vocatur, conuertitur, vt constat exemplo Dauidis, & Pauli, qui posteriùs tẽpore ab increpatione fuerunt conuersi; at verò gratia adiuuans natura præcedit, non tempore nostrã iustificationem, & conuersionem. Vltimò, quia gratia adiuuãs est entitas increata, scilicet, volitio diuina, qua Deus vult aliquem sufficienter pœnitere, vt modò diximus: gratia autem excitans est entitas creata, scilicet, increpatio in Paulo, & in Pharaone flagella.

DVB. II. Quidnam est Gratia subsequens?

CONCLVSIO.

ESt auxilium speciale ad perseuerãdum in amicitia Dei, Probatur autoritate D. August. dicentis. Præuenit, vt sanemur, subsequitur, vt sanati vegetemur. Et in oratione, tua nos domine gratia, &c. habetur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentus. *D. August.*

Tertia diffic. De diuisione Gratiæ in gratum facientem, & gratis datam.

IAm multa hactenus de hac diuisione diximus, ex quibus licet colligere, quomodo istæ duæ gratiæ distinguantur. Nam primò differunt penes quidditatem quoniam gratiam faciens est qualitas positiua, per quam homo sit Deo gratus, & est ad vitam æternam acceptus: gratia verò gratis data non est qualitas positiua, sed donum, & pactum diuinum de concurrendo cum aliquo ad opera supernaturalia. Secundò penes finem: nam prima est ad propriam vtilitatem: secunda verò ad vtilitatem Ecclesiæ. 1. Corinth. 12. vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, scilicet, ecclesiæ. Tertiò, quia prima non est cõpossibilis cũ peccato. Nullus enim nisi purgetur à vitiis, potest gratiã Dei accipere; vt docet B. Chrysost. & refertur de pœn. dist. 1. c. non potest. Et de *Alex. Alen. q. 63.* *S. Th. q. 111. art. 1. q. 1. & 5. & alij vbi. ꝟ.* *1. Cor. 12.* *B. Chrysost.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et de consecut. dist. 4. cap. non potest: secunda verò potest cum mortali peccato esistere. Caiphas enim pessimus prophetauit: sit Balaam donum quoque prophetiæ habuit. Vltimò, quia prima non amittitur sine culpa: imò ad incrementum meriti plerumque potest amitti. Lege D. Greg. lib. 1. moral. cap. vltimo, & penult. *Ioan. 11.*

Quæst. III. De causa Gratiæ.

Alex. Alen. q. 61. m. 5. S. Th. q. 112.

AD maiorem explicationē huius quæstionis nota, quæ sequuntur. Causa efficiens est, quæ in subiecto aliquid ad introductionem formæ operatur. Patet inductione cæterarum causarum: quia materia solùm se habet passiuè, finis mouet efficientem, forma dat esse subiecto, vel substantiale, si sit substantialis, vel accidentale, si sit accidens. *1. Nota.*

2. Nota. Causa efficiens, vel est principalis, quæ operatur per propriam formam, & reddit sibi simile passum: vel est minùs principalis, quæ non intendit assimilare sibi passum: sed principali causæ. Quod quidem est verissimum, non solùm in causis naturalibus: vt in igne, quando agit in lignum: verùm etiam in moralibus, quæ per intellectum, & voluntatem operantur, vt artifex. v. g. scribens reddit papyrum sibi similem imprimendo in ea characteres, similes notitiis, quas in mente habet. Et calamus cùm sit causa minùs principalis, reddit similem papyrum non sibi: sed scribenti.

Append. Hinc maxima illa physica (Omne agens assimilat sibi passum) est de causa efficienti principali intelligenda.

3. Nota. Nullus effectus in vniuersum est sua causa principali perfectior; quia recipit esse ab illa, & reddit effectum sibi similem: non autem perfectiorem.

4. Nota. Causa efficiens minùs principalis est quadruplex. Vna instrumentalis, per cuius actionem agens principale transmittit effectum in passum: vt est calamus respectu scribentis, cuius actio est tactus. Altera est ministerialis, quæ applicat actiua passiuis, vt qui applicat igni ligna. Tertia est meritoria, quæ obsequijs, & precibus mouet efficiētē ad operādū.

Quarta

Quarta est dispositiua, siue disponens, quæ præparat subiectum, vt possit formam recipere: vt calor excitat lignum ad formam ignis introducendam. Inter has quatuor causas, sola prima est instrumentalis, quia sola illa attingit, & producit effectum causæ principalis immediatè: vt patet exemplo calami; reliquæ verò officiunt quasdam dispositiones, tanquàm effectus priores, destinatos ad effectus posteriores.

5. Nota. Per gratiam efficitur homo Deo similis. Et ratio est, quia per gratiam efficitur homo filius Dei adoptiuus, quæ adoptio nihil aliud est, quàm promissio vitæ æternæ: vt homo in visione diuinæ essentiæ beatificetur. Quod docuit D. Petrus dicens Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ. *2. Pet. c. 1.*

Prima difficult. An solus Deus sit causa efficiens gratiæ?

LEge S. Thom. artic. 1. vbi suprà, & quæst. de causalitate gratiæ in floribus quarti in tract. de sacramentis in genere.

CONCLVSIO I.

Solus Deus est causa efficiens principalis gratiæ. Et ratio est; quia causa principalis est, quæ reddit sibi similem effectum; vt constat ex secundo nota. & Deus per gratiam reddit hominem sibi similem: vt in quinto nota. patet. Et confirmatur, quia solius Dei est remittere peccata. Matth. 9. Et infusio gratiæ remissio peccati est. *Matth. c. 9.*

CONCLVSIO II.

Sunt, præter Deum, aliæ minus principales gratiæ causæ. Nam Christus, quatenus homo est, causa meritoria dicitur gratiæ, quæ ad efficientem reducitur, & sacramentum est causa instrumentalis, & sacerdos administrans. Lege flores quarti citatos, & concil. Trid. sess. 6. cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Vtrùm ex parte hominis requiratur aliqua dispositio, siue præparatio ad gratiam?

Alex. Alen. S.Thom. art. 2. & alij vbi suprà.

SEnsus tituli est, scilicet, An possit homo iustificari absque eo, quòd conuertatur in Deum per aliquem actum amoris, vel quid simile, quo anima illius ad gratiam præparetur.

Capreol. Palu. Hispalensi.

Explicata causa efficienti gratiæ, nũc dispositiua eius causa tractatur. Fuerunt duæ opiniones de hac re. Vna Capreoli, Paludani, & Hispalensis, affirmantium, gratiam nunquam, etiam paruulis dari sine aliqua præuia dispositione, quam in baptizatis dicebant esse characterẽ, & in sanctificatis in vtero qualitatem quandam, quam ornatum appellabant. Quæ opinio iam est in exilium relegata. Altera opinio est Scoti in. 3. distinct. 19. asserentis, nulla præuia dispositione, dari paruulis gratiam.

Scot. in. 3. d. 19.

CONCLVSIO I.

Gratia paruulis absq; nulla præuia dispositione: sed solùm habita ratione ad passionem Christi Iesu datur. Hæc conclusio est definita in cap. maiores de bapt. & eius effect. Et ratio est; quia sicut originale peccatum sine præuio aliquo voluntatis actu, sed per solum Adæ demeritum contrahitur, ita etiam absquè actu voluntatis in Deum, sed per solum Christi meritum delebitur. Quod apertissimè docuit D. Paul. ad Rom. 5. dicens, Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit, &c.

Ad Rom. c. 5.

CONCLVSIO II.

Ioelis. 1

Gratia adultis nunquàm sine præuio aliquo actu conuersionis in Deum conceditur. Patet Ioelis. 1. conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Vnde adultus, quàmuis nunquam peccauerit, iustificari non poterit, nisi per proprium motum in Deum conuertantur. Ratione confirmatur: nam, vt adulti per proprium voluntatis motum à Deo auertuntur, ita non possunt, nisi per proprium voluntatis actum, in Deũ cõuerti. Per quascunq; enim causas res nascitur, per easdẽ dissoluitur. Et ideò Christus, antequã sanaret paraliticũ, interrogauit

gauit illum. Vis sanus fieri? Qui respõdit, hominẽ non habeo: quia sicut per voluntatẽ peccamus, debemus per voluntatem sanari. Fuit conclusio hæc definita cap. maiores citato. Et denuo in concil. Trid. sess. 6. in decreto de iustificatione c. 6. & can. 9. fuit expresse sub anathemate definita.

Ioan. 5.

Hinc, confutatur error lutheranorum, qui affirmabant impium sola fide iustificari, ita vt nihil aliud requiratur, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur.

Hæresis.

CONCLVSIO III.

Actus, quo homo ad gratiã disponitur, à libero arbitrio, & ab speciali Dei auxilio est. Nã diuina scriptura loquẽs in persona peccatoris inquit. Conuerte nos Dñe, & cõuertemur. Et Ioan. 6. omnis, qui audit à patre, & didicit, venit ad me. Vnde nullus venit ad Christũ per fidẽ, & dilectionẽ, nisi priùs à patre vocetur, & ab eo per auxilium speciale doceatur. Et ratione confirmatur: quia cùm peccator, ascendens à peccato ad gratiam, moueatur, mouebitur à Deo adiuuante. Nam omne, quod mouetur, ab alio, & non à se ipso mouetur. Est etiam expresse definita in concil. Trident. cap. 5. vbi suprà.

Threnorum c. 5.

Ioan. 6.

Arist. 7. physic.

Tertia diffic. Vtrùm facienti, quod in se est, statim detur Gratia?

Alex. Alen. art. 3. & 4. S. Tho. art. 3. & alij vbi. 5.

SPeciale auxilium Dei adiuuans nihil aliud est, quàm intẽtio, & volitio Dei, vt ille cuius cor ad pœnitẽtiam mouet, gratiam cõsequatur. Probatur ex D. Paul. ad Rom. 9. dicente. Non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, quasi diceret. Tam prædestinatio, quàm eius effectus, nempe, vltima dispositio ad gratiam, non est volentis præparari, aut præparantis se; sed solius Dei miserentis.

Nota. Ad Roma. Append. 1.

Hinc potest cõtingere, vt sint duo, qui intensiuè, & extensiuè de peccatis æqualiter doleant, & vnus, & non alter eorũ, gratiam consequatur: vt patet Sauli, & Dauidis exemplo.

Hinc, q. vnus tunc, & non alter gratiam consequatur, non erit ex parte hominis pœnitentis: sed ex parte Dei, cuius intentio fuit: vt ille cuius cor mouerat, assequeretur gratiam, & non alter. Et hoc est negare vni auxilium speciale ad pœnitendum, & alteri illud condere,

Append. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO. I.

Faciens totum,quod in se est per liberum arbitrium, cùm generali tantùm Dei concursu,non statim gratiam consequitur.v.g. cùm pœnitet offendisse Deum, Deus tamen non adiuuit specialiter eum: quia non ordinauit Deus hunc actum ad gratiam,tunc quàmuis faciat totum,quod in se est, per naturam, non consequetur gratiam. Et ratio est; quia donum gratiæ excedit omnem virtutis humanæ præparationem,iuxta illud. Psalm. Vanum est vobis ante lucem surgere,idest,ante speciale auxilium, quasi dicat:absquè speciali auxilio, siue gratia frustrà est pœnitentia.

Psal.126.

CONCLVSIO II.

Quando homo adiutus speciali Dei concursu, totũ, quod in se est,facit, statim tunc necessariò necessitate non coactionis,sed infallibilitatis consequitur gratiam. Ratio est: quoniam est Dei promissio multis in locis sacræ scripturæ expressa.Conuertimini ad me, &c. Et Ezechiel. In quacumque hora ingemuerit peccator. Et Ioan.6. omnis, qui audit à Patre,& didicit, venit ad me. Et ratio est; quia hæc est voluntas Dei,& est infallibilis, vt D.August. docet dicens. Per beneficium Dei certissimè liberantur,quicumquè liberantur. Hoc est,quando Deus vult liberare aliquem,certissimè, & infallibiliter liberatur. Quia,intentione absoluta, ordinat Deus illum ad gratiam. Quæ quidem intentio, nequè frustrari, neque deficere potest.

Ioel.1.
Ezech.18.
&.33.
Ioan.6.
D.August.

Hinc, tanquàm de fide tenendum est, statim gratiam confetri facienti ex diuino auxilio,quod in se est. Cor enim contritum,& humiliatum Deus haud despiciet.

Append.3.
Psalm.50.

Quæst. IIII. Vtrùm homo possit certò scire se habere gratiam?

ALexan. Alen. q. 62. m.7.& in.4. p.q.26.m 1.art.1.S.Tho. q. 112. art.5. alij scholastici dist. 17. lib.1.S. Bonauen. p.1. q.3. Duran. q.4. Ricard. art.1. quæst.5. Scot. q.1. artic.1. Gerson.4 p. in opusculo de signis bonis; & malis. Roffensis art.1.

art 1.11.&.12. contra Lutherum. Vega toto lib. 9. super concil.Trident. Soto lib.3. de natura, & gratia à cap.10. vsquè ad finem lib. & in apologia contra Catherinum. Castro verbo certitudo,& verbo gratia. Olim hæc quæstio erat breuis, & facilis explicatur vt constat apud Alexand. & S. Thom. qui breuissimè eam absoluerunt: verùm; quia nostra ætate Lutherani totis viribus conati sunt gratiæ certitudinem stabilire, contra illos scripserunt codices amplissimos Roffensis, Vega, Soto, Castro, & alij, quos in principio quæstionis ci tauimus. Cæterum, vt titulus quæst. rectè intelligatur, explicandum erit priùs, quid sit, & quotuplex certitudo. Nomen autem certitudinis denotat firmitatem intellectus in iudicio, quod de re illa facit, cui certitudini contraria est dubitatio,siue intellectus fluctuatio. Quoniam,qui certus est in suo iudicio,tanta firmitate in illo quiescit; vt licet vehementer impellatur, non sit paratus, vel modicum ab illo discedere. Et quamuis certitudo propriè conueniat intellectui; nihilominus tamen per quandam similitudinem tribui solet voluntati, & virtuti naturali: quia voluntas sæpè dubia est, & indifferens ad odium alicuius rei, vel amorem, nec magis ad vnam partem, quam ad aliam inclinatur. Cùm autem alteram firmiter elegit partem, tunc dicitur esse certa, & eò certior, quò maiori firmitate partem illam elegit. Quomodo videtur intelligi id, quod B. Paulus ad Roma. ait. Certus sum enim;quia neq; mors,neq; vita,&c. Dicens se esse certũ,suæ volũtatis firmissimã in amore Dei expressit deliberationem. Tanto enim feruore, & tanta firmitate se Deum diligere perhibet: vt illi nulla creatura potens ad diuellendum illum ab amore Dei esse videatur D.Ambrosi. & B.Hiero. & Chrysost. fautores huius interpretationis Castro vbi sup.esse docet.Certitudo dicitur esse triplex. Prima ex parte obiecti fidei catholicæ,cui nõ potest subesse falsum. Secunda fidei moralis, cui potest subesse falsum:esset tamẽ stultũ ei nõ assentiri, vt huic, Roma est.Tertia est certitudo experimentalis,quæ est infallibilis;vt huius,ego modò scribo.Iis potest addi quarta.s.coniecturalis certitudo, quæ per argumẽta ꝓbabilia,siue topica habetur.Et hæc est opinio cũ formidine oppositi.Iis ita ꝓlibatis.

Castro.v.g.

Ad Roma. c. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quadruplicitèr titulus huius quæst. potest intelligi iuxta quatuor modos certitudinis positos. Primò. An possit esse certus quis suæ gratiæ certitudine fidei catholicæ, ex parte obiecti, ita quòd, sicut hæc, Deus est trinus, & vnus, est certa ex parte obiecti; ita hæc christianus credens articulis fidei est in gratia, sit vsquè adeò certa: vt ei non possit subesse falsum. In hoc sensu defenditur ab hæreticis. Quorum in hac parte duæ sunt hæreses. Et prima asserit omnem hominem iustum esse certum de sua iustificatione certitudine fidei catholicæ. Secunda, quæ affirmat omnem hominem iustum esse obligatum ad certò, & firmiter credendum se per Dei meritum esse gratiam consecutum, in quas hæreses præfati doctores catholici inuehuntur. Secundò potest quæst. intelligi de certitudine ex parte subiecti, scilicet, posse iustos habere certitudinem infallibilem, & experimentalem suæ iustitiæ, cui non possit subesse falsum. Hæc fuit opinio Catherini, & aliorum quorundam catholicorum. Opinabantur enim isti, quòd quamuis ista, christianus est in gratia, non sit de fide, sicut ista verbum est incarnatum: posse tamen christianum aliquem per sua opera interiora, & exteriora habere tantam certitudinē iustitiæ suæ ex parte intellectus, quanta habetur de ista, verbum est incarnatum. Tertiò, quòd possit homo tantam certitudinem moralem suæ iustitiæ habere, quantam huius, Roma est. Hanc certitudinem affirmarunt, Vega cap. 46. &. 47. & Soto in apologia vbi suprà. Quartus sensus tituli, qui ab omnibus Theologis conceditur, est, nempè, posse aliquem habere certitudinem coniecturalem, idest, opinionem suæ iustitiæ. Explicato titulo, restat, vt quæstionem aggrediamur, quæ meritò hunc occupat locū; quoniam in fine præcedentis quæst. dictum est, Deum, facienti quod in se est, gratiam suam non denegare. Poterit ne ergo gratiæ concessæ habere certitudinem? Hi animaduerte primùm autores secundi sensus siue opinionis duobus modis à Lutheranis, qui primum sensum hæreticum profitebantur, differre. Primo, quia hæretici opinantur sufficere solam fidem, & non esse necessaria opera; vt aliquis sit suæ iustitiæ certus, catholici verò fatentur opera esse necessaria, ita ꝙ potest aliquis

Hæreses.

suorum

suorum operum, & fidei esse conscius, & per consequens esse suæ gratiæ certus. Secundò, quia hæretici tuentur sub reatu mortali aliquem obligari ad credendum se esse in gratia, quemadmodum obligatur ad credendum, verbum esse incarnatum; catholici verò pernegant aliquem obligari ad credendum se esse in gratia; posse tamen absquè peccato hoc credere extimant.

CONCLVSIO I.

Affirmare esse articulum fidei, quòd aliquis teneatur habere certitudinem suæ iustitiæ, est hæreticum. Probatur primùm apertissimè autoritatibus sacræ scripturæ. Nam Eccl. 9. ita legitur. Sunt iusti, atquè sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo: vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia, in futurum reseruantur incerta. Et Iob cap. 9. ita habetur. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, prauum me comprobabit, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima. Hinc, sic colligo rationem. Si Iob, quem Deus simplicem, & iustum esse testatus est, suam iustitiam ignorare fatebatur, quomodo aliquis habebit suæ iustitiæ fidem, siue fiduciam vel habere tenebitur? Sunt innumeræ aliæ autoritates apud præfatos doctores. Secundò est hæc conclusio definita in concil. Trid. sess. 6. cap. 9. & canone. 12. 13. &. 14. Tertiò confirmatur ratione: quia cùm fidelis possit aliqua culpa, quam culpabiliter ignorat, laborare, non tenebitur credere se esse in gratia, quoniam teneretur credere esse impossibile, laborare aliqua culpa impediente gratiam.

Eccl. 9.

Iob. 9.

Iob. 1.

CONCLVSIO II.

Fides huius, ego sum in gratia, non solùm non est necessaria ad iustificationem; sed impedit illam. Probatur vnico exemplo pharisæi Luc. 18. qui, cùm omnia legis præcepta seruasset, solùm propter confidentiam in sua iustitia fuit damnatus. Ait enim textus. Dixit autem, & ad quosdam, qui in se confidebant, tanquàm iusti, & spernabantur cæteros. Tum etiam, & D. Petrus lapsus fuit in trinam negationem, quia nimia confidentia dixit. Si oportuerit me simul commori tibi, nō te negabo. Vnde fides, siue fiducia propriæ

Luc. 18.

Marci. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitiæ non solùm non est necessaria ad iustificationem: sed impedit illam.

CONCLVSIO III.

Potest tamen homo iustus habere infallibilem suæ gratiæ certitudinem per diuinam, & specialem reuelationem. Et ratio est: quia nemo dubitat, posse Deum, cui maluerit, hoc reuelare, & eum certum de sua iustitia reddere: vt sanctissimæ Virgini fuit reuelatū, dicente angelō. Aue gratia plena, Dominus tecum, &c. Et Nathanaeli: de quo dixit Dominus. Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Et Magdalenæ, de qua dixit Christus. Remittuntur ei peccata multa, &c. Vade in pace. Fuit etiam omnibus apostolis, & nonnullis aliis sanctis facta hæc reuelatio.

Lucæ 1. c. *Iac. 1.* *Luc. 7.*

CONCLVSIO IIII.

Affirmare aliquem, quantumcumq; fidelem, & iustū, atq; nullius peccati conscium, citra diuinam reuelationem posse habere tātā certitudinē suæ iustitiæ, quanta habetur propositionū fidei catholicæ, cui nō potest subesse falsum, licet nō sit fidei catholicæ certitudo, hæreticū planè est. Probatur Eccl. 9. de propitiato peccato, noli esse sine metu. Quē locum Nicol. Lyran. explicat etiā de remissione peccatorū, quorum egimus pœnitētiā. Non enim de illis debemus esse securi; quia nescimus, fuerit ne pœnitētia sufficiens, an non: Est etiā definitā in concil. Trid. sess. 6. c. 9. sub his verbis. Quilibet de sua gratia formidare, ac timere potest, cū nullus scire valeat certitudine fidei, cui nō potest subesse falsum, se Dei gratiā esse cōsequutum. Erat etiam ante cōcil. cōclusio de fide. Ait enim B. Paul. 1. ad Cor. 4. nihil mihi cōscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: perinde acsi diceret. Non sequitur, nullius peccati sum conscius: ergo sum in gratia Dei. Lege super hunc locum B. Ambro. & D. Chrysost. homil. 11. super epist. 1. ad Cor. qui dicūt, nō propter se hæc dixisse B. Paul. sed propter alios, scilicet, in persona cuiuscūque iusti, nō confirmati in gratia. Vltimò confirmatur ratione ista, ego sum in gratia, pendet ex sola voluntate diuina acceptante nostram pœnitentiam: voluntas autē Dei nemini est nota, nisi per reuelationē: quare neq; eius effectus, scilicet, creaturā esse illi gratā. Hæc cōclusio est contra

S. Tho. de verit. q. 24. art. 9. Cano. de locis lib. 6. c. 3. *Eccles. 5.* *Nico. Lyran.* *1. ad Cor. 4.* *D. Ambro.* *D. Chrysost.*

contra Catherinum, & alios quosdam catholicos, quos quidem post concil. Trid. credendum est, Palonidiam cantasse.

CONCLVSIO V.

Temerarium est, & fortassis error affirmare, posse aliquem citra reuelationem habere certitudinem moralem suæ gratiæ, & iustitiæ. Et ratio est; quia certitudo moralis excludit omnem formidinem, & scriptura sacra multis in locis apertissimè docet virum iustum debere semper pauidum esse, & cùm metu, & timore operari. Iob. verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti. Et Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato. Et c. 28. beatus vir, qui semper est pauidus. Tum etiam quia id, quod est moraliter certum, absquè vlla hæsitatione potest iuramento confirmari, & nemo potest iuramento confirmare se iustum esse. Hæc est contra Vegam, & Sotum.

Iob. 9. *Prouerb. 20. & 28.*

Hinc vir iustus non poterit esse tam certus de sua gratia, ac est certus, se esse baptizatū: nā, vt sit certus se esse baptizatum, satis est intētio ministri cōferētis sacramentū, de qua nullam habet rationabilem dubitandi, aut formidandi causam: at verō vt certus sit de sua gratia, debet certus esse, se carere omni peccato ex ignorantia, & remissionem peccatorum accepisse, & Deo placere, & omnia eius præcepta rectè impleuisse, quæ citra reuelationem cognoscere potest nemo.

Append.

CONCLVSIO VI.

Vir iustus potest nihilominus certitudinē coniecturalē, siue ex cōiecturis suæ gratiæ habere. Et ratio est: quia cum vita hæc in periculis versetur, via in exilio, finis in dubio, vt D. Aug. & experientia docent, pro solatio nostræ peregrinationis Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Sunt autem testimonia, & signa, siue coniecturæ multæ, & variæ in sacris literis, ex quibus colligitur dicta certitudo: sed cum timore, & tremore, & metu, formidineque. Vt est illud Isaiæ testimoniū. Erit opus iustitiæ pax, &c. Et illud. Si impius egerit pœnitētiā, &c. Et illud. Cor cōtritū, &c. Et illud. Dixi cōfitebor aduersum, &c. Et tu remisisti. Et illa, quæ 1. Cor. 13. à D. Paul. recēsentur, vbi ait. Charitas benigna est, &c. & ad Galath. 5. fructus autem spiritus, &c.

D. Augustin. soliloquio. *Ad Rom. 8.* *Isaiæ. 32.* *Ezech. 18.* *Psalm. 50. & 31.* *1. Cor. 13.* *Ad Cal. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

de quibus signis copiosissimè disputat magister Vega lib. citato adducens multorum sanctorum patrum auctoritates, & omnium theologorum testimonia, quorum est communis sententia, quæ in hac vltima conclusione continetur.

Quæ omnia, amice lector, attentissimè erant legenda, non tam ad publicas conciones, vel disputationes habēdas, quam ad nos ipsos discutiendos, & videndum. Sit ne in nobis aliquod iustitiæ vestigium? Opera enim nostra testimonium perhibent de nobis, iuxta illud. A fructibus eorum cognoscetis eos. Ex quibus opinionem, & non fidem catholicam, aut moralem nostræ iustitiæ poterimus habere. Et ratio est; quia dicta charitatis signa sunt æquiuoca: nam possunt etiam à sola virtute morali proficisci: vt extant innumera gesta Socratis, & aliorum philosophorum moralium his virtutibus plena.

Matth. 7.

Hæresis.

Hinc confutantur duæ hæreses in principio quæst. positæ, quæ omnium fere vitiorum parentes, & proximæ causæ agnoscuntur. Nam lutherani sua falsa, & pestilentissima certitudine auocāt suos auditores ab exercitio omniū bonorum operum, & laxant concupiscentiæ habenas: vt illam quocunque voluerit, abire sinant. Quia per fidem solam iustificari se putant, & per illam se certos esse de sua salute credunt. Quidè quòd nihil Deo magis iniurioſum esse potest, quàm affirmare illum recipere in suam amicitiam fures, sicarios, parricidas, adulteros, & quoscunque alios flagitiosos, & scælestissimos homines, & habitare in illis, & multa illis spiritualia dona concedere, dum modò in illis firma, fixaque fides permaneat. Castrum verbo fides hæresi. 2. contra hæreses lege.

S. Tho. art. 5. ad. 2. vbi. 3. & in p. p. q. 87. art. 2. ad 1.

Scot. in 3. distin. 23. q. vnica.

Caiet. art. 5. citato.

Soto in apolo. contra Cathe rinum cap. 5.

Vega lib. 9. citato c. 37.

Prima diffi. Potest ne aliquis habere suæ fidei certitudinem?

QVoniam hæretici ex certitudine fidei malè gratiæ certitudinem colligebant, oportet modò hanc difficultatem explicare. Duplex autem est modus grauissimorum doctorum asserentium certitudinem de fide infusa. Lege omninò Vega vbi sup. & cap. 15. eiusdem lib.

CON-

CONCLVSIO I.

Potest quilibet Christianus suæ fidei actualis, & habitualis acquisitæ habere experimentalem certitudinem. Et ratio est, quia habet experientiam huius actus, scilicet, credo, quicquid ecclesia Romana credit. Experiturque simul se sine resistentia, & delectabiliter, huiusmodi actum elicere.

CONCLVSIO II.

Nullus Christianus certitudine, cui non potest subesse falsum, est certus se fidem infusam habere. Et ratio est; quia fides infusa non infunditur nisi in baptismo, vel extrà, simul cum gratia, & cùm non sit hæc de fide, ego sum baptizatus, vel ego sum in gratia, nequè erit de fide, quòd ego habeam fidem infusam: quoniam hæc, ego habeo fidem infusam, ne què est reuelata, nequè sequitur ex reuelatis. Et quod Caiet. & alij affirmant istam, christianus habet fidem infusam, ita esse de fide, sicut est ista, verbum est incarnatum, est intelligendum in generali de quocunq; fideli baptizato; non tamen de aliquo in particulari: quia nulla particularis, vt ista, ego habeo fidem infusam, est de fide. Non enim est reuelata, neq; sequitur ex reuelatis, sed est certa, propter experientiam fidei actualis, & acquisitæ. Nunquam enim fuit mihi euidens, quòd fuerim baptizatus, vel quòd fuerim in gratia quæ quidem fuerunt simul, quando infunditur gratia: vt ex cap. 7. sess. 6. in concil. Tridentino constat.

Concil. Trid. sess. 6. c. 7.

CONCLVSIO III.

Potest nihilominus aliquis christianus habere suæ fidei infusæ moralem fidem, cui stultum esset non assentiri. Et ratio est, propterea quòd habet fidem moralem, quod sit baptizatus, & in baptismo secundum veritatem catholicam recipiunt omnes fideles fidem infusam, quam nullus, nisi per peccatum infidelitatis, amittit.

Alex. Alen. p. 3. q. 65. Vega vbi. 3. cap. 38. Castro cōtra hæreses. verbo fiducia, & verb. fides Hæresi. 2.

Secunda diffic. Vtrùm possit aliquis certitudinem fidei, aut moralem suæ spei habere?

HAec etiam diffic. contra lutheranos tractatur, qui sicut ex certitudine fidei sine operibus, ita etiam ex certitudine

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota. tudine spei, siue fiduciæ, gratiæ certitudinem falsissimè, &
S.Thom.2.2. ineptissimè, vt solent colligebant. Spes, vel sumitur pro ha-
q.18. art. 4. bitu supernaturali infuso, inclinante nos ad expectandam
& q.129.art. gloriam, & hæc ab omnibus theologis definitur. Virtus diui-
6. nitùs infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, &
æternæ vitæ bona expectantur. Vel sumitur secundò pro
actu elicito, quo gloriam ipsam expectamus, quæ diffinitur.
Certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis, & gratia
proueniens. Fiducia autem est spes, aut firmitas, siue robur
ipsius spei, per quam volumus al quod bonum arduum, no-
bis possibile, quod non pusillanimis, sed magnanimis con-
tingit.

CONCLVSIO I.

Quilibet christianus suæ spei actualis potest esse certus. Et
ratio est; quia quilibet est sui actus conscius.

CONCLVSIO II.

Non potest suæ habitualis spei infusæ certus esse. Et ratio
est, quia spes infunditur in baptismo, & non est infallib liter
certum, nos esse baptizatos. Potuit enim deesse ministri ba-
ptizandi intentio.

CONCLVSIO III.

1.Ioan.3. Bonis actibus nostræ spei certitudinem augere possumus.
Psal.4. 1.Ioan.4. si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habe-
Concil.Trid. mus ad Deum. Et psalm.4. sacrificate sacrificium iustitiæ, spe-
sess.6.c.16. rate in Domino. Et ratio est, quia Christus, cui, vt est redem-
ptor, & confidendum, &, vt est legislator obediendum, maxi-
mè à nobis post ilat bonorum operum exercitationem, &
mandatorum Dei obseruantiam, vt spes nostra multò maior,
& robustior efficiatur.

CONCLVSIO IIII.

Spes nostra ex parte Dei promittentis certa, & infallibilis
Roman.c.5. est. Probatur ad Roma. 5. spes autem non confundit, acsi di-
cat. Non deficient promissa diuina: ita vt expectantes in ipso
Psal.30. erubescamus. Vnde Dauid. In te Domine speraui, non con-
Psal.24. fundar in æternum. Et alibi. Non erubescam, quoniam spera-
ui in te. Et ratio est; quia cum Deus neminem possit decipe-
re, quantum est ex parte sua, adimplebit promissum.

CON-

CONCLVSIO V.

Spes ex parte nostra est incerta, & fallibilis, metumquè, & Eccl.1.
trepidationem habet coniunctam. Constat Eccles.1. qui sine Ad Rom. 11.
timore est, non potest iustificari. Et Paul. ad Roma. qui stat,
videat ne cadat. Et ratio est, quia promissa Dei sunt sub hac le-
ge, scilicet, dummodò nos eius mandata obseruemus. Nam
cùm lapsi fuerint Lucifer, Saul, Salomon, & Iudas proditor,
& alij innumeri, & intelligamus, non magis nobis Dei tute-
lam, & gratiam deberi, quàm illis, non est, cur ex parte nostra
spem certam, & infallibilem habeamus, & sine metu, & tre-
pidatione viuamus.

Hinc, quamuis spes assequendi beatitudinem sit incerta ex Append.1.
parte nostra: tamen quia ex parte Dei promittentis est certa,
possumus absolutè concedere nos certam, & infallibilem
beatitudinis spem habere. Et ratio est; quia ad certitudinem
spei, quam in amico habemus, satis est nos pro certo ha-
bere amicum, nunquàm non promissa seruaturum, quàm-
uis timeamus nos in conditione, & lege ab amico posita de-
futuros.

Hinc, non requiritur hoc iudicium certum, & infallibile, Append.2.
ego consequar salutem. Tunc enim omnes Christiani de
nostra prædestinatione, & perseuerantia essemus certi, quod
est hæreticum, & est; vt tale, definitum in concil. Trident. sess.
6.can.15.&.16.

Hinc, quilibet fidelis faciens, quod in se est, firma, & cer- Append.3.
ta spe tenetur in hac vita per sacramentum baptismi, & pœ-
nitentiæ peccatorum remissionem, & in futuro sæculo vitam
æternam expectare. Nam si talem spem non habuissemus,
frustrà Christiani essemus. Et ratio est; quia spes christiana,
quæ innititur diuinis promissionibus, Deique misericordiæ,
& omnipotentiæ fallax esse non potest. Quemadmodum spes,
quæ in homine collocatur, fallax est: quoniam, & verbum ho Psalm. 144.
minis, & eius potentia deficere potest. Psalm.144. Nolite con-
fidere in principibus, &c.

Hinc, etiam, fideles nonnunquàm possunt certò sperare, Append.4.
& confidere se remissionem peccatorum consecutos fuisse,
& gratiam obtinuisse. Et ratio est; quia Deus paratissimus

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

eſt ad conferendam nobis gratiam, & remiſſionem peccatorum per ſacramentum baptiſmi, & pœnitentiæ, ſi obicem non poſuerimus, & eius mandata ſeruauerimus. Sic enim multis in locis ſacræ ſcripturæ ab eo promiſſum fuiſſe legimus. Quare ſi nulla ratio probabilis dubitandi apperuerit, nullinſque peccati conſcij fuerimus, certò nos remiſſionem peccatorum conſequutos fuiſſe ſperare poſſumus. Certitudo enim ſpei, & confidentiæ ſæpiſſimè de his, quæ ſecùs accidere ſolent, habetur: vt patet Luc. 12. exemplo diuitis dicentis. Anima mea habes multa bona, &c. Cuius ſpes nocte ſequenti fuit fruſtrata. *Luc. 12.*

Hinc, homines iam, iam moriturí, tenentur præcepto diuino certam ſpem, & fiduciam de miſericordia Dei, & peccatorum remiſſione per ſacramenti pœnitentiæ receptionem concipere. Et ratio eſt, quia nulla ratiò ſpei, & confidentiæ poterat illos conſolari, ſi non poſſent certò ſperare, ſe iam per adminiſtrationem, & ſuſceptionem ſacramentorum, cum Deo in gratiam rediiſſe. Idem de timidis, & ſcrupulosis hominibus eſto iudicium. *Append. 5.*

Hinc, pœnitùs euellitur hæreſis Lutheri, & omnium, qui lutherano nomine cenſentur, affirmantium, fiduciam gratiæ, & gloriæ non in noſtris operibus: ſed in ſolis Chriſti Ieſu meritis eſſe collocandam. Non enim dicebant illi perditiſſimi, poteſt fiducia in duabus ſimul rebus collocari. Quod eſt falſiſſimũ: quia non repugnat rationi fiduciæ: vt in duobus, vel pluribus collocetur ordine quodam: ita vt in vno primo, & principaliter, & poſteà in alio minus principaliter conſtituatur, vt patet exemplo hominis infirmi aliquam ſpem ſalutis habenti, qui primam ſalutis fiduciam in Deo conſtituit, deinde in aliis multis rebus, videlicet, in medico, in aromatario, in minutore, in loco, vbi reſidet, in bona complexione ſua, & in ſuo regimine, in quibus omnibus, cum (vt apertiſſimè conſtat) ad ſanitatem recuperandam adiuuent, poterit infirmus fiduciam ſuæ ſalutis collocare. Perinde etiam theologãdum eſt in præſentia contra iſtos nebulones, debere nos collocare, ac ponere fiduciam, & ſpem habendi gratiam, & gloriam primo, & principaliter in Chriſto, quatenus Deus eſt: *Hæreſis.*

quia

quia ea ſola ratione potẽs eſt dare nobis gratiam, & gloriam: iuxta illud quod propheta ait, gratiam, & gloriam dabit Dominus. Et in eodem Chriſtõ, quatenus homo eſt, tanquàm in eo, per cuius merita, gratia nobis reddenda eſt. Hic enim eſt, qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui redimit de interitu vitam noſtram, qui coronat nos in miſericordia, & miſerationibus, in quo etiam habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius. Et poſt Chriſti merita ſuccedunt bona hominis opera, ſine quibus, etiam ſtante merito Chriſti, nullus poteſt vitam æternam adipiſci: quia Chriſtus dixit. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: quare in bonis operibus noſtris propter miſericordiam Dei, & propter promiſſionem ſuam, quã promiſit hominibus, ſe daturum mercedem ſuam propter bona opera, non autem quòd ex naturâ ſua debeatur illis merces vitæ æternæ, erit quoque fiducia collocanda. Non enim ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vnde confidentes in bonis operibus nihil honori diuino detrahimus: vt lutherani nobis obiiciunt. Quoniam eam fiduciam, quam in noſtris operibus collocamus, in Dei bonitatem, & miſericordiam reiicimus: quia agnoſcimus per illam nobis euenire, q̃ bona opera operari poſſimus, & quòd per illa aliquid apud Deum mereri valeamus. *Pſal. 83.* *Pſal. 102.* *Epheſi. 3. c.* *Matth. 19.* *Ad Roma. c. 8.*

Magiſt. Sent. Diſtinct. XXVII.

MAgiſter in hac diſtinct. quatuor in ſumma proponit. Et primum eſt, definitio virtutis, quæ dicitur bona qualitas mẽtis, qua recte viuitur, & qua nullus malè vtitur, quam ſolus Deus in homine operatur. Quæ definitio eſt D. Auguſt. *D. Aug.*

Hinc, ſequitur primò, fidem non eſſe à nobis, ſed à Deo: vt D. Paul. docuit dicens. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem; & hoc nõ ex vobis. Dei enim donũ eſt. Secundò ſequitur omnẽ virtutẽ infuſam, cũ ſit qualitas, nõ eſſe aliquo modo à libero arbitrio: ſed à ſolo Deo. Secundum eſt. ſ. gratia non eſt morus Append. 1. *Ad Epheſi. c. 2.*

liberi

Universidad de Deusto
Biblioteca

liberi arbitrij: sed est virtus, qua anima iustificatur, & sanatur, vt possit per liberum arbitrium meritoriè operari. Et ratio à simili est. Nam vt pluuia non est terra, aut germen, sed est aqua, qua terra, vt operetur, rigatur: ita gratia non est anima, vel animæ operatio, sed qualitas, qua anima sanatur, vt meritoriè opereretur. Tertium est, nempè, gratia, & liberum arbitrium constituunt vnum principium actus meritorij, & merita ipsa dona Dei sunt. Et est D. August. dicentis. Coronat Deus in nobis dona sua, & merita nostra. *D. Aug.*

Hinc quando D. Paul. dicit gratia Dei vita æterna: non est intelligendus ita, q̃ gloria Dei detur gratis sine meritis: sed q̃ merita ipsa, per quæ datur gloria, sint effectus gratiæ. *Append. 2. Ad Rom. 1.*

Quartum est, videlicet, vsus bonus liberi arbitrij principaliter à virtute: minus autem principaliter à libero arbitrio est. Hinc cùm duo sint præcipui gratiæ effectus, vt ex dictis à Magistro constat, scilicet, sanare animam, & efficere vt eius opera sint vitæ æternæ meritoria, doctores scholastici in hac distinct. de iustificatione, & merito disputant. Explicabitur autem littera Magistri vnica quæstione.

Quæst. vnica. De effectibus Gratiæ.

Artic. I. De Iustificatione.

DE iustificatione disputat Alexand. Alen. in. 4. p. q. 17. m. 4. sparsim per totum, vbi docet, quid iustificatio sit, & quæ ad eam concurrant, & quo ordine, & in. q. 8. m. 5. art. 3 §. 1. ad argum. eiusdem partis, vbi an, ad iustificationem impij requiratur verbum sensibile? declarat. Et in eadem. p. 4. q. 10. m. 4. art. 2. §. 5. quæst. 5. collaterali ad argum. vbi explanat. Quomodo iustificare sit maius opus, quam creare cœlum, & terram. Et rursus in eadem. p. q. 5. m. 5. artic. 5. §. 8. vbi tradit: quomodo iustificatio nostra à sacramentis, à Deo, à gratia, à fide, à charitate, à sacerdote, à mandatis, à lege, & ab operibus esse dicatur. &. q. 17. m. 5. art. 2. ad argum. in fine, vbi exponit: quare iustificatio non sit sine nobis, sicut creatio

creatio nostri est sine nobis. Item in. 2. p. q. 42. m. 2. art. 4. Vbi, an sit iustificatio opus miraculosum: tractat. Et tandem in 3. p. q. 61. m. 6. ferè per totum, Vbi iustificare, excitare, motus meritorios elicere, purgare, illuminare, perficere, viuificare, assimilare, gratificare: an sint proprij, & per se actus gratiæ? Tum si iustificare priùs sit, quàm viuificare, & purgare, quàm illuminare, abundè declarat. Agit etiam copiosè S. Thom. 1. 2. tota q. 113. Et S. Bonauen. Durand. Ricard. Scot. hac dist. 17. Vega lib. 4. c. 6. & 7. super concil. Trid. & sparsim in toto illo opere, & in opusculo de iustificatione. Et Soto lib. 2. de natura, & gratia. Iam restat: vt absoluamus articulum hunc, iuxta methodum, à nobis obseruari solitam.

Prima diffic. An iustificatio sit?

CONCLVSIO.

EST procùl dubio. Eius enim passim sacra scriptura mentionem facit, & de ea omnes doctores catholici citati, & sancti patres tractant, etiam hæretici illam esse confitentur: sed illi, vt infrà dicetur, mendatiis, & astutiis suis nebulam quandam, & tenebras errorum, & hæresum obiiciunt.

Secunda diffic. Quid nomen iustificationis significat?

CONCLVSIO.

VArias, & notatu dignas significationes ad scripturam sacram intelligendam habet. Hæc conclusio non aliter meliùs, quàm enumeratione significationum probari potest: nam primò iustificatio, siue iustificare pro eo, q̃ est aliquem iustum, & innocentem verè, vel falsò pronunciare, & prædicare, sumitur. Quomodo in foro exteriori iustificatur reus, quando absoluitur. Et hoc modo intelliguntur varij scripturæ loci, vt Matth. 12. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, idest, iuxta opera tua iustificaberis, aut condemnaberis. Et hoc etiam modo dicitur *Vega lib. 5. cap. 3. & lib. 55. c. 5.* *Matth. 12.*

Luc.7. homo iustificare Deum, ideſt, iuſtum confiteri, vt Luc. 7. Iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filijs ſuis, ac ſi dicat; Deus eſt pronunciatus iuſtus ab omnibus filijs ſuis. In hoc ſenſu *Matth.6.* oramus dicentes. Sanctificetur nomen tuum, ideſt, te omnes *Luc.1.* iuſtum, & ſanctum in tuis actionibus confiteantur. Et rurſus magnificat anima mea dominum, ideſt, magna Dei opera extollit, & prædicat. Et Proueb. 17. Qui iuſtificat impium, & condemnat iuſtum, vterquè eſt abominabilis apud *Iſai.5.* Deum. Et Iſai. 5. Væ, qui iuſtificatis impium pro muneribus. Secundo iuſtificari eſt augmentum iuſtitiæ ſumere. *Apoc.22.* Apocal. 22. Qui iuſtus eſt iuſtificatur adhuc. Et Eccl. 18. Ne- *Eccl.18.* vereatis iuſtificari vſquè ad mortem, ideſt, incrementum *Iacob.2.* iuſtitiæ acquirere. Et Iacob. 2. Nonne Habraam ex operibus iuſtificatus eſt, &c. ideſt. Nonne acquiſiuit iuſtitiæ augmen- *Ad Roma.6.* tum. Tertiò accipitur pro eo, quod eſt, liberum eſſe ab aliqua ſeruitute. Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato *Pſal.81.* (ideſt à cauſis peccati) & dura eius ſeruitute eſt liberatus. Quartò ſignificat ius ſuum vnicuiquè reddere. Pauperem iu- *Iob.c.9.* ſtificare ideſt, in iudicio illis ius ſuum reddite. Quinto idem eſt, quod ſe ipſum defendere. Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Sextò ſumitur pro eo, quod eſt, ex non iuſto facere iuſtum. Quomodo Adam in primordio ſuæ creationis declarant theologi fuiſſe iuſtificatum, & iuſtitia originali donatum. Vltimò ſumitur pro mutatione à pec- *Ad Roma.3.* cato ad gratiam: vt ad Roma. 3. Iuſtificati gratis. Et cap. 4. *4.& 8. cap.* ei, qui non operatur, &c. Et cap. 8. Quos vocauit, hos, & iu- *1.Cor.6.* ſtificauit. Et. 1. ad Corint. 6. recenſitis multis peccatis, ait: Hæc aliquando eratis; ſed abluti eſtis; ſed iuſtificati eſtis. Et de hac ſignificatione inſtituta eſt præſens diſputatio, qua *Concil.Trid.* dicitur iuſtificatio, mutatio à peccato ad gratiam, per quam *ſeſſ.6.c.4.* iuſtus cõſtituitur filius Dei. Hac enim de cauſa, ſcilicet, vt conſtaret, de qua ſignificatione erat à nobis diſputandum, fuit propoſita præſens difficultas.

Definitio quid nominis iuſtificationis.

Hinc iuſtificatio nihil aliud eſt, quam iuſti effectio iuxta nominis etymologiam.

Tertia diffic. Iuſtitia, à qua iuſtificationis nomen deducitur, quid ſignificat?

MEritò hoc quæritur, quia iuſtitia ſex modis ſumitur. *Vega.c.4.lib.* Nam prima iuſtitia vocatur interna, quæ non eſt vna *5.* qualitas numero, & vocatur perfectio chriſtiana, conprænhenditquè tres virtutes theologales, fidem, ſcilicet, ſpem & charitatem, quibus virtutibus homo apud Deum iuſtus nominatur. Secunda eſt externa tantùm abſquè rectitudine interiori, eſtque obſeruatio præceptorum exteriorum, & dicitur iuſtitia phariſaica, quæ in hypocritis in eorum magnum malum altas agit radices. De hac legitur Matth. c. 5. Niſi abũ- *Matth.c.5.* dauerit iuſtitia veſtra plus, quàm ſcribarum, & phariſæorũ. Tertia eſt iuſtitia legalis, quæ eſt obſeruatio omnium præceptorum legis Moſaicæ, quã D. Paul. vocat iuſtitiam legis, ad differentiam iuſtitiæ fidei. Quarta eſt iuſtitia chriſtiana, quæ *Philip.3.* eſt obſeruatio illorum præceptorum, quæ in euangelio duntaxat, & non alibi continentur: vt eſt præceptum confeſſionis, & Euchariſtiæ, &c. Et hæc, ad diſtinctionem iuſtitiæ legalis, iuſtitia fidei nũcupatur. Quinta eſt iuſtitia moralis, quæ vel eſt habitualis, ſcilicet, habitus acquiſitus, & ſtudioſus, inclinans ad benè operandum; vel eſt actualis, quę eſt actus quo ius ſuum vnicuique per leges ciuiles tribuitur. Hęc vel eſt politica, vel æconomica. Prima eſt inter ciues: ſecunda verò inter domeſticos. Sexta iuſtitia eſt theologica, & hæc eſt obſeruatio mandatorum, non ſolum quò ad ſubſtantiam actus: verùm etiam quò ad intentionem præcipientis. Et hæc vel eſt actualis, vt quando aliquis actualiter meritorie operatur: vel eſt habitualis, ſcilicet, gratia gratum faciens. Ijs ita poſitis, reſpondetur difficultati.

CONCLVSIO.

Iuſtificatio, de qua modò eſt ſermo, à prima iuſtitia, ideſt, ab interna, & à ſexta, quæ theologica eſt, deducitur. Et ratio eſt: quia cum iuſtificatio ſit mutatio à peccato ad gratiam, per quam iuſtus conſtituitur filius Dei, & per iuſtitiam primo, & ſexto modo ſumptam, homo iuſtus efficiatur, ab illa nomen iuſtificationis deriuabitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta diffic. Quidnam est iustificatio?

Alex. Alen. p. 4. q. 17. m. 4. art. 1. S. Tho. art. 1. vbi. 5. Duran. in. 4. d. 17. q. 1. & aly in principio citati. Soto. lib. 2. c. 6. Vega lib. 5. cap. 1. & 11. & Castro verb. fides. Hære. 2. Ad Col. 1. 1. ad Cor. 6.

VAriæ definitiones à doctoribus traduntur. Nam primò apud Alexan. Alen. ita definitur, Iustificatio est liberi arbitrij rectitudo, qua quidem rectitudine anima ordinata est à Deo, principio, scilicet, mouẽte in ipsum finem. Quando enim hi sunt termini, inter quos mouetur anima, nec recedit ab illis, tunc est iustitia in illa. Secundò à B. Thoma, ita definitur cum gloss. interlin. ad Roma. 8. super illud, Quos vocauit, &c. Iustificatio est peccatorum remissio per gratiam Spiritus sancti. Tertiò, vt colligitur ex eodem doctore Angelico recessus à peccato, & accessus ad iustitiam, quæ definitio ex multis locis sacræ scripturæ colligitur.

Quartò definitur. Est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, Iesum Christum, saluatorem nostrum. Hæc est perfecta definitio, quæ traditur in concil. Trid. sess. 6. cap. 4. & colligitur ex illis verbis ad Coloss. 1. Qui fecit nos dignos in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ filij dilectionis suæ. Et ex illis, Hæc aliquãdo fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. Et animaduerte cum Vega cap. vbi sup. descriptionẽ hanc non ad omnem iustificationem impij se extendere, sed solùm ad primam omnium iustificationem. Et ratio est, quia cum iustificatur impius, qui iam semel iustificatus, iustificationem suam perdidit, non transfertur in filium Dei ab eo statu, in quo nascitur homo filius primi Adæ, sed ab eo potius statu, in quem seipsum sponte sua præcipitauit, efficiens se filiũ & captiuum diaboli.

Alex. Alen. m. 4. p. 17. m. 4. art. 6. §. 2. Vega. q. 2. opuscul. de iustificatione.

Quinta diffic. Vtrùm in iustificatione impij omnino peccata omnia auferantur, & radicitus euellantur?

CONCLVSIO.

IN iustificatione impij haut peccatoris, vere ei omnia peccata commissa remittuntur; imputabuntur tamen eidem morta-

mortalia post iustificationem committenda. Et ratio primæ partis est; quia iustificatio fit, mediante gratia, & hæc nullum secum compatitur peccatum. Quæ societas lucis, id est, gratiæ ad tenebras, scilicet, peccatorum. Non enim datur medium inter filium regni, & filium perditionis, & per gratiam iustificatus efficitur filius regni, sicut per peccatũ homo filius perditionis esse dicitur. Secunda pars conclusionis probatur Ezechiel. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur.

2. Cor. 6.

Ezechiel. 18.

Hinc, Deus non iustificat peccatorem dissimulando eius peccata, sicut iudex iustificat impium pro muneribus, aut non imputando peccata facienda ad gehennam, quia Deus odio habet peccatores; & odio habere illos, est velle eos punire. Tunc enim Deus esset autor, & patronus peccari, si hominem manentem in peccatis, solùm dissimulando eius peccata, iustificaret.

Append. 1. *Isai. c. 5.*

Psal. 5.

Hinc, confutatur hæresis lutheranorum, affirmantium hominem solùm iustificari apud Deum secundum iustificationem in genere, quia Deus pronunciat illum iustum per fidem solam, quàmuis sit iniustus per opera, instar iudicij humani, in quo plerumquè nocentes iustificantur, eò quòd à iudicibus absoluuntur. Vnde iustificationem solam imputationem peccatorum ad pœnam æternam definiebant, & alia peccata non imputari nobis, cùm omnia opera nostra sint peccata, sed propter solam infidelitatem hominem damnari, quod est contra euangelium è diametro. Nam Matthæi. 7. legitur. Multi dicent in illa die, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, &c. vsquè iniquitatem.

Hæreses.

Matth. 7.

Hinc, isti erunt fideles, aliter non potuissent operari miracula, & damnabuntur propter alia peccata. Diues epulo fuit damnatus propter sæuitiam in Lazarum. Et Adam fidelis erat, & fuit reus gehennæ propter esum ligni prohibiti, &

Append. 2. *Luc. 16.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 25. Vega. Soto. Castro.

in damnatos feretur sententia. Ite maledicti, &c. quia esurij, &c. Et imputantur alia peccata; ergo non propter solam infidelitatem homines condemnantur. Lege Vegam vbi suprà. Et Sotum lib. 2. de natura, & gratia cap. 19. Castrum verbo fides, hæresi. 2. & verb. opera, hæresi. 1.

Sexta difficult. Est ne iustificatio sola peccatorum omnium remissio?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. 4. p. q. 17. art. 6 m. 4. Vega lib. 5. à cap. 5. vbi. 5. ad. 11.

IVstificatio non est sola peccatorum remissio: verùm etiam renouatio, & multorum beneficiorum collatio. Hæc conclusio est definita in concil. Trident. sess. 6. cap. 7. Sunt autem bona, quæ iustificatio in se complectitur, multa, & eximia, quæ à patribus: vt facillimè memoria teneri possint, non incommodè in quatuor summa capita reducuntur. Et horum primum est reconciliatio cum Deo. Secundum peccatorum, quò ad culpam omnem, & quò ad pœnam, vel partem ipsius remissio. Tertium interioris hominis renouatio. Quartum ad gloriam æternam ius, & acceptatio. Et ratio est: quia sicut per peccata Dei inimici efficimur, & iram illius, & reatum ad pœnas graues incurrimus, & bona interioris hominis penè omnia deperdimus, & ius ad gloriam amittimus: ita cùm iustificamur, in gratiam Dei redimus, à reatu pœnæ æternæ liberamur, secundum interiorem hominem renouamur, & ad vitam æternam acceptamur, hæredesquè ipsius constituimur. Tandem penè omnia mala, quæ per peccatum incurrimus, reparat, vel irritat potiùs, & quassat iustificatio, secumquè omnia bona per peccatum amissa adducit. De iis autem effectibus iustificationis disputat magister Vega cap. suprà citatis, quæ omnia si pro meritis æstimarentur, & perpenderentur, iusti difficillimè in peccatum traherentur, & peccatores, spe assequendi ea, molirentur, & ad pœnitentiam inflecterentur. Vnde, & Christus episcopum Ephesi vna memoria status, à quo ecciderat per Ioan. apostolum ortatur dicens. Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam.

Septi-

Septima diffic. Vtrùm Deus, secundum potentiam absolutam, possit remittere culpam absquè iustificatione peccatoris, & gratiæ infusione, relinquèdo hominem in puris naturalibus sine gratia, & peccato?

S. Tho. art. 2. q. 113. & Scot.

COntrouersia est circa hanc difficultatem inter S. Tho. & Scotum, quàm definitam inuenies in floribus quarti, q. 1. de pœnitentia. Et art. 5. Alex. in. 4. p. q. 17. m. 4. art. 6. §. 1. partem affirmantem tenet.

Octaua diffic. Vtrùm iustificatus denominetur formaliter iustus à iustitia sibi inhærente. An potiùs à iustitia, quæ est in Christo?

Alex. Alen. & S. Thom. vbi. §. Vega lib. 7. super concil. Trid. à c. 21. vsq. ad 25. Soto lib. 2. de natura, & gratia, c. 19. & 20. 1. Animad. Append. 1.

IN hac difficultate bellum nobis est cum lutheranis; sed vt veritas clariùs resplendeat, animaduerte sequentia.

Iustitiam Christi nobis imputari, nihil aliud est, quàm Deum communicare nobis gratiam, & nostra acceptare merita, habita ratione ad passionem Christi; ita quòd si non intercederet Christi passio, nequè Deus nobis gratiam daret, nequè merita nostra ad satisfactionem, & ad gloriam acceptaret, nequè peccata nobis remitteret, quantumcunquè eorum nos pœniteret. Et in hoc sensu sunt sacræ scripturæ autoritates interpretandæ, in quibus Christus dicitur propitiatio, & redemptio nostra, idest, propitiatur nobis, & acceptat opera nostra, & communicat iustitiam, scilicet, gratiam, habita ratione ad Christi passionem, & merita.

Hinc, hæc propositio, nos sumus iusti iustitia Christi, in sensu causali est catholica. Et ratio est; nam, vt hæc est vera, ego sum calidus calore solis causaliter, siue efficienter, idest, calore effecto à sole: ita, & hæc, ego sum iustus iustitia Christi, idest, per iustitiam causatam in me propter merita Christi. In sensu autē identico, & denominatione extrinseca,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est hæretica. Quomodo lutherani illam intelligunt dicentes, nos esse formaliter iustos per iustitiam inhærentem Christo, quæ imputatur nobis, & nullo modo per iustitiam nobis inhærentem.

2. Animad. Hoc verbo imputari hactenus non vsi fuere scholastici doctores; sed eius loco verbis applicari, & communicari insinuabant virtutem passionis Christi in sensu prædicto nobis communicari. Solus D. Bernar. vsus fuit verbo imputari in epistola 109. Lutherani verò passim illud vsurpant; sed in alio sensu, quàm D. Bernardus.

Append. 2. Hinc, cauendus erit modus loquendi hæreticorũ, scilicet, iustitia Christi imputatur, ac si esset nostra; concedendum tamen est imputari nobis ad præfatum sensum, iuxta mensuram dispositionis in adultis; in paruulis autem finitè, & limitatè per sacramenta ex opere operato.

3. Animad. Vna, & eadem iustitia nobis inhærens dicitur esse Dei, siue Christi, & nostra: diuersis tamen respectibus. Dicitur enim esse Dei; quia ab eo nobis propter merita Christi infunditur. Et nostra; quia per eam nobis inhærentem iustificamur. Definita est in concil. Trident. sess. 6. cap. 7. & c. 16.

4. Animad. Iustitia, qua iusti apud Deum sumus, non est vna qualitas: sed triplex, scilicet, fides, spes, & charitas. Ita definitum est in concil. Triden. vbi sup. cap. 7. Ibi enim ita legitur. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.

Append. 3. Hinc hæc tria sunt tres qualitates positiuæ. Alioquin non essent infusæ. Nam quod ens reale non est, non infunditur.

5. Animad. Duplex est denominatio. Vna intrinseca, quæ est à forma inhærente subiecto; vt album ab albedine, quæ est forma absoluta, & pater à paternitate, quæ est forma relatiua, secundum esse. Altera est extrinseca, quæ fit à forma non subiecto inhærente: sed sola correlatione secundum dici; vt paries dicitur visus a visione, quæ est in videnti. Tales sunt omnes denominationes, quæ explicantur per verba actum alicuius potentiæ significantia: vt cognosci, audiri, videri, &c.

CON-

CONCLVSIO I.

Homo formaliter denominatione intrinseca, vel extrinseca non dicitur iustus à iustitia, quæ actu est in Christo, aut ab eius meritis, quàmuis sibi imputentur. Et ratio primæ partis huius conclusionis est, quia cùm iustitia Christi nemini fidelium inhæreat: sed soli Christo dumtaxat, nequè eius merita nobis insint (iam enim præterierunt, erantquè actiones habentes esse in fieri) non dicemur denominatione intrinseca iusti ab illis. Quoniam denominatio intrinseca à forma inhærente fit: vt ex animaduersione quinta constat. D. Aug. Et confirmatur ex B. Augustin. quia sicut Paulus non erat formaliter iustus à precibus, & meritis B. Stephani, quamuis fuerit causa meritoria iustificationis Pauli: ita nequè à iustitia Christi dicemur formaliter iusti, quamuis fuerit causa meritoria nostræ iustificationis. Secunda pars de denominatione extrinseca probatur: quia nulla denominatio ab aliqua forma absoluta est extrinseca, sed tantùm intrinseca, vt ex quinta animaduersione constat. Et ista, homo est iustus, est denominatio à iustitia, quæ est forma absoluta.

CONCLVSIO II.

Homo à iustitia sibi inhærente formaliter, & supernaturaliter apud Deum dicitur iustus. Hæc conclusio à patribus, & scholasticis doctoribus ex multis locis sacræ scripturæ colligitur, ex quibus breuitatis causa accipe vnum ex B. Paul. Ad Rom. c. 5. ad Roma. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et est definita in concil. Trident. sess. 6. cap. 7. & 16. & can. 10. & 11. vbi anathematizantur asserentes hominem per iustitiam, quæ est in Christo, formaliter esse iustum, quare à sufficienti diuisione erit iustus à iustitia sibi inhærente. Nemo siquidem viuit vita alterius, neque sanus est sanitate in altero existente. Et ratione cõfirmatur; quia iustitia supernaturalis constat triplici qualitate, scilicet, fide, &c. vt patet in 4. animaduersione, & ab iis qualitatibus formaliter homo est iustus: quia formalis denominatio intrinseca à sola forma inhærente est: vt in quinta animaduersione declarauimus.

F 5 CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO III.

Hæc propositio, homo est iustus, Dei; aut Christi iustitia, non in sensu formali, aut identico: sed in sensu causali tantùm, idest, homo est iustus iustitia à Deo causata, est intelligenda. Hæc conclusio constat ex append.1. animaduersionis, & ex.1.&.2.conclusione. Et probatur à similinam, vt sequentes autoritates, scilicet, Deutero.30. vbi legitur. Deus est vita tua, & longitudo dierum tuorum. Et psal. 70. Tu es patientia mea. Et iterũ, Tu es domine spes mea, diciturque Christus pax nostra, & aliæ multæ declarantur in sensu causali, dumtaxat. Ideo enim dicitur vita nostra: quia est causa vitæ nostræ. Et pax: quia est pacis. Et spes, quia est spei. Et patientia: quia est patientiæ nostræ causa: ita quoquè quando dicitur iustitia Christi, vel Dei nostra, exponenda est talis propositio in sensu causali. Quia causa iustitiæ nostræ nobis inhærentis est. Et ratione confirmatur; quia vt rigore dialectico hæc est vera, ego sum calidus calore solis, idest, colore effecto à sole & aqua est calida calore ignis, idest, ab igne producto: ita etiam in eodem sensu hæc est vera, homo est iustus iustitia Dei, vel Christi, idest, iustitia à Deo, vel à Christo causata.

Deut.30.
Psal. 70. & 9.
Ad Ephesi. cap.2.

Append.4. Hinc talis propositio, homo est iustus iustitia Dei, quàmuis in sensu causali sit vera: tamen, quia in sensu identico, & formali est falsa, non est absolutè concedenda. Et ratio notanda est; quia nulla propositio habens duplicem sensum, vnum verum, & alterum falsum, est absolutè concedenda. Et hac de causa concil. Trident. locis citatis non illam absolutè concedit: sed explicat. Ita enim omnes sancti patres huiusmodi propositiones declarant. Quod videre licet apud D. August. lib. de spiri. & lit. cap.6.11.18. &. 21. Et lib.3. contra duas epistolas Pelag. cap.7. Et lib.4. de Trinit. cap.12. & in quæst. super Exodum cap.25. Et in tract.26. in Ioann. Et apud D. Hieronymum in dialogo contra Pelagianos, & apud D. Bernard. epist.191. Et apud alios patres ecclesiæ latinæ. Idem quoquè senserunt cuncti patres Græci, nempè, Chrysostomus, Theophilus, Origines locum illum ad Roma.1. Iustitia Dei in eo reuelatur, declarantes.

D. August.
D. Hiero.
D. Bernar.
Ad Roma. 1.
Hæreses lutheranæ.

Hinc, confutatus manet error lutheranorũ affirmantium, nos

nos iustitia Christi iustificati in sensu identico, & formali; ac si iustitia Christi esset nostra, ad hunc sensum, scilicet, vt prosit nobis passio Christi ad eosdem effectus, quibus prodesset, si nos ipsi passi fuissemus. Ex quo fonte putridissimo, & fœtidissimo quatuor, velut riuuli pestilentissimi, errores emanant. Quorum primus est, quòd sacramenta nullam causant gratiam: sed solùm sunt signa, quibus Deus imputat nobis merita Christi, acsi essent nostra, qui error destruitur in floribus. 4. in quæstione de causalitate gratiæ in tractatu de sacramentis in genere. Secundus error est, quòd illa imputatio sufficit absquè gratia habituali: quia, vt illi falsissimè aiunt, sumus ita iusti, ac si passi fuissemus, quæ Christus pro nobis passus est. Et hic error ex dictis manet eradicatus. Tertius, quòd nulla pœnitentia est necessaria, nequè satisfactoria: quia sufficit sola mors Christi, quæ est nostra. Qui error fuit destructus in floribus. 4. in tract. de sacram. pœnitentiæ q.1. vbi de eius necessitate disputatur. Quartus tandem error est, quo tenent omnes iustos esse æquales in gratia: quia nemini, inquiunt, datur gratia propter dispositionem propriam: sed propter merita solius Christi, quæ omnibus æqualiter applicantur. Tandem si nos, inquiunt, passi fuissemus eadem omnia, quæ Christus passus est, nulla alia re indigeremus: ita, & nunc, cùm Deus imputet nobis illius merita, ac si essent nostra. Quæ falsissima imputatio est: vt ex dictis in hac difficul. constat. Fuit error iste quartus, & nephandissimus destructus in.2.p. florum.4. in q. de beatitudine, & suprà in floribus huius secundi.

Castro verb. sacramẽtum hæresi.1.
Castro verb. fides. hæresi. 2. & verb. pœnitentis. hæresi.1.
Castro verb. pœnitentia. hæresi.1.
Castro verb. beatitudo. hæresi.7.
Alex. Alen. 4.p.q.17.m.4.art.6.§.3.&.4.& 5.
Tho. vbi. 3. art.3.
Soto lib.1. de natura, & gratia, à cap. 15. vsq; ad 18.
Vega lib.8. super concil. Trid. c.1. & infrà.

Nona difficul. Vtrùm ad iustificationem peccatoris requiratur liberi arbitrij motus?

SEnsus tituli est. An aliquis adultus possit ab statu peccati, siue originalis, siue mortalis ad statum gratiæ transire sine actu voluntatis, quo in Deum, vel per actum amoris referendo se, & sua in Deum, vel per actũ pœnitentiæ conuertatur. De hac difficult. egimus in vlt. diffi. dist.25. huius partis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

partis,& in floribus.4. in q. de contritione artic. 2. diffic. 3. & ibidem art.5.& in q de suscipientib.bap.art.5.&.6.

CONCLVSIO I.

Vega c.5. vbi suprà.

Non potest de lege adultus absque actu liberi arbitrij in Deum iustificari, scilicet, quin dicat, volo deinceps placere Deo, vel pœnitet me peccasse. Et ratio est; quia addiscere est consentire docenti per motum liberi arbitrij, & qui venit ad

Ioan.6.

Christum,audit,& discit à patre. Et confirmatur; quia Deus concurrit ad omnium rerum mutationem, & motum,secundum exigentiam naturæ cuiuscunquè rei. Mouet enim deorsum grauia ratione grauitatis, & leuia sursum ratione leuitatis, & hominem per gratiam adiuuantem ab statu peccati ad statum gratiæ secundum exigentiam suæ naturæ mouet liberè,ita quòd homo liberè gratiam adiuuantem accepter,

Sap.c.8.

velitquè illam,quòd scriptura sacra docet dicens, Deum disponere omnia suauiter.

CONCLVSIO II.

Paruuli, & amentes, siue furiosi, qui nunquàm fuerunt vsi ratione per solum baptismi sacramentum absquè motu liberi arbitrij possunt iustificari. Ratio est; quia sicut peccatum originale ad eos absquè actu propriæ volũtatis per malitiam solius primi Adæ peruenit: ita & iustificatio sine propria voluntate per iustitiam solius Christi applicatam in baptismo

Ad Rom.5.

debet peruenire. Ad Roma. 5. Sicut enim vnius, delicto, &c. Vbi abundauit delictum,superabundauit,& gratia.

CONCLVSIO III.

Si aliquando ratione vsi fuerunt, nisi in sanitate voluntatem recipiendi baptismum cum aliquali suorum peccatorum displicentia habuerint: ita quòd non reuocauerint propositum, non iustificabuntur. Probatur eisdem rationibus, quibus prima conclusio.

CONCLVSIO IIII.

Quanuis gratia gratis data:vt donum sapientiæ, & prophetiæ possit sine actu liberi arbitrij nobis,etiam inuitis,cõmunicari;non tamen gratia gratum faciens. Ratio est: quia gratia gratis data solùm perficit intellectũ,& eius finis non est bonũ recipientis: sed totius ecclesiæ: gratia autem gratum faciens perficit

perficit totam voluntatem, & conceditur ad vltimum finem, scilicet,Deum,assequendum.

CONCLVSIO V.

Ad conseruationem in gratia motus liberi arbitrij à contrario in contrarium non requiritur; benè tamen obseruatio mandatorum desideratur. Ratio est;quia conseruatio non est transmutatio,quemadmodum est iustificario, quæ est motus à contrario in contrarium:vt ex prima conclusione patet.

Hinc confutatur error lutheranorum,quo affirmabãt ho- *Hæresis Luther.*
mines in iustificatione merè passiuè nos ipsos habere, & nihil plus efficere,quàm malleus in manu fabri,& lutum in manu figuli agit. Et est error hic damnatus in multis conciliis, & denuò in Trident. sess.6.cap.5.&.9. Et in multis scripturæ sanctæ locis consensus noster ad nostram iustificationem exigitur:vt suprà citauimus. Qualis ille est Isai. 45. Conuertimini *Isai.c.45.*
ad me,& salui eritis.

Decima diffic. *Est ne actualis motus liberi arbitrij necessarius, quando aliquis suscipit sacramentum, vt gratiam recipiat?*

DE hac difficult.quam colligit Caiet.ex conclusione huius art.disputauimus in floribus.4. lib. in quæst.de effectis Eucharistiæ,difficult.3.artic.1.

Vndecima diffic. *Vtrùm homo adultus de potentia Dei absoluta sine actu liberi arbitrij iustificari posit?*

DVæ sunt opiniones. Vna affirmans Scoti, Vegæ, & Ca- *Scot. Vega.c.*
iet. Altera negans quorundam discipulorum D. Thom. *5.vbi.s.*
super.3.p.quæst.86.artic.2. *Caiet.q.112.*

CONCLVSIO. *art.2.1.2.*

Potest de potentia Dei absoluta sine actu liberi arbitrij adultus

Universidad de Deusto Biblioteca

adultus iustificari. Et ratio est; quia non implicat contradictionem posse Deum dormientem in peccato mortali iustificare, & animum eius habitualiter conuertere, & rectum efficere. Et ratio est; quoniam Deus potest causalitatem efficientis causæ supplere, & actus liberi arbitrij, qui de lege est ad nostram iustificationem perneccssarius, concurrit, vel vt causa disponens: vel vt meritoria: vel vt efficiens, & omnes istæ causæ sub efficienti causa continentur.

Alex. Alen. p.4.q.8.m.7. art. 2. & p. 3.q. 69. m. 3. S.Tho. art.4. vbi.§. Vega in opusculo de iustificatione q. 2. & super concil. lib. 6. à c.12. vsque ad 23. Et Soto lib. 2. de natura, & gratia c. 5. & infrà. Doct.vbi.§. Alex. Alen. p.4.q.15.m. 4. art. 2. Vega in opusculo de iustificatione q.3. Soto cap. 11. vbi suprà. 1. Cor. 13. Ad Hebr. 11.

Duodecima diffic. Vtrùm in adultis ad iustificationem motus fidei requiratur?

SEnsus tituli est. Vtrum in adultis fides actualis ad iustificationem impij requiratur, quia de iustificatione peccatoris non est dubium, cùm iam ipse credat. Inuenies autem hanc difficultatem expositam in floribus quarti in q. de suscipientibus baptismum artic.6.

Decimatertia diffic. *An requiratur fides explicita ad iustificationem?*

Decimaquarta diffic. An sola fides sine operibus sufficiat?

DE iis difficultatibus erat modò disputandum: sed iam multa de eisdem hactenus diximus, & dicentur in floribus 3. libri fauente Deo in tractatu de fide.

Dubium. Iustificatio cur in sacris litteris frequentiùs fidei, quàm charitati, & pœnitentiæ tribuitur?

Ratio dubitandi est: quia charitas est vinculum perfectionis, & sine ipsa fides nihil prodest. Respondeo. Multæ assignantur causæ, sed aliis omissis, sit hæc vna satis, scilicet, quia fides est prima radix, & initium, & fundamentum iustificationis nostræ, & reliquarum virtutum, &c. Iuxta illud. Fides est substantia rerum sperandarum. Hoc est, primum fundamentum: nam sine illa impossibile est placere Deo.

Hinc

Hinc colligitur vera interpretatio illius loci: iustus ex fide viuit, & similium. Sensus enim est fidem esse fundamentum vitæ, non autem totam vitã: vt lutherani falsò sibi persuadẽt.

Append. Ad Hebr. c. 10.

Decimaquinta diffic. Vtrùm ad iustificationem motus liberi arbitrij in peccatum, ideſt, pœnitentia requiratur?

DE hac difficultate agit S. Thom. artic.5. vbi suprà. Et eandem nos explicauimus in floribus quarti lib. in q. de suscipientibus baptismum, & in tractatu de pœnitentia q.1. difficultate.6.

Decimasexta diffic. Vtrùm inter ea, quæ ad iustificationem impij requiruntur, sit remissio peccatorum adnumeranda?

SEnsus tituli est. An sit dispositio præuia ad iustificationem; vt est fides, & pœnitentia, vel potiùs sit terminus, ad quẽ iustificationis? Difficultas hæc magis physica, quàm theologica esse videtur.

Alex. Alen. p.4.q.17. m. 4. art.6. §. 4. S.Tho. art.6. vbi suprà.

CONCLVSIO I.

Ad impij iustificationem quatuor requiruntur. Primũ est infusio gratiæ. Secundum motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & dilectionem. Tertium motus liberi arbitrij in peccatum per eius detestationem. Et quartum peccatorum remissio. Et ratio est: quia in omni motu, quo aliquid ab altero mouetur, tria desiderantur, nempè, motio ipsius mouentis & motus mobilis, & cõsummatio motus, siue peruentio ad finem. Et cùm iustificatio sit motus quidam à statu culpæ, ad statum gratiæ, reperientur quatuor illa, quæ in conclusione continentur: quorum primum, & quartum sunt ex parte Dei; duo autem intermedia ex parte hominis.

CON-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Remissio culpæ ex parte Dei est posterior naturâ infusione gratiæ. Et ratio à simili est; quia sicut sol prius naturâ producit in aere lumen, quàm expellat tenebras; ita Deus prius natura infundit lumen gratiæ in animam impij, quàm tenebras peccatorum expellat. Nam sicut hæc est vera; quia sol producit lumen in aere: ideò expelluntur tenebræ, & non è contrà: quoniam contrariùm adueniens expellit præexistens, quod quidem est verum in quo cumquè alio motu naturali: ita à simili, quia Deus infundit gratiam: ideò remittuntur peccata.

CONCLVSIO III.

Remissio culpæ ex parte hominis est infusione gratiæ prior. Et ratio à simili aliorum motuum est; quia expulsio tenebrarum ex parte aeris prior est, quàm luminis receptio. Disponitur enim aer per tenebrarum expulsionem: nam sicut hæc est vera: quia aer caret tenebris: ideò est dispositus ad receptionem luminis: ita à simili si consideretur iustificatio passiuè, quatenus homo ex iniusto fit iustus, prior est remissio culpæ, gratiæ infusione: quia homo per remissionem culpæ, disponitur. Lege flores quarti.

Flores.4.q.1. de pœn.ar.8. dif.2.&3.

CONCLVSIO IIII.

Gratiæ infusio, & culpæ remissio, quò ad substantiam actus sunt vnus motus. Et ratio est; quia eodem actu voluntatis, quo Deus remittit culpam, infundit, & gratiam: quemadmodum sol eodem actu productionis luminis aerem illustrat, & tenebras expellit. Verùm enimuerò ex parte terminorũ alius terminus est, ideſt, effectus, remissio peccati: alius verò gratiæ infusio: sicut alius terminus est expulsio tenebrarum, & alius luminis introductio.

Append.

Hinc, si iustificatio ex parte Dei actiuè sumatur prò eo, quod est facere iustum, non prærequiritur ad iustificationem remissio, quin potiùs sequitur: si verò accipiatur ex parte hominis passiuè, pro eo, quod est aliquem fieri iustum, culpæ remissio ad gratiæ infusionem prærequiritur.

Decima-

Decimaseptima difficult. Vtrùm iustificatio impij in instanti, vel tempore successiuo fiat?

CONCLVSIO I.

IVstificatio pro gratiæ infusione sumpta in instanti fit. Et ratio est: quia Deo, cùm sit infinitæ virtutis, nihil resistit. Successio enim in aliis mutationibus ex resistentia mobilis ad motorem emanat: vt patet exemplo aquæ, quæ successiuè ab igne calefit, quia sua frigiditate actiuitati ignis resistit.

S.Tho. art.7. vbi.5.

CONCLVSIO II.

Iustificatio si, vt comprehendit gratiæ infusionem, & præuiam dispositionem, motum, scilicet, liberi arbitrij in Deum per fidem, & amorem, & in peccatum per odium, accipiatur, aliquando in instanti, aliquando successiuè efficitur. Probatur prima pars exemplo D. Paul. qui in instanti fuit iustificatus: quia subitò præstitit assensum, statimquè dixit. Domine, quid me vis facere? Secunda pars probatur experientia in nobis ipsis, qui non continuò vocanti Deo præstamus assensum, & disponimus nos ipsos: quoniam ante pœnitentiam deliberamus.

Act.9.

CONCLVSIO III.

Culpa per vltimum non esse desinit: gratia verò per primum sui esse incipit. Et ratio est, quia vtrumquè extremum est permanens. Et confirmatur à simili in cæteris motibus, per quos forma permanens introducitur: hæc conclusio ex sol. ad vltim. S. Thom. colligitur.

Decimaoctaua diffic. Est ne prior infusio gratiæ pœnitentia perfecta?

HÆc enim duo simul tempore concurrunt. Et quæritur, quod istorum sit priùs naturâ. Hæc diffic. in q. de pœnitentia vbi sup. fuit explicata.

S.Tho. art.8. vbi.5.

CONCLVSIO.

Ratione diuersa, respectuquè diuersarum causarũ, quodlibet

Universidad de Deusto
Biblioteca

bet istorum est aliud alio priùs, & posteriùs. Et ratio est, quia Deus concurrit ad iustificationem, sicut causa efficiens, homo autem in genere causæ materialis, siue dispositiuæ: & ita nihil vetat, quòd istæ causæ sint sibi inuicem causæ. Per gratiam enim Deus efficit pœnitentiam; propterea quòd causa efficiens secum affert suam vltimam dispositionem: pœnitentia verò disponit subiectum ad gratiam. Confirmatur à simili; quemadmodum aer efficit apertionem fenestræ, & apertio fenestræ est dispositio necessaria ad introductionem aeris in aulam. Hanc conclusionem intellige vt suprà in difficultate. 9. huius artic. exposuimus in qua quæritur. Vtrùm ad iustificationem peccatoris requiratur lib. arb. motus.

Append. 1. Hinc, istæ propositiones dicuntur esse veræ; quia Deus infundit gratiam: ideò homo habet pœnitentiam. Et quia homo habet pœnitentiam: ideò est dispositus ad gratiam.

Append. Hinc, infusio gratiæ est prior pœnitentia in genere causæ efficientis, pœnitentia verò est prior receptione gratiæ in genere causæ dispositiuæ, seu materialis.

Decimanona diffic. Vtrùm iustificatio impij sit maximum Dei opus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. 4.p.q.2.§.5. q.5.collaterali ad arg. S.Tho.vbi.s. art.9. D.Aug. Ioan.14. Prouerb.1. ad Ephe.1.

ESt quidem. Probatur autoritate D. August. super illud. Ioan. 14. maiora horum faciet. Vbi affirmat maius opus esse, ex impio iustum facere, quàm cœlum, & terram creare. Et ratio Alexan. est; quia quando ex impio fit iustus, duo concurrunt, propter quæ hoc opus est difficillimum, scilicet, opus creationis, nempe gratiæ, & informatio liberi arbitrij repugnantis in opere. In creatione enim cœli, & terræ, ipse dixit, & facta sunt; at verò in iustificatione peccatoris dicit Deus, rogat, comminatur, vocat, moritur; vt homo iustificetur, & viuat, homo autẽ renuit. Et ita conqueritur Prou.1. Vocaui, & renuistis. Lege D. Chrysost. Super locũ ad Ephes.1. Ego precor, memoriã vestri faciens in orationibus meis, &c. Vige-

Vigesima difficult. Vtrùm iustificatio impij sit maximum miraculum?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. 2.p.q. 42.m. 2.art.4. S.Thom. art. vlt.vbi.s. D.August.

IVstificatio impij non est propriè miraculum. Hæc est Alexand. Et rario est; quia diffinitio, siue ratio miraculi propriè sumpti, quam inuenies in prima parte huius secundi, non competit iustificationi. Non enim est arduum, & insolitum, & non semper fit absquè voluntate creaturæ: immò etiam nec in adulto. Vnde August. qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.

CONCLVSIO II.

Hæc est S.Thom.

Potest tamen dici miraculum ex parte agentis. Et ratio est; quia miraculum suo modo appellatur, quod à sola virtute diuina effici potest, & iustificatio impij à solo Deo fit.

CONCLVSIO III.

Ex parte subiecti non est opus miraculosum. Et ratio est, quia anima habet naturalem potentiam ad gratiam.

CONCLVSIO IIII.

Act.9.

Iustificatio ex parte modi aliquando est miraculosa, aliquando verò non. Probatur prima pars exemplo iustificationis B. Paul. quæ facta fuit per reuelationem. Secunda pars patet exemplo iustificationis, quæ fit virtute prædicationis, &c. Ex hoc art. B. Tho. collige contra Caiet. & aliquos Thomistas, animam habere naturalem potentiam passiuam ad gratiam. Hoc enim expresse S. Thom. habet.

Artic. II. De merito.

DE merito disputant Alexand. Alen. in. 2. p. q. 61. m. 5. S. Tho. 2. q. 14. D. Bona. Ricard. Duran. & alij hac dist. Soto lib. 3. de natura, & gratia cap. 7 & sequentibus. Vega in opusculo de iustificatione q. 4. & sequẽtibus ferè omnibus, & lib. 8. super concil. Trid. c. 4. & sequentibus. Castro verbo meritum, & verb. opera, hæresi. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima diffic. Est ne meritum?

CONCLVSIO.

Doct. vbi. §. & Castro. verb. meritū & verb. opera.

Eccl.16. ad Heb.13.

ESt quidem meritum. Hæc conclusio est de fide; qúia in multis locis sacræ scripturæ expresse continetur. Nam Eccl. 16. legitur. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum. Et ad Heb. 13. beneficentiæ,& communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Vbi clarissimè nomen meriti expressit. Et est definita in concil. Trid. sess. 6. cap. 16. & can. 26. & 23. Vbi Anathematizantur asserentes, iustos suis operibus in gratia factis non verè mereri gratiæ augmentum, & vitam æternam, &c. Sed hæc latiùs in sequentibus difficultatibus declarabuntur.

Hæresis Lutheri.

Hinc confutatur error Lutheri, quo ait, nullum esse hominis meritum ad gloriam assequendam.

Secunda diffic. De nomine meriti.

Definitio quid nominis meriti.

MEriti nomen tritissimum est inter Latinos, & deducitur nomen hoc à mercede. Est enim meritum opus, cui debetur merces, & mereri est ius sibi ad præmium facere. Et quàmuis nomen hoc meritum seruitiis primùm, ac mercenariis operibus, quibus stipendium debetur, fuerit impositum, vnde dicitur quis benè, aut malè mereri equo, aut calamo: nihilominus tamen proprietas inde deducitur ad amicitiæ munera, & ita de amico benè, aut malè mereri dicimur.

Append.

Hinc meritum erit actio, per quam ei, qui agit, efficitur debitum aliquid dari.

Tertia diffic. De *diuisionibus meriti.*

1. Diuisio. Alex. Alen. art. 2. §. 1. vbi. §.

VArie à doctoribus meritum diuiditur. Meritum est duplex, scilicet, interpretatiuum, & meritum congrui, vel condigni.

condigni. Meritum interpretatiuum appellatur, quando non est aliqua condignitas in recipiente: & tamen Deus exhibet ei donum suum ex sua liberalitate, ac si ille per opera sua meruisset, quod reuera non meruit.

2. diuisio.

Hinc, de sententia Alexand. meritum, nec ponit condignitatem in recipiente, nec in eius operibus, sed solùm liberalitatem in dante constituit. De merito autem condigni, scilicet, vel congrui infrà.

3. diuisio.

Meritum in vniuersum sumptum diuiditur in bonum, & malum; quia pessimi homines mala merita apud Deum habent.

4. diuisio.

Meritum quarto est triplex. Meritum de rigore iustitiæ, quod gratiæ vel misericordiæ acceptantis non innititur; sed ex se, & ex persona offerente habet valorem. Tale est meritum Christi Iesu. Et meritum de condigno, quod licet gratiæ, & misericordiæ acceptantis innitatur; est tamen iustum, & præmio futuro condignum. Tale est iustorum, & sanctorum meritum. Et meritum de congruo, quod non iustitiæ: sed soli congruentiæ innititur.

5. Diuisio.

Diuiditur quoq; meritū de condigno in meritum strictè, & in rigore sumptum, & in meritum largè sumptum. Hanc diuisionem tractat Duran. in 1. dist. 17. quæst. 2. & in 2. dist. 27. q. 2. & in 3. d. 20. q. 2. Et Vega vbi sup. super concil. cap. 10. & ibi singula membra definiuntur.

Durand. Vega.

7. diuisio.

Meritum de congruo apud scholasticos doctores bifariam sumitur: nam aut est opus iusti existentis in gratia, aut est peccatoris. Primo modo est opus, cui de lege non est promissum aliquod præmium; sed tantùm debetur propter dignitatem personæ: vt quando iustus orat pro alio. Quomodo dicitur B. Stephanus meruisse Saulo primam gratiam de congruo. Vnde B. August. Si non habuissemus Stephanum, non haberemus Paulum. In hoc sensu accipit D. Tho. meritum de congruo artic. 6. De secundo autem modo meriti de congruo est inter doct. discrimen, de quo infrà: verum quia diuisiones istæ sunt infrà examinandæ, sit satis illas proposuisse.

D. August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta diffic. Quid nam est meritum?

CONCLVSIO I.

Vega q. 6. in opusculo.

MEritum est actus, cui de iustitia distributiua debetur præmium, ita quòd sic merenti irrogaretur iniuria, si tale præmium non redderetur. Hac definitione, quid de rigore sit meritum in tota sua latitudine, explicatur. Exempla huius conclusionis sunt communissima in distributione bonorum communium, cathedrarum, beneficiorum, præbendarum, &c. Et vt hoc faciliùs intelligatur, nota cum Arist. 5. Ethic. c. 5. &. 6. discrimen inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam: quæ inter se differunt, q̃ ad commutatiuam nullum requiritur meritum, siue dignitas personæ. Satis enim est pretium esse equiualens mercedi, pro qua datur. Ad distributiuam autem, præter opus bonum, & meritorium, requiritur personæ dignitas. Vocaturque persona digna, quando fuerit homo virtute præditus, & studiosus. Et probatur exemplo. Esto, quòd sint duo, quorum vnus infamia notatus exercuerit opus aliquod heroicum, alter verò integræ famæ non fecerit tale opus, tunc cùm beneficia ecclesiastica sint dignioribus concedenda secundum iustitiam distributiuam, erit secundo, & non primo beneficium concedendum. Quia ad meritum non solum opus bonum; verum etiam dignitas personæ desideratur.

Aristot.

Append. 1. Hinc, de communi omnium doctorum sententia meritum de congruo erit actus, cui de rigore iustitiæ non debetur præmium. Tunc enim iam esset meritum de condigno.

Meritum de condigno est opus liberum, cui ex naturali, & propria dignitate, aut ex lege debetur præmium. Hanc definitionem proponit Castro, in qua per vocem liberum excluduntur omnia opera humana, & naturalia, quæ ab hominis voluntate non procedunt. Quia nemo, vt B. Augustin. docet, peccat in eo, quod vitare non potest. Vnde sequitur, vt nemo in eo, quod necessariò, & non liberè facit, mereatur. Non enim minorem exigit voluntatis libertatem meritum, quàm peccatum: quia in his, quæ à natura insunt (vt Arist. ait) neque laudamur, neque vituperamur. Appositum

Castro verb. opera. hæresi 4.

D. Aug.

Arist.

etiam fuit in definitione, cui ex naturali, & propria dignitate, &c. Quia non semper oportet, vt præmium sit debitum ex ipsa operis natura, sed satis est, vt sit debitum ex lege. Patet exemplo Dauidis, qui cùm minimus esset fratrum suorum, & pasceret oues patris sui, secluso regis Saulis promissione, propter interfectionem Goliath, fuisset magno aliquo præmio dignus; non tamen tanto, vt ei filiam suam daret in vxorem (impar enim erat regis filiæ.) Ita à simili nullum opus humanum, quantumlibet bonum est ex naturali valore vitæ æternæ meritorium; quia non est illi ex sua natura æquale. Terrena enim non æquãtur cœlestibus; neque temporalia æternis. Et iuxta hanc naturalem paritatem, & condignitatem intelligitur D. Paul. ad Rom. 8. Quando dicit, passiones huius temporis non esse condignas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, & alia multa sacræ scripturæ loca huic sensui similia. Et D. Chrysostomus dicens, & si millies moriamur, & si omnes virtutes animæ explea-mus, nihil dignũ gerimus ad ea, quæ ipsi à Deo percipimus. Eodem etiam modo considerantes omnes alij doctores sancti naturalem solùmmodò bonorum operum valorem, & illum à valore, & iusta vitæ æternæ æstimatione longissimè distare perpendentes, prudenter dixerunt, opera nostra non esse meritoria aut digna vita æterna. Ex lege tamen, siue conuentione, siue promissione facta nobiscum, opera bona hominis cum adiutorio gratiæ Dei fiunt æternæ vitæ digna, & illi æqualia, quæ secluso illa Dei promissione, quæ passim in sacris litteris repetitur, fuissent tãto præmio prorsus indigna. Et ne ex tam liberali, & magnifica illa promissione occasionem superbiendi acciperemus: vt solis nostris operibus consideremus nos posse vitam æternam assequi, noluit Deus operibus quantumlibet bonis illam promittere, nisi illa gratiam suam iunctam haberent. Sine me, inquit, nihil potestis facere: Si nihil, ergo neque vitam æternam assequi neque id quod ad vitam illam assequendam est necessarium operari. His exemplis notatu dignis illustrat Castro hanc definitionem, quæ inuenies verbo meritum hæresi 1. & verbo spes.

1. Reg. 17.

ad Rom. 8.

Chrysost. in lib. de cõpunctione cordis.

Matth. 20. & conuersione ne facta.

Ioan. 15.

Castro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO III.

Meritum est opus liberum, & studiosum, atquè in vtilitatem, siue reipublicæ, siue amici factum, cui operi de iustitia debetur præmium. Hanc, si placet, amplectere definitionem, cuius bona pars iam in definitione præcedenti fuit exposita.

Eccl. 31. Primò debet esse opus liberum: quia scriptura sola opera libera laudat. Prædicat enim virum iustum dicens; qui potuit transgredi, & non est transgressus. Secundò studiosum esse debet, idest, actus virtutis. Et ratio est; quia si cõtrarium, nempè, opus demeritorium est actus vitiosus, & pœna dignus, meritum debet esse actus studiosus, & præmio dignus, in vtilitatem, &c. Et ratio est; quia meritum est nomen relatiuum (dicitur enim aliquis benemeritus de alio, eò quòd obligauerit ipsum) & cùm nemo seipsum obligare dicatur, debet meritum in vtilitatem alterius esse. Et quia est actus iustitiæ, & iustitia est ad alterum. Vltima pars est, cui de iustitia debetur

Ad Rom. 4. præmium. Et probatur hæc pars ex B. Paul. per discrimen inter beneficia, quæ dantur ex gratia, & ex merito. Ita enim ait. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Ecce quomodo merces datur; ergo de iustitia, & non gratis.

Append. 2. Hinc, bruta non merentur, cùm sint irrationalia, & libertatis expertia.

Append. 3. Hinc, qui in naturalibus tantum: vt in genere, & in pulchritudine meritum constituunt, errant omninò; quia non sunt aliquo beneficio digni, qui solùm naturalibus bonis vigent, & virtute præditi non sunt, quàmuis, cæteris paribus, naturalia bona habentes non habentibus illa sint præferendi: dùmodò merita sint æqualia, iuxtà illud. Species Priami digna est imperio.

Append. 4. Hinc, ad meritũ quatuor requiruntur, scilicet persona, quæ meretur, actus studiosus, qui dicitur meritum, merces, quæ merito respondet, & persona, apud quam meretur. Nam si talis persona non esset, in vanum laboraremus. Lege S. Tho. *S. Thom. Scot. Almay.* q. 21. 1. 2. Scot. in. 3. d. 28. & alios doct. hac dist. 27.

Quinta

Quinta diffic. Vtrùm homo possit mereri aliquid à Deo?

EST autem tituli sensus. Possit ne homo exhibere Deo aliquod obsequium, cui de iustitia, ita debeatur præmium æternum, quòd si Deus non redderet tale præmium, esset iniustus? vt esset rex, siue dux iniustus si militi stipendium, exhibita militia, non redderet. Lutherus, & omnes illius asseclæ, & sectatores tale meritum esse diffitentur: in quos in prima huius artic. difficultate cum Castro egimus. *S. Th. vbi s. art. 1. & 3.*

Lis est, & controuersia inter catholicos circa hanc difficultatem. Quidam enim affirmant nullum esse meritum in rigore hominis quantumcunque iusti respectu beatitudinis, sed propter scripturæ, & sanctorum auctoritates. Huius opinionis fuerunt Greg. Arim. in primo dist. 17. q. 1. art. 2. Marsilius præsenti dist. Thomas Vualdensis de sacramental. c. 7. Burgensis super psalm. 35. Ioan. Echius in centuriis de prædestinatione. Duran. verò dicit esse meritum de condigno; sed impropriè propter inæqualitatem meriti ad beatitudinem. Contraria opinio, & communis, & definita in concil. Trident. tenet respectu beatitudinis dari meritum de condigno; hanc defendunt S. Thom. art. 3. huius q. & super epistolam ad Rom. c. 4. & 8. & D. Bona. q. vltim. huius distinct. Ricar. in 4. dist. 46. art. 1. q. 1. Scot. in 1. dist. 17. q. 1. artic. 1. & alibi sæpè; hos sequuntur omnes moderniores. *Greg. Arim. Marsil. Tho. Vuald. Burgen. Ioan. Echius Durand. S. Thom. D. Bona. Ricard. Scot.*

CONCLVSIO I.

Opera iustorum sunt de iustitia vitæ æternæ digna, & meritoria. Hæc conclusio vsquè adeo vera est: vt opposita sit planè hæretica. Et probatur per sex voces, quibus in diuina scriptura insinuatur opera iustorum esse gloriæ æternæ meritoria. Et harum prima est merces, idest, præmium, quod ad meritum refertur. Gen. 15. Legitur dixisse Deum Habraæ. *Gen. 15.* Ego sum merces tua magna nimis. Et Matthæ. 5. Merces vestra copiosa est in cœlis. Exhis locis, prætermissis aliis, in quibus hæc vox merces exprimitur, sic colligo argumentum. Merces non dicitur absolutè: sed relatiuè ad meritum, *Matth. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Deus in his locis promittit iustis mercedem æternam; promittit igitur ratione meritorum, cùm sint merces, & meritum correlativa. Secunda vox est reddere, & erit ei opera.

Matth. 20. & 25. Matth. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem. Et apertius ibi, Venite benedicti, &c. Et ad Roma. Réddet vnicuique

Ad Rom. 2. secundum opus suum. Hinc cùm reddere secundum opera, sit soluere præmium, iuxta quantitatem meritorum, si est redditio meritorum, vt ex his, & aliis locis constat: erit profectò

Eccl. 16. pro meritis redditio. Quarta vox est, meritum. Eccles. 16. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritũ

Ad Heb. 13 operum suorum. Et ad Hebr. 13. beneficentiæ, & communicationis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Idest, obligamos a Dios. Ecce quomodo B. Paul. beneficentiã vocat meritũ: quare confundantur Lutherus, & eius

Matth. 10. & Marc. 9. imitatores negantes præmium. Et Marci. 9. Quisquis potum dederit &c. Amen dico vobis non perdet mercedem suam. Hinc, si non perdet mercedem suam, tale opus meritorium

Psal. 17. erit. Et ratio est, quia merces, & meritum sunt, sicut pater, &

2. ad Tim. 4. filius, correlativa. Quinta vox est iustitia, psal. 17. Retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam, &c. Et 2. ad Tim. 4. Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus iustus iudex. Vbi præmium æternum vocat coronam iustitiæ. Quamobrem datur ex meritis aliter enim non esset corona iustitiæ: sed misericordiæ tantùm nuncupanda. Sexta vox est dignitas. Et legitur Sap. 3. Tentauit eos dominus, & inuenit eos

Sap. 3. dignos se. Et ad

Ad Col. 1. Colos. 1. Nos fecit dignos in parte sortis sanctorum. Et 2. ad Thessal. 1. Tribulationes sustinetis in exemplũ iusti iudicij Dei, vt digni habeamini regno Dei pro quo,

2. ad Thess. 1. & patimini. Hinc, sic colligo argumentum. Quicunque est dignus aliquo præmio, illud sibi de iustitia debetur (aliter enim haud vocaretur dignus) iusti autem sunt dignitatione digni, vt ex his locis apertissimè infertur: quare de iustitia iustis debetur retributio. Est etiam hæc conclusio definita concta Lutherum, & eius sequaces in concil. Trid. c. 16. & can. 32. Et ratione confirmatur: quia quando in diuina scriptura fit primæ gratiæ, & iustificationis mẽtio, negatur in vnoquoque opera:

operatiue ad Roma. 2. Si gratia ex operibus, iam non est gratia, *Ad Roma. c. 2.*
& loquitur de prima gratia. Quando autem fit vitæ æternæ mentio, commemorantur operationes: vt ex locis supra citatis constat: ergo datur vita æterna propter merita. Iam restat: vt explicemus huiusmodi merita esse de iustitia condigna, & non de congruo: vt Greg. Arim. arbitrabatur. Et primum est diligenter animaduertendum, pretium cuiuscunque rei posse esse æquale valori ipsius rei duobus modis. Primo ex natura rei. Secundo ex pacto, siue ex lege, siue ex promissione rem ipsam promittentis. Illustro animaduersionem hanc exemplis. Denarius, verbi gratia, est pretium labori vnius diei respondens ex natura rei. Non enim valet plus, minusve labor. Promissum autem magnum, excedens laboris valorem erit labori æquale ex lege promissionis. Lex enim naturalis docet promissa, licet laboris valorem excedant, esse seruanda. Exemplum extat, 1. Reg. 17. suprà explicatum in Saule, & Dauid super interfectionem gigantis Goliath. *Nota.* *1. Reg. 17.*

Hinc colligitur apertissimè duplex esse pretiũ æquale labori, vel rei venalis. s. quantùm ad substantiam actus rei venalis, secluſa, scilicet, promissione; & quantùm ad promissionem. *Append.*

CONCLVSIO II.

Nullus iustus secũdũ iustitiam commutatiuã ad æqualitatẽ ex natura rei meretur beatitudinẽ. Et ratio est, quia opera nostra quò ad substantiã actus nõ sunt beatitudini æqualia. Non enim sunt cõdignæ passiones huius sæculi ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vbi D. Paul. apertissimè insinuat va- *Ad Rom. 8.*
lorem nostrorum operum præmio æterno esse lõgè inferiorẽ.

CONCLVSIO III.

Secũdum promissionẽ diuinã, & ex lege, iustorũ opera sunt vitæ æternæ de cõdigno meritoria, secũdũ iustitiam distributiuã. Probatur multis locis sacræ scripturæ. Psal. 17. Retribuet *Psalm. 17.*
mihi dñs secundum iustitiam meã, idest, secũdum opera mea. Vbi vocat vitã æternã retributionem. Et 2. ad Tim. 4. Bonum *2. ad Tim. 4.*
certamen certaui, &c. quare iustus secundum iustitiam, & de condigno promeretur vitam æternam. Nam vitam æternam vocat ibi B. Paul. coronam iustitiæ debitam secundum iustitiam non commutatiuam, sed distributiuam, in qua

sufficit

Universidad de Deusto
Biblioteca

sufficit æqualitas ex promissione tantùm, & non requiritur æqualitas ex natura rei: vt in iustitia commutativa. Tandem confirmatur à definitione suprà posita meriti. Est enim meritum opus liberum, & studiosum, cui de iustitia debetur præmium. Hæc conclusio est contra Durand. & alios primæ opinionis fautores.

CONCLVSIO IIII.

Quamuis distributio gloriæ secundum merita iustorum sit actus iustitiæ distributiuæ: nihilominus tamen actus etiam gratiæ, & misericordiæ est. Constat ex psalm. 102. Benedic anima mea domino, &c. qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Et Iacobi. 2. iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam: ergo à contrario sensu iudicium iustorum in alia vita erit misericordia mixtum: eò quòd ipsi misericordiam fecerint. Et D. August. de corrept. & gratia c.23. exponens dictas autoritates ita ait. Misericordia Dei semper adhæret iustis, siue conuertantur, siue prælientur, siue coronentur. Nam quia merita ipsa ex gratia procedunt, corona iustitiæ, quæ redditur meritis, misericordia nuncupatur. Fundamentum enim meritorum gratia ipsius Dei est. Vnde B. Paul. ad Roma. 6. Gratia Dei vita æterna: erit igitur actus iustitiæ, & gratiæ. Iustitiæ quidem: quia debetur meritis ex promissione, & gratiæ, quia Dei gratia fuit eius fundamentum.

Psal.102.

Iacob.

D. Aug.

Ad Roma. 6.

DVB. Quibus titulis hæreditas æterna potest iustis deberi?

Respondeo. Quinq; assignantur tituli, ex quibus, duo priores sunt errores, & posteriores catholici. Primus est ex Dei promissione, nulla habita ratione ad iustorum opera. In hunc solũ titulũ referunt lutherani debitũ beatitudinis. Non enim negant omninò beatitudinem esse iustis indebitam: sed dicunt esse debitã ex sola promissione diuina: nõ autem aliquo modo ex debitis. Quod est contra diuinam scripturam dicentem. Deus reddet vnicuiquè, &c. Alibi, qui parcè seminat, &c. Esset enim tunc omnium beatitudo æqualis, si meritorum ratio non haberetur, cùm sit inæqualis, iuxtà illud.

Hæresis Luther.

Ad Rom. 2.

2. Cor. 9.

Sicut

Sicut stella differt in claritate à stella, &c. Secundus titulus est ex solo libero arbitrio, secluſa gratia. Et hic titulus est etiã hæreticus. Est enim contra B. Paul. ad Roma. 6. Gratia Dei vita æterna. Lege Castrum contra hanc hæresim, quæ fuit Pelagi verb. meritum, hæresi. 2. & verbo gratia hæresi. 1. Tertius titulus est catholicus, nempè, ex conuentione factus, & pro labore. Matthæ. 20. Conuentione autem facta, &c. Quartus titulus est opera facta in statu gratiæ, iuxta illud Ioã. 6. Qui biberit ex hac aqua (ideſt, qui habuerit gratiam) fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, ideſt, producet opera vitæ æternæ digna. Quia gratia nihil aliud est, quàm facultas promerendi gloriam per opera meritoria. Si enim Deus gratiam nobis nõ dedisset, impossibile profectò fuisset nostris actionibus, aut operibus elicitis, ex solis naturæ viribus, ideſt, secluſa gratia, nos gloriam promereri posse. Cùm non sint condignæ passiones huius seculi, &c. Hinc dicitur in concil. Trident. sess. 6. cap. 16. Deum remunerare in nobis dona sua, & merita nostra. Quod explicatur hoc exemplo: vt si rex daret alicui centum millia ducatorũ, quibus ab ipsomet rege ciuitatem emeret, tunc idem esset ciuitatis pretium, & regis donum: similiter ieiunium nostrum non tanti erat valoris vt esset pretium gloriæ: instituit tamẽ Deus per gratiam suam; vt esset æquale pretium gloriæ. Quia voluit pro ieiunio gloriam dare. Ecce tibi, quomodo gratia est merendi fundamentum. Quintus titulus est, quia sumus Christi Iesu membra, ideſt, de eius familia, & eiusdem Christi per fidem, & charitatem amicij; ratione cuius vnionis opera nostra sunt vitæ æternę digna.

1. Cor. 15.

Hæresis Pelag.

Ad Roma. 6.

Matth. 20.

Ioan. 6.

ad Roma. 8.

Hinc, passiones, & persecutiones, quas fideles pro Christo sustinent, ipsi Christo inferri dicuntur. Act. 9. Saule, Saule, cur me persequeris?

Append. 1.

Act. 9.

Hinc, opera iustorum opera Christi nominantur, iuxta illud. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Et alibi, Non vos estis, qui loquimini, &c. Et ad Galath. 2. Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus.

Append. 2.

2. Cor. 13.

Matth. 10.

Gal. 2.

Hinc, opera nostra sunt meritoria vitæ æternæ de condigno.

Append. 3.

digno. Et ratio est: quia opera Christi sunt meritoria de condigno vitæ æternæ, & nostra opera tribuuntur Christo.

Aspond. 4. Osius Caiet. Hinc, ex sententia Caiet. in opusculo de fide, & operibus, & Osij contra Lutherum cap. 73. ista erit concedenda: Christus in nobis, & per nos meretur, ad hunc sensum, scilicet, Christus est causa, quòd nos mereamur: non tamen ad hunc sensum, quòd actus meritorij nostri sint actus ipsius Christi: sicut operatio manus est operatio totius. Et confirmatur; quia vt ista concedatur, Christus loquitur in nobis, & viuit in nobis, hoc est, operatur, ad hunc sensum, quòd Christus meruit vt nos mereamur. Hinc Sotus rectè dicit dictam propositionem esse erroneam, de natura, & gratia, si in sensu, quem nos reiicimus, illam intelligat.

Sexta diffic. Erit ne absolutè concedendum, Deum esse nobis debitorem? an sibi, & suæ promissioni?

SAnctus Thom. art. 1. ad 3. vbi sup. & alibi negat Deum esse simpliciter nobis debitorem, sed sibi, & suæ promissioni.

CONCLVSIO.

SImpliciter concedendum est, Deum iustis esse beatitudinis debitorem. Hæc conclusio aperte definitur in concil. Arausicano. c. 18. sub his verbis, Debetur gloria bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant. Et confirmatur aut. 1 tate D. August. sermone. 16. de verbis Domini, vbi ita ait. In his, quæ habemus, laudamus Deum largitorem, in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo: sed, quod ei placuit, promittendo. Idem docet ser. 15. de verbis apostoli. Et ratione probatur: quia si de lege naturali promissa sunt debita, & sola promissione aliquis constituitur debitor, Deus planè promittens erit non tantùm sibi: sed etiam nobis debitor: atquè ita erit simpliciter concedendum, esse Deum nobis debitorem: vt concil. citatum, & D. August. illud concedunt.

D. Aug.

Septima

Septima diffic. Præter gratiam, requiritur ne noua Dei acceptatio: vt actus sit meritorius?

CVm exiam dictis constet, gratiam esse principium merendi: quæritur. An præter gratiam, &c. ideſt. An in singulis actibus iustorum habeat Deus nouam ordinationem, & nouum actum voluntatis, scilicet, quòd dicat. Volo huic iusto pro hoc opere certum gradum gloriæ reddere? Duę sunt extremę opiniones. Vna affirmat requiri, præter gratiam, acceptationem diuinam, & hæc est Scoti in. 1. distin. 17. quæst. 1. cui adhæsit Marsil. Altera negat talem acceptationem, quæ colligitur ex S. Thom. art. 3. quàmuis eam non expresse tueatur.

Scot. in. 1. d. 17. q. 1. Marsil. in. 2. dist. 17. art. 3. concluſ. 1. & in. q. 10. S. Thom. Scoti est.

CONCLVSIO I.

Præter gratiam, vt opus sit vitæ æternæ meritorium, noua requiritur ex parte Dei acceptatio. Et ratio est, quia si opus esset meritorium ratione solius gratiæ, nunquàm præmium excederet meritum, cùm tamen excedat: quia Deus præmiat vltra condignum. Illud enim in quo excedit, non est ratione gratiæ: sed nouæ acceptationis. Et si de nouo non acceptaret, in nullo excederet. Vega in opusculo de iustific. q. 5. ad 2. declarat Maximam, scilicet, Deus præmiat, &c.

CONCLVSIO II.

Vt iustorum opera sint æternæ vitę meritoria, ex parte Dei, præter gratiã, noua diuinę volũtatis acceptatio nõ requiritur. Et ratio est, quia pluralitas sine necessitate non est ponenda, & cũ sola gratia sine noua acceptatione sufficiat: quoniã gratia est acceptatio ad gloriam, eo ipso, q̃ iusti sunt per gratiam filij Dei, debetur illis hæreditas. Nam si filij, & hæredes, quare non requiretur profectò, nec erit noua acceptatio ponenda. En tibi ambas opiniones iis duabus conclusionibus comprehẽsas.

S. Tho. est.

CONCLVSIO III.

Opera iustorum, vt sint vitæ æternæ meritoria, requiritur, præter gratiam, peculiaris Spiritus sancti motio, & cõcursus excitãs iustũ ad opus vitæ æternæ meritoriũ præstãdum. Probatur ad Ro. 8 Ipse spiritus postulat pro nobis, ideſt, postulare nos docet. Et loquitur de iustis. Et Ioan. 4. Qui biberit ex hac aqua,

Ad Rom. 8. Ioan. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aqua. Vbi innuit Christus Iesus, cum, in quo est gratia, continuè à spiritu sancto ad meritorie operandum excitari. Et fortassis Scot. per nouam acceptationem, hanc nouam, & continuam Spiritus sancti motionem, siue concursum, seu spirationem intellexit. Sed de his latius in lib. controuersiarum.

Octaua diffic. Vtrùm gratia sit principium merendi per charitatem?

SEnsus tituli est. An, præter gratiam, & liberũ arbitrium, requiratur ex parte hominis ad meritum aliquis actus charitatis, id est, vt opus actualiter eliciatur propter Deum. Et vocatur relatio actus in Deum. Doctores omnes ad vnum confitentur charitatem ad meritum desiderari: sed an sufficiat solùm habitualis charitas, per quam habitualiter Deum diligimus? vel an requiratur insuper actualis: Ita vt sit opus in singulis actionibus habere hunc actum, scilicet, ieiuno, oro, scribo, &c. propter Deum, est inter illos contrauersum. Sunt enim variæ de hac re sententiæ, & opiniones. Prima est Durand. intrà distin. 40. q. 2. affirmantis, relationem actualem in Deum esse necessariam: vt opus aliquod sit vitæ æternæ meritorium. Hanc opinionem tribuunt Thomistæ Scoto: sed falsò, vt statim patebit. Secunda opinio est Scoti in 4. dist. 41. cuius verba sunt. Probabile est sufficere ad opus meritorium relationem virtualem. Tertia opinio est Soti. Existimat enim solam charitatem habitualem, & infusam esse satis: vt singulæ operationes iustorum, moraliter bonæ, sint vitæ æternæ meritoriæ, absquè eo, quòd actualiter, vel virtualiter in Deum referantur. S. Tho. suprà. q. 2. artic. 4. ad vltimum. Caiet. vbi sup. S Tho. art 3. Capreolus in 2. distin. 40. eandem opinionem defendere videntur. Ait enim S. Thom. art 4. citato expressè omnem actum bonum esse meritorium, si non sit peccati impedimentum. Cæterum, vt hæc clamùs innotescãt, nota sequentes animaduersiones.

Duran. d. 40. q. 2.
Scot. in 4. dist. 41.
Sotus lib. 3. de natura, & gratia.
S. Thom. Capreol. Caiet.

1. animaduersio.

Quemadmodum rebus naturalibus forma essentialis est, quæ dat suo toti esse specificum; vt anima rationalis respectu hominis:

hominis: ita in actibus moralibus studiosis, aut vitiosis forma, quæ constituit actum in certa specie est finis, propter quem potentia operatur. Hæc animaduersio est Aristot. 5. Ethic. vbi docet: quòd qui fornicatur, vt furetur, potius fur, quàm fornicator erit appellandus. Perinde etiam ieiunium dicis, qui, vt furetur ieiunat, actus iniustitiæ, & non temperantiæ erit. Similiter, & abstinentia ab esu carnium, propter humanam gloriam comparandam, erit actus superbiæ, cuius filia est vana gloria.

Aristot. Ethic.

Charitas forma omnium virtutum est. Hæc animaduersio est axioma theologicum. Et ratio à definitione formę est: quia forma in moralibus est finis ipsius actus: vt ex proxima animaduersione constat, & sola charitas est, quæ omnium virtutum actus in vltimum finem, & propter Deum dirigit. Finis enim præcepti charitas est.

2. animad.

Hinc charitas voluntati; vt eliciat actus omnium virtutũ propter Deum imperat, atque ita actus cuiuscunquè virtutis erit à charitate, non elicitus: sed imperatus.

1. ad Tim. 1. Append. 1.

Relatio actus in Deum triplex est, nempè, habitualis, actualis, & virtualis. Prima est solus habitus charitatis: vt si existens in charitate ieiunet, etiam si Dei non recordetur, hic habitualiter tantùm dicitur referre actum in Deum, propter habitum charitatis, quem habet. Secunda est, quando, qui ieiunat, actualiter dicit. Volo, vt Deo placeam, ieiunare. Tertia non satis inter doctores constat: nam de sententia Scoti vbi suprà virtualis relatio est, quando ex cognitione, & amore vltimi finis homo incipit rectè operari. V. g. si quis subitò Dei amore exardescens dicat. Volo deinceps in omnibus Deo placere, si post hunc actum statim dicat: volo pœnitere, siue pœnitet me peccasse, vel statim oret, aut peregrinationem promittat, &c. Tales actus sunt relati in Deum, non actualiter: quia quando eliciebantur, non actualiter homo Deum cogitabat: sed virtualiter tantùm. Tandem erit relatio virtualis, quando aliquis actus est ab aliqua præuia actuali dilectione in Deum imperatus: vt præcedenti exemplo patet.

3. animad. Scot. dist. 4. q. 5. 4. lib. sen.

Hinc, actiones omnes hominis proponentis peregrinari Romam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romam, vel Hierosolymam versus, &c. propter Deum, quibus ad peregrinandum præparatur vt sternero equum, vestes, cibos, & alia id genus parare, etunt virtualiter in Deum relatæ. Et ratio est; quia ab illo præuio actu dilectionis, scilicet, volo peregrinari propter Deum proficiscuntur, & inferantur. De sententia verò quorundam Thomistarum virtualis relatio vocatur, quando aliquis virtute pœnitentiæ iustificatur, & proponit se ex tũc omnes actiones morales in Deum referre: in virtute huius actus omnes deinceps morales actiones, & operationes, quæ fiunt in gratia, in Deum virtualiter referuntur: duratquè illa virtualis relatio quousquè per aliquod mortale peccatum interrumpatur. Lege Caietan. in 1. p. quæst. 63. artic. 6. ad. 3. cuius verba sunt. Actus virtualiter tendit in aliquod: quia manet in eo virtus prioris actus tendentis in illud.

Caiet.

Append. 3. Hinc, officium diuinum, orationes, ieiunia, &c. sunt actus virtualiter relati in Deum, eò quòd sunt omnes simul per illum priorem actum relati, videlicet: refero me, & omnia mea in Deum.

CONCLVSIO I.

1. Cor. 13. Ad actum meritorium sola charitas habitualis haud sufficit. Probatur primò ex D. Paulo dicente. Si linguis hominum loquar, &c. quia vel loquitur ibi D. Paul. de charitate actuali, aut virtuali, & erit tunc conclusio manifesta, aut de habituali tantùm: vt tenet tertia opinio, quod videtur falsum. Nam inde sequeretur, omnia opera moraliter bona, elicita ab existente in gratia, esse vitæ æternæ meritoria, ob hanc solam causam, quòd sit in gratia. Quod quidem aduersatur D. Gregor. in homil. apostol. Vbi de proximorum dilectione verba faciens ita ait. Sunt, qui diligunt proximos secundum affectum cognationis, & carnis, quibus sacra eloquia non contradicunt: tamen illa suprema dilectionis præmia non assequuntur. Quia suam dilectionem, non spiritualiter (idest, non propter Deum) sed carnaliter impendunt, scilicet, affectu carnis, vel amicitiæ. Hinc ita argumentor B. Gregor. hoc in loco agit de dilectione

D. Greg. Ioan. 15.

ctione erga proximos moraliter bona: nam inquit, cui sacra eloquia non contradicunt, & si moraliter mala fuissent, contradixissent. Deinde loquitur de homine existente in gratia: nam actus hominis existentis extra gratiam, etiam si in Deum referatur, non est vitæ æternæ meritorius. Tandem loquitur de viro iusto, qui absquè actuali, vel virtuali relatione in Deum: sed sola naturali pietate motus diligit proximum, & talem dilectionem à merito vitæ æternæ excludit. Nam, inquit, tamen illa suprema dilectionis præmia non assequuntur, &c. Ergo ad actum meritorium sola habitualis charitas haud sufficiet. Alioquin omnia opera iustorum moraliter bona, vt deambulatio post cœnam ratione sanitatis, somnus, &c. essent vitæ æternæ meritoria, quod rationi, & D. Greg. aduersatur. Tum etiam quia actus nisi actualiter, vel virtualiter imperetur à charitate, tanquàm ab eius forma: vt constat ex prima animaduersione, non est meritorius vitæ æternæ. Et nisi actualiter, vel virtualiter in Deum referatur, non est imperatus à charitate: ergo non erit sufficiens sola habitualis relatio. Per solum namquè habitum charitatis homo non operatur propter Deum: vt patet in exemplo B. Gregor. de iusto, qui diligit proximum affectu tantùm cognationis, & carnis.

CONCLVSIO II.

Relatio actualis in principio singularum actionum non requiritur: vt sint vitæ æternæ meritoriè, cùm sola virtualis efficiat. Et ratio est, quia sicut in humanis: vt obsequia regi exhibita sint præmio temporali digna, non requiritur: vt in singulis obsequiis ministri regis protestentur se velle regi placere, sed sat est, vt in principio, cùm primùm recipiuntur, protestentur, & intendant se velle regi inseruire, vt sibi temporale stipendium debeatur: ita à simili cùm primùm aliquis virtute pœnitentiæ, vel baptismi, quia tunc ad Dei amicitiam admittitur, & in eius familia recipitur, satis erit, se velle obsequi Deo, & in omnibus illi placere protestetur. Et hæc est virtualis relatio, quæ quidem sufficit, donec per mortale peccatum interrumpatur. Et q̃ sit necessaria virtualis relatio constat ex 1. ad Corint. 13. in prima

Universidad de Deusto
Biblioteca

conclusione citata. Et tandem, quia, vt sit opus dignum præmio supernaturali, oportet vt fiat fine supernaturali (scilicet, propter Deum) virtualiter saltem proposito.

Append.4. Hinc verus, & germanus sensus multorum locorum sacræ scripturæ pendet. Vt est locus Gen. 4. Respexit Dominus ad
Gen.4. Abel, &c. Et hoc fuit: quia respexit ad actualem eius intentionem, aut virtualem, & non ad habitualem tantùm. Item locus
Matth.10. Matth. 10. Quicunquè potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, ideſt, amore Christi, quia est eius discipulus. Amen dico vobis, non
1.Cor.10. perdet mercedem suam. Et 1. Corinth. 10. Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud, quid faciti, omnia in gloriam Dei
Ad Rom.8. facite, ideſt, animo placendi Deo. Et locus ad Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, ideſt, iustis, omnia siue prospera, siue aduersa, sunt eis occasio merendi, & ita cooperantur in bonum. Non tamen omnia sunt eis meritoria; nisi ea in Deum, saltem virtualiter referant, propter rationes in. 1. & 2. conclusione dictas.

Nona diffic. Vtrùm homo possit mereri sibi primam gratiam?

DE hac difficultate disputant Alexand. Alen. in. 3. p. quæst. 61. m. 5. art. 1. & 2. S. Thom. vbi suprà art. 5. & alij infrà citandi; & Castro. verb. gratia hæresi. 1. & verbo opera hæresi. 4. Titulus huius difficultatis duplex est. Primus: An peccator pœnitens possit de iustitia promereri primam gratiam? ita quòd si illi non detur, iniuria afficiatur. Et de hoc sensu nullus doctorum dubitat. Omnes enim ad vnum hoc fieri posse pernegant. Secundus autem sensus est, An peccator virtute pœnitentiæ primam gratiam de congruo, hoc est, de iustitia secundum quid, saltem promereri queat. Et de hoc sensu est controuersia inter doctores. Partem affirmantem defendunt Ricard. præsenti dist. *Ricard.* artic. 2. quæst. 1. vbi dicit, non habentem gratiam posse illam mereri non simpliciter; sed secundum quid. Et Scot. in. 1. *Scot.* dist.

distinct. 17. quæst. 2. artic. 1. & in. 4. distinct. 14. quæst. 2. art. 2. *Durand.* Hos sequuntur multi ex recentioribus, nempè Durand. in 1. distinct. 17. quæst. 2. vbi affirmat, hanc esse communem opinionem; Gabriel, Mayoris, Almaynus, quos citat, & sequitur Vega quæst. 6. & 7. in opusculo de iustificatione, lege omnino illum, & super concil. Trid. lib. 8. à cap. 8. vsquè ad. 13. Eiusdem prorsus sententiæ est S. Thom. vbi suprà art. 3. in corp. q. quàmuis eius discipuli hoc inficientur. Ibi enim fatetur pœnitentiam, prout est à libero arbitrio, esse meritoriam de congruo prioris gratiæ. Partem verò negantem tenent Gregorius Arimenensis in. 2. distinct. 26. Nicolaus Lyranus super Ioan. cap. 1. Thomas Vualdensis in lib. de sacramental. Soto lib. 2. de natura, & gratia, cap. 4. qui affirmat esse prope Pelagianum priorem gratiam posse cadere sub merito de congruo. Alexand. noster vbi suprà tenet posse aliquem merito interpretatiuè sibi mereri. Quid autem vocet meritum interpretatiuum, habes supra in. 1. diuisione gratiæ in difficul. de gratiæ diuisionibus.

Gabriel. *Mayoris.* *Almay.* *Vega.* *S.Tho.* *Greg. Ari.* *Lyran.* *Thomas Vualden.* *Soto.*

CONCLVSIO I.

Nullum opus existentis in mortali, quantumcumquè sit moraliter bonum, est de iustitia, siue de condigno primæ gratiæ meritorium. Hæc conclusio est de fide, & in multis locis sacræ scripturæ apertè continetur. Legitur enim ad Romanos. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, &c. si gratis, ergo non ex meritis. Et ibidem cap. 11. si autem gratia, iam nõ ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Fuit etiam definita in concil. Palestino contra Pelagium, & eius sectatores, qui tempore Innocentij primi vt refert fortissimus hæreticorum malleus August. in cap. 88. lib. de hæresibus, & in alijs quàm pluribus locis, inter alias, quas defenderunt hæreses, hanc quoquè asseuerunt. Videtur etiam definita in concil. Arausicano. 2. canon. 17. vbi ita legimus. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem christianorum Dei charitas fecit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium: sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus. Est quoquè expresse definita in concil. Trident.

ad Roma.3. *ad Rom. 11.* *D. Aug.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sess.6.cap.5. & canon. 1. & 2. &c. 3. Et ratione confirmatur à definitione meriti; quia meritum est opus, non solùm bonum, verùm etiam elicitum à persona iusta, & studiosa; &c. & peccator quantumcumque benè operetur iniustus, & Dei inimicus est. Odibilis enim est Deo impius, & eius impietas. Qui plura, & notatu dignissima agnoscere cupit, legat Vegam in quæst. 6. citata. Iam explicatus est primus huius difficultatis sensus, restat secundus de merito de congruo. Et nota hoc meritum posse bifariam sumi, primo in rigore pro opere, cui de iustitia debetur præmium; secundo citra rigorem pro opere impetratorio.

CONCLVSIO II.

Nullum opus præcedens gratiam merito de congruo, in rigore sumpto, est gratiæ meritorium. Hæc conclusio videtur esse definita in concil. Trident. cap. 8. cuius verba sunt: Gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur. Eam docuit anteà D. Aug. D. Augustin. epistol. 106. ad Bonifacium Papam. Et ratione confirmatur à definitione meriti in tota sua latitudine sumpti, quam habes suprà; quia meritum tam de congruo, quàm de condigno est actus, cui de iustitia debetur præmium, & peccatori nihil debetur, cùm sit Dei inimicus, & pane, quo vescitur, & omni gratia indignus. Autoritates autem sanctorum, quas adducit Vega vbi suprà quibus affirmabant, peccatorem pœnitentem mereri primam gratiam, sunt intelligendæ de merito abusiuè, siue secũdo modo sumpto, scilicet pro opere impetratorio.

Append. Hinc, sumendo meritum pro actu impetratorio, quæstio est de nomine. An peccator de congruo per vltimam dispositionem gratiam promereatur, nec ne? Omnes in in hoc conueniunt non promereri de iustitia primam gratiam: quare impetrat illam. Et quando D. Augustin. epistol. D. Aug. 105. dicit, indulgentiùs iustificari paruulos, quàm adultos, non est intelligendus ita, vt adulti aliquo modo gratiam primam mereantur; sed quia laboriosiùs illam consequuntur, eò

eò quòd exigat Deus ab adultis aliquam dispositionem, quã à paruulis non exigit.

CONCLVSIO III.

Opera moraliter bona, extra gratiam facta, non sunt etiam de congruo auxilij specialis necessarij ad resurgendum meritoria: cuius modi est vocatio, inspiratio diuina, & alia id genus, quæ præcedunt pœnitentiam. Exempli gratia, si concubinarius ieiunet, peregrinetur, effundat preces, omnes suas facultates in cibos pauperum distribuat, & alia opera longe excellentiora præstet, non promerebitur de iustitia auxilium speciale ad resurgendum. Hęc conclusio probatur ad Roman. 9. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et paucis interpositis, subiungit: ergo cui vult miseretur, & quem vult, indurat. Hinc ita colligo ratiocinationem. Deum indurare aliquem est subtrahere auxilium speciale ad conuersionem necessarium, sed Deus nulla habita ratione ad currentem, idest, ad moraliter benè operantem, cui vult miseretur, suam gratiam prœuenientem communicando, & quem vult indurat, speciale auxilium illi denegando; ergo prœueniens gratia aliquo modo ex operibus non datur. Est etiam definita in concil. Trident. sess. 6. cap. 5. his verbis. Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum prœueniente gratia sumẽdum esse; hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur. Noranter dicitur, eorum existentibus meritis, ad quodcumque genus meritorum, etiam de congruo excludendum. Et ratione confirmatur; quia omne meritum de congruo; vel est propter dignitatem personæ operantis; vt quando iustus orat pro peccatore: vel quia est promissum ex lege; vt pœnitentia sufficiens, cui ex lege promittitur gratia, & cùm peccator sit indignus gratia, & nulla hactenus sit lex, qua alicui, propter opera moraliter bona, gratia prœueniens promittatur, non erunt talia opera, extra gratiam facta, talis auxilij necessarij ad pœnitendum meritoria. Hæc conclusio est contra Vegam, qui quæst. 7. in opusculo vbi suprà dixit. Potest fidelis me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

reri de congruo gratias gratis datas, quibus trahitur ad pœnitentiam, &c. At verò libro. 6. super concil. Trident. cap. 10. &. 11. eam sententiam retractauit, affirmans, nullatenus esse etiam de congruo meritorias huiusmodi actiones, de quibus loquimur.

CONCLVSIO IIII.

Quàmuis opera moraliter bona ex viribus solius naturæ elicita in nullo euentu sint gratiæ præuenientis meritoria; sunt tamen eiusdem gratiæ impetratoria. Et ratio est, quia Deus optim. Maxim. quæ sua est infinita misericordia, plerumquè concutit peccatores timore gehennæ: quiquidem timor est illis pœnitendi occasio. Et colligitur conclusio hæc ex multis sacræ scripturæ locis. Daniel enim. 4. dixit propheta regi Nabuchodonosor existenti in mortali. Mihi crede Rex, peccata tua eleemosynis redime, &c. Et D. August. super Ioann. cap. 9. Increpat cæcum dicentem, peccatores à Deo non exaudiri. Constat etiam exemplo Cornelij actorum cap. 10. Item D. Cyrillus lib. 4. super Ioã. cap. 2. dicit eos ex Iudæis credidisse, qui erant bonis moribus præditi, eos verò, qui erant improbi, malitia excæcatos fuisse. Tandem probatur, quia Deus plerumquè, propter peccata, deserit homines: vt B. Paul. ad Roman. 1. docuit. Et Christus Iesus causam infidelitatis Iudæorum tribuit eorum ambitioni. Ioann. cap. 5. dicens. Quo modo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Hinc, si peccata, & flagitia sunt indurationis, & negationis auxilij causa, erunt profectò bona opera moralia causa impetrandi: vt Deus auxilium ad resurgendum impartiatur. Propterea quod Deus pronior est ad miserendum, quam ad puniendum. Hæc animaduerte ad consulendum peccatoribus, & ad illos excitandum: vt in bonis operibus exerceantur. Hæc conclusio est Adriani in. 4. in quæst. An extra gratiam possit homo satisfacere. Et magistri Vega quæst. 7. & super concil. Trident. vbi suprà. Et magistri Soto de natura, & gratia, lib. 1. cap. 21. Prima conclusione huius difficul. condemnatur hæresis

Daniel. 4.
D. August.
Ioan. 9.
Act. c. 10.
B. Cyrillus.
Ad Rom. 1.
Ioan. 5.
Adrian.
Vega.

hæresis Pelagianorum, qui asserebant, hominem ex puris naturalibus posse de iustitia mereri gloriam: sicut modò humanus mercenarius promeretur stipendium.

Hæresis.
Castro.

Decima diffic. Vtrùm vnus possit alteri primam gratiam promereri?

CONCLVSIO I.

CHRISTVS Iesus peccatoribus sufficienter pœnitentibus meruit de condigno primam gratiam. Hæc conclusio est de fide: vt D. Paul. testatur. Decebat enim eum (id est Christum) propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum (scilicet Christianorum) per passionem consummare. Ecce quomodo B. Apostolus affirmat Christum salutis autorem adduxisse multos in gloriam. Quod non potest aliter intelligi, nisi qua illis primam gratiam meruit. Et quia Deus mouebat animam Christi, sibi gratissimam; vt ad salutem aliorum operaretur. Et quia illi soli data est gratia capitis.

Alex. Alen. §. 4.
S. Tho. art. 6. vbi. 3.
Ad Hebr. 2.

CONCLVSIO II.

Iustus in gratia existens precibus, & alijs operibus potest peccatori de congruo primam gratiam promereri. Constat Matth. 9. Videns Iesus fidem, &c. dixit Paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vbi fides iustorum impetrauit paralytico remissionem peccatorum, id est, primæ gratiæ collationem. Et Iacobi vltim. orate pro inuicem, vt saluemini. Et Luc. 16. Facite vobis amicos, qui recipiant vos in æterna tabernacula. Quasi dicat effundite facultates vestras in pauperes, vt eorum preces impetrent nobis vitam æternam. Et ratione confirmatur: quia congruum, & rationi consentaneum est: vt iustus, qui est Dei amicus, quãdo orat pro peccatore, exaudiatur. Sic enim vnus amicus ab alio solet, quod petit, impetrare.

Matth. 9.
Iacobi vlti.
Luc. 16.

Quæres. Meritum de condigno respectu primæ gratiæ *Dub.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dandæ peccatori, quot modis à merito de congruo iustorum differt?

Respondeo, duobus. Primo ex parte effectus. Iustus enim solum impetrat peccatori auxilium præueniens, & concomitans necessarium ad conuersionem, & ideò dicitur impetrare gratiam; quia impetrat dispositionem ad ipsam, nempè, vt Deus peccatorem illuminet. At verò Christus Iesus vtrũq;, scilicet, auxilium ad contritionem necessarium, & primam gratiam iustificãtem meruit omnibus quò ad sufficientiam, hoc est, quantùm est ex parte sua, solis autem prædestinatis quò ad efficaciam. Secundò differunt; quia Christus meruit de iustitia, ita quòd, si peccatori contrito Deus non daret gratiam, irrogaretur iniuria non peccatori, sed Christo; sancti verò solum ex misericordia illam impetrant. Sed de ijs in floribus, lib. sententiarum professo.

CONCLVSIO III.

1. Reg. 16. Ierem. 15.

Tanta est plerumquè peccatorũ obstinatio, vt nolit Deus sanctos pro illis deprecantes exaudire. Constat. 1. Reg. 16. Vsquequò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet in Israel. Et Ieremiæ. 15. Si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.

CONCLVSIO IIII.

Beati in patria orantes pro nobis nequè de cõgruo, nequè de condigno merentur alijs primam gratiam, & iustificationem. Et ratio est; quia sunt extra merendi statum, nihilominus tamen primam gratiam, & iustificationem impetrãt. Lege flores p. 4 in quæst. quibus competat orare; in difficult. Vtrùm sancti orent pro nobis.

Alex. Alen. art. 2. & S. Tho. art. 7. vbi. 8. Scot. in. 4. distinct. 22. art. 2.

Vndecima difficul. Potest ne aliquis promereri sibi reparationem post lapsum?

OMnes doctores partem negantem tenent, & Scotus cum illis, licet affirmet credibile esse propter Dei misericordiam: vt qui cadit à magnis meritis, citiùs recipiat speciale auxilium, & inspirationem ad resurgendũ.

CONCLVSIO I.

Nullus quantuncunque iustus, nequè de condigno, nequè de congruo suis bonis operibus meritorijs reparationem post lapsum promeretur. Hæc conclusio est de fide. Colligitur enim per necessarium consequentiam ex sacra scriptura. Nam ad Roman. 11. inquit B. Paul. Si gratia, non iam ex operibus. *Ad Ro. m 11.* Et si iustus promeretur sibi primam gratiam post peccatum committendum, iam gratia contra Paul. esset ex operibus proprijs. Sic enim intelligendus est D. Paul. nam propter merita aliena, vt Christi, bene datur prima gratia, vt ex difficultate proxima constat. Et Ezech. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecit, non recordabuntur; ergo non erunt meritoriæ post lapsum. Ratione confirmatur à simili: quemadmodum esset apud homines temerarium, si miles Regi suo aliquod, ea lege, offerret obsequium: vt si fuerit aliquando transfuga, remittatur ita illi noxa, vt pœna mortis non plectatur. Nam si rex obsequium ea lege oblatum admitteret, videretur militi occasionem delinquendi præstare. Ita, & Deus rex æternæ gloriæ videretur peccati autor, si obsequium ea lege acceptaret: vt quando gratia per mortale peccatum interrumperetur, præmium redderet, quod nec somniare licet. *Ezech. 18.*

CONCLVSIO II.

Oratio iusti sui reparationem post lapsum efflagitantis; si fortè in mortale labatur: quia suam intelligit imbecillitatem, erit apud Deum valde impetratoria. Et ratio est; quia hoc postulabat Dauid, quando dicebat: Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Nam si inter homines obsequia præstita amico, delinquenti suffragantur, dummodò non fuerint lege prædicta oblata; ne dũ apud Deum, qui omnes homines infinita mansuetudine absquè vlla comparatione vincit, ac superat. *Psalm. 70.*

Alex. Alen. p.4.q.9.m.3. Vide S.1.q. 4. collateral. & §. 2. q. 3. collat. ad argum. S.Tho.art.8. vbi 3. & S. Bona. art. 2. q. 2. Ricar.art. 2. q.2.in hac d. Scotus, & ally in.1. dist. 17. & in. 3. dist. 33. Prouerb.4. Eccl.18. Apoc.22. D.Aug. Concil.Trid. sess.6. cã. 24. D.Aug. in lib. de dono perseuerãtiæ S.Tho.art.9. Vega lib. 12. super concil. Trid. à c.20. vsquè ad finem libri.

Duodecima diffic. Potest ne aliquis promereri augmentum gratiæ?

CONCLVSIO.

PEr actus meritorios gloriæ homo simul augmẽtum gratiæ promeretur. V.g. si quis habeat duos gradus gratiæ, & operetur meritoriè, vt duo: quia ieiunat deuotione, vt duo; proculdubio duos gradus glorię, & totidem gratiæ promerebitur. Conclusio hæc est de fide. Et probatur. Proverbiorum. cap. 4. Vbi loquens scriptura sacra de profectu iustorum in gratia ait. Iustorum autem semita, quasi lux splẽdens procedit, & crescit vsquè ad diem gloriæ. Et iterum, ne verearis iustificari vsquè ad mortem. Eccles. 18. Et Apoc. 22. Iustus iustificetur adhuc. 2. Pet. 3. Crescite verò in gratia, &c. Hanc docuit D. August. apud Magist. distin. 17. 1. lib. dicens. Charitas meretur augeri, & aucta meretur perfici. Et ratione confirmatur; quia si homo promeretur augmentum gloriæ, merebitur etiam gratiæ augmentum: propterea quòd gratiæ augmentum est medium necessarium ad gloriæ augmentum. Vtrùm verò statim gratia augeatur, aut eius augmentum vsquè in finem vitæ, sicut præmium principale, scilicet, gloria, referatur: grandis est inter doctores controuersia, de qua in floribus. 2. & 3. lib. sentent. Deo adiuuante, disputabitur.

Decimatertia diffi. Possit ne aliquis de cõdigno perseuerantiam in gratia promereri?

ESt tituli sensus. An, vt potest aliquis promereri de condigno gloriam: ita quòd de lege Deus esset iniustus, si discedenti in gratia non daret gloriam meritis respondentem, eodem etiam actu possit de iustitia promereri perseuerantiam in gratia, & manutenentiam Dei vsquè ad finẽ vitæ.

Perseuerantia in gratia potest dupliciter considerari, vel in patria, vbi est gratia consumata, vel in via.

CON-

CONCLVSIO I.

Perseuerantia in beatitudine cadit sub merito de cõdigno: ita quòd si Deus iam beatos in gloria meritis respondẽte non conseruaret, illis secundum legem iniuriam irrogaret. Et ratio est: quia, cùm iustus, vt ex dictis constat, promereatur gloriam, non qualemcunquè, sed æternam: promerebitur ex consequenti perseuerantiam in ea. Nequè enim esset gloria æterna, si non haberet perseuerantiam annexam.

CONCLVSIO II.

Merito de condigno nemo potest perseuerantiam in bono vsquè ad finem vitæ promereri. Hæc conclusio est de fide. Et probatur, quia si pœnitentia esset meritoria perseuerantiæ de condigno, sicut est meritoria gloriæ, non posset Deus secundum potentiam ordinariam negare auxilium, & manutenentiam ad perseuerandum in gratia. Siquidem talis manutenentia esset debita de iustitia, & ex consequenti semel iustificatus per proprium actum, scilicet, per contritionem, non posset de lege cadere à gratia, sed esset confirmatus in illa, quod est hæretiquissimum, & contra diuinam scripturam expresse. Nam dicitur de iustis: Septies in die cadit iustus. Et iterum ante mortem ne laudes hominem quenquam. Et alibi, Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Et est hoc idem definitum in Clem. ad nostrum de hæreticis, & est concil. Vienen. quod & philosophi cognouerunt. Canit enim poeta quidam. Dicique beatus ante obitum nemo, supremaquè funera debet. *Prouerb. 24. Eccl.11. 1.Cor.10.*

CONCLVSIO III.

Nihilominus tamen dicta perseuerantia, ieiuniis, orationibus, & bonis operibus, impetrari potest. Hæc conclusio est definita in concil. Trid. sess. 6. cap. 13. Et ratio est, quia multa possumus misericorditer impetrare, quæ sub merito minime cadunt. Nam Publicanus Luc. 18. lachrymis veniam impetrauit, quam per eandem pœnitentiam non meruit. Non enim esset iniustus Deus, si peccatori, quantumcunquè pœnitenti peccata non remitteret. *Luc.18.*

Hinc elaborandum est omnibus nobis; vt per bona opera nostram vocationem certam faciamus, feruenterquè à Deo postu- Append. *2.Pet.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

postulemus, ne vnquam ab eo derelinquamur, & despiciamur, & ne faciem suam à nobis auertat. Exorari enim se vult, & promereri Deus. Ipse enim, qui dedit velle, dabit pro sua voluntate perficere.

Decimaquarta diffic. Vtrùm bona temporalia, siue mala possint cadere sub merito?

Alex. Alen. p.4.q.26.m.5.art.3.§.2.q.6. collateral. S.Thom. art.10.vbi.5.

BOnorum temporalium duo sunt genera. Quædam enim sunt, quæ conducunt ad beatitudinem consequendam; vt salus corporis, quæ est necessaria ad concionandum, & docendum, quæ operationes sunt vitæ æternæ meritoriæ: huius etiam primi generis sunt dignitas, scientia, ars, diuitiæ, quæ etiam sunt media, quibus meremur beatitudinem, dummodò illis benè vtamur. Quædam verò sunt, quæ non sunt media ad vitam æternam consequendam, huius secundi generis sunt bona temporalia, quæ ab existentibus in mortali possidentur. Similiter de malis est dicendum.

CONCLVSIO I.

Psal.33. Psalm.36.

Bona temporalia primi generis sub merito de condigno, siue de iustitia cadunt. Patet psalm. 33. vbi dicitur. Timentes autem dominum, non deficient omni bono, &c. Et psalm. 36. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius, &c. Et ratio à simili est; quia sicut augmentum gratiæ cadit sub merito de condigno, non quòd sit simpliciter ad beatitudinem necessarium, quoniam satis esset prima gratia, sed quia per augmentum gratiæ homo ad resistendum vitio, & ad maiorem dilectionem Dei adiuuatur: ita etiam cùm temporalia bona homini ad comparandas sibi virtutes, quibus vitam æternam promeretur, sint adiumento, cadent etiam sub merito de condigno.

Append.1.

Hinc etiam idem propter eandem rationem de malis temporalibus censendum est, vt de ægritudine, paupertate, & ignobilitate, quæ plerumque sunt media ad humilitatem, qua vitam æternam promeremur, acquirendam.

CON-

CONCLVSIO II.

Bona temporalia aliquando sub merito secundum quid cadunt, idest, sunt alicuius actus studiosi, & laudabilis præmium temporale. Constat Exodi.1. Vbi legitur ædificatas fuisse domos obstetricibus Ægyptiorum seruantibus incolumes Hebræorum masculos. Quod quidem opus, si mendacio caruisset, teste D. Gregorio, dignum vita æterna fuisset. Idem docet D. August. quæst. 1. lib. quæstionum in Exodum, & lib. contra mendacium cap. 15. Et Romanis præmium temporale propter moralem iustitiam, quam in subditos exercuerunt, fuit à Deo tributum, vt D. August. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 2. &. 15. scribit.

Exod.1. *D. Greg. lib. 18. moral.* *D. August.*

Hinc, Deus plerumquè etiam hæc temporalia bona donat hominibus propter bona opera, quæ homines ex imperio diuino faciunt, quàmuis in executione pessimam habeant, & iniquam intentionem, vt regi Nabuchodon. quia pugnauit contra tyros ex imperio Dei, licet odio motus, reddita fuit merces. Dicitur enim Ezech. 29. & erit merces eius in terra Ægypti.

Append.2. *Ezech.29.*

Hinc, facilè colligitur infinita Dei clementia, & liberalitas, & misericordia erga electos; nam si propter actiones morales mala, & iniqua intentione, factas Romanis, & Nabuchodon. præmium temporale reddidit, quàm mercedem iustis, qui recta intentione operantur, tribuet? Quod bonum temporale illis: si tamen ad eorum spirituale commodum pertineat, negabit?

Append.3.

Hinc, quoniam ignoramus, quæ bona temporalia ad salutem æternam expediant, sunt hæc petenda sub conditione implicita, vel explicita, scilicet, si futura nobis adiumento sint ad vitam æternam comparandam. Nam quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, &c. Et docuit B. Paul. ad Roman. 8. petere sub conditione implicita dicens. Quid oremus, sicut oportet, &c. quasi dicat. Nescimus fratres, expediant ne magis nobis bona, aut mala temporalia ad salutem æternam, ipse autem Spiritus sanctus postulat pro nobis, idest, postulare nos docet, & hoc gemitibus, idest, precibus inenarrabilibus, hoc est,

Append.4. *Marc.8.& Luc.9.* *Ad Rom.8.*

precibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

precibus indeterminatis: vt non determinatè salutem, aut ægritudinem, diuitias, vel paupertatem, &c. petamus; sed ea solùm, quæ Deus magis ad vitam æternam expedire intelligit. Et ecclesia sub conditione explicita orationem pro pluuia instituit, scilicet, Deus in quo viuimus, &c. sempiternè fiducialiùs appetamus.

Artic. III. De varijs alijs gratiæ effectibus.

Alex. Alen. m.6. vbi. §.

HVnc artic. solus Alexand. Alen. tractat, & absoluetur positis aliquot difficultatibus.

Prima diffic. Sunt ne purgare, illuminare, & perficere, proprij gratiæ effectus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art.1. vbi. §. Ad Heb.1. Psal.4. Ad Phil.

SVnt quidem proprij gratiæ effectus. Nam de gratia dicit B. Paul. ad Hebr. 11. Purgationem peccatorum faciens. Et psal. 4. Signatum est super nos lumen. Vbi glossa lumen gratiæ tuæ: quare gratia illuminat. Et ad Philip. 2. Ipse operatur in vobis velle, & perficere, & operatur per gratiam: ergo gratiæ est perficere. Et ratio est; quia cùm gratia nihil aliud intendat, quàm nos Deo assimilare, & purgare, illuminare, & perficere ad assimilationem necessariò concurrant; quia forma naturalis primò mouet dispositiones contrarias à materia, & tunc purgat: secundò introducit dispositiones consimiles in materiam, tuncquè dicitur illuminare materiam; vltimò introducit se ipsam in materiam, & perficit eam. iure erunt hi tres effectus essentiales, & proprij ipsius gratiæ. Nam vt lux assimilat sibi aerem, purgando illum à tenebris, &c. ita gratia, quæ est lux spiritualis: vt animam Deo similem reddat, debet primùm illam à tenebris peccatorum purgare, secundò disponere simili dispositione; vt possit esse similis in actu. Tùc enim dicitur illuminare illam. Tertiò informare ipsam, tuncquè dicitur animam perficere.

Secunda

Secunda difficult. Vtrùm viuificare, assimilare, & gratificare. sint proprij gratiæ effectus?

CONCLVSIO.

Alex. Alen. art.2. Acto.17.

SVnt. Legitur enim Act. 17. In quo viuimus, mouemur, & sumus. Et primum, quò anima rationalis viuit per Deum, est gratia, & cùm per illam viuat, dicetur quoque per eandem viuificari. Assimilat etiam gratia; quia anima diligit Deũ, mediante gratia, & similitudo causa amoris est. Hæc enim vis amoris est; vt amantem in amatum transformet. Et tandem est gratiæ effectus gratificare, iuxta illud ad Ephes. cap. 1. In laudem gloriæ, gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in Christo. Quod nominis etymologia declarat, quia gratificatio deriuatur à gratia, & si gratia est, gratificare est.

ad ephes. c.1.

Tertia diffic. Vtrùm iustificare, excitare, motus meritorios elicere, sint proprij gratiæ effectus?

Alex. Alen. art.3. vbi. §.

EX iis tribus effectibus, primus, qui est iustificatio, & tertius, nempè, meritum, explicati sunt in primo, & secundo artic. huius quæst. restat secundus.

CONCLVSIO.

Apoc.3.

Est quidem excitare proprius gratiæ effectus. Probatur Apoc. 3. Ego sto ad ostium, & pulso. Ostium appellatur liberum arbitrium, siue voluntas. Et pulsatio ista est excitatio quædam voluntatis ad bonum per gratiam. Et hoc est, quod postulat ecclesia in illa collecta. Excita domine potentiam tuam, & veni, &c.

Alex. Alen. art.5. vbi. §. & 4. p. q. 8. m.5. artic. 1. ad arg. D. Aug. Hæresis.

Quarta diffic. Vtrùm gratia in præsenti vita faciat nos sine peccato esse?

DIuus August. apud Alexand. loco citato tres affert circa hanc difficultatem opiniones. Quarum prima asserebat nos in hac vita distinctè esse sine peccato, quam erro-

Universidad de Deusto Biblioteca

1.Ioan.1. erroneam,& hæreticam censet. Est enim contrà Ioan. Apost. dicentem. Si dixerimus: quoniam peccatum non habemus, &c. Secunda opinio, quam iudicat probabilem, licet illam impugnet.dicit, peccatum posse sumi,vel pro actu inordinato,vel pro fomite peccati,idest,pro inclinatione,& pronitate ad peccandum. Ita enim accepit peccatum Apostol. ad Roman.7.quando dixit. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod habitat in me peccatum. Et de peccato hoc modo sumpto potest intelligi autoritas apostoli Ioan. Si dixerimus, quoniam peccatum,&c. Tertia opinio est D. August.quæ sequentibus conclusionibus continetur.Lege infrà distinct. sequenti.

ad Rom.7.

CONCLVSIO I.

Nullus in hac vita sine veniali peccato esse potest. Probatur autoritate D. Iacobi cap. 3. qui nullum excludendo dicit. In multis offendimus omnes. Et si nunquam venialiter peccaremus, non opus esset dicere: dimitte nobis debita nostra, sed tantùm dicendum esset:& ne nos inducas in tentationem. Sunt aliæ multæ autoritates,quibus apertissimè probatur Dei amicos per gratiam non posse sine peccato veniali in hac vita existere.

Iacobi.3.

Matth.6.

CONCLVSIO II.

Gratia gratum faciens in hac vita hominem, cui inhæret, sine peccato mortali esse facit. Et ratio est; quia nullus, nisi purgetur à vitiis,gratiam Dei accipere potest,vt D.Chrysost. docet. Et refertur can. non potest de pœnitentia distinct.1. & de consecra.dist.4.Gratia enim,quæ per Christum datur,peccatorum facit remissionem, teste D. August. & habetur de consecra.distinct.4.canon.gratia quæ.Lege etiam can.placuit cl.4.& can.quisquis ead.dist.& est concil.Mileuita. cui interfuerunt D.August. & B.Anselm. Impossibile enim est, eundem simul esse filium regni per gratiam, & per mortale peccatum perditionis filium.

D. Chrysost.

D.Aug.

Magist,

Magist. Sentent. Distinct. XXVIII.

IN hac distinct.Magist.proponit hæresim Pelagij affirmantis,hominem simpliciter sine gratia,viribus tantùm naturę posse vitam æternam promereri,eiusquè argumenta,& quę in D. August. qui contra illum multos scripsit tractatus, retorquebat,soluit.

Quæstio vnica De necessitate Gratiæ.

HAnc quæst.doct.contra Pelagium hac distinct.28.tractât & S. Thom. de illa. 1. 2. q. 109. verba facit. Absoluetur quæst.propositis nonnullis art.

Artic. 1. An possit homo sine gratia aliquod verum cognoscere?

Hic articulis duabus difficultatibus expositis absoluetur.

S.Tho. art.1. vbi.§. & reliqui infrà citandi.

Prima diffic. Vtrùm ad cognoscendas omnes veritates morales,quibus rectè viuitur, generale Dei auxilium sufficiat,vel speciale etiam requiratur?

Vega.q.9. de iustificatione.

DVæ sunt extremæ opiniones circa hanc difficultatem. Prima tenet, neminem post lapsum primi hominis, dummodò nascatur per propagationē,posse solo generali auxilio cognoscere aliquam veritatem moralem, nisi speciali Dei auxilio illustretur. Et hæc est Greg. Arimen. & Capreol. qui existimat fuisse opinionem S. Tho.in hoc artic. Secunda,& contraria est S.Tho. hic,& Scoti hac d. q. vnica, & D.Bona.& Durand.& Ricard.hac dist.quæst.1.

Greg. Arim. dist. 26. q. 1. Capreol. hac dist.q.1. S.Thom. Scot. D.Bona. Ricard. Durand.

Nota aliud esse cognoscere posse disiunctiuè singulas veritates, siue propositiones, tam speculatiuas, quàm practicas, pertinentes ad studiosè viuendum, & ad cauenda singula peccata

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccata virtutibus moralibus contraria: aliud verò easdem propositiones collectiuè cognoscere.

CONCLVSIO I.

Potest homo solo generali concursu cognoscere disiunctiuè singulas veritates ad vitam moraliter studiosam gerendam spectantes. Hæc conclusio est cõtra primam opinionem, & probatur ex D. Paul. ad Rom. 2. Cùm enim gentes, quæ legem non habent (scilicet scriptam, vt habent Iudæi) naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt (quia seruant præcepta moralia, quæ in decalogo continentur) eiusmodi legem non habentes (scilicet, scriptam, vt Iudęi) ipsi sibi sunt lex, qui ostẽdũt opus legis scriptum in cordibus suis. Apertissimè apostol. his vltimis verbis testatur, gentes posse naturaliter, hoc est, solo generali concursu, qui inter vires naturæ recensetur, cognoscere singula decalogi præcepta, & illa efficere: quæ omnia ad virtutes morales pertinent. Ratione confirmatur à definitione auxilij specialis: est enim concursus diuinus, qui non omnibus regulariter, sed quibusdam tantùm conceditur: & cùm omnes ratione vtentes etiam deprauatissimi quiquè, his principiis moralibus, scilicet, quod tibi non vis, &c. omne malum est fugiendum, &c. præstent assensum: cognoscent profectò illa sola generalis auxilij virtute, & non specialis. Alioquin si ad præstandum assensum id genus principiis, esset necessarium speciale auxilium, non essent principia omnibus communiter nota, sed quibusdam dumtaxat. Et si non essent omnibus naturaliter nota, non essent prima principia, quod est erroneum.

Ad Rom. 2.

Append.

Hinc naturaliter poterit homo scire singulas temperantię, & aliarum virtutum species, contra Greg. & Capreolum.

CONCLVSIO II.

Homo ex puris naturalibus, secluso speciali auxilio, non potest collectiuè omnes veritates, quæ ad studiosam vitam degendam pertinent, ita cognoscere, vt nihil prorsus ignoret. Constat hæc conclusio Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, idest, iudicia nostra de moralibus rebus agendis sunt nobis incerta, hoc est, ignota. Et continuò reddit rationẽ dicens. Corpus enim quod corrũpitur,

Sap. 9.

pitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogitantem. Et Eccles. Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Et ratio est; quia vulnera peccati originalis naturaliter homini inhærent, & ignorantia rerum agendarum vulnus originalis culpæ est. Et confirmatur: quia vt S. Thom. docet, philosophi multas veritates erroribus permixtas intellexerunt.

Eccles. 1.

S. Tho. in. 1. p. q. 1. art. 1.

Secunda diffic. Vtrùm homo viribus tantùm naturæ, secluso speciali Dei auxilio, possit articulis fidei catholicæ credere?

HIC non quæritur, An secluſa reuelatione facta alicui prophetę, siue euangelistę, & secluſa prædicatione, possit homo naturaliter misteria fidei cognoscere? Hoc enim fieri non posse, vel Pelagius confitebatur: propterea q. misteria fidei catholicæ superant lumen rationis naturalis. Quæ quidem ratio pro hoc statu solùm materialia naturaliter cognoscit. Dicebat namquè Pelagius gratiæ Dei esse, quòd fides nobis prædicetur, & miraculis confirmetur. Sed quod quæritur est. An facta prædicatione, possit aliquis solo generali concursu articulis fidei præstare assensum? Pelagius omne speciale auxilium inficiebatur. At verò inter catholicos non nihil dissidij est: Nam Scot. & Durand. videntur affirmare, posse aliquem ex viribus naturæ assentiri fidei articulis. Vnde aliqui dixerunt eos Pelagio subscripsisse, sed falluntur, vt statim declarabitur S. Thom. tamen oppositum confitetur, cui Scot. & Durand. non aduersantur. De qua re lege etiam Vegam, & Sotum. cæterùm ad pleniorem intelligentiam huius difficult. animaduerte sequentia.

Scot. in. 3. d. 23. q. Durand. hac dist. q. 1. S. Tho. art. 1. vbi. 5. & 2. 2. q. 6. art. 1. Vega in opusculo de iustifica. q. 9. & Soto lib. 2. de natura, & gratia, c. 8. 1. Animaduersio.

Obiectum fidei, vt suprà attigimus, duplex est. Vnum materiale, vt sunt. 14. articuli fidei, & omnia in diuina scriptura contenta. Alterum formale, & est ratio præcisa, quæ mouet nos ad credendum, qualis est veritatis primæ reuelatio: prout nobis ab ecclesia proponitur, & non aliter, vt ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Aug. D. August. colligitur, qui dicit, Euangelio non crederem, nisi ecclesiæ crederem.

2. Animad. Obiectum fidei humanæ est autoritas asserentis, qui quidem fallere, & falli potest, nulla tamen appareret dissentiendi, aut dubitandi ratio. Exempli gratia: credimus Romam nunc esse: quia omnes hoc affirmant, & nulla apparet dissentiendi, aut dubitandi ratio. Simili etiam modo credimus nos esse baptizatos, & sacerdotes: quia ministri horum sacramentorum dixerunt se intentionem conferendi hæc sacramenta habuisse, & nulla apparet dubitandi ratio. Et in hoc differt fides humana ab opinione: quoniam in opinione semper manet aliqua ratio probabilis in contrarium.

3. Animad. Hinc, discrimen inter fidem diuinam, & humanam non est precisè ex parte firmitatis, & certitudinis asserendi, aut ex parte subiecti, aut obiecti materialis, sed ex parte obiecti formalis certitudinis, aut infallibilitatis. Exempli gratia, aliquis lutheranus de facto huic, Deus est trinus in personis, & vnus in essentia, ita firmiter credit, sicut catholicus: quia est paratus pro eius defensione mortem subire, discrimen tantùm est circa hunc articulum, qui idem est nobis, & hæreticis, ex parte obiecti formalis. Nos enim credimus, quia ecclesia, quam dicimus infallibilem, hoc proponit, & dicit in sacra scriptura contineri, & ideò nostra fides est diuina. Fides autem hæreticorum eiusdem articuli est humana. Credunt enim: quia proponitur ab omnibus baptizatis, & in scriptura diuina continetur, addunt què insuper, omnes dicentes hanc esse diuinam scripturam posse fallere, & falli, & ex consequenti asserunt ecclesiam esse fallibilem. Quamobrem fit, vt eorum fides sit humana: quia ratio, quæ eos ad credendum mouet, est autoritas dicentium, quos omnes fallibiles esse existimant, & autoritati, & iudicio fallibili innititur.

CONCLVSIO I.

FIDEM humanam omnium articulorum solo generali concursu potest aliquis habere. Et ratio est, quia fides humana est assensus alicuius propositionis indubitabilis, cui stultum esset non assentiri, genitus ab autoritate fallibili

bili talem veritatem affirmantium: sed potest aliquis credere articulis fidei, non propter autoritatem infallibilem ecclesiæ catholicæ: sed tantùm propter autoritatem alicuius viri facientis miracula in confirmationem talis propositionis, vel propter autoritatem non tantùm ecclesiæ: sed etiam cæterorum, vt credit hæreticus articulis, quos non diffitetur: ergo talis credens habebit fidem humanam, aut moralem tantùm. Et cùm ad huiusmodi fidem humanam sufficiat solus generalis concursus, sicut ad credendum huic, Roma est: non requireretur profectò speciale auxilium. Et de hac fide humana loquuntur Scot. & Durand. vbi suprà, & Caiet. in hac q. 109. art. 4. Non enim intelligendi sunt de fide catholica, & diuina, cuius obiectum formale est, &c. vt in prima animaduersione habetur.

CONCLVSIO II.

ACTVM fidei catholicæ nullus potest per solum concursum generalem elicere, nisi auxilio Dei particulari eleuetur. Hæc conclusio est de fide, & contra hæresim Pelagij. Et probatur primò autoritatibus sacræ scripturæ. Ait B. Paul. ad Philipp. 1. Vobis donatum est non solùm: vt in eum credatis: sed etiá, vt pro illo patiamini, &c. Et ad Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidē, & hoc non ex vobis. Dei enim donū est: ex his, & aliis locis, eisdem similibus, sic colligo argumētum. Dona supernaturalia Dei, quæ sunt gratiæ gratis datæ, non dantur per generale auxilium (Aliter enim essent naturalia, & omnibus communia: ideò namquè vocantur dona: quia per auxilium peculiare Dei dantur) fides autem in locis citatis, & alibi sæpè inter supernaturalia dona recensetur: non igitur poterit viribus naturæ, & solo concursu generali obtineri. Quid clariùs contra Pelagium? Et confirmatur: quia vt non potest aliquis viribus naturæ gratiam faciendi miracula habere, ita nec què actum fidei catholicæ elicere. Vtrumquè enim vt docet B. Paul. donum supernaturale est. Fuit hæc conclusio definita in concil. Milcuit. can. 4. contra Pelag. & in concil. Arausic. cap. 25. & in Trident. sess. 6. can. 3. Confirmari etiam poterat multis sanctorum autoritatibus, præsertim D. Aug. in lib. de gratia Christi contra Pelag. c. 31.

Ad Phil. 1.

Ad Eph. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& lib.1.contra duas epist. Pelag. cap. 3.&.19. & lib. 4. cap. 6. lib. de prædest. sanct. per multa capita, & lib. de gratia, & lib. arb. cap. 7.&.17. & in lib. de fide ad Petr. cap. 32. & in 1. can. Ioan. cap 3. Lege Castrum verbo fides, & verbo gratia hæresi prima. Et tandem ratione illustratur conclusio posita; quia Deus nemini negat auxilium generale sine miraculo: vt ex suprà dictis constat; & cùm multis negauerit Deus auxilium ad credendum; excæcando illos; atquè indurando illorum corda, vt habetur Ioann. 12. cùm autem tanta signa fecisset, &c. & hoc non tribuatur miraculo: profectò auxilium ad credendum fidei catholicæ erit speciale, quod citra miraculum à Deo negatur.

Ioan.12.

CONCLVSIO III.

Auxilium speciale non solùm est necessarium ad illustrandum intellectum; vt credat, verùm etiam ad propriam affectionem, & voluntatem mouendam, vt intellectui nostro imperet, vt fidei catholicæ assensum præster. Patet conclusio exemplo Lydiæ, quæ credidit, & baptizata fuit. Vbi legitur. Cuius dominus aperuit cor, ideſt, inclinauit voluntatem eius, vt credere vellet. Cor enim in sacris literis voluntatem significat. Fuit quoq; definita hæc cõclusio in concil. Arausi. can. 5. &. 7. Et ratio est, ex D. Ioan. cap. 12. vbi legitur, Christum excæcasse oculos Iudæorum, & induraſſe illorum corda. Et excæcatio spectat ad intellectum, & induratio ad voluntatem: quare ad operationem vtriusquè potentiæ requiritur speciale auxilium: vt voluntas piam affectionem, & amorem habeat, & intellectus imperatus à voluntate actualem assensum fidei catholicæ eliciat.

Act.16.

Ioan.12.

CONCLVSIO IIII.

Tale auxilium speciale est necessarium omninò, non, vt firmiùs, & faciliùs credamus: sed vt simpliciter credamus. Probatur, quia Dominus non dixit, sine me difficilè potestis aliquid facere. Sed simpliciter dixit: sine me nihil potestis facere. Ita enim præfata concilia definierunt, gratiam Dei esse omninò necessariam.

Ioan.15.

Hæresis Abaylardi.

Hinc, confutatur hæresis cuiusdam Abaylardi, qui dixit, nihil esse credendum, quod virtutem nostri intellectus excederet.

cederet. Et hæresis Pelag. qui negabat speciale auxilium. Et postea compulsus à fratribus eiusdem ordinis, vt poneret auxilium speciale, gratiam, scilicet, addidit errorem errori dicens, esse necessariam: vt homines faciliùs meritoriè operarentur: non autem vt simpliciter operari possent. Lege Castrum, & Vegam, & Sotum, & alios vbi suprà.

Pelag.

Artic. II. Vtrùm homo possit velle, & facere bonum absquè gratia?

Roffensis in art.36.contra Luther.

Greg. Arim. d.26. 27. 28. 29.

Capreol.dist. 28.q. 1. con. 2.

S.Tho. art.2. vbi.s.

S.Bona.q. vt. tim. 19. dist.

Gab.q.vnica

Scot.ibidem

Duran. q.2

Ricard.

Vega. q. 14 de iustifica

Soto lib.1. de nat. & gratia. c. 20. & 22.

CIRCA hanc difficultatem fuit etiam error Pelagij affirmantis omne opus moraliter bonum posse à nobis effici natura corrupta: sicut, & integra, & hoc viribus naturæ. Dicebat enim esse misericordiæ, & gratiæ Dei fuisse nos creatos, virtutis autem nostræ esse, vt efficiamur iusti. Fecit, dicebat ille, nos homines, sed nos facimus nos iustos. Catholici omnes hanc sententiam tanquàm hæreticam damnant, qui etiam inter se hac in parte discordant. Quidam enim affirmant post Adæ peccatum naturam hominis vsquè adeò imbecillem, ac propè extinctam mansisse: vt nihil boni suis viribus, nisi, Deo peculiariter concurrente, efficere possit. Hi sunt Roffensis, Gregorius Ariminensis, & Capreolus. Alij vero oppositum tenent, asserentes, posse aliqua bona moralia solo generali concursu efficere, non tamen omnia. Et hæc est communior opinio. Hanc tuentur Magister sentent. distinct. 26. S. Tho. D. Bona. Scot. Durand. Gab. Soto. Vega. Ricard. & alij, quos longum esset recensere. Titulus autem difficultatis dupliciter erit declarandus. Nempe, quid homo in statu naturæ integræ efficere potuisset? & quid modo in statu naturæ corruptæ efficere valeat? Et quia rectum est iudex sui, & obliqui, & iustitia, quid iniustitia sit, insinuet, erit primus sensus tituli de natura integra explicandus. Et erunt, vt clarius rem hanc tractemus, aliqua prænotanda.

Illud semper in hac disputatione in primis præ oculis habendum

1.Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bendum est, ne tantùm gratiæ necessitatem extollamus, vt cum lutheranis à creatura rationali liberum arbitrium relegemus. Et è contra, ne tantum libero arbitrio tribuamus: vt cum Pelagianis gratiæ necessitatem excludamus.

2.Nota. Sex modis potest hominis status considerari. Primo in puris naturalibus. Secundo in statu rationali, vt seruetur rectitudo in partibus animæ, ita quòd sensitiua rationali etiam difficulter obediat. Tertio in statu sub iustitia originali, in quo sensitiua sine vlla difficultate rationi obediebat, in quo tertius status à secundo distinguitur. Quarto sub peccato. Quinto sub gratia. Et sexto sub gloria.

3.Nota. Inter statum in puris naturalibus, & statum sub peccato originali solùm est discrimen ex parte causæ. Et ratio est, quia vterquè status habet potentiam sensitiuam sibi rebellem, vterque etiam est omni bono super naturali destitutus. Differunt autem ex parte causæ: quia causa, ob quam, homo in puris naturalibus caret omni gratia, est conditio naturę, nempè, quoniam ita fuit conditus: causa verò in statu sub peccato originali eiusdem carentiæ est originalis culpa. Confirmo rem à simili. Esto, sint duo homines nudi, quorum vnus nunquàm fuerit vestibus indutus, alter verò aliquando habuerit vestimenta, in pœnam tamen criminis sit illis exutus. Tunc quemadmodum in primo nulla esset pœna expoliatum esse: ita si aliquis in mundo crearetur à Deo non per propagationem maris, & fœminæ: sed ex limo terræ in puris naturalibus, & esset omni gratia expoliatus, nuditas illa non esset in illo pœna: quemadmodum in paruulis ante baptismum est pœna propter culpam Adæ, esse gratia priuatos.

4.Nota. Status naturæ integræ est innocentiæ status sub iustitia originali, in quo quidem statu non iustitia originalis: sed ratio, & mens hominis tali iustitia vestita, & ornata operabatur. Et ratio à simili est: nam, vt potentia sensitiua coniuncta rationali potentiæ in homine est perfectior, quàm in bruto, eò quòd in nobis est libera, saltem per participationem, quam ob causam perfectiùs operatur: ita virtus, & potentia intellectiua habens sibi iustitiam originalem coniunctam,

ctam, & vnitam, perfectiùs quàm modò operabatur. Quoniam tunc potentiis sensitiuis absquè vlla rebellione imperabat. Ita enim generandi potentia rationi obedisset vt in coeundo nulla fuisset libido, & in voluntate hominis marem, seu fœminam generare extitisset: sed de iis suprà in hoc libro egimus.

Append.1. Hinc, quando dicitur natura per peccatum vulnerata, & corrupta, ne intelligas, quæso, naturam in aliquo esse diminutam, siue potentia aliqua priuatam. Manent enim potentiæ in illa integræ: sed solùm intellige esse priuatam iustitia originali ratione cuius potentiis sensitiuis: vt modò diximus, dominabatur.

5.Nota. Dominium, teste Aristot. est duplex, politicum, & despoticum. Primum est, quod habet princeps super ciues, eò q̃ sunt liberi, & possunt principi resistere. Secundum autem est, quod habet dominus supra seruum suum, eò q̃ seruus nequit domino resistere. *Arist.1.polit.*

6.Nota. Deus dicitur finis hominum naturalis, & supernaturalis. Naturalis quidem, quatenus est summum bonum, naturaliter cognitum: & supernaturalis, quatenus clarè visus, est obiectum beatitudinis. Vtrumquè probatur à definitione finis. Est enim finis quid optimum, & vltimum, mouens efficientem ad operandum, propter eius assecutionem. Philosophi enim cognoscentes naturaliter Deum, tanquam summum bonum, poterant moueri ad operandum vltimatè propter Deum. Et quia hoc non fecerunt, increpat illos B. Paul. dicẽs. *Ad Rom.c.1.* Qui cùm Deum cognouissent, &c. Deus etiam fide cognitus mouet credentem ad operandum, propter consequendam beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, quare clarè visus est finis supernaturalis nostrarum operationum, cùm moueat nos ad operandum.

7.Nota. Per rationem naturalem, etiam seclusa fide, possumus cognoscere Deum esse super omnes creaturas, & super nos omnes diligendum. Et ratio Scoti est: quia naturaliter possumus *Scot.est in. 3. dist.27.* cognoscere esse aliquod summum bonum super omnia diligendum, & vltimum finem omnium nostrarum actionum. Nam sicut naturaliter cognoscimus in causis efficientibus

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non esse progressum in infinitum: sed esse deueniendum ad vnam primam causam, à qua aliæ causæ secundæ inesse, & operari dependeant: ita naturaliter possumus cognoscere esse vnum supremum finem omnium actionum nostrarum, in quem, & per quem vltimatè operemur, & quem super omnia diligamus. Et cùm talis finis secundum rationem naturalem non possit esse, nisi bonum infinitum, dictat planè ratio naturalis istud bonum infinitum (quod est solus Deus) esse super omnia diligendum.

8. Nota. Naturaliter non potest aliquis scire copulatiuè omnes veritates morales ad cauenda omnia peccata. Patet ex illo psal. *Psal. 18.* Delicta quis intelligit?

9. Nota. Seruare omnia præcepta naturalia, siue moralia potest quis, vel disiunctiuè, vel copulatiuè. Iis ita constitutis ponendæ sunt, vt dixi, priùs conclusiones de statu naturæ integræ.

CONCLVSIO I.

Homo in statu naturæ integræ non poterat solis naturæ viribus vitam æternam promereri. Colligitur hæc conclusio ex dictis suprà de merito. Et ratio est, quia cùm opus meritorium sit, cui de iustitia debetur æquale præmium, & nullum sit opus naturale præmio æterno æquale, nullum profectò opus naturale fuisset tunc, quo homo vitam æternam promereri potuisset.

CONCLVSIO II.

Poterat homo in statu naturæ integræ viribus naturæ elicere quodcunquè opus moraliter bonum collectiuè, & seruare quodcunquè præceptum decalogi, quod est præceptum naturale. Et probatur: quia ratio præcisa, ob quam homo post peccatum non potest copulatiuè omne opus moraliter bonum elicere, est, propter inobedientiam potentiæ sensitiuæ aduersus rationem: in statu autem naturæ integræ, cùm ratio dominio despotico potentiæ sensitiuæ ratione originalis iustitiæ dominaretur, potuisset tunc opus studiosum quodcunquè copulatiuè elicere. Confirmatur exemplo hominis sani, qui potest quemcunquè laborem ferre: & natura tunc per iustitiam originalem dominantem sensibus erat sana.

Hinc,

Append. 2. Hinc, homo poterat tunc omnia præcepta naturæ: vt sunt decalogi præcepta, quantùm ad substantiam actus seruare. Si quidem omnia sunt bona moraliter.

CONCLVSIO III.

Homo in statu naturæ integræ dilectione naturali, & non meritoria, poterat diligere Deum super omnia. Et ratio est, quia homo in vtroquè statu naturaliter potest cognoscere Deum super omnia diligendum, & esse vltimum finem naturalem omnium actionum; vt constat ex 7. notabili: ergo naturaliter voluntas non impedita, quale erat tunc liberum hominis arbitrium, potuisset conformare se rationi rectæ dictanti, Deum esse super omnia diligendum. Et confirmatur: nam si fortis politicus potest pro defensione patriæ mortem studiosè subirè; quia hoc dictat ratio, multò magis profectò poterat tunc Deũ super omnia diligere, cùm hoc recta etiam ratio dictet. Sed de hac conclusione, quæ est Scoti vbi suprà latiùs infrà. Hactenus de primo sensu tituli difficultatis huius, nunc de secundo agendum, & sit quarta conclusio ordine, & prima secundi sensus.

CONCLVSIO IIII.

Homo in statu naturæ lapsæ, solo generali auxilio seruare collectiuè omnia præcepta moralia, quæ sunt legis naturæ, vt præcepta virtutum absquè speciali Dei auxilio haud potest. Ratio sumitur ex discrimine inter statum naturæ integræ, & lapsæ: quia tunc, quando ratio dominio despotico potentiæ sensitiuæ dominabatur, poterat sine difficultate omnia collectiuè operari, præsertim cùm illi statui iuxta probabilem opinionem peccatum veniale non esset compossibile: at verò in statu naturæ lapsæ non quæcumquè volumus præstare, & efficere possumus. ad Galath. 5. Si enim omnia collectiuè natura corrupta posset, nullum profectò discrimen esset inter statum naturæ integræ, & nostrum, quod est omninò erroneum. Hoc idem D. Paul. ad Rom. 7. proclamat. Non enim quod volo bonum, hoc facio, &c. *Ad Gal. 5.* *ad Rom. 7.*

CONCLVSIO V.

Homo potest ex viribus naturæ in statu naturæ lapsæ adimplere singula præcepta, hoc, scilicet, vel illud solo generali

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Rom.2. rali Dei concursu. Hæc conclusio est expresse definita à D. Paul. Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, &c. Hinc, ita probo conclusionem. Naturaliter aliquid facere est operari illud per auxilium tantum generale: vt ex suprà dictis constat, & cùm gentes absque lumine fidei seruent naturaliter, teste B. Paulo, præcepta legis naturæ, licet non omnia, seruant profectò illa per solum generale auxilium. Aliter enim falsum esset dicere, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: sed esset dicendum supernaturaliter, si ad Rom. c. 1. speciale auxilium esset ad hoc necessarium. Et si quis dixerit, sensum B. Paul. esse de cognitione naturali præceptorum, & non de operatione. Respondebis hoc esse expresse contra textum. Non enim dixit beatus Paul. Intelligunt: sed faciunt. Nam de cognitione iam cap. primo egerat, quando dixit. Inuisibilia Dei à creatura mundi, &c. Lege apud Vegam, & alios, quorum est hæc conclusio, contra primam opinionem multas sanctorum patrum autoritates, quibus illam confirmant.

Append.3. Hinc, homo viribus naturæ poterit singula præcepta secundæ tabulæ, scilicet, honorare parentes, cauere homicidia, adulterium, &c. adimplere, disiunctiuè, inquam, non copulatiuè. Instar homini infirmi, qui potest vnum, aut alterum passum peragere: non tamen multos. Et tanta est naturæ lapsæ imbecillitas: vt præceptum vnum, aut alterum difficillimè seruet.

Hæresis Pelag. S. Tho. art. 3. S. Bona. art. 1. q. 3. Durand. Ricard. & alij hac dist. Soto lib. 1. de natura, & gratia c. 22. Vega q. 10. de iustifica. Hinc etiam apertissimè hæresis Pelagij in principio difficultatis proposita eradicatur.

Artic. III. Vtrùm homo solo generali Dei auxilio possit Deum super omnia diligere?

DOctores omnes tenent contra Pelagium in hac distin. & affirmant ad diligendum Deum super omnia necessarium esse auxiliũ Dei speciale. Soli Scoto falsissimè

simè imponitur error Pelagij, scilicet, quòd sine gratia auxilij specialis possit homo Deum super omnia diligere. Esset què modo ab hac calumnia liberandus, nisi in Horibus. 4. lib. in q. 1. de pœnit. artic. 6. An pœnitentia à timore, &c. hoc à nobis præstitum fuisset. Et ne actum agere videamur, quæ illic continentur lege, si veritatis, & honoris proximi studiosus es. Ad maiorem autem huius artic. qui difficilis, & vtilissimus est, explanationem diligenter, quæ sequuntur, animaduerte. Scotus liberatur.

Præcepta diuina dupliciter possumus adimplere: vel quantùm ad substantiam actus, vel quantùm ad intentionem Dei præcipientis. Primo modo adimplet præceptum, qui rem, siue actum, qui in lege præcipitur benè, vel malè moraliter efficit: vt qui extremè indigenti eleemosynam propter vanam gloriam largitur, & qui die dominico propter hypocrisim audit missam, hic malè moraliter adimplet quantùm ad actus substantiam. Secundò autem modo, scilicet, quantùm ad intentionem præcipientis adimplere præceptum est, quando eo modo seruantur mandata, quòd sint actus vitæ æternæ meritorij. 1. Animad.

Hinc, ad obseruandum præceptum, quò ad substantiam actus, non erit necessarium auxilium speciale. Nam generale erit satis. Et ratio est, propterea quòd est actus solummodò naturalis, & non supernaturalis, ideſt, præmio æterno dignus. Hac animaduersione posita, sensus tituli est. An, vt contingit adimplere cætera omnia præcepta quò ad substantiam actus, solo concursu generali: ita vt homo à noua culpa liberetur: vitam tamen æternam per talem obseruantiam non mereatur, nequè ad gratiam disponatur: ita etiam vsuuenire possit: vt homo solo concursu generali præceptum dilectionis Dei super omnia quò ad substantiam actus obseruet, ita quòd à noua culpa liber euadat, & gratiam non obtineat, nec gloriam mereatur? Append.

Dilectio Dei super omnia potest intelligi dupliciter, extensiuè, & intensiuè. Extensiuè diligitur Deus super omnia, quando nulla creatura diuinæ voluntati anteponitur. Præ omnibus enim debemus diuinam voluntatem facere. 2. Animad. Scot. in 3. d. 27. q. vnica. art. 3.

Ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Rom. 12. Ad Rom. 12. Nolite conformari huic sæculo, &c. vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Intensiuè verò diligitur, quando maiori affectu, quàm omnes creaturæ amatur, ideſt, quando amore inexpugnabili, & inuincibili diligitur, iuxta illud Cant. 8. Fortis est, vt mors dilectio. *Cant. 8.* Nam vt mors est inuincibilis (hactenus enim nemini pepercit, & à nullo superata est) ita debet esse intensa dilectio, & fortis. Hoc modo B. Paul. diligebat Deum, quando dicebat. *ad Rom. 8.* Quis nos separabit à charitate Dei, &c. Est autem intelligenda particula super omnia: ita vt nihil, quod sit amicitiæ Dei contrarium, admittatur.

3. Animad. Scot. quolib. 17. Actus amicitiæ, siue dilectionis in Deum, qui nobis præcipitur, est duplex. Imperfectus vnus. Alter perfectus. Primus ita describitur, est actus dilectionis compossibilis cum mortali peccato, talis est hic actus, volo deinceps Deo in omnibus placere, in homine, qui alicuius peccati præteriti complacentiam habet. Est enim possibile: vt simul peccata præterita placeãt, & talis actus eliciatur. Exempla passim reperies, quod sine maximo cordis dolore, & lachrymarum abundantia, nequè cogitandum, nequè loquendum, nequè scribendum, nequè legendum erat. Quia vix est, qui faciat bonum, vix est vsquè ad vnum. Actus autem amoris perfectus, siue dilectio perfecta est actus ex natura sua incompossibilis cum peccato mortali: vt si quis eliceret hunc actum, vellem hactenus placuisse Deo in omnibus, & deinceps propono in omnibus placere. Et hoc ita efficaciter proponat: vt potius vellet mortem subiisse, & omne malum incurrisse, quàm hactenus Deo displicuisse, vel deinceps displicere. Et quia huiusmodi dilectio habet annexam in præparatione animi obseruãtiam omnium mandatorum: ideò est incompossibilis cum mortali peccato. Nam, si recordatur peccatorum præteritorum, impossibile est habere hunc actum: quin simul eum pœniteat. Si non recordatur, ipsemet dilectionis perfectæ actus est pœnitentia virtualis respectu peccati ignorati, & peccati, cuius non recordatur. Iis ita constitutis, explicandus erit articulus iuxta duplicem sensum: vt fuit præcedens articulus declaratus.

Nota. 1. Vega lib. 6. super concil. Trident.

CON-

CONCLVSIO I.

Homo in statu naturæ integræ, secluso auxilio speciali ex viribus naturæ dilectione perfecta, non tamen vitæ æternæ meritoria, poterat diligere Deum super omnia. Et ratio est: quia in statu naturæ integræ homo cognouit Deum esse summum bonum, & super omnia diligendum. Nam si in statu naturæ corruptæ potest prædicto modo cognosci: vt D. Paul. ad Roman. 1. docuit, multò magis poterat tunc cognosci, & per consequens super omnia à voluntate amari. Consequentia probatur: nam quando voluntas nequit se naturaliter dictamini recto conformare, vel est propter obstinationem in malo, vel quia non est libera, vel quia est infirma, & minùs potens, propter rebellionem potentiæ sensitiuæ contra rationem. Et voluntas tunc non erat obstinata in malo: quia nondum peccauerat: & erat libera, sicut modò, & non infirmabatur: quoniam virtute iustitiæ originalis potentiis sensitiuis dominio despotico imperabat: atquè ita naturaliter poterat tunc ex tota anima sua Deum super omnia præ cunctis creaturis diligere. Notanter dicitur in conclusione: non tamen vitæ æternæ meritoria ex solis naturæ viribus: propterea quòd, vt infrà dicetur, sola iustitia originalis non sufficiebat ad meritum absquè gratia. Est autem præ oculis habendum, & diligentissimè notandum, conclusionem hanc esse intelligendam de possibili in casu, quòd non esset lex, vt diligenti Deum super omnia daretur gratia. Quoniam de facto aliter est dicendum: nam si Adam seruasset præceptum sibi impositum, non solùm assequutus fuisset gratiam: verùm confirmationem in gratia obtinuisset. *Ad Rom. 1.*

CONCLVSIO II.

Homo in statu naturæ lapsæ potest ex viribus naturæ dilectione imperfecta Deum super omnia diligere. Et ratio est: quia cùm voluntas creata naturaliter possit aliquam creaturam super omnia diligere (nam potest quis pro amico mortem subire) poterit, & Deum ipsum super omnia diligere. Quoniam creatura, cùm sit bonitas finita, minùs prouocat nos ad sui dilectionem: quàm Deus, qui est infinita bonitas, & summè diligibilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO III.

In statu naturæ lapsæ impossibile erit solo generali auxilio adimplere præceptum dilectionis Dei super omnia dilectione perfecta, quò ad substantiam actus sine speciali Dei auxilio. Hæc conclusio est de fide. Et probatur primò auto-
Ad Rom.5. ritate D. Paul. ad Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vbi Græcè legitur dilectio Dei. Hinc, si dilectio Dei diffusa est, ideſt, habetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, &c. Ergo non habetur ex viribus naturæ, sed Spiritus sancti vir-
1.Ioan.4. tute. Et 1. Ioan. 4. Charitas ex Deo est Vbi in textu Græco legitur. Dilectio ex Deo est: si igitur ex Deo, & ex dono Dei, non est nobis naturalis, nec viribus solius naturæ cõparatur. Est etiam definita in concil. Mileuit. cap. 4. & can. 5 & in Arausica. 25. & in Trident. sess. 6, can. 3. Multi etiam sancti hanc veritatem catholicam docuerunt. Et lege si per tempus licet, D.
D. August. August. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18. &. 19. & epist. ad Vita-
D. Bernar. lem, & epist. 107. & lib. 21. de ciuit. cap. 15. & D. Bern. in libello de diligendo Deum. His enim in locis conuincunt Pelagianos, & docent dilectionem Dei non esse in nobis, & ex nobis, vt Pelag. affirmabat: sed esse donum Dei. Tandem ratione confirmatur: quia cùm fides catholica (vt suprà ostensum est) non possit haberi ex viribus tantùm naturæ, neque poterit dilectio Dei super omnia. Præstantior enim virtus est dilectio, quàm fides, maior autem horum est charitas: quare si natura non est potens in id, quod minus est, in id, quod maius est, minùs poterit.

Append. Hinc, sequitur potissimum discrimen inter obseruantiam huius præcepti, & cæterorum. Cætera enim quò ad substantiam actus sine gratia habituali præcedente, aut concomitante possunt adimpleri: hoc autem minimè. Oportet enim vt voluntas per gratiam Dei specialem ad diligendum Deum: vt obiectum supernaturale est, eleuetur. Si quis enim perfectè diligit Deum, procul dubio diligetur à Deo, & ex consequenti habebit gratiam. Nam diligit Deus diligentes se. Prou. 8.
Prou.8. Ego diligentes me diligo. Et Ioan. 4. Qui diligit me, diligetur
Ioan.14. à patre meo, & ego diligam eum.

Hinc,

Hinc, etiam confutatur hæresis Pelagij in principio posita & Lutheri hæresis dicentis. Papistæ docent, quòd ratio sine spiritu Dei possit diligere Deum super omnia: ergo non opus est vllo Christi beneficio: sed sepelunt Christum, & frustrà mortuum esse contẽdunt. Quod falsissimum esse satis ex iam dictis constat. *Hæresis Pelagij, & Lutheri.*

Prima diffic. Vtrùm homo in statu naturæ lapsæ possit per auxilium generale diligere Deum perfectè super omnia dilectione supernaturali?

HÆc difficultas ad maiorem explicationem præcedentium proponitur. Et nota sequentia. Dilectio perfecta duplex est. Vna naturalis. Supernaturalis altera. Quæ in hoc conueniunt, quòd vtraque est incompossibilis cum mortali. Aliter enim non esset perfecta. Differuntque multipliciter. Primò ex parte principiorum, à quibus eliciuntur; quia principium dilectionis naturalis est liberum arbitrium cum generali Dei concursu: supernaturalis verò dilectionis principium est speciale Dei auxilium. Secundò distinguuntur ex parte finis: quoniam Deus, quatenus est summum bonum, naturaliter cognitum, & est bonum vniuersale, à quo omnia quò ad esse pendent: vt pars à toto, est finis dilectionis naturalis: vt S. Thom. & Ricard. docent. At verò Deus, quatenus est obiectum beatificum, clarè in patria videndum, est finis dilectionis supernaturalis. Et constat vtrumque membrum huius discriminis à definitione finis, quæ est, cuius gratia aliquid fit. Et confirmo rem hanc: si à philosopho solo naturali lumine illustrato, quæratur. Cur diligat Deum? Respondebit planè, quia est sumè bonus, à quo cũcta bona proceduntideò est tali dilectione dignus. Hac dilectione naturali diligunt Saraceni Deũ: cũ enim largas eleemosynas elargiantur, & etiã brutis animalibus benefaciãt, si percõteris. Quare hæc facitis: respõdebũt, vt Deo summè bono, à quo bono cũcta procedunt, placeamus. *Doct. vbi. 1. Nota. S. Tho. 1.p.q. 60.art.5. Ricard. dist. 3. art. 5. q. 1. huius.2.lib.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæterùm cùm eorum dilectio sit compossibilis cũ mortali, non est perfecta: sed imperfecta. Vides, quo pacto ratio mouens ad diligẽdum Deum naturaliter cognitum, sit summa bonitas, & quòd sit bonum cõmune. Verùm enimuerò si roges à fideli: Cur diligis Deum super omnia? respondebit: quia est obiectum beatificum per dilectionem assequendum. Habemus enim commune obiectum beatificum, & hæc communitas est ratio amoris, vel amicitię. Vnde colliguntur duo. Primum est, quòd ratio mouens fidelem ad amandum Deũ est obiectum beatificum. Secundum, quòd vtraquè dilectio habet diuersum finem formalem: eundem tamen materialem, nempè, Deum. Tertio dissident ex parte actus, siue effectus, eò quòd effectus dilectionis naturalis est cauere omne peccatum, & seruare, omnia præcepta, quò ad substantiam actus tantùm: at verò effectus dilectionis supernaturalis est non solùm seruare præcepta (vt dictum est) verùm etiam meritoriè seruare, & peccata omnia cauere: ita vt talis dilectio sit actus vitæ æternæ meritorius.

Append. 1.

Append. 2.

Hinc, istæ duæ dilectiones dicentur specie accidentali distinctæ. Propterea quòd vna est accepta Deo ad vitam æternam; altera verò minimè. Lege Sotum vbi suprà post medium propositione. 3. vbi de bina dilectione agit. Dilectio naturalis est duplex. Vna perfecta, & super omnia quantùm ad cauendum omnia peccata, & ad omnia præcepta quantùm ad substantiam actus dumtaxat adimplenda, & hoc amore amicitiæ in Deum. Altera imperfecta, quæ mortale peccatũ secum compatitur.

Soto vbi. s. c. 22. 2. Nota.

CONCLVSIO I.

Hæc est S. Tho. hoc art. ad primũ, & prima parte, & Ricardi vbi. s. & Scoti in. 3. d. 27. art. 1.

Homo in statu naturæ integræ ex viribus naturæ dilectione naturali & perfecta poterat diligere Deum super omnia. Et ratio est; quia tunc sine gratia, & per solam iustitiam originalem sanantem naturam, & omnem appetitum sensitiuum opprimentem, quo minùs aduersus rationem insurgeret, poterat omnia peccata fugere, & omnia præcepta quo ad substantiam actus adimplere: eò quòd natura erat sana, & potentia sensitiua dominio despotico subijciebatur rationi. Atque ita poterat dilectione naturali tantùm Deum super omnia

omnia diligere: nõ tamen meritoriè propter gratiæ defectũ.

CONCLVSIO II.

Homo in statu naturę lapsæ non potest dilectione naturali, & perfecta diligere Deum super omnia. Et ratio est; quia cùm natura sit infirma, & sensualitas rationi cõtraria, non potest ex viribus naturæ cauere omnia peccata, & obseruare omnia præcepta, quod ad dilectionem perfectam naturalem desideratur. Sed de ijs in sequentibus articulis latiùs.

CONCLVSIO III.

Homo post naturãm lapsam viribus naturæ potest imperfectè dilectione naturali Deum diligere. Et ratio est; quia si dæmonibus daretur optio plus sui, quàm Dei annihilationem diligerent: vt S. Thom. 1. p. docet. Non tamen diligunt Deum super omnia: quia potiùs peccatum, quàm placere Deo diligunt. Et confirmatur ex S. Thoma. ibidem: nam si homo, vel angelus, naturaliter plus se ipsum, quàm Deum diligeret, dilectio naturalis non perficeretur per charitatem: sed destrueretur, quod est erroneum. Quia naturalia omnia perficit, & non destruit. Et tandem quia inter res naturales, quæ est sub esse alteriùs; vt est pars sub esse totius, magis diligit illud, à quo habet esse, quàm se ipsam: & Deus bonum vniuersale est, dans angelo, & homini esse.

S. Tho. 1. p. q. 60. art. 5. & in præsenti artic.

Alex. Alen. p. 4. q. 17. m. 7. & q. 18. m. 4. art. 5. §. 7. in fine. S. Tho. 2. 2. q. 44. art. 6.

Secundæ diffic. Hoc præceptum diligendi Deum super omnia potest ne per auxilium speciale, etiam in via adimpleri?

CONCLVSIO I.

POtest viator perfectam habere charitatem. Constat. 1. Ioann. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, & cùm sancti nihil aduersum præ Dei timore habuerint: habuerunt profectò perfectam charitatem, non qualem comprehensores habent in patria: sed qualis haberi potest in via.

1. Castro contra hæreses ver. præceptum. hæresi. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Philip. Et D.Paul. vtriusquè charitatis ad Philippen. 3. mensionem facit. De charitate enim patriæ ait: non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si comprehẽdam, in quo, & comprehensus sum à Christo Iesu. De charitate verò in via subdit: fratres ego me non arbitror comprehendisse, &c. Quicumquè ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: quare si B. Paulus vocat sanctos in via perfectos: ergo in via possunt charitatem perfectã habere, critquè in via perfecta charitas eò solùm quòd non admittat mortale, quamuis admittat venialia.

CONCLVSIO II.

Præceptum dilectionis nullus in via, etiam confirmatus in gratia, potest perfectè implere. Et ratio est, quia perfecta impletio est semper actu diligere Deum, & nullum admittere veniale: quòd quidem, vt scriptura sancta passim docet, est viatoribus impossibile.

CONCLVSIO III.

Potest hoc præceptum à viatoribus imperfectè adimpleri. Et ratio est, quia possunt non admittere mortale peccatum incompossibile cum charitate. Illustrat conclusionem S. Thom. 2. 2. vbi suprà exemplo duorum militum, quorum vnus pugnat, & vincit hostem, & hic perfectè adimplet: quia consequitur victoriam, quæ est finis à principe præcipiente pugnam intentus. Alter verò pugnat, & non vincit, hic imperfectè implet: quia obtemperat duci: non tamen ad finem à duce intentum peruenit, scilicet, ad victoriam. Similiter Deus intendit per hoc præceptum: vt perfectè ei vniamur in amicitia: expellendo omne peccatum, etiam veniale. Qui quidem finis non potest nisi in patria haberi, poterit tamen imperfectè obseruari, non admittẽdo aliquod contrarium charitati.

Hæresis Lutheri. Hinc confutatur hæresis Lutheri asserentis, hoc præceptum esse obseruatu impossibile. In quem Castro vbi suprà multa adducit.

Artic.

Artic. IIII. Vtrùm homo sine gratia Dei possit per sua naturalia implere legis præcepta?

S.Tho.art.4. vbi.3.
S.Bona. art. 1.q.3.
Durand.q.4
Gabriel, & Scot.q. vnica.
Ricar.& alij hac dist. 28.
Soto lib.1.de nat.& grat. c. 22. & 23.
Vega de iustifica.q. 12. 13. &.14.
Doct.locis in principioart. citatis.
1. Animaduersio.
2. Animad. Append.

HIc articulus: vt est explicatu difficillimus ita est, & scitu dignissimus, & vtilissimus: fiet autem perspicuus, positis aliquot difficultatibus, & quibusdam animaduersionibus plenis eruditione præmissis, quæ dignæ sunt, vt semper animo versentur, & opere compleantur.

Prima diffic. Vtrùm homo in statu naturæ integræ potuisset ex viribus tantùm naturæ omnia præcepta naturalia, & supernaturalia seruare?

PRæcepta, vel sunt naturalia, quorum obseruatio non est vltima dispositio ad gratiam: vt sunt præcepta decalogi: vel sunt supernaturalia, quorum obseruatio, vel habet gratiam concomitantem, vel est vltima dispositio ad gratiã vt est præceptum diligendi Deum super omnia, & pœnitendi, sicut oportet.

Iustitia originalis subijciebat rationem, siue liberum arbitrium, siue voluntatem Deo, non dominio despotico: vt diximus suprà subiecisse potentiam sensitiuam rationi: sed solo dominio politico. Et ratio est, quia voluntas tunc, sicut, & nunc, libera manebat. Aliter enim si dominio despotico fuisset tunc Deo subiecta, non potuisset peccare.

Hinc primum hominis peccatum non potuit esse ex parte appetitus sensitiui. Et ratio est: quia voluntas dominabatur illi dominio despotico: sed ex parte voluntatis, quæ erat omninò libera.

CONCLVSIO I.

Homo in statu naturæ integræ non potuit viribus naturæ præcepta sup. rnaturalia adimplere. Et ratio est; quia eorum obseruatio fuisset vltima dispositio ad gratiam. Et vltima dispositio ad gratiam, cùm sit donum supernaturale; non potest solis naturę viribus comparari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Homo in statu naturæ integræ potuit solis naturæ viribus omnia præcepta naturalia quò ad substantiam actus implere. Et ratio est, quia virtute iustitiæ originalis tunc voluntas integro dominio potentiæ sensitiuæ, vt modò manui, dominabatur: Et Deus multò magis voluntati, quàm modò iustis, dominabatur. Quod quidem erat satis tunc, vt homo omne peccatum caueret, & quodcumquè præceptum adimpleret. Erat enim in eo statu iustitia originalis homini cõnaturalis, quatenus naturale dicitur, quòd à solo Deo creatur, & de lege toti naturæ debetur: vt erat tunc iustitia originalis. Atquè ita naturaliter virtute illius poterat omnia præcepta naturalia seruare.

Secunda diffi. Poterit ne homo in statu naturæ lapsæ quò ad substantiam actus per totam vitam naturæ viribus omnia præcepta seruare?

Doct. vbi. §. Error Pelagij.

1. Animad.

HAec difficultas est in hac materia præcipua, quæ quidem tempore D. August. contra Pelagium maximũ ecclesiæ facesserat negotium. Contẽdebat enim Pelagius esse gratiæ Dei ascribendum, quod fecerit nos liberos, sed esse opus naturæ nostræ facere nos iustos. Verùm hoc in loco, vt titulum difficultatis perfectiùs intelligas, nota primùm, sumi gratiam pro auxilio speciali, & non pro habitu gratificante: vt in sequenti difficultate accipitur. Secundò, vt præceptum quò ad substantiam actus adimpleatur, nõ est necessarium tale opus esse moraliter bonum. Satis enim est, vt nouum peccatum prohibitum præcepto, quod ãpletur, caueatur, quamuis idem opus sit malum: vt qui in die paschatis recipit in mortali Eucharistiam per ignorantiam culpabilem, peccat mortaliter, & ecclesiæ præcepto satisfacit. Similiter, & qui recipit baptismum in mortali, peccat mortaliter, & seruat præceptum de baptismo suscipiendo, quàmuis receptio sit mortalis?

Hinc,

Hinc, aliud erit quærere: An homo ex viribus naturæ possit bene moraliter operari? Aliud verò: An possit adimplere præcepta quò ad substãtiam actus? Quia bene potest aliquis adimplere præceptum quò ad eius substãtiam, quãuis actus sit moraliter malus, vt ex propositis exemplis colligitur. Append.1.

Licet præcepta omnia vnico actu quantum ad præparationem animi rectè possint obseruari: vt si quis eliciat hunc actum: propono potiùs mortem subire, quàm præceptum aliquod frangere: non tamen quantum ad actum. Quando, scilicet, occurrit materia alicuius præcepti, possibile est omnia præcepta seruare: quia impossibile est, vt simul omnium præceptorum materia occurrat, nempè, occasio furandi, adulterandi, &c. *2. Animad.*

Omnia præcepta adimplere potest intelligi dupliciter, Primò successiuè singula, quod quidem potest vno die fieri, si eodem die materia singulorum præceptorum occurrat. Et hoc est, quod antiqui theologi significabant dicentes distribuendo signum, omnia, pro generibus singulorum. Secundò intelligitur distribuendo pro singulis generum, quod nihil aliud est, quàm seruare per totam vitam singula præcepta, quotiescumquè eorum materia occurrerit, ita quod si semel in vita defecerit, non dicetur quis omnia præcepta seruasse. *3. Animad.*

Præceptorum dũo sunt genera. Vnum eorum, in quibus solum actus substantia præcipitur, & non finis præcipientis; vt sunt omnia præcepta iuris naturæ, & ecclesiastica. Alterum verò est eorum, in quibus præcipitur finis, qui à Caiet. in artic. citato 8. Thomanodus operandi ex charitate, id est, ex amicitia Dei nominatur, vt patet in præcepto contritionis, & dilectionis Dei super omnia, in quibus finis, scilicet, Dei amicitia præcipitur. Nam reliqua omnia diuina præcepta sub primo genere continentur. Et ratio huius animaduersionis est, quia finis nũquàm est in præcepto, nisi in ipso præcepto exprimatur. Patet exemplo ieiunij, cuius finis est carnis macerãtio, vt à libidine abstineamus; & qui ieiunans fornicatur, procul dubio ieiunij præceptum obseruaret. Finis autem cuiuscũquè præcepti à Deo intentus est charitas de corde *4. Animad.* *1. ad Tim. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

corde puro, &c. vt per obseruantiam præceptorum homo ad diligendum Deum super omnia disponatur. Et cùm in nullo præcepto naturali ecclesiastico, vel diuino, demptis contritionis, & dilectionis Dei super omnia præceptis, talis finis exprimatur, nullum illorum, præter hæc duo, quò ad finem precipientis; sed quò ad substantiam tantùm obligabit.

Append. 2. Hinc, nullus erit actus in viro iusto ex charitate elicitus, cui non possit esse alius similis in peccatore quò ad substantiam actus; vt si dolor de peccatis propter Deum ex viribus naturæ absque speciali Dei auxilio eliciatur, erit actus contritionis, quò ad substantiam actus, & adimplebit tunc peccator contritionis præceptum: non tamen erit ex intentione precipientis: & ideò non erit talis contritio dispositio ad gratiam. Quia defuit fortassis circunstantia aliqua soli Deo nota, à nobis autem ex negligentia prætermissa. Hęc ex Scoto, qui dicit pœnitentiam absolutè posse innasci ex naturalibus hominis: sed non fructiferam, hoc est; ferétem gratiæ fructum. In hac difficultate non est instituta disputatio de præcepto dilectionis Dei super omnia, aut contritionis; quoniam de ijs art. præcedenti dissinitum est, non posse sine speciali auxilio: immò sine gratia concomitante adimpleri: sed solùm est futurus sermo de reliquis præceptis, exceptis virtutum theologicarum præceptis.

Scot. in. 4. d. 14. q. 2. in fol. ad vlti.

CONCLVSIO I.

Homo in mortali peccato existens non potest quò ad substantiam actus solis naturæ viribus omnia præcepta naturalia per longum tempus, accipiendo signum omnia pro singulis generum, adimplere. V. g. per annum non poterit solo generali auxilio omnia præcepta collectiuè adimplere: ita vt quotiescumquè occurrat materia grauis in nullo deficiat.

Ad Rom. c. 7. Hæc conclusio est de fide. Et probatur primo autoritate D. Paul. Video autem aliam legem. Et infrà. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius (ideſt de concupiscentia illicita, quæ ex corpore mortali oritur) gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Quibus verbis significat B. Paul. se non posse desiderio libidinis, & iræ, &c. obuiam ire, nisi per gratiam Christi: non gratum facien-

facientem: nam hæc concupiscentia etiam in ipsis iustificatis viuit & regnat: vt D. Paul. de se ipso testatur dicens. Sentio aliam legem, &c. Sed per gratiam Christi, quæ est auxilium speciale: quare sola voluntas cum generali auxilio non erit satis. Et ideò Sap. 8. Non possum esse cõtinẽs, nisi Deus det. Non enim est volentis, neq; currẽtis; sed miserentis Dei ideſt, non est volentis velle bonum, neque currentis currere, hoc est, benè operari: sed vtrũque est ex Deo miserante. Ita hunc locum declarat S. Thom. Lege Vegam q. 13. citata. Fuit etiam definita hæc conclusio in cõcil. Mileuit. can. 4. & 5. & in Arausicano. can. 6 9. &. 10. Colligitur etiam necessariò ex cap. 13. sess. 6. concil. Trid. Nam si iustificatus perseuerare nõ potest sine speciali Dei munere, quin aliquando mortaliter peccet: multò minùs in peccato mortali existens poterit per longum tempus omnia precepta adimplere, sunt etiam multæ sanctorum autoritates, quibus hæc veritas confirmatur. Præsertim B. Aug. à. 90. epist. vsquè ad. 96. lib. de spiritu, & lit. lib. de gratia Christi cap. 8. &. 9. lib. de gra. & lib. arb. c. 10. & 11. lib. 2. cõt. Pelag. & Cœlesti. c. 25. Chrysost. in Matth. in c. 20 i loc, Soluite, & adducite mihi. Et B. Greg. lib. 22. moralium cap. 12. Denique sit vnica ratio: quia in statu naturæ lapsæ homo priuatur iustitia originali, qua (vt dictum est) in statu naturæ integræ vniuersa præcepta per totam vitam poterat seruare, eò q iustitia subijciebat tunc rationi appetitum sensitiuum: modò autem caret tali dono; & est infirma natura, & ita nequit homo per longum tempus totam legem seruare: instar hominis infirmi, qui non potest tamdiu: vt qui sanus est, ambulare.

Ad Rom. 9. *D. Augusti.* *D. Chrysost.* *D. Greg.*

Falsò aliqui existimant hanc conclusionem esse contra Scot. & Durand. in principio difficultatis citatos: quoniam non loquuntur de auxilio speciali: sed de gratia habituali. Arbitrantur enim liberum arbitrium esse potens ad seruanda omnia mandata per multum tempus absque habituali gratia: non tamen sine speciali auxilio. Quod quidem est verum, prout dubio sequenti erit planum.

Scot. & Durand. liberũtur.

Hinc, destruitur error Pelagij, qui gratiam Christi solùm asserebat necessariam: vt doceremur per reuelationẽ, quid facere

Hæresis Pelagij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

facere debeamus,non autem ad hoc,vt velimus ea facere, & vt possimus mandata explere. Quasi verò scientia, quæ inflat, sit donum Dei,& charitas, quæ ædificat, & quæ ad obseruationem mandatorum requiritur donum Dei non sit. Contrà quem,præter allegata,lege etiam can.quisquè,& can. vltimum de consecrat.dist.4.Et concil.Carthaginen.7.Et decreta Cælestini primi, quæ omnia in summa conciliorum reperies.

CONCLVSIO II.

Homo in statu naturæ lapsæ potest solo generali concursu omnia præcepta naturalia pro generibus singulorum seruare,quandocumquè materia fuerit minima:non autem quandocumquè fuerit gratis tentatio,& res magni momenti. Prima partis conclusionis,scilicet,de materia leui,ratio est;quia si hoc efficere non possemus,liberum arbitrium naturale per peccatum esset omninò quò ad bonum extinctum, & solùm maneret natura,vt in damnatis quò ad malum. Quod quidē est omninò erroneum.Secundæ partis ratio est; quia si possemus in materia magna,& grauinaturaliter quamcumquè magnam tentationem vincere, eadem ratione possemus omnia collectiuè seruare.Non enim est maior de vno,quàm de omnibus ratio,Immò potentia per habitum acquisitum esset ad seruandum omnia præcepta promptior,atque facilior.Et si hoc ex viribus naturæ efficere possemus, quemadmodum non oramus:vt ambulare,scribere,&c. possimus:quoniam hæc solo generali concursu conceduntur: ita non oraremus dicentes:& ne nos inducas in tentationem. Si quidem esset frustrà talis oratio,cùm hęc viribus naturæ præstare possemus, quod est erroneum.

Matth.6.

CONCLVSIO III.

Possumus viribus naturæ non solùm seruare singula præcepta naturalia in materia leui: verùm etiam supernaturalia: vt spei, & fidei, & receptionis sacramentorum præcepta. Et ratio ex prima animaduersione est: quia omne præceptum diuinum (dempto præcepto dilectionis Dei super omnia) potest, quo ad substantiam actus, seruari, quàmuis talis præcepti

Caiet.in hoc artic.& Soti cap. 22. vbi s.est.

præcepti obseruatio sit mortalis:vt si quis, ficta contritione, suscipiat baptismum:vel fidem solum ex hypocrisi confiteatur: vel blasphemantem propter inanem gloriam increpet: vel culpabiliter ignorans in mortali existens in die paschatis Eucharistiam sumat. In ijs enim, & similibus euentibus adimpletur præceptum quo ad substantiam actus: & tamen cùm peccetur,erit absquè auxilio speciali:quia Deus nemini ad malum auxiliatur. Alioquin peccatum Deo imputaretur, quod est blasphemum. Et animaduerte,quòd si quis ex ignorantia inuincibili haberet attritionem excusaretur tunc à præcepto contritionis: atquè ita ex viribus naturæ adimpleret hoc præceptum contritionis ad hunc sensum, scilicet,quod non esset huius præcepti reus.Hactenus de obseruantia præceptorum quotiescumquè peculiaris eorum materia occurrit,nunc de eorundem obseruatione quantum ad animi præparationem,& sit.

CONCLVSIO IIII.

Homo viribus naturæ potest in præparatione animi omnia præcepta vnico actu seruare. Ratio Scoti est:quia præcepta affirmatiua non obligant semper, quò ad actum:sed quò ad animi præparationem,& hoc modo potest illa obseruare. Non enim est reus alicuius præcepti affirmatiui, qui habet animum adimplendi illud suo tempore,nempè,quando præcepti materia occurrerit:vt ille, cui est cordi honorare parentes, missam audire,&c. Et confirmatur ab Scoto: quia si hoc potest per vnam horam,poterit, & per duas, & per diem, & dies,& menses,& annos,& per totam vitam.Nam quò magis abstinuerit, eò ad resistendum vitijs potentior efficietur. Perinde etiam adimplebit omne præceptum negatiuum non faciendo contrarium.

Scot.hac distinct.

Append.3.

Hinc homo existens in mortali indimisso,cuius non penituit, nequè habet modò complacentiam, poterit per vnam horam abstinere se ab omni peccato,& per illam horam omne præceptum quò ad substantiam actus adimplere.

Tertia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. An possit eadem omnia præcepta adimplere, ita vt gratiam iustificantē non cōsequatur?

ESTO, vt dictum est, q̃ homo non potest adimplere omnia collectiuè quò ad substantiam actus sine auxilio speciali: quæritur modò. Possit ne saltim eadem omnia, &c.

Dionysi. Cistertiē. m. 1.d.17.q.1. Tres sunt de hac re opiniones. Prima Dionysij Cartusiem. in 1.d.17.q.1.affirmantis, neminem posse extra charitatem præceptum aliquod adimplere.

Scot. & Duran.hac dist. vbi.3. Secunda tribuitur Scoto, scilicet, posse hominē adimplere omne præceptū extra gratiam concomitantem. Hanc opinionē tuetur Duran. in præceptis naturalibus decalogi: non autem in præceptis de susceptione sacramentorum.

S. Tho. in. 2. hac.d.29. S.Bona. q. 3. & Ricard. hac dist. art. 1.q.3. Existimat enim non esse possibile de lege, posse aliquē adimplere baptismi, confessionis, & Eucharistiæ sacramentum absq; gratia habituali cōcomitante. Tertia opinio, & communis tenet de lege non posse aliquem adimplere omnia mandata collectiuè, quin gratia habitualis præcedat, vel cōcomitetur. Hāc amplectūtur S. Thom. S. Bona. Ricard. Vega, & alij quàm plurimi. Positis opinionibus, super est, vt difficultatem elucidemus, quæ, vt perspicua magis, perluciadaque reddatur, erunt, quæ sequuntur, animaduertenda.

Vega q.13. de iustifica. 1. Animad- uersio. Non est aliquod præceptum ponendum, nisi expressè tradatur, vel ex traditis in sacra scriptura, vel per ecclesiam colligatur. Tunc enim daretur perplexitas in lege, quod affirmare est hæreticum: quoniam tunc præcipisset Deus hominibus impossibile.

Append. *Marsil. in.2. q.18.art.2.* Hinc, non erit verum asserere, post lapsum naturæ humanæ, gratiam gratum facientem esse sub præcepto. Quia tale præceptum nec legitur in sacris litteris, neque ex illis, vel ex iis, quæ ab ecclesia tradita sunt, colligitur. Oppositum Marsilius docet.

2. Animad. Præceptum de administratione, siue receptione alicuius sacramenti aliud est à præcepto de digna administratione, siue receptione eiusdem sacramenti. Probatur exemplo: nam de Eucharistia sumenda habetur præceptum Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Et de eadem dignè

Ioan.6.

dignè sumenda, legitur præceptum apud Paul. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Et ratione confirmatur; quia minister, vt curatus, tenetur ex lege iustitiæ administrare sacramenta: dignè autem administrare tenetur ex lege charitatis: vt dignè Deum colat. Et tandem, quia sunt diuersi actus in genere moris fructuosè recipere, siue administrare sacramentum, & illud absolutè recipere, siue administrare: & ita sub diuersis præceptis continebuntur. Frustrà enim pro eodem actu multiplicarentur præcepta. *1.Cor.11.*

3. Animad. Aliud est adimplere præceptum: aliud verò ab eius adimpletione excusari. Impletur enim præceptum, quando actus ibi expressus exercetur: excusatur autem, quando ratione ignorantiæ inuincibilis actus non exercetur. Et ratio est, quia, qui tempore, quo pœnitere tenetur, dignè conteritur, is præceptum contritionis adimplet: propterea quòd actum, qui in eo continetur, exercet: qui verò non exercet actum dignæ pœnitentiæ: propter ignorantiam inuincibilem contritionis: sed solùm habet actum attritionis, quam contritionem existimat, is ab impletione præcepti contritionis excusatur, quàm uis præceptum non adimpleat.

4. Animad. Duo sunt præceptorum genera. Primi generis dicuntur esse præcepta, quæ sunt vltima dispositio ad gratiam: vt est præceptum contritionis, & dilectionis Dei super omnia. Secundi verò generis sunt præcepta de actibus virtutum moralium. Sub hoc genere continentur præcepta decalogi: nam tria primæ tabulæ sunt religionis, & diuini cultus, & spectant ad pietatem: septem verò secundæ tabulæ ad iustitiam proximo seruandam pertinent, nullumque vtriusque tabulæ præceptum est vltima dispositio ad gratiam. Nam cultus Dei, qui in primo præcepto mandatur, nihil aliud est, quàm protestatio fidei vnius Dei. Quòd quidem potest absque gratia concomitante adimpleri, vel per exhibitionem sacrificiorum, vel per aliam fidei protestationem, vt per actum latriæ.

5. Animad. Discrimen autem inter hæc duo præceptorum genera est, quòd in præceptis, quæ sunt dispositio ad gratiam non solùm præcipitur actus substantia: verùm etiam modus adimplendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

plendi actum,nempè:vt sit ex charitate, & dilectione Dei super omnia. Nam in præceptò pœnitentiæ præcipitur dolor de peccatis,qui est substantia præcepti, & modus etiam doloris, nempè:vt sit propter Dei offensam:similiter in præcepto charitatis præcipitur actus,nempè,dilectio,& modus,scilicet, vt sit ex toto corde, &c. Et ideò dicuntur vltima dispositio ad gratiam:quia,sic diligentes Deum, statim ab ipso diliguntur.

CONCLVSIO I.

Homo non tenetur existere in gratia ad quodcumquè præceptum diuinum, aut positiuum obseruandum. Et ratio est; quia nusquàm reperitur tale præceptum adimplendi mandata in gratia,& non est aliquod præceptum ponendum,&c. vt habes in prima animaduersione. Tum etiam; quia omnes pro certo, & comperto habent, se non teneri ad confitendum transgressionem præcepti eleemosynæ,aut ieiunij, cùm fecerint ieiunia,& eleemosynas,ad quas erant astricti, etiam si extra gratiam impleuerint, mores autem communes & existimationes populi Christiani pro lege habendi sunt: sicut D. Augustin.in epist.ad Casulanum docet. Et refertur dist.11.can.in his rebus. Hæc conclusio est contra primam opinionem. *D. Aug.*

CONCLVSIO II.

Potest aliquis adimplere præceptum recipiendi, & administrandi quodcumquè sacramentum absquè gratia gratum faciente. Et ratio est,quia,cùm sint diuersa præcepta accipere, vel administrare, & dignè ministrare, vel recipere: vt constat ex secunda animaduersione, poterit vnum sine alio adimpleri. Non enim sunt præcepta connexa, sicut virtutes. Et patet exemplo baptismi suscepti à ficto, & confessionis factæ ab eo, qui ex ignorantia culpabili reliquit peccatum confitendum. In iis enim casibus infructuosè recipiuntur sacramentæ: nihilominus tamen præceptum quò ad actum adimpletur. Hæc conclusio est contra Durandum asserentem extra gratiam præceptum recipiendi,vel administrandi sacramenta ecclesiæ non posse adimpleri.

CON-

CONCLVSIO III.

Potest aliquis absquè gratia concomitãte præcepta decalogi,quò ad substantiam actus tantùm;dempto præcepto dilectionis Dei super omnia,implere. Et ratio est, quia cùm in huiusmodi præceptis non includatur modus adimplendi ex charitate:sed solùm actus substantia præcipiatur:vt ex.4. &.5. animad. constat, poterunt absquè charitate actuali, siue habituali, & ex consequenti sine gratia concomitante obseruari. Deus enim non diligit, nisi diligentes se. Tum etiam: quia cùm non sint vltima dispositio ad gratiam: vt in quarta animad.diximus; poterunt sine gratia concomitante adimpleri. Circa locum autem Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, seruа mandata; vbi promittitur seruantibus. 10. præcepta decalogi gloria, quæ præsupponit gratiam: nota, inter præcepta obseruanda ad vitam æternam assequendam contineri præceptum dilectionis Dei super omnia. Non enim sufficit ad vitam æternam obseruatio mandatorum decalogi, nisi simul dictum dilectionis præceptum obseruetur, iuxtà illud Luc. 10. Diliges dominum ex toto corde,&c. hoc fac, & viues. Est enim vltima dispositio ad gratiam. Vel si, vt aliis placet inter præcepta decalogi recensetur, hoc vno dempto, cætera sine gratia concomitante:vt habetur in conclusione, poterunt adimpleri. *Matth.19.* *Luc.c.10.*

CONCLVSIO IIII.

Non potest aliquis præceptum pœnitentiæ, aut dilectionis Dei super omnia absquè gratia concomitante seruare. Et ratio est, quia in his præceptis non solùm præcipitur actus substãtia:vtpotè dolor,& dilectio,verùm etiam modus, quo fieri debet,scilicet,per conuersionem in Deum,per amorem super omnia diligibilia. Quam quidem conuersionem gratia, & amicitia Dei concomitantur, iuxta illud. Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. *Zachar.1.*

CONCLVSIO V.

Habens attritionem, quam inuincibiliter contritionem esse existimat, similiter & diligens Deum super omnia amore concupiscentiæ per ignorantiam inuincibilem, credens se amore amicitiæ diligere, excusabitur ab omnium præce-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptorum obseruatione, ita quòd non erit reus transgressionis, gratiam tamen non assequetur. Constat ex tertia animadversione prima pars conclusionis. Vltimæ verò partis ratio est, quia in similibus euentibus, cùm non diligat Deum amore amicitiæ: sed potiùs seipsum, non diligetur à Deo, & per consequens non habebit gratiam concomitantem. Restat iam, quid Scotus senserit, declaremus. Nam in.2. artic. quæstionis citatæ ait. Quando dicimus, quòd non potest homo seruare omnia præcepta absquè gratia habituali, non est propter impotentiam liberi arbitrij indigentis gratia habituali ad obseruantiam omnium præceptorum: sed propter liberalitatem Dei volentis dare gratiam obseruanti omnia præcepta. Vbi apertè testatur Scotus, se non loqui de gratia gratis data, scilicet, de auxilio speciali necessario ad obseruantiam omnium mandatorum, vt loquuntur concilia contra Pelagium: sed de gratia habituali, quæ omnium præceptorum obseruantiam concomitatur, non ex natura rei: sed ex liberalitate diuina. Quod quidem est maximè verum. Vnde Scot. à labe Pelagiana, quæ illi falsò imponitur, liberatur.

Scot. liberatur.

Quarta diffic. Vtrùm actus, quo præceptum, quò ad substantiam actus tantùm impletur, differat specie ab actu, quò meritoriè, ideſt, ex intentione præcipientis adimpletur?

Scot. quolib. 17. S.Tho.1.2. q. 1.art.3.

HÆc difficultas proponitur ab Scoto. Et vt intelligas duas esse species cuiuscunquè actus, nempè, in genere naturæ, & in genere moris S. Thom. lege.

CONCLVSIO I.

Seruare præceptum quò ad substantiam tantum, & meritoriè obseruare in genere naturæ eiusdem est speciei. Et ratio est, quia actus in genere naturæ distinguuntur per obiecta, & cùm vtriusquè actus idem sit obiectum: vt patet, non distinguentur specie: sed erunt eiusdem speciei.

Arist.3. de anima.

CONCLVSIO II.

In genere moris prædicti actus specie distingũtur. Et ratio est,

est, quia in genere moris actus sumunt speciem à fine: nam qui mœchatur, vt occidat, magis est homicida, quã mœchus. Et cùm fines horum actuum differant specie: quia finis actus meritorij est Deus, super omnia dilectus: finis autem actus, quò ad eius substantiam est alius, quem operans sibi præfixit: differunt profectò huiusmodi actus in genere moris specie.

Aristot. 5. Ethic.

Artic. V. An sine gratia possimus mereri vitam æternam?

S.Thom. art. 5. vbi. 3. & q.114. art.2. & 3.

ARtic. hic suprà in dist.27. in materia de merito fuit latissimè disputatus: & ideò breuissimè in præsentia absoluetur.

S.Bona. dist. 27.q. vlt. Durã. eadẽ. d.27.q.2. & alij vbi.3. Vega q.4. & 5. de iustific. & lib.15. superconcil. Trid.cap.16. Ad Rom. 6.

CONCLVSIO I.

Homo sine gratia vitam æternam promereri de condigno nõ potest. Et ratio est, quia meritum est opus de iustitia æquale præmio, & cùm merita nostra extra gratiam sint inæqualia præmio æterno, & indigna: erit necessaria gratia Dei, qui velit opera nostra, tanquàm digna tanto præmio acceptare. Et confirmatur exemplo, quemadmodum si rex alicui ciui vnum tantùm numum habenti diceret: volo tibi ciuitatem multa ducatorum millia isto numo vendere: tunc verum esset dicere, iste per vnum numum, & gratiam regis emit ciuitatem, & non per numum tantùm: ita in proposito. Quod insinuauit D. Paul. dicens, Gratia Dei vita æterna. Acsi diceret: merita, quibus vitam æternam promeremur æquiualent æternæ vitæ, non ex naturali ipsorum operum valore, sed ex gratia Dei volentis opera ipsa, tanquàm si essent æquiualentia, acceptare.

Error Pelagij.

Hinc etiam labefactatur error Pelagij dicentis, operibus naturalibus nos gratiam, & gloriam promereri. Contra quem est etiam locus B. Paul. ad Galat.2. Si per legem iustitia: ergo gratis Christus mortuus est. Ac si diceret. Si ex operibus naturalibus possumus gratiam, & gloriam mereri, sine causa Christus mortuus est. Siquidem nostris operibus iustificari, & saluari poteramus.

Ad Gal. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Opera hominum ex natura rei sufficientia sunt ad aliquem finem connaturalem obtinendum. Et ratio est, quia operibus studiosis consequimur virtutes morales, quæ sunt habitus.

DVB. Quo pacto potest homo de condigno vitam æternam mereri?

Caiet. 1. 2. q. 114. art.

CAiet. est hoc dubium. Ratio dubitandi est: quia inter Deum, & hominem non potest reperiri ratio iustitiæ simpliciter sumptæ: nam quicquid creatura Deo offerre potest, est obsequium, plusquàm debitum.

Prima Propositio.

Si opus meritorium cum Deo præmium retribuente comparetur, nulla est inter Deum, & hominem simplex iustitia. Et ratio est: quia cùm omne obsequium sit Deo debitum, non tenetur de iustitia pro eo reddere præmium: sed solùm sicut pater filio obedienti, & dominus seruo fideli tenetur necessaria victui, & vestitui retribuere. Non quòd obsequia patri, & domino sint indebita: quoniam filius patri, & seruus domino talia obsequia præstare tenetur.

Secunda Propositio.

Si verò opus meritorium cum mercede æterna, & præmio, quod pro illo datur, comparetur, sunt hæc ratione gratiæ simpliciter æqualia. Et ratio Caiet. est: quia, vt semen est in virtute æquale arbori, ex eo genitæ: ita, & gratia est, velut semen generans gloriam, sibi æqualem. Quod est intelligendum secundum iustitiam distributiuam, non autem commutatiuam; vt art. de merito copiosè declarauimus.

Artic. VI. An possit homo seipsum ad gratiam per seipsum absq; exteriori auxilio gratiæ præparare?

TVnc homo ad gratiam præparatur, quando in Deum per aliquem actum amoris conuertitur. Est enim peccator auersus à Deo, ideſt, Dei inimicus; conuertitur autem, quando incipit diligere Deum, & per istam conuersionem recipit gratiam, & amicus Dei efficitur. V. g. quemadmodum, qui vertit terga soli, non habet lumen solis in oculis suis, quod, vt recipiat, oportet, vt faciem ad solem conuertat: ita anima, quæ per peccatum est auersa à sole iustitiæ Christo Iesu, caret eius luce, quæ est gratia, quam: vt recipiat, debet necessariò per actum pœnitentiæ, & amoris in Deum conuerti. S. Thom. vbi s. artic. 6. & alij doct. infrà citandi. S. Bona. art. 2. q. 1. Nota.

CONCLVSIO.

Homo non potest ad gratiam, & amicitiam Dei se ipsum præparare: quin Deus illum per efficax imperium moueat. Et ratio est, quia tunc homo præparatur ad gratiam, quando &c. vt habes in notabili posito, & est solius Dei proprium mouere aliquem in vltimum finẽ, scilicet, in Deum ipsum. Et confirmatur Ioann. 6. Nemo potest venire ad me, &c. Hinc, si necessarium est, vt à Deo trahatur, non poterit ad gratiam, & amicitiam Dei seipsum præparare, quin Deus illum per efficax imperium moueat. Ioan. 6.

Prima diffic. Vtrum possit aliquis viribus naturæ sine speciali Dei auxilio pœnitere, sicut oportet: vt iustificationis gratiam consequatur?

DVæ sunt circa hãc difficultatẽ opiniones. Prima cõmunis, & catholica defendit, hominem posse viribus naturæ immediatè disponere se ad gratiam, quod est S. Tho. hoc art. 6. & 7. & in 3. d. 31. q. 1. art. 1. & d. 20. q. 2. & distinct. 38. q. 1. art. 1. huius dist. S. Thom. S. Bona. Ricard.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Marsil. Marsil.quæst.17.2.& Gregor. Ariminen. q. 1. distinct. 26. 2. &
Greg. Arim. aliorum multorum.
Durand. Secunda opinio est Durand.hac dist.q. 5.& Gabriel. & Al-
Gabriel. main, Maioris,& Caiet. quæst.1. de contritione, qui opinati
Almain. sunt, posse hominem absque speciali diuina motione per bo-
Maioris. num opus morale immediatè disponere se ad gratiam.
Caiet. Hæc opinio ascribitur Scoto: quia in. 4. distinct. 14. affir-
Scot. libera- mat, viribus naturæ cultu communi influentia posse homi-
tur. nem considerare peccatum, tanquam offensiuum Dei, &c.
Vnde falsò eum accusant,& errore Pelagij notant. Eratquè
modo liberandus ab hac calumnia Pelagiana, nisi hoc actum
Vega q. 11. esset in floribus. 4. in quæstio. 1. de pœniten. artic. 6. An pœni-
de iustifica. tentia à timore, &c. Lege etiam Vegam de iustificat. quæst.
11.

CONCLVSIO I.

Scoto in. 4. Homo viribus naturæ, quò ad substantiam actus, potest
dist.17. habere pœnitentiam, quæ non sit vlùma dispositio ad gra-
2.Reg.12. tiam. Hæc conclusio probatur apertissimis diuinæ scripturæ
testimonijs. Nam. 2. Reg. 12. Increpatus Dauid à Nathan
prophera de adulterio cum Beth-sabee; & de morte Vriæ,
dixit: Peccaui, cui prophera respondit. Transtulit Dominus
peccatum tuum, &c. quia pœnituit, vt oportuit. Similem
1. Reg.15. omninò actum pœnitentiæ quò ad substantiam habuit Saul:
nam perinde reprehensus à Samuele propter inobedientiam:
dixit. Peccaui: sed quia non, vt oportebat, pœnituit, ve-
niam non obtinuit. Pœnitentiam quoquè egit Antiochus
2.Mach.9. quò ad substantiam actus tantùm, quando diuina admoni-
tus plaga dixit. Iustum est subditum esse Deo, & mortà-
lem non patia Deo sentire. Et veniam non obtinuit. Orabat
autem, dicit scriptura, scelestus dominum, à quo non erat
misericordiam consecuturus: quare potest homo viribus
naturæ,&c. vt habet conclusio.

CONCLVSIO II.

Homo non potest viribus naturæ pœnitere sicut oportet,
vt iustificationis gratiam assequatur. Hæc est de fide, & col-
ligitur apertissimè ex variis locis sacræ scripturæ, in quibus
initium nostræ iustificationis, & conuersionis in Deum per
amorem,

amorem, & pœnitentiam, à solo Deo esse docetur: vt in ar-
ticulo de iustificatione supra fuit expositum. Et ad Colos. 1. *Colos.1.*
Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorũ. Vbi B. Paul.
Iustitiam,& gloriam collatam sanctis, vocat sortem: quia si-
cut ea, quæ nobis sorte eueniunt, non contingunt per no-
stram industriam: sed per solius Dei prouidentiam: ita iusti-
tia non oritur ex nostra industria, aut ex nostra electione;
sed ex dono tantum Dei vni,& non alteri conferentis. Quia *Ad Rom. 9.*
non est volentis, neque currentis: sed Dei miserentis, qui, cui
vult miseretur, & quem vult, indurat. Fuit etiam definita in
concil. Arausicano. 2. can. 4. 6. 8. &. 13. Et in Trid. sess. 6. cap. 5.
& can. 3. Eam quoquè D. August. multis in locis copiosissi-
mè probat: vt in lib. 4. contra duas epistolas Pelagianas, & in *D. August.*
tertio Hispognosticon, & in lib. 1. de gratia Christi contra Pe-
lagium, & Cœlestinum cap. 45. & in lib. de grat. & lib. arbit.
cap. 5. &. 6. & in lib. 5. contra Iulianum cap. 9. & lib. 1. Retracta.
cap. 9. & contra Iulianum hæreticum. Tandem ratione illu-
stratur contra Pelagium: quia eiusdem agentis est inducere
formam in subiectum, & dispositionem ad illam. Quod in-
telligendum est de agente naturali: quia in artificialibus ali-
ter res se habet: nam lignarius dolat lignum, & pictor formã
imaginis introducit.

Hinc error Pelagij, sæpè damnatus, funditus euertitur quo *Hæresis Pe-*
speciale auxilium diffitebatur. *lagij.*

CONCLVSIO III.

Hæreticum est asserere liberum arbitrium in actu pœ-
nitentiæ nihil operari. Hæc fuit supra distinct. 25. copiosissi-
mè demonstrata. Et est definita in concil. Trident. sess. 6.
can. 4. vbi ita legitur. Si quis dixerit liberum hominis ar-
bitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assen-
tiendo Deo excitanti, atquè vocanti, quo ad obtinendam
iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, &c. anathe-
ma sit.

Hinc, etiam conuellitur hæresis Lutheri, quam distin. 25. *Hæresis Lu-*
confutauimus, qui negabat præparationem ad gratiam esse *theri.*
necessariam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda diffic. Vtrum gratia, quæ nostram iustificationem præcedit, sit aliquod speciale auxilium, vel ipsa gratia gratum faciens?

S.Thom. *Scot.*

DVæ sunt de hac re extremæ opiniones. Vna S. Tho. 2. q. 113. art. 8. affirmatis, in iustificatione impij prius natura infundi gratiam, quàm homo moueatur per liberum arbitrium in dilectionem Dei, & peccatorum detestationem. Eiusdem sententiæ est Scot. in 4. distinct. 14. q. 2. artic. 2. & dist. 16. in fine quæst. secundæ. Altera opinio est nominalium, quam obiter refert, & sequitur Vega de iustifica. quæst. 6. in sol. ad 9. nempè. Quòd ista gratia, per quam disponimur ad iustitiam per contritionem, non sit ipsa gratia gratum faciens, quæ formaliter iustificat peccatorem; sed solùm motio diuina, idest, volitio, qua vult Deus peccatorem disponi ad gratiam. Est autem discrimen inter has duas opiniones, quòd Thomistæ existimant in iustificatione peccatoris solùm concurrere ex parte Dei vnicam actionem, scilicet, infusionem, siue creationem gratiæ, quæ eadem numero dicitur adiuuans, & informans: autores verò secundæ opinionis putant duas ex parte Dei numero distinctas gratias ad iustificationem peccatoris concurrere, quarum primam dicunt esse volitionem diuinam, qua Deus vult peccatorem elicere actum pœnitentiæ: secundam autem esse gratiam habitualem, qua formaliter peccator iustificatur. Verùm sint ne duæ gratiæ numero distinctæ? an vna quæ vtrumq; fortiatur effectum, adiuuare, scilicet, & informare quæstio est de nomine.

Scot. *Soto lib. 2. de nat. & gratia. c. 18.* *Vega.*

1. Nota.

In iustificatione peccatoris, quando omnia non concurrunt in instanti, vt in iustificatione Pauli: sed sin cessiuè, duplex etiam concurrit successiuè dispositio. Vna, quæ tempore præuia est ad iustificationem; vt fides, dilectio, spes, timor gehennæ. Istæ enim dispositiones præcedũt tempore in catechuminis gratiæ infusionẽ. Altera dispositio est, quæ cõcomitatur ipsam gratiæ infusionẽ, quæ est contritio. Hoc notabile expressè est definitũ in cõcil. Trid. sess. 6. c. 6.

In

In generatione, siue alteratione naturali per eandẽ actionem numero agens introducit formam principalem, & vltimam dispositionem ad illam: vt ignis, præcedentibus tempore quibusdam dispositionibus, vt est exiccatio ligni per calorem introducta, inducit etiam aliam dispositionem concomitantem formæ ignis introductionem, quæ est simul tempore cum forma ignis. Hoc notabile est Arist. in lib. de generatione vbi ait. Formæ afferunt secum suas vltimas dispositiones, nempè, qualitates in certo gradu, sine quib⁹, nec forma reperiri, nec conseruari potest; exempli gratia, si. 8. gradus caloris non reperiuntur nisi in igne, neque ignis nisi in ipsis conseruabitur.

2. Nota. *Arist.*

CONCLVSIO I.

Respectu dispositionum, quæ solent tempore præcedere iustificationem, vt sunt fides, spes, aliqualis dilectio, timor gehennæ, &c. non est eadem numero, & simul tempore, gratia gratis data, & gratia gratum faciens: sed illa est solùm auxilium speciale, quo mediante, credimus, & speramus, &c. & paulatim ad iustitiam disponimur. Et ratio est; quia cùm existentibus istis præuijs dispositionibus, nondum sit homo gratus Deo, non adiuuabitur tunc per gratiam gratum facientem, sed per auxilium: quod quidem non est entitas positiua in peccatore: sed est tantùm ipsa Dei volitio, qua vult, vt peccator credat, speret, & diligat, sicut oportet. Hoc est, vt sit dispositus ad gratiam.

CONCLVSIO II.

Respectu vltimæ dispositionis, quæ simul tempore nostrã iustificationem concomitatur, hoc est, respectu contritionis, quæ simul tempore est cum gratia, eadem numero gratia habitualis est causa formalis inhærens animæ, & auxilium speciale, quo Deus cum peccatore instrumentaliter ad contritionem concurrit, ita vt Deus infundendo gratiam, simul tempore, prius tamen natura, quàm gratia inhæreat, excitet peccatorem, & adiuuet illum ad pœnitendum: ita quòd infundere gratiam, & adiuuare peccatorem, sit vna, & eadem actio numero. Hæc conclusio est S. Thom. & Scoti, & colligitur ex concil. Arausic. can. 4. & 6. vbi dicitur, per infusionem

L 5

Universidad de Deusto Biblioteca

nem Spiritus sancti nos velle resurgere à peccato, & cùm Spiritus sanctus non infundatur nisi per gratiam: erit profectò gratia habitualis, qua ad pœnitendum adiuuamur. Et ratione confirmatur per secundum notabile: quia agens principale per eandem actionem numero, per quam introducit formam principalem intentam, introducit etiam vltimam dispositionem ad formam. Et cùm gratia gratum faciens sit forma principaliter intenta à Deo, per eandem planè gratiæ infusionem, siue productionem in anima, adiuuabit Deus instrumentaliter animam ad eliciendum perfectum dolorem, qui sit vltima dispositio ad gratiam.

Artic. VII. Vtrùm homo sine auxilio gratiæ possit à peccato resurgere?

S.Thom.art. 7. vbi. §. & D. Bona.art. 1. q. 1. huius dist

SEnsus tituli est. An possit remissionem, & indulgentiam consequi absquè hoc, quòd in Dei gratiam redeat, & absquè eius peculiari auxilio? Quòd perinde est, ac si quæratur. Vtrum possit dari medium inter gratiam, & culpam: ita vt possit homo peccati commissi obtinere remissionem sine gratiæ infusione? Hic articulus de potentia Dei absoluta fuit in floribus quarti quæst. 1. de pœnitentia art. quinto explicatus: nunc autem ex lege tantùm erit definiendus.

Nota.1.

Homo per peccatum triplex detrimentum præcipuè contrahit. Primum est macula, quæ est priuatio gratiæ, & amicitiæ Dei. Iam enim homo tunc non est Dei amicus, cuius amicitiæ causa erat acceptus ad gloriam, & filius Dei adoptiuus. Secundum est deordinatio, siue corruptio naturæ, quæ consistit in negatione subiectionis, siue in inobedientia voluntatis peccatoris in Deum. Et ratio est; quia sicut naturalis rerum ordo postulat, vt inferiora superiorum imperio subijciantur, vt elementa primo mobili subijciuntur ita, & ordo naturæ exigit, vt creatura Deo subijciatur, & homo per peccatum resistit Deo, & est illi inobediens. Vocatur quoquè hæc deordinatio deuiatio: eò quòd homo per

per peccatum est deuius. Via enim hominis est in Deum, tanquàm in proprium finem, tendere: quemadmodum est via lapidis tendere in centrum, in quo quiescit, & peccator non in Deum: sed in infernum tendit. Tertium est reatus. Et est obligatio ad perpetuam gehennam. Ijs tribus detrimentis quæ à D. Thom. hic proponuntur, potest addi quartum, quod est Dei offensa. Manet enim Deus offensus: quia offensa est iniuria irrogata Deo: eò quòd contra iustitiam negatur ei debita obedientia. Quemadmodum fieret iniuria, siue offensa regi, si illi suum inimicum anteponeremus. Quæ quidem offensa manet, donec satisfactio fiat.

Hominem resurgere à peccato nihil aliud est, quàm recuperare omne illud, quod peccando amiserat. *Nota.2.*

CONCLVSIO I.

HOMO de lege nullo modo per solas naturæ vires sine gratia habituali à peccato resurgere potest. Hæc conclusio est de fide, Ierem. 30. Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. Non est, qui iudicet iudicium tuum, ad alligandum curationum vtilitas non est tibi. Vbi apertissimè insinuatur, per nulla beneficia naturalia posse nos à peccato mundari. *Ierem.30.* Vnde Dauid petebat. Sana animam meam; quia peccaui tibi. Et alibi; Viam iniquitatis amoue à me. Et ratione confirmatur: quia cùm resurgere à peccato sit mala in primo notabili posita resarcire, & hæc non reparentur, & resarciantur nisi per gratiam: quia priuatio gratiæ tollitur per gratiæ habitum, & deordinatio aufertur per eandem gratiam, qua Deus hominis voluntatem ad se trahit, & reatus similiter aboletur, Deo remittente pœnam æternam: erit profectò de lege necessaria, non solùm habitualis gratia: verùm etiam speciale Dei auxilium, hoc est, motio diuina, quæ hominis voluntatem ad obediendum moueat. *Psal.40.* *Psalm. 118.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima diffic. Poterit ne homo per solum generale auxilium sine speciali tollere habitum vitiosum, & studiosum acquirere?

MODO probatum est, detrimenta, quæ sunt contra ordinem supernaturalem, & contra supernaturale bonum, non posse sine speciali gratia resarciri, siue reparari, nunc de nocumentis, quæ ex peccato contra bonum naturale proficiscuntur, agitur. Et quæritur. Poterit ne homo, &c. Caiet. super hunc artic. S. Thom. opinatur ex viribus naturæ posse hominem resarcire damnum contra virtutem moralem ex peccato ortum, posse, scilicet, ex intemperato mutari in temperatum. Opposita opinio est S. Thom. in sol. ad. 3. Pendet huius difficultatis plena cognitio ex artic. 4. huius distinct. in quo demonstratum est, non posse hominem adimplere omne mandatum copulatiuè ex viribus naturæ: benè tamen singula, & in re leui, & per breue tempus.

CONCLVSIO.

Potest homo viribus naturæ reparare aliquod malum, quod sit contra aliquam virtutem moralem: non tamen omne, ita quòd poterit aliquo modo aliquos virtutis moralis actus exercere, quibus ad virtutes morales disponatur non tamen per multum tempus sine speciali Dei auxilio. Et ratio est, quia si posset naturaliter omnem virtutem moralem reparare, posset etiam naturaliter omne præceptum legis naturæ seruare, quod suprà hac distinct. demonstrauimus esse falsum: quare nec poterit omnem virtutem moralem, nec omne damnum, quod infert peccatum in naturalibus restaurare.

Prima Artic.

Artic. VIII. Vtrum possit homo sine gratia habituali cauere omne peccatum?

S. Tho. art. 8. Scot. q. vnica Durand. Ricard. & alij dist. Vega de iustific. q. 12. & 14.

SEnsus tituli est. Vtrùm existenti in mortali, exempli gratia per annum, communicet Deus suam gratiam, gratis datam, scilicet, auxilium speciale ad cauendum omne peccatum: an in pœnam dilationis pœnitentiæ negetur illi auxilium speciale adimplendum omne præceptum necessarium. Relege articulum huius distinct. de adimplendis præceptis, vbi diximus propter rebellionem potentiæ sensitiuæ aduersus rationem manere liberum arbitrium infirmum, ita vt non quæcunque velit, faciat. Et ideò licet, possit singula præcepta pro generibus singulorum viribus naturæ seruare: non tamen omnia pro singulis generum.

Vnum peccatum commissum, & virtute pœnitentiæ non dimissum, plerumque est alterius peccati causa. Et ratio est, quia in pœnam peccati præteriti, per pœnitentiam non deleti, negat Deus auxilium speciale ad cauendum peccata futura necessarium. Hanc veritatem docet scriptura sacra r ultis in locis. Ad Roma. 1. imputat Apostolus gentibus negationem auxilij specialis ad cauendam peccata. Quia cùm Deum cognouissent, &c. propter quod tradidit illos Deus, &c. & D. Petrus, quia primam, & secundam negationem non deleuit, in tertiam cæteris multò deteriorem incidit.

Nota.

Ad Rom. 1. Matth. 26.

Duæ sunt extremæ opiniones. Vna S. Thom. & Scoti, licet falsò à multis, vt infrà patebit calumnietur. Altera affirmans Durandi, & Gabrielis.

Gabriel.

CONCLVSIO I.

Existens in mortali nondum dimisso, per aliquod breue tempus, scilicet, per mensem, aut bimestrem ad summum, omne peccatum collectiuè vitare potest, quod intelligi, vt suprà de dilectione Dei super omnia explicabimus, & de præceptis fidei, & spei. In iis enim non habet locũ conclusio hæc. Vt ex suprà dictis constat. Et ratio est, quia hoc tempore possunt leues occasiones occurrere, quas solo generali Dei concursu poterit cauere. Et confirmatur: quia si hoc non posset, haberet homo extra gratiam liberum arbitrium omninò extinctum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinctum, quod est erroneum: vt suprà in materia de libero arbitrio fuit explicatum.

CONCLVSIO II.

EXISTENS in mortali peccato indimisso per longum tempus, si occurrant graues tentationes, non poterit illa vitare: & ita ex consequenti, eò quòd est extra gratiam, necessariò peccabit. Necessariò, inquam, necessitate consequentiæ: liberè tamen, quia in eius potestate est virtute pœnitentiæ hoc impedimentum tollere. Hæc conclusio est definita in multis concilijs, quæ supra in articul. de obseruantia peccatorum huius distinct. citauimus, ex quibus omnibus efficassimè colligitur, non posse aliquem, &c. viribus naturæ peccata omnia vitare. Quia cùm non possit præcepta omnia seruare, & transgressio præcepti sit peccatum, non poterit omnia peccata vitare. Et confirmatur, quia cùm non possit sine auxilio speciali graues tentationes vincere, & existens in peccato à Deo priuatione huius speciali auxilij puniatur: vt ex notabili posito constat, necessariò perfectò necessitatè consequentiæ peccabit.

Nota.2.
Vega lib. 4. super concil. Trid.c.20.
Matth.19.

Possibile dupliciter dicitur, similiter, & impossibile. Primo possibile morale, & est idem, quod liberum. Impossibile verò morale est illud, quod est difficillimum factu, vel quod rarò, aut nunquàm cõtingit. De quo impossibili loquebatur Christ. quando dixit. Impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum. Secundo modo dicitur possibile logicum, siue methaphysicum, & est propositio cuius extrema sunt compossibilia: vt hæc, Petrus loquitur: impossibile autem huic oppositum est propositio implicans contradictionem: vel cuius extrema sunt incompossibilia: vt hæc, homo est irrationalis. Hac distinctione prænotata, quæ tibi etiam in sequenti difficultate maximè inseruiet, dicit Vega, dictam opinionem S. Thom. intelligendam esse de potentia morali: non autem de potentia logica, aut methaphysica. Non enim dicimus existentem in mortali posse per annum, & dimidium, permanere in peccato, quin peccet, ita ꝙ oppositum, scilicet,

Vega.

non

non peccare implicet contradictionem: sicut dicimus non posse esse ignem, quin sit calidus. Sed intelligimus non posse cauere peccata: quia difficillimum est, & rarissimè contingit illa cauere, si per multum temporis pœnitentiam distulerit, quod est, non vtcumquè, notandum.

Restat liberemus Scotum, cui falsissimè hæresis Pelagij adscribitur. Nam eius sententia, quæ vbi suprà notabili ad quæstionem continetur, compræhenditur vna diuisione, & duabus conclusionibus. Diuisio est, peccatum est duplex, scilicet, quò ad actum, & quò ad reatum. Loquendo de peccato quò ad reatum est prima conclusio, nullus sine gratia illud de lege vitare potest. Et ratio est, quia vitare peccatum quò ad reatum est à peccato præterito resurgere, quod absquè gratia habituali: vt præcedenti artic. diximus, fieri non potest. Notanter dicitur de lege: quia de potentia Dei absoluta in floribus quarti in quæst. 1. de pœnitentia cum eodem Scoto fieri posse demonstrauimus. Secunda conclusio continetur, vbi ait. Illa opinio, ibi enim confirmat S. Thom. opinionem, in quam egerat, dicens. Potest illa opinio confirmari sic. Nam quando aliquis tenetur diligere Deum super omnia: aut actu diligit, & tunc vitat peccatum, & habet gratiam concomitantem: aut non diligit, & tunc peccat mortaliter: ergo sequitur, quòd non posse vitare omne peccatum, non est intelligendum, quasi propter impotentiam liberi arbitrij, eò quòd per peccatum sit extinctum: sed quia cùm primùm aliquis vitat peccatum, statim Deus dat illi gratiam. Et ideò non potest cauere peccatum sine gratia. Qui igitur hæc docuit, & in fine quæstionis argumenta Pelagij, quæ in principio quæst. proposuerat, soluit. Cur, quæso, tanta ignominia notatur: vt Pelagio subscripsisse dicatur? Legant amore Dei detractores priùs autores sibi inuisos, ne temerè illos accusasse inueniatur.

Scot. liberatur.

Hinc, confutatur primùm error Manichæi, qui in nobis mentem quandam malam, à malo Deo productam, quæ non posset non peccare, collocabat. Lege Castrum verb. creatura, hæresi prima, &. 2. & verb. peccatum, hæresi. 3. Euertitur etiam error Lutheri affirmantis, naturam humanam, adeò

Hæresis Manichæi. Castro. Hæresis Lutheri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeo post peccatum esse corruptam: vt in omni opere suo moraliter peccet. Quæ quidem, inquit ille, peccata per diuinam misericordiam ei, qui credit in Christum, qui iustificat impium, non imputantur, in quem agit Castro multis in locis. Lege verbo opera, hæresi prima, & verbo peccatum, hæres. 5. conuincitur quoquè Pelagij hæresis, affirmantis hominem per sua naturalia sine auxilio gratiæ, etiam post peccatum, posse cauere omne peccatum, & vniuersam legem implere, & tandem non peccare. In quem inuehitur S. Thom. in art. 8. vbi suprà, & Castro verbo gratia, hæresi 1.

Error Pelagij.

S. Tho. art. 8. vbi. 5.

Difficultas. Vtrùm homo, in gratia constitutus, & in ea confirmatus possit per totam vitam omnia peccata venialia vitare, quin aliquando prolabatur?

COmmunis est sententia, & de fide tenendum, vt statim dicemus, neminem posse de lege omnia venialia per totam vitam, licet, possit singula, vitare. Vega cap. 21. lib. 14. super concil. Trident. affirmat, ex lege cum speciali Dei gratia posse iustum vitare omnia venialia. Verùm difficultas hæc apertissima reddetur, de qua copiosissimè, & doctissimè differit Vega lib. 14. citato à 17. vsque ad finem ferè lib. si, quæ sequuntur, adnotaueris.

Vega lib. 14. super concil. Trid. c. 21.

Adnotatio 1. Primùm reuoca in memoriam, quæ de peccato voluntario in se, & voluntario in sua causa, diximus sæpè, præsertim in q. de ignorantia, & quæ de impossibili, & possibili morali, & logico, siue methaphisico in hoc artic. adnotauimus.

Adnotatio. 2. Vega lib. 14. citato n. 2. Tria sunt peccatorum venialium genera, primum genus est eorum, quæ sunt venialia ex genere, siue ex natura sua, huius primi generis sunt mendacium iocosum, siue officiosum, & verbum ocioſum, risus leuis, & similia, quæ dicuntur ex genere, & ex natura sua venialia: quia nunquam, nisi ratione alicuius circunstantiæ ab extrinseco efficiuntur mortalia: vt si quis in verbo ocioso vltimum finem constituat, aut si fiat contra votum. Secundum genus est venialium propter imper-

imperfectionem actus, vt quando peccatum progreditur vsquè ad delectationem, deficit tamen in delectatione consensus, huius generis sunt venialia ex surreptione, seu indeliberatione: vt motus subiti contra præcepta, quos facilè deuitare possumus. Tertium genus est venialium propter paruitatem materiæ: vt furtū leue, vnius, scilicet, oboli, detractio parua, ideſt, parui nocumenti, & similia. Differunt hæc tria venialium genera bifariam. Primò, quia primum, & tertium sunt voluntaria in se: secundum autem in sua causa, nempè, in negligentia opprimendi tentationem, vel suggestionem: vt nunquàm ex ea delectatio oriatur. Ait enim B. Hieron. ad Eustochium. Impossibile est innatum medullarum calorem in hominis sensum non irruere. Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui cùm cœperit cogitare, allidit cogitatus suos ad Petram, Petra autem erat Christus. In peccatis autem patrandis hic est ordo. Primò enim oritur tentatio, ideſt, memoria peccati, in quam homo frequentissimè prolabitur. Secundò delectatio, ideſt, gaudium in illa memoria: quæ quidem delectatio naturaliter oritur ex tentatione; & ideò est voluntaria in sua causa, ideſt, in negligentia non opprimendi tentationem. Tertio loco succedit consensus patrandi actum. Secundò distinguntur ex eo, quòd ante peccata primi, & tertij generis semper præcedit plena deliberatio: ante peccata verò secundi generis: quia procedunt ex cauillosa suggestatione, & ex negligentia opprimendi tentationem, minus plena deliberatio præcedit. Fomes peccati est inclinatio potentiæ sensitiuæ circa suum obiectum: vt potentiæ generandi ad actum libidinis, videndi ad pulchrum, audiendi ad sonum: quæ quidem inclinatio dicitur fomes peccati, ideſt, occasio, & materia peccandi: propterea quòd voluntas inclinatur ad obediendum, & condolendum appetitui sensitiuo contra rationem. Hoc docuit D. Paul. ad Roman. dicens. Si autem quod nolo malum, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Vbi inclinationem potentiæ sensitiuæ in proprium obiectum vocat peccatum: eò quòd sit rationi contrarius. Immoderatus enim appetitus videndi pulchrum, & audiendi suauè sonum est contrarius rationi,

3. Adnotatio.

D. Hieron.

4. Adnot.

Ad Rom. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Adnot. Ad Rom. 7.

quæ medium in delectione habendum esse dictat. Fomes hic in hominibus, etiam in gratia confirmatis vigebat. Patet exemplo B. Paul. confirmati in gratia dicentis. Video aliam legem in membris meis, &c. In sola autem sanctissima Virgine fuit fomes ligatus: ita vt sensitiua semper rationi, vt in Adam ante peccatum, obedierit. Lege Vegam cap. 17. & 18. lib. 14. citati, vbi innumera sacræ scripturæ, & sanctorum testimonia adducit ad hanc veritatem de puritate Virginis, & sequentium conclusionum corroborandam. Iis ita constituris, si de potentia morali, & de venialibus 1. & 3. generis loquamur.

CONCLVSIO I.

Peccata venialia 1. & 3. generis potest aliquis iustus de lege cum auxilio Dei speciali per totam vitam euitare. Patet primò exemplo B. Ioann. Baptist. de quo canit ecclesia, teneris sub annis antra deserti petiisse: ne vitam leui saltem famine, idest, verbo aliquo ocioso, maculare posset. Et confirmatur ratione: quia venialia primi, & tertij generis sunt voluntaria in se ipsis, & fiunt ex plena deliberatione, & consensu. Et ratio a simili est de peccatis mortalibus, quæ ideò dicuntur posse à nobis euitari cum speciali Dei auxilio: quoniam sunt voluntaria in se ipsis, & fiunt ex plena deliberatione, nec præueniunt rationis vsum. Et in sensu huius conclusionis est vera Vegæ opinio: si autem fermo fiat de venialibus secundi generis sit.

CONCLVSIO II.

Nullus iustorum, etiam in gratia confirmatus, excepta sanctissima Dei genitrice Maria, hactenus potuit, neque in posterum poterit de lege per totam vitam omne veniale peccatum vitare. Hæc conclusio est de fide, & habetur in multis sacræ scripturæ locis, quæ breuitatis causa prætermitto. Et quia apud Vegam cap. 17. supra citato collecta inuenies. Est quoquè definita in concil. Trident. sess. 6. canon. 23. vbi legitur. Si quis dixerit hominem iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia,

Ecclesia, anathema sit. Est autem priuilegium (vt intelligas concilij auctoritatem) lex priuata. Per quod quidem priuilegium intelligitur confirmatio in gratia ad vitandum venialia. Et ratione confirmatur: quia nullus sanctorum, præter sanctissimam Virginem, habebat fomitem ligatum, id est, impeditum. Patiebantur enim rebellionem potentiæ sensitiuæ aduersus rationem, propter defectum iustitiæ originalis. Vnde D. August. contra Iulianum inquit. Si Christus paruulus originale contraxisset, profectò grandeuus factus, actuale vitare non potuisset. Et ratio est; quia originale peccatum est defectus originalis iustitiæ, ratione cuius potentia sensitiua non subijcitur rationi, vnde ortum habet actuale peccatum. Et animaduerte, quòd quando dicimus, impossibile esse moraliter vitare omnia venialia, perinde esse, ac si dicatur, nullus de facto per totam vitam omnia venialia vitabit. *D. August.*

Hinc, destruitur error Cœlestij Pelagiani, affirmantis, posse hominem sine peccato viuere, si velit per virtutem liberi arbitrij. Contra quem sunt multa sacrarum literarum testimonia. Non enim est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Et si dixerimus: quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Hinc, enim omnes sancti quotidie orant. Dimitte nobis debita nostra. Contra hunc errorem scripsit D. Hieronym. ad Ctesiphontem, & dialogum contra Pelagianos. Et D. August. librum de perfectione iustitiæ, & librum de spirit. & lit. Lege Sotum lib. 3. de natura, & gratia, cap. 4. *Hæresis Cælesti Eccl. 7.* *1. Ioan. 1.* *D. Hiero.* *D. Aug.* *Soto.*

Artic. IX. Vtrùm homo in gratia constitutus, præter gratiam habitualem, ad cauenda peccata, & ad rectè operandum speciali auxilio indigeat?

S. Tho. art. 9. vbi 3. & Vega. q. 14. de iustifica.

SAnctus Thom. & Vega hunc tractant articulum, & pro maiori intelligentia nota, quæ sequuntur.

Universidad de Deusto Biblioteca

1.Nota. Quatuor sunt vulnera, quæ ex originali peccato oriuntur. Nempè, ignorantia in intellectu, quominus possit omne verum intelligere. Malitia in voluntate: vt sit ad otium, & ad malum prona, & procliuis. Infirmitas in virtute irascibili, quominus possit malo resistere. Et tandem concupiscentia in sensibus, qua inordinatè in delectabilia feruntur. *Lucæ.10.* Hæc enim sunt vulnera, quæ homini descendenti ab Hierusalem in Iericho latrones inflixerunt.

2.Nota. Prædicta quatuor naturæ vulnera manent in iustificatis, *Ad Rom.7.* Hoc testatur B. Paul. ad Roma. 7. quando dicit. Video aliam legem, &c. Vbi per aliam legem dicta quatuor vulnera intelligit. Et paulò superiùs. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Hæc autem, quæ dicta sunt, confirmo, posito discrimine inter iustitiam originalem, & gratiam gratum facientem, quæ se habebant, sicut excedens, & excessum. Iustitia siquidem originalis non reddebat hominem gratum, & Dei amicum: subdebat tamen vires inferiores rationi: atuerò gratia reddit hominem Dei amicum, vulnera tamen quatuor supra posita non euellit. Non enim tollit ignorantiam intellectus, quò ad omnia. Nã *Ad Rom. 8.* dicit Aposto. Quid oremus sicut oportet, nescimus. Et Prou. *Prouerb.1.* 1. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidẽtiæ nostræ. Incerti enim sumus, quo modo prouideamus futuræ ne in aliquod malum incidamus.

CONCLVSIO I.

Habens gratiam habitualem alia habituali gratia non indiget: vt sanetur, ideſt, vt à peccato iustificetur, & vitam æternam promereatur. Et ratio est, quia non est ponendus progressus in infinitum, & poneretur, si alia gratia habituali indigeret.

CONCLVSIO II.

Gratia habitualis non sufficit: vt iustificati possint omne peccatum cauere, & omne præceptum per totam vitam adimplere: sed insuper speciale Dei auxilium, & peculiaris eius concursus requiritur. Hæc conclusio est de fide ad Roma. 7. *Ad Rom.7.* Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ideſt de motibus mortalibus aduersus rationem huius corporis.

corporis. Et respondet ipse continuò. Gratia Dei per Iesum Christum. Vbi non intelligitur gratia habitualis, in qua erat constitutus, licet à prædictis vulneribus non esset liber: quare intelligitur gratia, quæ est auxilium speciale. Et patet: quoniam statim subdit. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati. Quam sententiam olim D. August. *D. Aug.* apud S. Thom. in artic. citato illustrauit hoc exemplo. Nam sicut oculus corporis, plenissimè sanus non potest cernere, nisi lucis candore adiutus: ita nequè homo perfectissimè etiam iustificatus, nisi æterna luce diuinitus adiuuetur, poterit rectè viuere. Et ratione confirmatur, quia voluntas se sola, & cum solo generali auxilio, propter quatuor vulnera, non potest sine speciali auxilio vincere omnes rebelles tentationes. Et cùm hæc vulnera: vt ex notabilibus constat, maneant in iustificatis indigebit planè homo iustificatus speciali Dei auxilio, & concursu ad bonum omne operandum, & malum omne vitandum.

Append. *Ad Rom. 15.* Hinc, est, quòd viri sancti hoc Dei auxilium efflagitabant: vt constat exemplo D. Paul. ad Roma. 15. Obsecro vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti spiritus: vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, &c. Quo quidem auxilio, si præter gratiam B. Paul. ad rectè operandum non indiguisset, non illud efflagitasset. Superfluæ enim essent tales preces. Et tandem confirmati in gratia petunt in oratione dominica auxilium speciale ad vincendas tentationes, dicentes. Et ne nos in- *Matth.6.* ducas in tentationem.

Hæresis Pelagy. Hinc, confutatur error Pelagij affirmantis, hominem sanum per gratiam amplius non indigere auxilio gratiæ: sicut homo sanatus à medico amplius ope medici non eget. In *D. Aug.* quem agit D. August. lib. de nat. & gratia, cap. 26. constituens discrimen inter hominem sanatum à medico corporali, & spirituali.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima diffic. Vtrùm homo iustificatus possit sine auxilio speciali plura, & perfectiora opera per solã gratiam habitualẽ præstare, quã nõ iustificatus?

PEccatores ex viribus naturæ posse aliqua bona moralia; non tamẽ grauia, sed leuia, vt colore agros, diligere studiosos, soluere mutuũ, & similia facere, dubitat nemo.

CONCLVSIO.

Homo in gratia constitutus potest absquè auxilio speciali plura, & perfectiora opera per solam gratiam habitualem facere, quàm in mortali existens. Et ratio est; quia gratia gratum faciens dat animæ robur aduersus sensualitatem, non ꝙ malitiã sensualitatis extenuet: sed quia vires animæ auget. Et est conclusio hæc de fide, & definita in cõcil. Mileuit. can. 3. & 10. vbi dicitur. Placuit; vt quicũquè dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrũ, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam in adiutorium; vt non committãtur, anathema sit.

Secunda diffi. Vtrùm operationes, quas homo iustus elicit, secluso speciali auxilio, sint vitæ æternæ meritoriæ?

Greg. Ari. *Vega q. 14. de iustifica.* *Scot. in. 1. d. 17. q. 1.*

DVæ sunt extremæ opiniones. Prima est Arim. in. 2. d. 29. q. 1. qui affirmantẽ partem defendit, & eam omnes catholicos tenere arbitratur. Secũda est negans Vegæ q. 14. de iustificatione. Hæc difficultas pẽdet ex difficultate supra posita; an sit necessaria actus relatio in Deum; vt sit vitæ æternæ meritorius? Vega sequitur Scot. nam in. 1. d. 17. q. 1. notab. sed tũc est vlterius dub. vers. ad primũ ita ait. Actus, qui est meritum, est in potestate mea, supposita influentia generali, si habeo liberi arbitrij vsum, & gratiam. Hactenus Scot. quam opinionem dicit Vega esse communem.

CONCLVSIO.

Omnis actus, quem iustus solo generali concursu potest elicere,

elicere, si actualiter, vel virtualiter in Deũ referatur, erit vitæ æternæ meritorius. Hæc conclusio apertissimè ex diuina scriptura colligitur. Dixit enim Christus Iesus. Quicunquè potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, &c. Et. 1. Corint. 10. Siue ergo manducaris, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Ex ijs locis ita demonstro conclusionem. Ad dandum amore Christi potum aquæ frigidæ sitienti sufficit in homine iusto generale auxilium, sicut & in peccatore; similiter & ad comedendum, vel dormiendũ; quia isti actus nostræ naturæ vires non superant. Et si tales actus fiant ab existente in gratia sunt vita æterna digni: vt loca modò citata testantur: quare sufficiet in viro iusto solus generalis cõcursus; vt actus ab eo elicitus actualiter, vel virtualiter in Deum relatus, sit vitæ æternæ meritorius. Et ne quis erret existimans tales actus esse merè naturales, animaduertat, quòd actus non solùm dicitur supernaturalis, qui est ab auxilio speciali: verùm etiam supernaturalis actus est, qui elicitur ab auxilio supernaturali, dummodò eliciatur mediante aliquo habitu supernaturali, scilicet, gratia, siue charitate. Habitus enim siue infusus, siue acquisitus concurrit ad productionẽ actus: & ideò quando habitus fuerit supernaturalis, actus erit supernaturalis. Propterea ꝙ est à causa supernaturali: quod est valde notandum.

Matth. 10. & Marc. 9. *1. Cor. 10.*

Artic. X. Vtrum homo in gratia constitutus speciali auxilio indigeat: vt in ea perseuerare valeat?

DE hoc art. S. Tho. & Vega præsertim copiosissimè disputant. Et pro explicatione tituli perpende, ꝙ in præsentia perseuerantia in gratia accipitur pro continuatione in gratia, à tempore, quo recipitur, vsquè ad finẽ vitæ, siue detur per horam vnam, siue per 40. vel plures annos ante mortem. Non enim loquimur de perseuerantia per annum vnum, aut per horam, si gratia ante mortem per peccatum mortale amittatur. Et hoc speciale auxilium, de quo intelligitur articuli titulus, vocatur donum perseuerantiæ.

S. Tho. art. 10. vbi 5. *Vega lib. 12. super concil. Trid. à c. 20. vsquè ad finem lib.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam sicut aliud est benè agere, & aliud in bona actione perseuerare: quia multi benè agunt, qui tamen in bona actione incepta non perseuerant. Ita etiam aliud est auxilium necessarium ad benè operandum, & aliud est auxilium necessarium ad perseuerandum, de quo intelligitur titulus articuli.

1. *Nota.* Preces in Deum nunquàm effunduntur ad illa impetranda, quæ per auxilium generale frequentissimè sunt in nostra potestate, nempe, vt possimus scribere, legere, vel quid simile præstare. Ait enim D. August. quid stultius, quam orare, vt possis, & facias, quod in potestate habes? Et cur oratur, vt accipiatur, quod in homine est, vt habeatur? Tum quia iuxta communem regulam iuris consultorum frustrà precibus impetratur, quod iure communi concessum est.

D. *Aug. de nat. & grat. c. 8.*

2. *Nota.* Inter perseuerantes in gratia, & in ea confirmatos, hoc interest, quod primi, quàmuis per totam vitam in gratia perseuerent: possunt tamen de lege à gratia cadere: at verò secundi, scilicet, in gratia confirmati ex priuilegio, & pacto, hoc est, ex lege priuata non possunt à gratia cadere.

CONCLVSIO.

Vt homo in accepta gratia vsquè ad finem vitæ perseueret, præter ipsam gratiam, & generale auxilium, manu tenentia Dei, & speciale auxilium, quod donum perseuerantiæ nominatur, requiretur. Hæc conclusio est de fide. Et in multis concilijs definita. Nempe, in quodam concil. Carthaginen. Et in Mileui. Et in Arausic. 2. quæ à Vega cap. 22. vbi suprà referuntur. Et tandem in Trident. sess. 6. cap. 13. & can. 22. sub his verbis. Si quis dixerit, iustificatum, vel sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. Deinde multis sacræ scripturæ testimonijs corroboratur, in quibus donum perseuerantiæ petitur, quod si præter gratiam non esset necessarium, frustrà profectò in diuinis literis aliquid à Deo peteretur & frustrà Christus petijsset: Pater sancte serua eos, &c. non rogo: vt tollas eos de mundo: sed vt serues eos à malo. Et Lucæ. 22. Ego rogaui pro te: vt non deficiat fides tua, quod est plusquàm erroneum. Frustra enim precibus impetratur, &c. Adducit etiam Vega in cap. supra citatis multas sanctorum autoritates. Et tandem ratione confirmatur; quia si non esset aliud donum perseuerantiæ à dono gratiæ, & sola gratia habitualis sufficeret, nullum esset priuilegium confirmatorum, & quicunquè haberet gratiam, non posset non perseuerare. Quod est contra Paul. dicentem: Qui stat, &c. Et D. Petrus negando Christum cecidit, &c.

Ioan. 17.
Luc. 22.

1. *Cor. 10.*
Matth. 26.

Difficul. *Perseuerantia in gratia est ne de necessitate salutis?*

PErseuerantia in gratia potest bifariam sumi. Primò pro confirmatione in gratia à tempore, quo recipitur, vsquè ad finem vitæ. Secundò pro perseuerantia in gratia finali.

Prima Propositio.

Perseuerantia primo modo non est de necessitate salutis. Et ratio est: quoniam aliter homo iustus, si cecidisset, reparari per pœnitentiam non posset, quod est impijssimum, & contra scripturam. Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet, & non morietur. Dauid, etiam, & Petrus non perseuerauerunt in gratia, & salui facti sunt.

Ezec. 18.

Secunda Propositio.

Perseuerantia secundo modo sumpta est de necessitate salutis. Hæc enim est, de qua dixit Christus Matthæ. 24. Qui autem perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit. Vbi loquitur Christus non de perseuerantia quocunquè in tempore: sed de perseuerantia in fide viua tempore martyrij, quando insurget persecutio in sanctos, & imminebit mors: vt in litera euangelij patet.

Matth. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D V B. Cur sola gratia habitualis non erit sufficiens ad perseuerantiam obtinendam?

RAtio dubitandi est; quia idem habitus inclinat ad productionem suorum actuum, & ad vitandum contraria. Fortitudo enim inclinat ad defendendam patriæ libertatem, & ad resistendum seruituti. Et continentia ad castitatem seruandã, & ad resistendum fornicationi. Lege Caiet. vbi suprà S. Thom.

1. Nota. Simpliciter sæpe concedimus, potentiam aliquam posse operari, quàmuis aliquando se sola sine aliqua causa extrinseca non possit exire in actum. Illustro rem hanc euidentissimo exemplo; oculum sanum, & clarum, simpliciter concedimus posse videre, quàmuis solus non possit exire in actum

2. Nota. videndi, nisi mediante lumine, & obiecto.

Quamuis ad operationes supernaturales speciale Dei auxilium requiratur: nihilominus tamen dicuntur esse in potestate nostra. Et ratio est; quia possumus tale auxilium impetrare, & Deus paratissimus est nobis illud petentibus impartiri. Hoc enim docemur in oratione dominica, quando dicimus. Sed libera nos à malo, vbi petimus speciale auxilium ad obuiandum tentationibus.

Propositio.

Sap. 9. Gratia, quantùm est ex parte sua, sufficiens est ad hoc, vt iustus in iustitia perseueret: atuerò quia liberum arbitrium adhuc est vulneratum, & corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, non potest sola gratia sufficere ad perseuerandum: sed requiritur aliud donum, nempe, donum perseuerantiæ. Atquè ita vtraquè propositio est vera, scilicet, per gratiam potest iustus in ea perseuerare, & non per solam gratiam potest perseuerare: vt patet exemplo oculi in primo notabili. Potest enim habens visum videre: sed non solum visum, nisi adsit medium illuminatum. Hactenus de gratia, gratias agamus domino Deo nostro. Qui, quæ sua est infinita misericordia, perseuerantiam in illa ad salutem necessariam, nobis

nobis concedere dignetur, vt semper ei grati, ita grata ei obsequia offeramus; vt liberati à corpore mortis huius, sua gratia consumata, quæ sua est æterna beatitudo, & gloria, cum sanctis omnibus perfruamur.

Magist. Sentent. Distinct. XXIX.

TRactat Magister in hac distinct. de statu primi hominis ante peccatum, & proponit multa. Et primum est. Vtrum Adam in statu innocentiæ indiguerit gratia operante, & cooperante? Et respondet. Indiguit gratia, non vt à peccato liberaretur; quia tunc nullum habebat peccatũ: sed vt vitam æternam promereretur, quam per solum liberum arbitrium mereri non poterat. Et est respõsio D. Aug. *D. Aug.* Secundò quærit. Vtrùm in statu innocẽtiæ habuerit Adam omnes virtutes tam infusas, quàm acquisitas? Et proponit duas sententias contrarias, sequiturquè affirmantem, quam diuina scriptura confirmat Eccl. 7. nam dicitur. Fecit Deus *Eccl. 7.* hominem rectum; quare omnibus virtutibus concreatis ornauit illum. Aliter enim vna deficiente non fuisset omnino rectus. Reliqua, quæ à Magistro in hac distinctione traduntur, satis clara sunt. Et circa hanc distinct. Lege Alex. Alen. in 2. p. q. 29. & 91. S. Thom. in p. p. q. 95. S. Bona. Ricar. Scot. Durand. & alios scholasticos doct. hac eadem distinct. 29.

Quæst. vnica. Vtrùm in statu innocentiæ habuerit homo iustitiam originalem? *Alex. Alen. in 4. p. q. 4. m. 7. art. 3. §.*

HAec quæstio erit perspicua, & facilis, si quæ sequuntur diligenter consideraueris. *1. ad arg. S. Th. 1. p. q. 98. art. 2. ad 3. Scot. hac dis. ex 1. Consider.*

Delectatio potẽtiæ sensitiuæ est passio ex apprehẽsione obiecti conuenientis proueniens: vt visus ex visione obiecti pulchri, & auditus ex apprenhensione soni suauis. Ex hac igitur passione, quæ efficitur in sensu ex contactu, idest

Universidad de Deusto
Biblioteca

exsola receptione specierum obiecti: vt in oculis ex tactu specierum, id est, ex receptione specierum visibilium obiectorum, efficitur visio, & cognitio obiecti. Similiter, & in alijs sensibus emanat delectatio, quæ est passio. Nam sentire quoddam pati est: hoc est, recipere tantum species obiecti delectabilis. Quòd si obiectum fuerit disconueniens potentiæ apprehensiuæ efficitur in sensu dolor: vt ex obiecto amaro in gustu.

Aristot. 2. de anima.

Append. 1.

Hinc, huiusmodi delectatio est naturalis: quia naturaliter ex causis approximatis, & non impeditis oritur.

2. Conside.

Delectatio dicta est duplex, scilicet, modesta, siue moderata, & immoderata. Et non dicitur modesta, siue moderata, eò quòd sit remissa, nec immoderata eò quòd sit intensa: quia (vt S. Thom. vbi suprà docet) aliquando delectatio moderata, quam habent homines temperati, est intentior, quàm immoderata, quam immoderati habent. Maiorem enim in vino delectationem capiunt sobrij, quàm ebrij. Ab assuetis enim non fit passio, id est, frequentia malorum minuit tristitiam, & frequentia delectationum minuit quoquè delectationem. Quare dicetur moderata delectatio illa, quæ seruat medium, prout à recta ratione prædefinitur: immoderata verò è contra. Seruare autem medium est seruare in operatione ipsa, ex qua emanat delectatio, omnes circunstantias: vt sit actus bonus moraliter. Exempli gratia, delectatio venerea erit moderata, quando fuerit cum sua, & propter debitum finem, scilicet, ad procreandam prolem, siue propter vitandam fornicationem, & debito tempore, & loco: immoderata verò erit, si aliqua harum circũstantiarum defuerit: veluti si accessus fit ad non suam, siue ob delectationem tantùm, vel quando extra actum coniugij aliquis morosè delectatur, aut in loco sacro. Hæc omnia nota ad coniugum conscientias examinandas confessor.

3. Conside.

Primi parentes ante peccatum, & quandiu status innocentiæ durauit, nullam poterant immoderatam delectationem habere. Hoc non semel scriptura sacra docet. Nam Gen. 2. legitur. Erat autem vterquè nudus, Adam. s. & vxor eius, & non erubescebant. Cuius non erubescentiæ reddens causam D. Au-

D. Auguſt. ait. Quia nullam legem in membris sentirent legi mentis repugnantem. Ideò enim nihil putabant velandum: quia nihil sentiebant refrenandum. *D. Aug.*

Hinc, colligit D. Auguſt. nullam in statu illo potuisse hominem habere erubescentiam, hoc est, immoderatam, & libidinosam delectationem. Et Gen. 3. Post transgressionem legitur. Aperti sunt oculi amborum, cumquè cognouissent se esse nudos, &c. perizomata, id est, cinctoria, quibus tegerent verenda. Quam apertionem oculorum sic declarat D. Aug. Aperti sunt oculi, ad quod anteà non patebant. Quia anima rationalis bestialem motum in carne sua non erubuit, nec pudorem habuit: quoniam ille motus pudendus de transgressione venerat. Vide etiam Nicolaum Lyranum super hunc locum. Appen. 2. *Gen. 3.* *D. Aug.* *Nicol. Lyr.*

Iustitia originalis de sententia omnium doctorum erat donum supernaturale in omnes eius descendentes transmittendum, si ipse in statu innocentiæ perseuerasset. Ideò enim dicebatur iustitia originalis, quod esset communicanda per generationem, siue per propagationem: quemadmodum dicitur peccatum originale, eò quòd ratione originis, scilicet, generis omnibus posteris Adæ communicetur. *4. Consid.*

CONCLVSIO I.

Primi parentes in statu innocentiæ potuerunt habere omnem delectationem potentiæ sensitiuæ. Et ratio est; quia delectatio, quæ in sensibus ex apprehensione obiecti conuenientis nascitur, est naturalis: vt ex prima consideratione cõstat, & ita de facto potuit esse, & fuit in statu innocentiæ. Propterea q. cùm naturalia remanserint integra, & modo sit naturalis, potuit, & tunc inesse. Et constat Gen. 3. Vidit mulier lignum vetitum, quod esset pulchrum visu, aspectuquè delectabile: ergo habuit tunc delectationem in operatione sensuum. Aliter enim fuisset brutis deterior. *Gen. 3.*

CONCLVSIO II.

Fuitquè delectatio intensior tunc, quàm nunc. Et ratio est; quia quantò sensus est perfectior, & quò operatio est perfectior, eò delectatio, quæ ab ea proficiscitur, est maior, & intensior. Delectatio enim oritur ab operatione, tanquàm à causa

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa propria. Atquè ita cùm sit passio, quantò operatio fuerit intensior, quæ est eius causa, tantò eius effectus, scilicet, delectatio, erit intensior. Et cùm in statu innocentiæ haberent homines perfectissimos sensus, &c. Et postremò quia maiorem delectationem percipiunt temperati, quàm intemperati: vt in secunda consideratione constat: & primi parentes in statu innocentiæ fuissent temperatissimi.

CONCLVSIO III.

Fuissetquè tunc talis delectatio moderata. Constat hæc conclusio ex tertia animaduersione. Erat enim tunc homo omni virtute ornatus, & nullo vitio laborans: vt ex littera Magistri in hac distinct. patet.

CONCLVSIO IIII.

Fuit in Adam donum supernaturale, quod iustitia originalis vocabatur, ratione cuius appetitus potentiæ sensitiuæ erat ligatus, quòminus posset inordinatam operationem appetere, ita quòd quàmuis Adam ante lapsum pulcherrimam fœminam non suam vidisset, non potuisset illam aliquo modo appetere, nequè morosè delectari, neque motum membrorum, nisi in ipso generationis actu, pati: vt ex tertia conclusione constat. Probatur conclusio hæc à sufficienti diuisione: quia vel subijciebatur potentia sensitiua rationi: ita vt nihil immoderatum appeteret virtute potentiæ rationalis, vel virtute gratiæ habitualis, vel virtute doni supernaturalis, quod est iustitia originalis. Non primum; quia naturalia mãserunt integra, & vt modò non dominatur potentia rationalis dominio despotico potentiæ sensitiuæ, nequè tunc dominabatur. Deinde neque secundum dici potest, scilicet, ratiõne gratiæ habitualis: quia vel in confirmatis in gratia appetitus rationi dominio despotico non subijciebatur: vt constat ad Roma. 7. exemplo B. Pauli. Quare tranquillitas, & subiectio illa virtute alterius doni supernaturalis, quod iustitia originalis nominatur, proueniebat.

Ad Rom. 7.

Prima

Prima diffic. Pateretur ne tunc potentia sensitiua aliquã tristitiam, aut difficultatẽ obediendo rationi?

NVnc enim difficulter voluntas coercet potentiam sensitiuam, ne immoderatè delectetur?

CONCLVSIO.

Potentia sensitiua delectabiliter tunc ab illicita delectatione abstinebat, non solùm ratione originalis iustitiæ, inhærentis voluntati: verùm etiam ratione alicuius supernaturalis qualitatis, sibi inexistentis. Et ratio est, quia eiusdem potentiæ est habitus, cuius est operatio: vt in intellectu est habitus fidei, & eius operatio, scilicet, credere, & cùm faciliter abstinere ab immoderata delectatione sit actus potentiæ sensitiuæ, erit in eadem potentia aliqua supernaturalis qualitas ponenda, qua faciliter abstineat. Naturaliter enim cum difficultate abstinet. Dices. Superflua igitur erat originalis iustitia? Respondeo: Nequaquàm erat superflua: quia per iustitiam originalem voluntas subiiciebatur Deo, quò minùs posset etiam venialiter peccare. Tum etiam per eandem iustitiam erat voluntas potens ad imperandum potentiæ sensitiuæ. Et sicut aliud est obedire, & aliud imperare: ita alia qualitas erat ponenda in sensibus, ad delectabiliter rationi obediendum, alia in voluntate: vt sensibus plenè dominaretur. Hæc ex Scoto. *Scot.*

Secunda diffic. Existente iustitia originali in voluntate, potuit ne primum peccatum esse delectatio inordinata, & libidinosa carnis?

CONCLVSIO.

NEquaquàm potuit esse primum hominis peccatum actus libidinis ordinatus in carne. Et ratio est, quia quamdiu voluntas, ideſt, portio superior, erat virtute

origi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

originalis iustitiæ subdita Deo, non potuit portio inferior deordinari. Nam sicut in naturalibus non potest agens naturale inferius non rectè moueri, quàmdiu rectè mouetur cœlum, quod est primum mobile, per quod agentia naturalia inferiora regulantur: ita etiam quàmdiu voluntas fuit ordinata, non potuit portio inferior deordinari; amissò autem fre no iustitiæ originalis per peccatum, illico caro surrexit aduersus spiritum. Et meritò quidem: æquum enim fuit, vt qui noluit Deo subiici, experiretur sibi carnem rebellem. Hæc D. Bernard. in sermone omnium sanctorum.

D. Bernard.

Tertia diffic. Vtrùm ita potentia quælibet merè naturalis subijceretur voluntati tunc, vt potentia V. g. generandi: vt esset in voluntate hominis marem, vel fœminam generare?

HÆc difficultas, & aliæ, quas Magister in littera huius distinctionis proponit, fuerunt suprà in hoc libro sparsim explicatæ. Tenet S. Tho. in 1. p. q. 99. art. 2. ad 2. partem affirmantem.

Quarta diffic. Vtrùm iustitia originalis fuerit donũ realiter à gratia gratum faciente distinctum?

S. Tho. 1. p. q. 95. art. 1.
Scot. vbi sup. in solu. ad 4.
Soto 1. lib. de nat. & grat. cap. 5.
Gen. 3.

DVæ sunt extremæ opiniones. Prima est S. Thom. affirmantis, esse idem realiter, Soto tenet cum illo primo lib. de nat. & gratia c. 5. Secunda, & opposita Scoti est.

CONCLVSIO.

Fuerunt dona realiter distincta. Et probatur primò ex parte effectus. Habent enim se sicut excedens, & excessus: vt supra dictum est. Et confirmatur Gen. 3. Quia hæc dona fuerũt realiter separata, & vnum post aliud. Nam Hena statim, amissa gratia per peccatum suum mortale, non cõtinuò amisit iustitiam originalẽ, quia non sensit carnis inobedientiam, eò quòd

eò quòd non amisit iustitiam originalem, donec peccauit Adam cui fuit data nomine totius naturæ. Dicit enim textus, dedisse viro, & apertos fuisse oculos eorum. Hanc opinionem Scoti sequitur Caiet. Et dicit non affirmasse S. Thom. hæc duo dona esse idem realiter, sed iustitiam originalem dependisse à gratia, sicut ramus à radice pendet. Amissa enim gratia per inobedientiam viri, statim caro concupiuit aduersus spiritum per amissionem iustitiæ dependentis à gratia.

Gen. 3.
Caiet. vbi. S. D. Thom.

Flores tractatus de peccato Originali.

TRactat Magister de peccato originali à distin. 30. vsquè 33. ad cuius plenissimam intelligentiam, lege Alexand. Alen. in 2. parte vbi de essentialibus illius disputat. q. 106. & alibi vt suo loco dicetur. Et S. Thom. 1. 2. q. 81. 2. & 3. S. Bona. Ricard. Durand. Scot. & alios super distinctiones positas. Castrum contra hæreses verbo peccatum. Petrar. cont. gentes. lib. 4. à cap. 5. vsque ad 58. Sotum lib. 1. de nat. & grat. à cap. 7. vsquè ad 14.

Magist. Sent. Distinct. XXX.

IN hac dist. disputat Magister de essentia lib. peccati originalis. Seruata methodo explicandarum quæstionum, quam Arist. 2. lib. post. cap. 1. tradidit, erit littera magistri perspicua, explanata sequenti quæstione.

Alex. Alen. q. 106. in 2. p. S. Th. q. 81. & 82. 1. 2. reliqui hac di. S. Bon. q. 1. & 2. art. 1. Scot. hac d. & 31. & 33. Dur. q. 2. Ric. & alij ibidem.

Quæst. vnica. De ijs, quæ ad essentiam peccati Originalis pertinent?

Absoluetur. q. hæc, aliquot difficultatibus explicatis?

Prima diffic. An sit peccatum Originale?

DOct. vbi suprà. Alex. Alen. m. 1. S. Thom. q. 81. art. 1. 2. & 3. S. Bon. & reliqui vbi sup. In hac difficultate certandum

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis est cum hæreticis Pelagio scilicet,& Iuliano,qui negabant esse peccatum Originale, de qua hæresi etiam Erasmum Roterodamum suspectum esse affirmat noster Castro, verbo peccatum, hæresi prima. Cui errori fauent etiam Armeni, & Albanenses,vt idem Castro ibidem scribit.

Castro. Hæresis Pelagij, Iuliani &c.

CONCLVSIO.

De cõsecrat. dist.4.can. firmissimè, & can. iam itaque 1.q.4.

Ita est fide tenendum esse originale peccatum: vt qui negauerit omnes descendentes ab Adam per concubitum maris, & fœminæ in originali culpa concipi, excepta sanctissima Dei genitrice Maria, sit hæreticus censendus. Hæc conclusio catholica innumeris sacræ scripturæ locis in medium adductis poterat demonstrari. Verùm quia breuitatem cum claritate coniunctam in nostris floribus profitemur, sit primus locus 3. Reg. 8. Non est homo, qui non peccet, & cùm paruuli sint homines,sicut viri,conuincitur illos aliquod peccatum habere.Et ad Roman.3.Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.Si omnes peccauerunt: ergo, & paruuli peccauerunt: non autem peccauerunt peccato actuali: quia ad vsum liberi arbitrij nondum peruenerunt,qui maximè exigitur: vt peccatum possit alicui imputari, ergo peccauerunt peccatum Originale: cùm non sit aliud peccatum, quo infici possint,nisi originale, aut actuale. Et quandò dicimus, paruuli peccauerunt, intellige originaliter: quia peccante Adam, omnes contraximus labem, & peccati maculam. Paruulus enim propriè non dicitur peccare (nam peccare est agere, vel potius deficere) sed contrahere peccatum, ideſt, simul trahit peccatum cum natura, & habet se mere passiuè. Sic enim viri doctissimi locum D. Pauli (omnes in Adam peccauerunt) interpretantur. Fuit hæc veritas definita in multis conciliis contra Pelagium congregatis Mileuit. Arausica. Aphrican. & tandem in Trident. sess. 5. can. 2. 3. & 4. Idem omnes patres à D. Petro vsquè ad nostram hanc ætatem docuerunt. Lege D. August. lib.1. & 2.contra Iulianum, & lib. 1. & 3. de peccatorum meritis, vbi multos patrum refert. Hoc etiam ecclesiæ vsus approbat, quæ ideò cum paruulis ad baptismum properat:vt ab originali abluantur. Ratione etiam hoc corroboratur: nam cum paruuli dolores sustineant,

Ad Rom. 3.

De actuali, & originali peccato de pœn.d.4. ferè per totum Soto vbi. 5. c. 9.

Ad Rom. c.5.

D. Aug.

neant,famem,& sitim patiantur, sæpissimè à dæmonibus vexentur,cõstat eos aliquod peccatum habuisse, propter quod, sic puniũtur. Alioquin iniustus esset Deus, qui prius aliquem puniret,quàm ille esset peccator. At cùm impium sit, crimen iniustitiæ Deo impingere,impium etiam erit,asserere pueros peccato carere. Quod cùm non possit esse actuale, vt modò diximus,erit Originale.

Hinc, vel lipis, & tonsoribus, quàm longè ab hæreticis præfatis veritas catholica de peccato originali sit, manifestissimè patet.

Secunda diffic. Quam ob causam dicitur hoc peccatum Originale?

CONCLVSIO.

psal.50.

Ad Ephes.2.

D. Aug. de nat. & grat. c.67.

Hugo de S. Victo.lib.1. de sacra.p.7. c.28.

D.Greg. lib. de peccato Orig.c.40.

Lib.1.cont. Iulia.c.4.

DIcitur tale peccatum Originale,quòd à sua cuiquè insit prima origine,ideſt,natiuitate.Hæc nominis etymologia primùm scripturis sacris maximè quadrat. Nam psalm.50.Legitur:Ecce in iniquitatibus,&c. Quod non Dauidi proprium:sed nobis omnibus est commune. Et B. Paul. ad Ephes.2. Eramus natura, ideſt, à natiuitate filij iræ: vt D. Augustin.declarat.Hæc etiam est communis priscorum, & neotericorum patrum sententia. Præsertim Hugonis de sancto Victore,lib.1.de sacram. qui ita inquit. Quæritur, quid sit Originale peccatum? Est corruptio, seu vitium, quod à parentibus contrahitur.Et in summa sententiarum tract.3.cap.12. videndum est, ait. Quare originale vocatur: quia, scilicet, ab origine trahitur. Et Magister eandem sententiam tuetur, & adducit Gregor. & isti omnes sequuti sunt veteres patres, vt D.Ambrosi.quem D.August.prolixè satis citat. Immò,& ipse August. nonnullos veteres allegat. Reticium quendam, & Olympium,qui hanc etymologiam comprobarunt.Præterea idem August.de pecca.me.& remiss.c.12.& 22.inquit. Nemo de hac re fallatur,sicut ab origine, id est, natiuitate, mortem trahimus:ita,& peccatum ab origine natiuitatis trahi credendum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæresis Pelagij, & Cœlestij.

Hinc error Pelagij, & Cœlestij ruit, qui cùm negare vellét originale peccatum, dixerunt, peccatum non nasci cum homine, & ante voluntatis vsum id solum esse in homine, quod Deus condidit. Quæ verba D. Aug. ipsissimam de peccato originali hæresim continere deputat. Eum lege lib. de pecca. origin. cap. 6. & 13.

Tertia diffic. Sunt ne variæ peccati Originalis nomenclaturæ.

CONCLVSIO.

Magistrũ lege hanc d. & Alex. Alen. vbi. §. m. 7. per totum.

SVnt, quia variis nominibus appellatur. Quam rem confirmo inductione. Primò dicitur fomes, qua voce propriè id, quo ignis foueturvt sunt ligna significatur. Vnde translata est vox hæc ad significandum id omne, quod incitat, & impellit: atquè ita peccati fomes est incitamentum ad peccandum, siue est id, quod in homine constitutum eum ad peccandum inuitat & impellit. Deinde dicitur etiam concupiscentia. Concupiscentia enim est, quæ ad peccandum

Iacob. 1.

incitat, vt B. Iacob. cap. 1. docet, dicens. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Appellatur quoquè lex membrorum, quòd eius tanquàm imperio membra subiiciantur, atquè moueantur: vt oculi ad impudicos

Ad Ro. 7.

aspectus, manus ad furta, & alia facinora, pedes ad currendum in effusionem sanguinis, lingua ad maledicendum, &c. Cæterùm B. Paul. cùm legem membrorum expressit, ad genitalia membra potissimum respexit, non quòd ista lex in illis tantùm sit, sed quòd in iis manifestissimè appareat, vel

Lege can. illud latum. §. itaq. 13. q. 1.

lut per quæ peccatum hoc propagetur, & in omnes transfundatur. Interdum verò langor nominatur: nam sicut qui ex ægritudine languet, est officiis perficiendis ineptus, vt ea præstare nequeat, si conetur, aut malè, & imperfectè ea exequatur: ita nos, qui peccati langore tenemur, sumus ad omne opus bonum reprobi, vel omninò, quod debemus, minimè præstamus: vel si damus operam, atquè vnius Dei cognitione iustitiam sectamur, id agimus perperam. Atquè hic

langor, non tam simili, quàm communi peccatis omnibus nomine ab Apostolo infirmitas nuncupatur. Tyrānus est etiam concupiscentia, cuius iniustitiam, & vim Paulus apostolus significat, cùm ait, ipsam captiuare se, ideſt, capere conari in legem peccati. Et cùm ait, se ab ea seductum, & occisum fuisse. Aliaquè in epistola ad Rom. similia de concupiscentia, seu tyrannica quadam persona loquitur, quæ partim fraude, partim vi, & iniusto imperio sibi hominem subiiciat, ab eaquè impel

Ad Rom. 7.

latur, & rapiatur ad ea, quæ illicita esse non ignorat. Quod illius voce expressum est, qui dixit. Video meliora, proboquè: sed deteriora sequor. Legem carnis, nempè, morbidi, & vitiosi illius affectum, quem nomine carnis scriptura significat, Paul. peccati legem, & mortis appellet. Tabes bonos humores exhaurit, vitiosos, & malos in corpore relinquit, vnde fit, vt sensim grauetur, & in semetipso cõtabescat, quod malum est, & in animo locum habet, dum virtutum, & gratiæ humore destitutus, velut arescit. Hac igitur tabe, cùm primus homo se effecisset, eam in posteros transmisit. Neque enim iam tabidus, & vitiatus alios potuit, quàm vitiatos, & tabidos de se gignere, & procreare.

Quarta diffic. Est ne peccatum Originale vnum? an plura?

CONCLVSIO I.

Alex. Alen. vbi supr. m. 8. S. Bo. dist. 33. art. 2. q. 2. S. Tho. q. 82. art. 2. & alij vbi supr. Ad Rom. 5.

PEccatum Originale est proprium nostrum ex parte subiecti. Et ratio est, quia, sicut paries est albus ab albedine sibi inexistente: ita ante baptismum sumus formaliter peccatores originali peccato. Ait enim B. Paul. ad Roman. 5. Regnauit mors ab Adam vsquè ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricantis Adæ, ideſt, actualiter ad imitationem Adæ. Peccauerunt tamen originaliter: vt paruuli. Et rursus in quo, scilicet, Adam, omnes peccauerunt. Hoc est, peccante illo, omnes labem, & peccati maculam, contraximus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Peccatum Originale est vnum, & multiplex. Vnum quidem in protoparente Adam, cuius primum peccatum dicitur nostrum, eò quòd demeritoriè fuit causa nostri peccati originalis. Est etiam multiplex: quia tot sunt peccata Originalia numero distincta, quot sunt homines. Et ratio est, quia peccatum originale est priuatio iustitiæ originalis: vt infrà in hac quæst. dicetur. Et priuationes distinguntur numero ad distinctionem subiectorum. Alia siquidem est cæcitas Petri, à cæcitate Pauli; quare tot erunt priuationes iustitiæ originalis, quot sunt homines priuati: atquè ita totidem erunt peccata originalia numero distincta. Tum etiam, si nati fuissemus cum iustitia originali, tot essent numero iustitiæ, quot essent homines: tot igitur sunt modò peccata. Propterea quòd priuationes ad multiplicationem habituum multiplicantur. Veritas Catholica harum duarum conclusionum est definita in concil. Trident. sess. 5. can. 3. vbi dicitur. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, vnicuiquè proprium, &c. Quod est intelligendum causaliter vnum, & formaliter multiplex, vnicuiquè proprium. Et confirmatur à simili: nam sicut causaliter, & meritoriè loquendo, hæc est vera; iustitia omnium Christianorum est vna, scilicet, iustitia Christi, qui factus est nobis iustitia, ideſt, fuit causa meritoria nostræ iustitiæ: formaliter tamè tot sunt iustitiæ numero distinctæ, quot sunt veri iusti: ita theologandum est de peccato originali, quòd est vnum causaliter, & demeritoriè, & formaliter multiplex.

Alex. Alen. vbi supra. m.2.art.1.

1.Cor.1.

Appen. *Error Alber. Pyghius cautè legendus.*

Hinc, cautissimè legendus erit Albertus Pyghius in lib. suo controuersiarum, controuersia prima, vir alioqui doctissimus, & catholicus, & maximus hæreticorum impugnator. Nam dixit, nos esse formaliter peccatores peccato Adæ: quod est valdè periculosum, & suffragatur hæreticis affirmantibus, nos esse formaliter iustos iustitia Christi. Sic enim argumentantur hæretici. Sumus formaliter peccatores primo peccato Adæ, vt docet catholicus Albertus: ergo sumus etiã formaliter iusti iustitia Christi. Nam primus Adam fuit forma futuri, scilicet, Christi. Et si primus Adam nocuit non solùm demeritoriè: verùm etiam formaliter, secundus etiam prodest nobis meritoriè, & formaliter: vt simus formaliter iustitia ipsius iusti, & ex consequenti omnes erunt æqualiter iusti, cùm sit vna numero omnium iustitia. Quod hæreticissimum esse constat ex conclusionibus positis, & ex dictis in art. de iustificatione, & in aliis locis huius secundi.

Ad Rom.5.

Quinta diffic. Est ne in omnibus peccatum Originale æqualiter?

Alex. Alen. vbi suprà.m. 9.art.1.2. & 3.

CVm constet esse in vnoquoquè proprium peccatum originale, quærendum est. An sit æqualiter in omnibus?

CONCLVSIO.

S.Tho. q.82. 1.2.art.4.

Est quidem in omnibus æqualiter. Et ratio est, quia peccatum Originale est priuatio iustitiæ originalis, & hæc priuatio est in omnibus æqualis. Nam ex omni parte tollit donum originalis iustitiæ, & est peccatum naturæ, quæ in omnibus est æqualis: & illi debetur æqualis pœna, quæ est carentia visionis diuinæ, teste B. Augustin. in Enchirid. cap. 93. & Innoc. cap. maiores de bapt. & eius effectu. Omnesquè in Adam æqualiter peccauimus: quoniam in eo omnes ex æquo eramus.

S. Bona. dist. 33. art. 2. q. 1. & alij vbi suprà.

D. Aug.

Sexta diffic. Est ne peccatum Originale culpa tantùm? vel pœna tãtùm? vel vtrũq;? vel neutrũ?

Alex. Alen. q.106. m.1. art.1.& 4.

MAlum est duplex culpæ, scilicet, & pœnæ. Primum est, quod est imputabile ad pœnam, vel est dignum pœna, vt furtum, blasphemia, &c. Et probatur per discrimen inter vtrumquè malum: quia si malum pœnæ non est peccatum, sed est purgatiuum peccati, cuius modi sunt damna inflicta à Deo in hac vita, & etiam æterna inferni pœna: malum profectò culpæ erit, cui respondet aliqua pœna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

Originale peccatum est proprijssimè culpa, siue malum culpæ. Et probatur. Malum culpæ, siue culpa, est, cui de facto imputatur aliqua pœna, sed pueri discedentes cum solo originali, puniuntur pœna eterna damni, vt infrà dicetur, & colligitur Ioan. 5. Nisi quis renatus fuerit, &c. Ergo verè, & proprijssimè est culpa, siue malum culpæ. Hæc est contra omnes hæreticos negantes originale peccatum. Et confirmatur psalm. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Si enim Originale verè culpa non esset, falsum planè esset dicere, hominem in iniquitatibus esse conceptum. Et ad Ephesi. 2. Eramus natura filij iræ, ideſt, per naturalem propagationem eramus ira Dei digni. Hoc est, vindicta, & pœna damni, propter culpam originalem. Quæ si realiter non esset culpa, non responderet ei ira, scilicet, punitio.

Ioan. 5.

Psal. 50.

Ad Ephe. 2.

Septima diffic. Peccatum Originale est ne voluntarium?

Alex. Alen. vbi. §. m. 2. art. 2.

RAtio, quæ mouet hanc difficultatem, est: quia D. Augst. docet lib. de vera religio, cap. 14. de essentia peccati esse, quòd sit voluntarium. Et cùm paruuli, ante vsum rationis, non habeant voluntatis actum, videtur Originale in illis non esse culpa, vel peccatum.

D. Aug.

1. Nota.

Voluntarium est duplex, in se, vel in sua causa. In se; vt qui vult furtum. In sua causa, vt homicidium commissum ab existente in ebrietate: quia ebrietas, quæ est causa homicidij, fuit volita in se. Quod est verum communiter in illo, qui actualiter peccat. In pueris autem Originale dicitur voluntarium in sua causa: non quia causa, nempe, Adæ peccatum sit volitum ab ipsis paruulis; sed quòd ipsa causa peccati Originalis Adam, scilicet, peccauit volens, & eius primum peccatum, quod fuit causa nostri Originalis, fuit voluntarium.

2. Nota.

Peccatum omne vel est personæ, vel naturæ. Primum est,

est, pet quod sola persona committens manet illius peccati rea, eò quòd sola amittit donum personale, scilicet, gratiam habitualem, & Dei amicitiam. Secundum autem est, per quod tota natura manet illius peccati rea: quia per illud amittitur aliquod donum toti naturæ, & singulis indiuiduis conferendum.

Append. 1.

Hinc, peccatum Adæ dicitur non solùm peccatum personæ: verùm etiam naturæ. Nam, propter ipsius primum peccatum, singula naturæ humanæ indiuidua nascuntur expoliata iustitia originali, quæ ex lege, si Adam non peccasset, erat singulis hominibus conferenda.

CONCLVSIO.

Fuit profectò voluntarium. Et ratio est; quia fuit volitum voluntate primi parentis, aut voluntate naturæ. Hæc est Alexand. Alen. Et probatur ex notabilibus positis. Et confirmatur per discrimen inter peccatum personæ, & naturæ. Peccatum enim personæ requirit: vt sit vel in se, vel in sua causa volitum: vt ebrietas ab ebrio fuit volita in se, & homicidium, quod iam ebrius effectus commisit, fuit volitum in sua causa, nempè, in ebrietate. Atuerò ad peccatum naturæ, vt est Originale peccatum, non est necessarium, vt habens peccatum, voluerit causam: quia satis est, vt causa peccati fuerit volita ab ipso capite naturæ, nempè, ab ipso Adam. Et ratio est; quia in ipso erat tota natura, atquè ita voluntas illius, voluntas totius naturæ censetur.

Hinc, Originale peccatum est alicuius legis transgressio. Nam vbi non est lex, nec est peccatum, nec præuaricatio.

Append. 2. *Ad Rom. 4.*

Hinc, cùm non fuerit voluntarium in se; sed in sua causa, non erit alterius legis transgressio, quàm illius, cuius fuit sua causa transgressio. Quod restatur D. Aug. loquens enim de ebrietate Loth; ita. Non est culpandus Loth, quantum ille incestus: sed quantum ebrietas meruit. Vides, quomodo incestus Loth fuit solùm modò ebrietatis peccatum: quia non fuit volitum in se: sed tantùm in sua causa, nempè, in ebrietate. Et ratione confirmatur: quia peccatum tantum

Append. 3. *D. Aug.*

habet

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet malitiæ, quantum habet voluntatis; & cùm voluntarium in sua causa nihil habeat voluntatis in se, præter voluntatem causæ, nihil amplius habebit malitiæ. Vnde Originale nostrum erit transgressio præcepti impositi Adæ.

Appen.4.

Hinc, multa peccata Originalia non sunt Deo magis exosa, quàm vnicum Adæ peccatum, quod intellige intensiuè. Et ideò quàmuis multiplicentur originàlia, non magis offenditur Deus in multis, quàm in vnico actuali Adæ, quod fuit voluntarium in se. Tota enim offensa fuit in primo actuali Adæ, quod in nobis in esse permanenti manet; vt in vltima difficultate huius quæst. dicetur. Et confirmatur à simili: quèadmodum enim, si quis, post ebrietatem, committat sexcenta peccata, non magis offenditur Deus, quàm per vnum peccatum, scilicet, per solam ebrietatem, quæ sola fuit voluntaria: ita etiam in casu posito.

Alex. Alen. vbi.3.m.5.

Octaua diffic. Fuit ne in Adam Originale peccatum?

Hugo de S. Victo. lib. 1. de sacram. c. 26. part. 7.

HVgo de S. Victore bifariam accipit nomen Originale. Vno modo actiuè, quatenus significat peccatum, quod est causa, & origo cæterorum, quomodo peccatum actuale Adæ est primum peccatum Originale. Altero modo passiuè, quatenus id, quod ab alio originem ducit, significat, in qua significatione accipitur in hoc tractatu peccatum Originale: quem sequutus Albertus eandem diuisionem constituit, licet, crassioribus verbis dicens, esse duplex, scilicet, Originale originans, & Originale originatum. Neque enim refert, teste D. August. quibus modis voces accipiantur, modò res ipsas teneamus.

D. Aug. epi. 28. ad D. Hierony. & epist. 174. ad Pascentium.

CONCLVSIO.

Peccatum Originale propriè sumptum in primo parente non fuit. Et ratio est; quia Originale peccatum propriè est ab alio transfusum, & hæreditarium, quod cõfirmat nominis etymologia Originalis peccati. Et cui non debetur pœna

pœna sensus, vt in cap. maiores de baptism. definitur: at verò Adæ peccatum non est transfusum, & illi pœna sensus debebatur. Hæc est etiam sententia Scoti vbi suprà notabili, quò ad primum.

Scoti est.

CONCLVSIO II.

Peccatum Adæ impropriè potest dici Originale. Constat ex diuisione Hugonis posita: nam fuit causa, origo, & radix cæterorum. Atquè ita erit originale originans: vt Albertus illud nominauit. Et hoc pacto est vera Caiet. opinio affirmantis posse dici originale.

Caiet. 1. 2. q. 83. art. 1.

Vltima diffic. Quidnam est peccatum originale?

Alex. Alen. m. 2. vbi suprà art. 3. S. Tho. q. 82. art. 1. S. Bona. hac dist. art. 2. q. 1. & 2. Scot. 3. & Durand. q. 3. 1. Animad.

QVid Originale peccatum sit definitione explicare, hoc opus, hic labor est. De hac enim re verè dici potest, quot capita, tot definitiones. Et quoniam ex multis definitionibus, quæ à variis variè traduntur, quædam sunt, vt non bonæ reiiciendæ: aliæ verò tanquàm ineptissimæ in exilium relegandæ, operę pretium duxi, primò bonam, & rectam definitionem inuestigare, & inuestigatam proponere. Deinde reliquas enumerare, & vna, vel altera ratione confutare. Cognito enim vero, falsum illi oppositum facilè dignoscitur. Et rectum iudex sui, & obliqui esse dicitur. Priùs tamen animaduerte, quæ sequuntur.

Peccatum actuale bifariam accipitur. Vel pro materiali, & est ipse actus in genere naturæ, & entis: vt volitio furandi. Vel pro formali, & est priuatio obedientiæ, & subiectionis erga Deum, & conformitatis voluntatis cum recta ratione dictante oppositum. Quæ priuatio à Theologis variis nominibus appellatur. Nam dicitur deordinatio: quia nõ seruatur rectus ordo, qui est: vt creatura creatori subiiciatur. Vocatur, & obliquitas, siue deuiatio: eò quòd homo non recto tramite in Deũ per viam mandatorum decalogi incedat. Nominatur, & auersio: propterea quòd, homo non placet Deo, & ab obedientia, & subiectione ipsius recedit.

Pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Animad. Peccatum pro formali est duplex. Nam, vel consideratur in esse actuali, vel in esse permanenti, siue quieto, aut per modum habitus, postquàm factum est. Illustro rem exemplo. Quando homo blasphemat, dicitur peccare actualiter pro formali: quia actu non obedit Deo: transeunte autem blasphemia, & eius complacentia absquè proposito blasphemandi, antequàm Deo satisfaciat virtute obedientiæ, & pœnitentiæ, non dicitur peccare, vel non obedire actualiter: quia iam ille actus præteriit, sed dicitur manere in peccato, scilicet, in priuatione subiectionis ad Deum: peccare autem est non obedire. Et ratio est, quia peccare, & transeunte actu, in peccato esse, se habēt sicut motus, & eius terminus. Et quemadmodum eiusdem rationis sunt motus, & terminus, vt calefieri, & acquirere calorem, & calidum esse, & permanere in calore: ita etiam se habent pro formali non obedire, & in peccato esse, nam in peccato esse est in ipsa inobedientia permanere.

Arist. 5. Physic.

3. Animad. Dicitur aliquis in peccato permanere dupliciter. Vel quàm diu complacet illi peccatum commisisse. Vel dato, quòd non complaceat, nequè displiceat, quàm diu non satisfacit Deo pro peccato. Patet exemplo inter homines: tamdiu enim dicetur aliquis permanere in iniuria proximo irrogata, quàmdiu illi non satisfacit.

Append. 1. Hinc, dicitur peccatum commissum manere per modum habitus, & non per modum actus. Et ratio est, quia actus iam præteriit, & quia sicut habitus generatur ex actibus, & est difficulter mobilis à subiecto, & inclinat ad similes actus: ita peccatum in esse permanenti prouenit ex peccato actuali, & difficulter remouetur: quia non naturaliter, sed supernaturaliter, virtute pœnitentiæ aufertur. Et inclinat etiam ad malum, iuxta illud commune dictum B. Gregor. super Ezechiel. Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere in aliud trahit.

D. Greg.

Appen. 2. Hinc, transeunte actu peccati, manet culpa esse permanenti: quia homo manet inobediens, vt diximus, & permanet reatus, vel obligatio ad gehennam. Manet insuper macula, scilicet, priuatio gratiæ, & amicitiæ in Deum.

Primum

4. Animad. Primum Adæ peccatum: vt erat naturæ peccatum, fuit priuatio subiectionis ad Deum, quatenus hæc priuatio opponebatur non gratiæ habituali, sed iustitiæ originali. Et ratio huius animaduersionis à definitione peccati naturæ est: quia peccatum naturæ est, per quod tota natura manet rea, & aliquo dono supernaturali priuata: & per peccatum Adæ mansit tota natura in singulis individuis iustitia originali priuata, prout priuatio opponitur habitui.

Append. 2. Hinc, cùm iustitia originalis duplicem haberet dignitatem, vnam subiicere animam Deo, ita, quod iustitia inexistente, non poterat anima recedere à Deo, in quo gratiam gratum facientem superabat alteram subiicere sensitiuam rationi, primum Adæ peccatum fuit formaliter priuatio iustitiæ originalis, quòd ad primam dignitatem. Et ratio est, quia primum hominis peccatum fuit pro formali priuatio subiectionis ad Deum, & priuatio iustitiæ originalis quòd ad eius primam excellentiam, fuit priuatio subiectionis ad Deum, quare talis priuatio iustitiæ fuit primum hominis peccatum. Consequentia patet à definitione ad definitum. Vnde etiam infertur priuationem obedientiæ sensitiuæ ad rationem non esse culpam, sed pœnam ipsius inobedientiæ ad Deum.

5. Animad. Peccatum Adæ fuit olim illi remissum, quatenus peccatū personæ: non autem quatenus fuit peccatum totius naturæ propagandæ. Hoc enim modo non dimittitur in singulis individuis: propterea quòd in singulis contrahitur. Et ratio est, quia natura communicatur priuata subiectione ad Deum, & transit simul peccatum cum ipsa natura, quàmuis in progenitoribus dimissum: quemadmodū de facto dimittitur Originale parentibus Christianis per baptismum, & nihilominus eorum filij nascuntur in peccato Originali, eò quòd natura communicatur illis tali subiectione priuata. Vnde propter defectum iustitiæ originalis, pronior est ad respondendum appetitui sensitiuo, quàm rationi.

6. Animad. Omnia individua naturæ humanæ, vsquè ad finem mundi generanda, virtualiter in Adam continebantur. Et ratio est, à definitione continentiæ virtualis: est enim posse producere, siue immediatè, vt patet in eis homines producit filium,

filium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lium, aut mediatè, vt auus producit nepotem, mediante filio. Et cùm omnia individua naturæ humanæ descendant ab Adam, mediantibus pluribus generationibus, omnia procul dubio in illo continebantur.

Append.1. Ex animaduersionibus positis, & ex supradictis sequitur primò, peccatum originale nostrum non esse peccatum actuale Adæ ineſſe actuali. Et ratio est, quia illud habuit esse in fieri, & desiit esse, transeunte actu. Secundò: quia peccatum pro materiali actuale, cui ineſt formale, est accidens inhærens voluntati, & est actus interior voluntatis, vt fuit in Adam illa manducatio pomi vetiti. Et cùm accidens non possit migrare à subiecto in subiectum, actuale illius non erit originale nostrum.

Appen.2. Hinc, etiam colligitur, peccatum originale nostrum esse verè, & propriè peccatum Adæ ineſſe permanenti, & per modum habitus transmissum ad nos per propagationem. Et vt appendix hæc clariùs percipiatur, nota ordinem peccati Adæ, & nostri. Adam non obediuit Deo comedendo pomum vetitum: ex tibi actualem priuationem subiectionis Adæ ad Deum. Hæc autem priuatio subiectionis illius, quæ verè habet rationem culpæ, adhuc manet in nobis, non ob aliud, nisi quia propter illius transgressionem amisimus iustitiam originalem, per quam voluntas nostra Deo subiiceretur. Et essemus proniores ad obediendum Deo, quàm carni, cuius oppositum in nobis experimur. Atquè ita per modum habitus dicitur illius culpa in nobis manere. *Scot.* Hæc doctrina est Scoti dist 32.q.vnica, notabili, quantum ad secundũ soluitur prima. q. in fine cuius notabilis hæc scribit verba. Originale peccatum magis comparatur peccato, quasi quiescenti in anima, post actum transeuntem, quàm comparatur peccato actuali, quod elicitur ab ipsa voluntate peccante. Vbi apertissimè insinuat Originale peccatum non esse actuale: sed permanens in esse quiescenti, instar habitus. *Soto.* Eiusdem opinionis est Soto lib. 1. de natura, & gratia, cap. 9. Et probatur ex notabilibus positis. Peccatum ineſſe permanenti est peccatum olim commissum, & nondum dimissum, quicquid illud sit, siue reatus, ideſt, obligatio ad pœnã, siue

siue offensa secundum S. Thom. nihil moror: sed primum peccatum Adæ, quatenus transgressio, non dimittitur in paruulis ante baptismum, ergo permanet in paruulis. Deinde quòd Originale nostrum, quatenus est priuatio iustitiæ originalis, dicatur etiam primum peccatum Adæ ineſſe permanẽti. Probatur, quoniam peccatum ineſſe permanenti alio modo est priuatio gratiæ, & iustitiæ, quæ sequitur ex peccato actuali commissò, & manet priuatio, antequàm dimittatur tale peccatum, sed priuatio iustitiæ originalis in nobis sequuta fuit ex primo peccato Adæ: ergo talis priuatio est ipsum primum peccatum Adæ ineſſe permanenti. Et non ob aliud, nisi quia est precisus peccati actualis Adæ effectus. His ita constitutis, quæ maximè ad naturam peccati originalis intelligendam erunt tibi adiumento, restat: vt rectam, & optimam peccati originalis definitionem proponamus.

CONCLVSIO.

Peccati originalis perfecta definitio. D. Anſelm. de concept. virg. c. 27.

Peccatum Originale est priuatio iustitiæ originalis debitæ, quæ accepta fuit in primo parente, & ab ipso amissa. Hæc definitio est B. Anselm. quam omnes doctores communiter amplectuntur, vt Ricar. & Scot. & S. Thom. præsenti dist. & 1. 2. q. 82. art. 1. Et quamuis D. Thom. non addat illam particulam debitæ: est tamen addenda. Et probatur primum, quia sicut actuale peccatum est carentia iustitiæ actualis, quæ deberet voluntati ineſſe, vt volitio futuri est carentia iustitiæ, scilicet, obedientiæ, quæ Deo deberur: ita etiam, & peccatum Originale erit carentia originalis iustitiæ, quæ debebat ineſſe. Quale enim fuerit peccatum talis erit carentia iustitiæ: quoniam omne peccatum carentia iustitiæ debitæ est. Hæc ratio est D. Anselmi. Secundò ex animaduersionibus positis confirmatur: quia Originale peccatum nostrum est peccatum Adæ ineſſe permanenti, & cùm peccatum illius fuerit formaliter priuatio iustitiæ originalis, quatenus fuit peccatum naturæ, erit, & nostrum similiter pro formali priuatio eiusdem iustitiæ ineſſe permanenti. Iam aggrediamur oportet enumerationem, & confutationem aliquarum definitionum ex multis quæ à doctoribus afferuntur.

Peccatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Definitio Magistri hac dist.

Peccatum Originale est concupiscentia carnis, hoc est, inclinatio appetitus sensitiui immoderatè, & contra rationem appetentis delectari circa proprium obiectum: vt immoderatus appetitus oculorum delectandi se circa pulchrum visibile. Et hæc concupiscentia non est actus concupiscendi sed vocatur concupiscibilitas, idest, promptitudo, & facilitas delectandi contra rationem, quæ alio nomine Tyrannus, &c. nominatur: vt habes in difficultate de nomenclatura peccati Originalis. Hæc autem definitio est nulla: quia concupiscentia in Adam non fuit peccatum: sed effectus peccati, & concupiscentia carnis in illo, & in nobis eiusdē nationis est. Tum etiam, quia in iustificatis manet carnis cōcupiscentia, & non peccatum Originale: quare non erit carnis concupiscentia. Est etiam condemnata hæc definitio in concil. Trid. sess. 5. can. 5. vbi anathemate feriuntur asserentes concupiscentiam esse verè, & propriè peccatum. Sed dicitur peccatum: quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

Hæresis Lutheranorum.

Ad Rom. 7.

Roffensis ar. 2. contra Luther.

Hinc, conturbatur hæresis Lutheranorum affirmantium, negare carnis concupiscentiam esse peccatum; esse, negare Christum, & Paulum, qui ait. Concupiscentiam nescieba, nisi lex diceret. Non concupisces. In quem errorem Roffensis copiosè disputat. Lege ibidem expositionem D. Augustini quem lutherani impudentissimè in suum errorem allegant.

Magister liberatur.

Est autem liberandus Magister modò: nam Soto, & alij Thomistæ falsò illi imponunt, quòd affirmauerit, peccatum Originale esse concupiscentiam non in carne: sed in anima; & esse quandam qualitatem morbidam in anima existentē. Quod neque in hac dist. neque in tribus sequentibus somniauit. Nā cap. 8. huius dist. ita ait. His datur intelligi, quid sit Originale peccatum, scilicet, vitium concupiscentiæ. Hęc Magister. Vbi apertè docet, peccatum originale esse ipsam inordinatam inclinationē sensus circa proprium obiectum. Opinio autem, quæ falsò Magistro imponitur, Caiet. potiùs (vt statim dicemus) est.

Ar. 1. q. 82. 1. 2.

2. Definitio.

Peccatum Originale est quædam qualitas positiua animæ inexistens & ægritudo, & langor naturæ, pestiuè originali iustitiæ contrarius. Hæc definitio est Caiet. & ante illum fuit Greg.

Greg. Arim. & Gabrielis. Explicant autem suam opinionem hoc modo, nempe, Adam genuit in sua carne quandam, qualitatem ratione inobedientiæ, quam per generationem, & seminis infusionem transmisit in filios, & ipsi in posteros, & ita vsque ad finem mundi. Et caro illa morbida qualitate infecta generat in anima quandam spiritualem qualitatem, per quam voluntas inclinatur ad condelectandum appetitui contra rectam rationem, quæ qualitas appellatur peccatum originale: eò quòd transmittitur per originem, & est ægritudo naturæ. Hæc opinio videtur falsa. Et ratio est, quia si in carne nostra ex cæteris peccatis actualibus, quæ frequentissimè committuntur, non generatur aliqua qualitas morbida, neque ex peccato Adæ. Quoniam illud peccatum fuit eiusdem rationis cum aliis: immò minùs graue, quàm alia peccata, vt suprà dictum est. Tum etiam, quia nihil substantiæ Adæ modò manet, nec in proximis eius filiis mansit. Quare nequè manet aliqua qualitas corporea, quæ in anima aliquam qualitatem spiritualem generet. Destructo namquè subiecto, pereunt eius accidentia.

Greg. Arim. q. 1. & Gabr. q. 2. huius dist.

Peccatum originale est amor terrenorum, idest, honorum, diuitiarum, &c. Hanc definitionem eius autores colligunt ex illo. 1. Ioan. 2. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, &c. Hæc definitio non est bona. Et ratio est, quia si amor sumatur pro actuali concupiscentia eorum, quæ sunt in mundo, peccatum actuale, & non originale est. Nam originale peccatum, cùm sit in paruulis, nullatenus actus voluntatis est. Si verò pro aptitudine, multò minùs erit peccatum originale. Siquidem in renatis post remissionem originalis, permanet.

3. definitio.

1. Ioan. 2.

Pecca. origin. est inimicitia cum Deo. Nequè hæc præstat. Et ratio est, quia non potest esse inimicitia Dei aduersus hominem: nam tunc in Deo esset peccatum. Deus enim dum odit peccatores, non peccat: quia Deum odio habere peccatores, est velle eos punire: quæ quidem volitiò est actus iustitiæ punitiuæ, & nullo modo peccatum. Nequè potest esse inimicitia hominis aduersus Deum: quoniam paruuli ante rationis vsum, habēt peccatū orig. donec per baptismū delea-

4. definitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deleatur:actum tamen inimicitiæ habere haud possunt.

5.definit. Pecca. origin. est originalis iustitiæ priuatio. Neque hæc definitio valet. Et ratio est: quia cùm priuatio iustitiæ originalis in Adam non fuerit peccatum, sed effectus peccati, neque erit in nobis peccatum. Tum etiam, quia in paruulis baptizatis non manet peccatum originale, vt fides docet: & tamen permanet iustitiæ originalis priuatio.

6.definit. Pecca. origin. est reatus, idest, oblatio ad pœnam damni, quæ manet ante baptismum in illis, qui ex Adam originem trahunt. Hanc definitionem reijcit Magister, & merito.

7.definit. S.Thom. Soto. Pecca.origin. materialiter est concupiscentia carnis: formaliter verò est defectus originalis iustitiæ. Hæc est S. Tho. 1.2.q.82.art.3. in fine corporis artic. eam explicat Soto. lib. 1. de nat.& grat.cap. 8. &. 9. dicens, concupiscentiam vocari à D. Tho. materiale originalis peccati: eò quòd sit primus effectus priuationis iustitiæ originalis. Sed expositio ista non ad modum placet. Et ratio est; quia Adam non habuit peccatum originale. Non enim traxit illud per originalem propagationem: & tamen habuit concupiscentiam inclinantem ad immoderatam delectationem. Quare concupiscentia non est primus effectus peccati originalis. Secundò, quia si homo crearetur in puris naturalibus, nihilominus haberet concupiscentiam naturali appetitui rebellem. Tertiò, quia primus, & præcipuus effectus peccati originalis est potentia passiua moriendi, iuxta illud *Gen.2.* In quocunquè enim die comederis ex eo, morte morieris. Dicitur in definitione, formale peccati originalis esse priuationem iustitiæ originalis, cùm sit potius eius effectus, qui non est peccatum. Nam sicut priuatio gratiæ non est actuale peccatum, sed eius effectus: ita neque priuatio iustitiæ originalis erit originale peccatū, sed eius effectus.

8.definit. Albertus Pyghius. Pecca. Origin. est primum Adæ peccatum, nobis imputatum, à quo denominatione extrinseca dicimur peccatores. Albertus Pyghius est autor huius definitionis, cuius sententiam supra in hac quæst. refutauimus, & in perpetuum exilium relegandam duximus.

Pecca.

9. definitio. Cornelij Agrippæ. Hæresis. Peccat.orig.fuit luxurię peccatum. Hæc conclusio est Cornelij Agrippæ in quodam opusculo de peccato originali, & est hæretica sententia hæc, Nam est contra text. Gen. 3. Vbi enarrando scriptura modum tentationis, & peccatum Adæ, dicit, fuisse esum ligni vetiti scientiæ boni, & mali. Deinde quia hæresis est affirmare, naturalem inter primos parentes congressum fuisse peccatum quando dixit Deus. Crescite, & multiplicamini. Tandem est contra communem omnium sanctorum consensum, qui omnes ad vnum fatentur, illud peccatum fuisse inobedientię, & esum ligni vetiti: sed sit satis iam de hac difficultate disseruisse.

Gen.3. Gen.1.

DVB. Quomodo iustitia Originalis dicitur debita? *Scot.vbi sup.*

HOc dubium mouetur propter particulam debitæ, quæ in definitione B. Anselmi, quam libentissimè amplectimur, posita est. Et ratio dubitandi est: quia illius dicimur esse debitores, cuius habemus præceptum, & Adam non habuit præceptum conseruandi iustitiam originalem, nec paruuli tali præcepto obligari possunt, cùm talem iustitiam non acceperint: quin potius illa priuati nascantur.

1.Nota. Bifariam dicitur aliquid esse debitum. Primò, quia est sub præcepto: vt dilectio Dei, & contritio post peccatum. Secundò ratione beneficij, non quòd habeamus præceptum de illo conseruando: sed quia propter acceptum beneficium debemus benefactori omne obsequium in retributionem beneficij accepti. Quo quidem modo sumus post baptismum gratiæ acceptæ debitores: quia propter gratiam acceptam debemus Deo omne obsequium in tanti doni retributionem.

2.Nota. Licet Deus de facto donum iustitiæ originalis Adæ contulerit: voluntate tamen antecedenti omnibus eius posteris illam dedit, hoc est, quantùm fuit ex parte Dei paratus erat illam singulis Adæ posteris conferre, si Adam iustitiam ipsam non amisisset.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima Propositio.

Singuli Adæ posteri sunt debitores iustitiæ originalis voluntate antecedente Die acceptæ ad hunc sensum, quòd tenentur in retributionem tanti beneficij & Deo subijci, & omne obsequium offerre, eò quod Deus, si per Adam non stetisset, paratissimus erat illis iustitiam originalem dare. Probatur propositio à simili in humanis: quemdamodum, si rex Ioanni, & eius posteris ciuitatem cõtulisset, quapropter suã in regem proditionem priuatus posteà fuisset: tunc Ioannis descendẽtes essent regi tãti beneficij debitores, eò quòd, quãtùm ex parte regis fuit, eam illis dedit, & de facto ciuitatem accepissent, si per suum patrem non stetisset: ita in casu posito est theologandum.

Append.1. Hinc, dicimur filij Adæ illam amisisse: quia in nostro capite illam amisimus. Cuius actuale peccatum; vt supra in hac q. dictum est, per modum habitus in nobis permanet.

Append.2. Hinc, etiam ab eo, qui in puris naturalibus nasceretur, distinguimur: quia iste non accepisset iustitiam originalem voluntate antecedente Dei. Nunquàm enim fuit sibi promissa, sicut nobis (vt ex dictis constat) fuit promissa, & fuisset, si per Adam non stetisset, concessa. Propter quam promissionem debemus Deo omnem obedientiam, & subiectionẽ, & obsequium. Et hæc sine magno malo, & tẽporali, & æterno, si non resipiscimus, minimè præstamus. Vtinam resipiscamus, & vitam in meliùs semper commutemus.

Magist. Sent. Distinct. XXXI.

IN hac dist. Magister tractat, quomodò peccatum originale in posteros per generationem transeat. Comprehenduntur, quæ præcipua sunt, duabus conclusionibus. Prima est. Originale non transit: vt quidam existimant, à parente in prolem, eò quòd anima prolis ex anima patris priuata iustitia originali nascatur. Et ratio est; quia anima non generatur ex traduce, hoc est, per traductionem carnis, & seminationem;

nationem, sed tantùm modò creatur à Deo. Secunda conclusio. Ratio, ob quam transit originale peccatum cum ipsa natura, est: quia tempore, quo parentes copulantur, intercenit in ipsa copula, vitiosa, atquè immoderata concupiscentia libidinosa, nempè, delectatio. Quam probat autoritate D. August. de fide ad Petrum. Absoluetur distinct. hæc, duabus quæstionibus explicatis.

Quæst. I. De traductione, siue contractione peccati Originalis.

FInis quæstioni imponetur, aliquot difficultatibus enucleatis. *Alex. Alen. q. 106. m. 3. & 4.*

Prima diffic. Vtrùm peccatum parentis in posteros transeat? *S. Tho. 1. 2. q. 81. S. Bona.*

HÆc difficultas iam quæst. præcedenti, & præcipuè in prima difficultate fuit exposita. *Scot. Durand. Ricard. & alij hæc dist.*

Secunda diffic. Est ne generatio medium, quo peccatum primi parentis in posteros traducitur?

ESse peccatum per originalem propagationem traductũ ratione naturali contiare non posset, nisi Deus hoc reuelasset: quemadmodum ex variis locis sacræ scripturæ reuelatum fuisse colligitur. Lege difficultatem primam proximæ quæstionis, vbi definitum est, de fide tenendum esse, fuisse reuelatum. Declarare causam, & modum, quo traducitur, difficile est explicatu. Est tamen hoc excutiendum, propter hæreticos: nam ad catholicos magis spectat remedium contra originale citò adhibere, quàm modum, quo contrahitur, quærere. *Doct. vbi. 5.*

Variæ sunt circa hanc difficultatẽ opiniones. Prima posita est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est in prima conclusione litteræ Magistri, quæ est erronea. Quia anima filij non producitur ab homine, sed creatur à Deo. Huius autem erroris autor fuit Tertullianus, vt D. Aug. docet in lib. de hæresibus, ad quod vult Deum c. 86. in quem errorem disputat Castro. Contra hæreses verbo animæ hæresi 5. Secunda opinio, vt refert S. Thom. tenet, culpam traduci in prolem, etiam si anima non traducatur: propterea q; corporis defectus traducitur à parente in prolem. Leprosus enim generat leprosum. Hanc, & primam refutat S. Thom. vbi supra. Tertia opinio est Henrici de Gandauo, qui inter alia affirmat, quòd voluntas Adæ genuit in carne sua quandam qualitatem morbidam, scilicet, peccati fomitem, inclinantem voluntatem ad concelectandum inhonestè appetitui sensitiuo. Contra hanc opinionem argumentatur Scot. vbi sup. In primis enim talis propositio est falsa. Nam homo in puris naturalibus haberet in carne sua fomitem peccati, & non efficeretur à voluntate peccante: siquidem absque voluntate carni inesset. Quarta opinio est D. August. quæ continetur in secunda conclusione litteræ Magistri. Lege Scotum. qui D. Aug. interpretatur. Sed prius ad pleniorem intelligentiam animaduerte sequentia.

Hæresis Tertulliani. *D. Aug.* *Castro.* *S. Bona. vbi.* *S. art. 1. q. 1.* *S. Tho. q. 81. art. 1.* *Scot.* *Henricus.*

1. *Animad.* Iustitiam originalem datam fuisse Adæ, & in posteros si non peccasset, fuisse traducendam: est de fide: vt supra fuit explicatum, licet in scriptura sacra expressè non contineatur. Et ratio est, quia vtrũque per necessariam consequentiam ex ijs, quæ in sacra scriptura traduntur, colligitur. Nam Eccles. 17. legitur. Deus creauit de terra hominem. Et paulò post. Et secundum se vestiuit illum virtute, id est, originali virtute, prout frequenter exponitur. Tumetiam, quia per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per illud fuerunt priuati descendentes Adæ aliquo dono supernaturali, quatenus peccatum naturæ erat: ergo si non peccasset, tale donum ad omnes posteros traductum fuisset.

2. *Animad.* Vnus, vt sit alterius naturalis filius, requiritur: vt pater habeat se actiuè, mediante generatione, per rationem seminalem: quæ quidem seminalis ratio est virtus actiua semini inexistens, cõcurrens ad formationem corporis organici, vel saltem

saltem ad trãsmutationes præuias, antequàm corpus organi cum producatur, scilicet, quando ex semine, quod in vtero sex primis à conceptu diebus lacti simile existit, sanguis nouem proximis diebus generatur. Duodecim deinde alijs in carnem conuertitur: posteà embryon producitur, quod est fœtus in vtero conceptus, antequàm lineamenta suæ speciei accipiat, quod ferè solet accidere circa quadragesimum secundum à conceptu diem, &c.

Append. 1. Hinc Heuæ, quàmuis fuit formata ex substantia Adæ, ideſt, ex eius costa, non fuit pater Adam: quia in eius productione nullam habuit actiuitatem. Constat enim nullam habuit seminis virtutem.

Append. 2. Hinc, si dæmon deferret semen Petri ad viscera alicuius fœminæ, ex quo generaretur aliquis, ille esset filius Petri: quia descenderet à Petro per rationem seminalem, per quam Petrus in illa generatione actiuè se haberet.

Appen. 3. Hinc de ratione patris naturalis est, vt concurrat actiuè ad generationem prolis, quæ actiuitas est in semine deciso ab ipso patre, atquè post mortem dicitur pater, mediante seminis virtute generare posthumos.

Appen. 4. Hinc generatio naturalis hominis est eius productio passiua, non per aliam virtutem, quàm per rationem seminalem. Quæ ratio seminalis non est ipsum semen, sed virtus actiua semini (vt diximus) inexistens.

Appen. 5. Hinc Christus, quatenus homo, non fuit filius naturalis Adæ: quia, vt Scot. docet, de ratione filiationis naturalis est: vt ratio seminalis sit virtus actiua totalis, & ad generationem Christi concurrit olim virtus Virginis sanctissimæ, & eius substantia, quæ nõ fuit virtus actiua totalis. Fuit enim Christus conceptus virtute spiritus sancti. Atque ita nõ fuit filius naturalis Adæ. Lege eundem Scotum dist. 3. lib. 3. *Scot. in 3. d. 4. ad argum. pro, ideſt, opinione.*

Appen. 6. *Ad Rom. 5.* Hinc, Christus de lege non contraxit originale: quia non fuit filius naturalis Adæ, & lex, in quo omnes peccauerunt, solos filios naturales comprehendit (dempta Virgine sanctissima) qui per rationem seminalem descendunt: Christus verò: vt ex dictis constat, solùm per corpulentam substantiam descendit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Medium, quo peccatum originale ad nos traducitur, est natura lis generatio, quæ per rationem seminalem vtriusquè parentis fit. Hæc conclusio ex animaduersionibus positis colligitur. Peccatum enim originale non contrahunt, nisi filij naturales Adæ, ideſt, ab ipso naturaliter descendentes. Et nullus est filius naturalis alterius, nisi immediatè, vel mediatè ab ipso per naturalem generationem descendat. Deinde si Adam non peccasset iustitia originalis ad nos per naturalem generationem traducta fuisset: ergo, & peccatum originale per naturalem generationem ad nos traducitur. Eadem enim est vtriusquè ratio. Tandem; quia sicut iustitia Christi nobis causaliter sinè meritis nostris per genetationem spiritualem, quæ fit in baptismo, imputatur ita, & peccatum originale nobis sine demeritis nostris imputatur per naturalem generationem. Fuit enim primus Adam forma, & exemplar Secundi. s. Christi. R. N. quantùm ad cummunicationem malitiæ vnius, & virtutis alterius.

Ad Rom. 5. Appen. 7. D. Aug. S. Bona. vbi §. vlti. art. 2. Alex. Alen. vbi §. m. 1. in opponẽdo, & respõdẽdo & m. 3. ar. 1. & in 3. p. q. 39. in declaratiõe primi mandati de calogi. S. Th. vbi §. art. 2.

Hinc, medium, quo originale peccatum per multas generationes traducitur, est libidinosa decisio seminis, quod concupiscibiliter per immoderatam delectationem coniugalis actus seminatur: vt frequentissimè scholastici ex mente D. Augustini loquuntur: ad hunc sensum, quòd generatio fit à parentibus iustitia originali priuatis, quæ priuatio est causa immoderatæ delectationis, ex quo semine, tanquam à causa tali generatur corpus, in quo infunditur anima, constituens filium naturalem Adæ, iustitia originali priuatum, quæ priuatio est tota quidditas originalis peccati. Ita interpretatur D. Augustinus Scotus in hac distinct. 31.

1. Nota. Diuisio.

Tertia diffic. Vtrum alia peccata parentum præter primum peccatum filijs imputentur?

VT Clariùs veritas huius difficultatis innotescat, sunt quædam prænotanda.

Proprietates, quæ homini inhærent, vel sunt personales

sonales ratione indiuidui, & suppositi, vt grammaticum, vel philosophum, cæcùmue, aut claudum, &c. esse: vel sunt naturales, quæ ratione totius speciei conueniunt, vt esse bipedem, risibilem, beatificabilẽ, &c. Quæ hoc inter se differunt, quòd primæ in filios non traducuntur. Non enim philosophus philosophum generat: secundę verò ad filios simul cum ipsa natura traducuntur. Quia sunt passiones à natura inseparabiles, & à differentia specifica fluentes.

2. Nota. Subdiuisio.

Proprietates, vel conueniunt personæ, secũdum se ipsam, vt sunt perfectiones acquisitæ: vt virtutes morales, & differentiæ indiuiduales. v. g. velocitas ad currendum, ingenij habilitas, &c. vel conueniunt personæ ex diuinæ gratiæ dono. Talia sunt dona infusa: vt donum linguarum, prophetiæ, miraculorum, & vno verbo gratiæ gratis datæ.

3. Nota. Subdiuisio.

Proprietates naturæ, quæ insunt toti speciei, hoc est, singulis indiuiduis naturæ humanæ, etiam subdiuiduntur. Nam vel fluunt à forma specifica, vt quæ à rationabilitate proficiscuntur: vel sunt donum gratiæ diuinæ. Quod quidem donum non emanat à forma specifica: sed conceditur à Deo singulis humanæ naturæ iudiuiduis: ideoquè dicitur naturale. Tale fuit vnicum tantùm donum, nempe, originalis iustitia, quæ si Adam non peccasset, fuisset ad singula indiuidua traducenda, ac si esset proprietas naturalis ex forma specifica trahens originem.

Append. 1.

Hinc, quemadmodum virtutes sunt, vel personales, vel naturales: similiter, & vitia sunt duplicia. Nam est vitium, siue peccatum personæ, per quod virtus personæ destruitur, nempe, gratia habitualis. Est & vitium naturæ per quod virtus naturæ, nempe, iustitia originalis destruitur. Et ratio est; quia quot modis dicitur vnum oppositorum, dicitur, & alterum, & vitium, & virtus opposita sunt.

Append. 2.

Hinc, sicut personales virtutes per genetationem non traducuntur: ita nequè vitia personalia traducentur: & vt virtus naturalis, iustitia, scilicet, originalis fuisset per generationem traducenda: ita, & eius defectus, & priuatio traducitur. Et ratio ex communi philosophorum sententia est; quia contrariorum eadem est disciplina. Quod intellige,

quantùm ad inhærendum, vel non inhærendum.

CONCLVSIO I.

Ad Ro. c. 5. Solum primum Adæ peccatum per generationem in posteros traducitur, & nobis ad culpam imputatur. Hæc conclusio est de fide. Et probatur ad Roma. 5. Vnius delicto multi mortui sunt. Et iterum iudicium ex vno, scilicet, delicto in condemnationem. Et rursus vnius delicto, &c. vbi nunquàm dixit delicta in plurali; sed delictum. Item sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, &c. non dixit per inobedientias. Vnde solum vnicum Adæ peccatum, & non cætera nobis ad culpam imputatur. Et ratione ex notabilibus positis confirmatur: quia solum Adæ primum peccatum fuit peccatum naturæ, & solum illud imputatur posteris: vt constat ex D. Paulo. Qui non dixit, ex peccatis, vel delictis: sed ex vno peccato, & ex vno delicto.

1.q. 4. can. crimen 23.q. 4.can.si quis Alex. Alen. vbi suprà. S.Tho.1.2.q. 87.art.8. Scot. in 1.d. 41. Echius in cẽ turia.3. Marsil.in. 1. d.46. & alij vbi suprà.& Gratianus dist.56. Exod.20. Nota.

CONCLVSIO II.

Cæterorum parentum peccata posteris ad culpam minimè imputantur. Hæc conclusio colligitur ex prima. Et ratio est, quia omnia peccata cæterorum parentum sunt personalia tantùm, quæ ad posteros: vt ex prænotatis constat non traducuntur.

DVB. Cur ergo sæpe propter peccata parentum filij puniuntur?

RAtio dubitandi est: quia cùm constet peccata parentum non traduci in filios, præter primum Adæ peccatum, cur Deus Exod.20. dicit. Ego sum Dominus, &c. visitans iniquitatem patrum in filios, vsquè ad tertiam, & quartam generationem, &c.

Pœna, vel est diuina, quæ à Deo infligitur: vel est humana, vt quæ à lege humana ciuili, vel canonica præscribitur. Prima rursus, vel est temporalis, vt sunt tribulationes, quibus flagellamur, vel est æterna. Et hæc vel est pœna damni, vel sensus, de qua lege verbo pœna in indice florum. 4. lib.

Prima

Prima Propositio.

Filij nunquàm pœna æterna sensus, propter peccata parentum, nisi illa imitauerint, puniuntur. Hæc propositio est de fide. Et habetur expressè Ezech.18. Sicut anima patris, ita anima filij mea est: filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. Hoc idem definitum est in can. quæris de consecrat. distinct. 4. & penultim. & de pœnit. distinct. 4. can. cùm ita puniantur. & 1.q.4. & 24.quæst.3. in summa. Hoc idem proponitur & de regulis iuri. lib.6. cap. non debet. Notanter dicitur pœna sensus: nam de pœna damni, quæ originali peccato debetur, postea dicemus. Secundò non frustrà dictum esse putes: nisi illa imitauerint, vt si filius hæretici patris malitiam imitetur: quia tunc potiùs peccata filiorum, quàm parentum castigantur. *Ezech.18.*

Secunda Propositio.

Pœna diuina tẽporali sæpissimè filij, ꝓpter peccata parẽtũ, puniũtur. Hæc etiã est de fide. Et probatur loco Exod. in principio dubij citati. Ego dñs, &c. visitans, &c. Extant innumera exẽpla sactæ scripturæ de hac re. Lege omninò can. in 1. conclusione citatos, & D. Greg. exẽplum in dialog. quẽ explicat S. Thom. 2.2.q.108. Est enim filius pars patris, quò ad corpus. *D.Greg. S.Tho.*

Hinc, etiam è contra, propter bonam parentum vitam, multa filiis Deus bona largitur. Et ratio est, quia Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum. Hoc docuit D. Anselm. de concept. Virg. c.28. in fine dicens. Non nego, propter merita bonorum parentum filiis multa, & magna beneficia corporis, & animæ impendi. Append. D. Anselm.

Tertia Propositio.

Filij pœna humana, ꝓpter delicta parẽtũ, castigãtur. Cõstat primo ex iure canonico: nã, propter clericalẽ dignitatẽ, filius ex adulterio natus nõ potest ad sacros ordines ꝓmoueri. Talis enim dignitas vilibus, & infamibus psonis cõmitti nõ debet. Extra de exe. præla. c. inter. Secũdò etiã iure ciui. propter crimẽ læsæ maiest. paterna hæreditate priuãtur: vt in. l. qsquis

C.ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

C.ad.l.Iuliam maiestatis. Vbi pœna confiscationis bonorum, & deportationis bonorum,& deportationis filiorum,& vltimi flagitij delinquentium puniuntur.

Quarta diffic. Vtrùm si Adam non peccasset, peccāte Cain, eius filij in peccato conciperentur?

Scot. S. Thom. Conrado.

SEntentia Scoti vbi suprà, hæc dist. in fol. ad.2. quæ etiam videtur esse S.Tho.de malo q. 5.art.4.ad vltim.& Conradi art.2.huius q.continetur sequenti conclusione.

CONCLVSIO I.

In tali casu nascerentur filij Cain cum originali peccato. Et ratio est, quia reliqui parentes ab Adam accipissent à Deo iustitiam originalem pro se,& pro tota eius posteritate, & ex consequenti essent debitores habendi illam sibi, & toti eorum posteritati,& similiter amitterent sibi,& suæ posteritati. Nihilominus tamen opposita opinio est probabilis admodū, & ad illius confirmationem animaduerte,quod sequitur.

Animad. Filius naturalis bifariam accipitur. Primò respectu immediati parentis. Secundò respectu cæterorum omnium ascendentium, quorum etiam dicitur filius naturalis: eò quòd ab ipsis per multas generationes descendat. Vnde omnes ascendentes vocantur patres, & omnes descendentes filij. Hoc sacra scr ptura passim docet. Nam *Luc.1.* legitur. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula. Et ibidem Zacharias. Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham *Matth.1.* patrem nostrum,&c.Et Matth.cap.1.Christus filius Dauid,& filius Abrahæ appellatur,licet per multas generationes ab eis descenderit.Lege etiam cap. nam, & rex Nabuchodon. extra de verb.signific. Iuris etiam periti omnes ascendentes patres, & descendentes omnes filios appellant: vt constat in l.appellatione parentis de verb. signific. & in. l. liberorum appellatione eodem tit. licet strictiùs hac significatione etiam vtantur:vt patet in.l.iurisconsultus.§.item liberi. ff. de grad.& affinita.

CON-

CONCLVSIO II.

Posteri Cain,vel alterius patris peccantis,post Adam, cum iustitia originali nascerentur.Et ratio est ; quia iustitia originalis data fuit.Adæ,& eius filijs naturalibus: sed filij cuiuscūquè progenitoris descendentis ab Adā fuissent filij naturales Adæ: vt constat ex animaduersione posita:ergo, ipso Adam non peccante,quamuis ceteri progenitores peccarent,nascerentur eorum filij cum iustitia originali. Quam volueris,ex ijs duabus opinionibus poteris eligere.

Quinta diffic. Si Adam, antequàm peccaret, genuisset filios in statu innocentiæ, iustitia originali præditos, isti iam geniti, Adam postea peccante, amitterent ne iustitiam originalem?

SEcundum diuinam legem nemo potest à gratia,& amicitia Dei cadere,nec dono aliquo spirituali,quod iam habet per peccatum alienum priuari. Ita enim intelligendus est locus Ezech.18. Filius non portabit iniquitatē patris, ideſt, filius non priuabitur gratia accepta ob parentis demeritum. *Nota.* *Ezech.18.*

CONCLVSIO.

Tunc,si post filiorum natale : vel conceptionem contigisset primum hominem peccare,retinuissent filij iustitiam originalem, tanquàm donum personale subdens sensitiuam rationi:non autem tanquàm donum naturæ transferendum in posteros.Ratio primæ partis est iuxta notabile positum:quia iniquum est filium ob demerita parentis dono aliquo spirituali,quod iam habet,priuari.Ratio secundæ partis est: quia sæpe supra diffinitum est solum primum parentem sibi, & posteris naturaliter propagatis iustitiam originalem accepisse.

Sexta

Universidad de Deusto
Biblioteca

S.Th.vbi. s. art.4. Durand. hac d.q.2. et alij vbi.s.

Sexta diffic. Si aliquis generaretur modò miraculosè ex carne humana, quemadmodum Heua fuit formata ex costa Adæ, contraheret ne Orig. peccatum?

CONCLVSIO.

MInimè contraheret. Et ratio ex supradictis in hac quæstione manifestissima est: quia descendere secundum rationem seminalem ab Adam est causa contrahendi peccatum originale. Et qui formaretur miraculosè de manu, vel pede alterius hominis, non descenderet ab Adam secundum rationem seminalem, secundum quam dicitur filius naturalis Adæ: sed secundum corpulentam substantiam: atquè ita non contraheret originale.

Append. Hinc, Christus de lege non potuit contrahere originale: quia non fuit formatus ex semine vitili, quamuis fuerit formatus ex carne propagata ad Adam, scilicet, ex purissimo sanguine sanctissimæ Virginis.

Alex. Alen. m.3. art.2. S.Tho.art.5. vbi sup.

Septima diffic. Vtrùm, sola Heua peccante, filij originale peccatum contraxissent?

CONCLVSIO.

Eccl.25. QVamuis Heua viro suo occasio fuerit peccandi: nihilominus tamen, sola illa peccante, filij originale peccatum non contraxissent. Ratio primæ partis est, quia à muliere initium peccati, idest, occasio, & per eam omnes moriuntur. Ratio secundæ partis est, quia iustitia originalis, vt sæpe hactenus inculcauimus, data fuit Adæ, tanquàm capiti naturæ, & non Heuæ. Diuina enim ordinatione factum est: vt iustitia originalis non perderetur ex omni parte, quò ad vsq; vir, qui erat caput naturæ præberet assensum.

Quæst. II. De subiecto peccati Originalis?

Alex. Alen. q.10 6.m.4. & S. Tho. 1. 2.q.83. S. Bona. hac dist.

HÆC Quæstio, vnico tantùm articulo proposito absoluetur. Reliqui verò, quia faciles sunt, consultò prætermittuntur.

Artic. vnicus. Quodnam est immediatum Originalis peccati subiectum?

Duran. hac d.31.q.3. S.Tho. art.2. vbi.s. Scot. D. Bona.

TRes sunt opiniones circa hunc artic. Prima est Duran. asserentis, peccatum originale immediatè subijci in carne, scilicet, in potentia sensitiua visus, auditus, &c. Secunda est S. Thom. affirmantis, peccatum originale immediatè esse in tota essentia animæ. Tertia opinio est Scoti dist.32. Notabili ad argumenta secundæ quæstionis, ad quintum. Hanc opinionem tenuit anteà D. Bona. hac distinct. art. 1. quæst. 2. Et censet eodem modo de hac quæst. atquè de quæst. subiecti gratiæ (vt supra disseruimus) esse theologandum.

CONCLVSIO.

Peccatum originale immediatè non in intellectu: sed in voluntate subijcitur. Et ratio est; quia peccatum originale nostrum est peccatum Adæ actuale iuxta sensum supra positum, & peccatum Adæ fuit in voluntate eius subiectiuè: ergo, & nostrum erit in nostra volũtate, & in illa subijcietur. Nam cùm de ratione cuiuscunquè peccati sit, quòd sit voluntarium: erit profectò in voluntate. Tum etiam quia iustitia originalis erat immediatè in voluntate, quoniam per eam dominio despotico appetitui sensitiuo dominabatur: ergo peccatum, quod est priuatio illius iustitiæ, erit immediatè in voluntate. Opposita enim circa idem nata sunt fieri. Sed de iis latiùs in controuersiarum lib.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Distinct. XXXII. In qua Magister de remissione peccati Originalis verba facit.

D. Aug.
Alex. Alen. q. 106. m. 6. in 2. p. & in 4. p. q. 2. m. 5. per totum & q. 4. m. 7. ar. 5. §. 1. & q. 5. m. 4. ar. 2. §. 1. ad arg.
S. Th. 1. 2. q. 81. ar. 3. ad 3. & in 3. p. q. 68. art. 1. & 2.
S. Bona. toto art. 1.
Scot. q. 1.
Duran. q. 1. et Ricard. et alij hac dist.
Castro verb. baptismus.
Cõtra hæreses hæresi. 4. et 5. et 11.
Soto lib. nat. et gra. c. 11. et 12.

TRes proponit quæstiones Magister in hac litera. Et prima est. An peccatum originale per baptismum remittatur? Cui respondet. Remittitur quantùm ad reatum, ideſt, quantùm ad pœnam damni peccato originali respondentem. Manet enim homo filius Dei adoptiuus. Minuitur etiam vittus concupiscentiæ peccati originalis per gratiam baptismalem: non tamen extinguitur. Siquidem manet ad exercitium virtutis. Hanc responsionem multis locis D. Aug. probat. Secunda quæstio est. An sicut per baptismum tollitur originale totaliter, etiam fœditas carnis, quæ est macula, & horror ex libidinosa generatione contractus, tollatur? Citat duas contrarias sententias, quarum vltima tenet non tolli: quia manet in baptizatis concupiscentia, ideſt, inclinatio ad inmoderatam delectationem. Tertia quæstione quæritur? Quomodò peccatum originale sit voluntarium? Cui respondet cum D. August. esse voluntarium in sua causa, prout supra in hoc tractatu fuit à nobis expositum.

Quæst. I. Vtrùm peccatum Originale per baptismũ remittatur?

IN Hac quæst. solùm est nobis contra lutheranos agendũ, qui affirmant nec originale, nec actuale peccatum remitti: sed solùm non imputari ad gehennam. Animaduerte primùm, vt quæst. hæc perspicua magis reddatur ea, quæ in floribus, 4. lib. sentent. leguntur de sacram. in genere artic. 3. q. 2. & de baptism. q. 1. art. 1.

CONCLVSIO.

Peccatum originale per baptismum remittitur. Hæc est de fide contra lutheranos. Et probatur primùm Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Hinc, sic colligo

colligo argumentum. Per baptismum renascitur homo spiritualiter: ergo per baptismum remittitur omninò originale. Et ratio est, quia si non remitteretur, nõ esset regeneratio. Regeneratio enim peccati remissio cum infusione gratiæ est. Et ad Rom. 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia. & sicut regnauit peccatum in mortem, ita, & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum Quare si in baptizatis, vt B. Paul. affirmat, regnat gratia, nullum profectò regnat peccatum, nequè originale, nequè actuale mortale. Sunt enim incompatibilia. Est etiam diffinita ad verbum in concil. Trid. sess. 5. can. 5. Ratione confirmatur: quia cùm malitia Adæ per generationem carnalem nobis imputetur: ita vt cum peccato originali nascamur: imputabitur quoquè nobis per generationem spiritualem obsequium Christi, ita vt originale peccatum omninò remittatur. Aliter enim potentior esset malitia Adæ ad nocendum, quàm Christi Iesu obsequium ad sanandum. Quod est hæreticum, & contra D. Paul. dicentem. Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia. Non enim sicut delictum, ita & donum.

Ad Rom. 5.

Ad Rom. 5.

DVB. Cur ad remissionem Originalis vnum tantum est remedium, nempè, baptismus?

Alex. Alen. 4. p. q. 5. m. 4. art. 2.

RAtio dubitandi est, quia contra venialia plura dantur remedia. Respondeo: quia veniale pluries, & infinities reiteratur (Non enim est iustus in terra, qui non peccet) ideò contra illud plura sunt remedia: at verò quia originale semel tantùm contrahitur, vnicum est cõtra illud remedium, nempè, baptisma, quod semel tantùm adhibetur, & quo homo, vt modò diximus, spiritualiter regeneratur. Et licet pœnitentiæ sacramentum, quod principaliter contra actuale mortale est institutum, vnum sit in specie: multoties tamen reiteratur: propterea quòd multoties mortale peccatum iteratur.

Eccl. 7.

In hac q. cõfutata est hæresis lutheranorũ in princ. q. posita.

Hæresis Lutheri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæst. II. De effectibus peccati Originalis.

QVoniam de effectibus peccati infrà de peccato actuali erit iterum disputandum, nunc breui me expediam.

CONCLVSIO I.

Primus effectus originalis peccati est pœna damni, idest, exilium à gloria, siue priuatio visionis diuinæ. Probatur ex D. Paulo dicente: eramus natura filij iræ. Nam per iram diuinam, pœnam damni, qua plectitur originale peccatum, intelligit.

CONCLVSIO II.

Secundus effectus est rebellio potentiæ sensitiuæ aduersus rationem. Cuius ratio est, quia appetitus sensitiuus per iustitiam originalem cohibebatur, quo minus circa suum obiectum immoderatè delectaretur, qua semel amissa, illico caro concupiuit aduersus spiritum. Scriptum enim est. Gen. 2. Erat autem vterquè nudus, & non erubescebant: propterea quòd per iustitiam originalem nullum motum bestialem patiebantur. Et statim post peccatum aperti fuerunt eorum oculi, & fecerunt sibi perizomata: vt tegerent verenda: quia mox post peccatum passi fuerunt carnis rebellionem aduersus spiritum. Lege suprà dist. 19. & 30.

CONCLVSIO III.

Tertius effectus fuit vulneratio in potentiis animæ. Fuerunt autem vulnera ignorantia respectu intellectus: quia est subiectum prudentiæ. Et malitia in voluntate, quæ est iustitiæ subiectum. Et imbecillitas contra fortitudinem ad resistendum peccato. Et concupiscentia ad immoderatam delectationem contra temperantiam. Et probatur. Luc. 10. exemplo hominis descendentis ab Hierusalem in Hierico, qui fuit à latronibus expoliatus, & plagis inflictis, semiuiuus relictus. Per quas plagas de consensu omnium Theologorum prædicta vulnera intelliguntur: quia licet naturales potentiæ maneant integræ post peccatum, quantùm ad essentialia: non tamen quantùm ad suas operationes. Illustrat S. Thom. hanc doctrinam sequenti exemplo. Nam sicut corpus

Alex. Alen. q. 95. m. 2. per totum, & q. 106. m. 7. in. 2. p. & S. Th. 1. 2. q. 85. art. 3. & 5. B. Bo. art. 2. & reliqui hac dist. Soto vbi sup. c. 13. Vega. lib. 2. super concil. Trid. Ad Ephes. 2. Gen. 2. Gen. 3.

Luc. 10.

pus diaphanum (vt aer) densitate tenebrarum inuolarum manet integrum, quò ad potentiam passiuam recipiendi lumen: non tamen potest lumen præ densitate nebulæ recipere, vt in aere, tempore, quo viget nebula, experimur: ita à simili natura nostra est capax tantæ perfectionis post peccatum, sicut anteà: non tamen potest rectè, faciliter operari, propter priuationem iustitiæ originalis, quæ appetitum sensitiuum, ne contra rationem insurgeret, cohibebat. Hæc de effectibus spiritualibus.

CONCLVSIO IIII.

Corporale effectus originalis peccati quàm plurimi sunt, qui Gen. 1. recensentur. Quorum præcipuus est mors, iuxta illud. Puluis, & in puluerem, &c. Et vniuersæ quoquè calamitates temporales, & corporales, quas patimur, sunt peccati originalis effectus. Colligitur apertissimè ex eodem. 3. cap. Geneseos.

Hinc, confutatur hæresis Lutheranorum, à quibus alij effectus peccati originalis numerantur, nempè, ignoratio Dei, contemptus Dei, vacare metu, & fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium. Hoc autem asserere est erroneũ. Et ratio est, quia effectus peccati originalis sunt, qui ex natura rei secundum diuinam legem ex eo, nulla interueniente noua voluntate, subsequuntur, & qui in pœnam originalis culpæ sunt omnibus paruulis ante vsum rationis, & adultis communes. Aliter enim omnia peccata humana effectus peccati originalis dicerentur, quod est nomine effectus abuti. Nisi dicas esse remotissimos effectus: eò quòd per concupiscentiam iustitia originali destitutam, voluntas ad consentiendum incitatur.

Gen. 3. Castro verb. Adam hæresi. 4. Hæresis Luther.

Magist. Sent. Dist. XXXIII.

IN Hac distinct. proponit Magister vnicam quæst. f. An cæterorum parentum peccata filijs imputentur, quemadmodum fuit peccatum Adæ imputatum? Hæc quæst. suprà à nobis soluta est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. 3.part.q.69.m.10. in.2.p. & in 4.p.q.4.m.2. art.1. §.2.ad arg. & apud S.Tho. 1.2.q. 83. art.4. Thomistæ, & idem B. Thom.d.hac & q.5.de malo. S. Bona. art. vlt. Scot.q.vnic. Duran. q. 3. Ricar. & alij hac d. 33. Soto vbi sup. c.14. D.Aug. D. Greg. lib. 9.mor.c.12. Arim. Error. Ad Rom.5. Abulen. q.665. Matth.25.

Quæst. vnica. Virùm morientes cum solo Originali peccato pœna sola damni puniantur?

HANC Quæst.proponit Scot. in hac distinct. & alij. Et cùm nihil de pœna istorum paruulorum sit ab ecclesia definitum,nequè aliquid certum ex sacra Scriptura colligatur,hinc fit:vt quot sunt capita tot sint opiniones,& sententiæ. Prima sententia tenet tales infantes esse etiam pœna ignis æterni puniendos. Et est D. Aug. lib. de fide ad Petrum cap.24. Et in sermone de baptismo paruulorum. Temperatquè D.Aug.hanc suam sententiam lib.1.de peccatorum meritis,cap.16. & in Enchirid.cap.93. & lib.5. contra Iulianum dicens,hanc pœnam futuram esse omnium mitissimam. Idem omninò cum B.Aug.sentit D.Greg.quibus adhæsit Greg.Arimin. hac dist. Vocanturquè ob id tortores paruulorum, qui hanc opinionem sequuntur. Estquè iam tanquàm dura ab omnibus explosa. Secunda sententia asserit, propriè loquendo, originale peccatum nec pœna damni propriè, nec pœna sensus puniri. Hæc autem sententia est hæretica : quia paruulos non esse futuros in vera pœna, & damnatione est contra fidem. Nam dicit B. Paul. Iudicium quidem ex vno in condemnationem.Et si propriè non punirentur, non esset propriè peccatum, quod est contra omnes doctores confitentes, peccatum originale esse propriè peccatum,& aliqua pœna puniri. Tertia sententia est opinantium, pœnam dictorum paruulorum esse maximam, & ingentissimam.Hæc etiam videtur falsa, cùm sit contra omnes theologos dicentes, infantes mitissima pœna plectendos. Quarta sententia est Abulensis docentis torqueri, præter pœnã damni, non quidem pœna ignis : sed acerbissima tristitia, propter carentiam visionis diuinæ,ad quam omninò intelligent se esse creatos, & eiusdem participes. Hæc sententia est satis probabilis. Quinta est communis, & vera Alex. Alen. S. Thom. Ricard.Scoti. Durand.& aliorum, quæ sequenti conclusione explicatur.

CON-

CONCLVSIO.

Paruuli cum solo originali morientes nõ pœna ignis,quę sensus pœna nuncupatur: sed pœna damni torquentur. Hæc conclusio habetur in c. maiores de bapt. & eius effectu. Et quia ibi summus Pont. Innoc. non loquitur definiendo: sed solùm adducit hanc conclusionem ad confirmandam aliam sententiam, quam ibi definit, licuit posteà oppositũ opinari. Et ratione confirmatur : quia pœna sensus solùm respondet quantitati delectationis in peccato iuxta illud.Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum.Et originale non habet aliquam delectationem annexam,cùm non sit à nobis cõmissum, sed aliunde contrahatur. Apoc.18.

Prima diffic. Quam cognitionem poterant paruuli prædicti in illo statu habere?

CONCLVSIO.

POterunt cognitionem naturalem omnium veritatum physicarum habere.Et ratio est : quia habebunt intellectum agentem,& species intelligibiles acquisitas.Et cõfirmatur : propterea q̃ corporis corruptibilitas, & dolor tormentorum impediunt aciem intellectus, quominus possit scientiam acquirere : & infantium corpora in illo statu erunt incorruptibilia, & nullum : vt in proxima conclusione diximus,tormentum patientur. Atquè ita erit eorum intellectus ad cognoscendam omnem veritatem physicam expeditus. Soto tenet oppositum.

Hinc, diligent Deum tunc amore naturali : quia naturaliter Deum cognoscent. Append. S.Thom. hac dist.

Secunda diffic.Comparebunt ne paruuli isti in die iudicij?

Partem negantem videtur Durand.vbi sup.amplecti. Dur.vbi suprà.

CONCLVSIO.

Comparebunt quidem. Patet Matth.25. Congregabuntur ante eum omnes gentes.Et ad Rom.14. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Et Apoc.1. Veniet, & videbit omnis oculus. Matth.25. ad Rom. 14. Apoc.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia diffic. Erit ne de istis iudicium?

CONCLVSIO.

NOn erit. Et ratio est: quia iudicium constat accusatore, reo, & iudice: & cũ nullus accusetur propter demeritum alienum, sed proprium, & paruuli nullum habeant demeritum proprium, non accusabuntur: & ex consequenti quàmuis sint in loco iudicij, non iudicabuntur. Nihilominus tamen condemnabuntur illa sententia: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. Nam pœna damni vera damnatio est.

Ioan.3.

Scot. vbi suprà.

Quarta diffic. Erunt ne eorum corpora impassibilia?

CONCLVSIO.

ERunt. Et ratio à simili est: quia sicut corpora damnatorum in pœnã conseruantur incorruptibilia; ita: & istorum corpora, non propter dotem impassibilitatis: sed ex beneplacito diuino absquè corruptione conseruabuntur.

Append. *Eccl.11.*

Hinc, nequè fomes peccati in illis vigebit: quia erunt impeccabiles actualiter: nam si ceciderit lignum, &c. in quocumquè loco ceciderit, ibi erit.

Quinta diffic. Habebunt ne in die iudicij cognitionem finis supernaturalis, nempe, quòd erant beatitudinis capaces, sicut & cæteri?

CONCLVSIO.

HAbebunt. Et ratio est: quia in valle Iosaphat videbunt Christum, & cæteros electos in aere existentes, & intelligent se esse eiusdem speciei cum illis, quibus dicetur. Venite benedicti: quare intelligent etiam se esse finis supernaturalis, scilicet, visionis beatificæ capaces: sicut, & cæteri, & ex consequenti agnoscent se priuatos illa beatitudine, pro-

propter peccatum Adæ, & quia non fuit sibi remedium baptismi applicatum.

Sexta diffic. Patientur ne tunc aliquam tristitiam propter dictam priuationem?

Scot. vbi suprà.

CONCLVSIO.

NVllam ob hanc causam patientur tristitiam. Quia, vt Scot. ait, erunt contenti de suo statu: quoniam sic Deus hoc disposuit. Et confirmatur: quia ratio præcisa, quare damnati acerrimam patientur tristitiam propter beatitudinis priuationem, est, propterea quòd intelligunt propter demerita propria se illa carere, iuxta illud. Quid nobis profuit superbia, &c. Pueri autem cum solo originali morientes intelligent se beatitudine priuatos: quia Deus noluit, vt sibi, sicut & cæteris remedium applicaretur. Et ideò non contristabuntur: nam si contristarentur, possent conquæri, & murmurare aduersus Deum, eò quòd sine actuali culpa, & sine propriis demeritis eos beatitudine priuauerit. Et cùm nullum sperent remedium, possent etiam præ nimia tristitia, sicut cæteri damnati, in Deum blasphemare, & ex consequenti actualiter peccare, quod est erroneum. Morientes enim absquè actuali, de cætero erunt impeccabiles, iuxta illud. Si ceciderit lignũ, &c.

Sap.5.

Hinc, opinio Soti vbi sup. parum habet virium. Nam dicit, Deum non reuelaturum illis ob peccatum Adæ exulari à regno cœlorum: nimia tristitia absorbeantur. Non enim quàmuis illis reuelaretur suæ damnationis causa, contristarentur: quia cùm sint impeccabiles peccato actuali, beneplacitum diuinum, scilicet, nullum fuisse adhibitum illis remedium, minimè displicebit.

Append. *Soto.*

Septima diffic. Quo in loco pueri isti post diem iudicij erunt?

CVm nihil de hac re ab ecclesia sit definitum: vt in principio quæst. diximus, trahit sua quemquè voluntas, nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

voto viuitur vno. Quidam enim affirmant splendore Solis
super faciem terræ fruituros. Alij in limbo futuros, quod vi-
D.Aug. sus est docere D. August. quando dixit, Duo esse loca vitæ
peremnis, scilicet, supra terram, & subtus tetram. Lege can.
nulla de consecrat. d. 4. & can. ad limina. 10. q. 1. Qui quidé lo-
cus nō erit illis tristitiæ causa. Tum quia nō est datus talis lo-
cus in pœnam: sed quoniam melior illis non dabatur, sicut, &
patres ibi ante aduentum Christi existebant. Tum etiam
quia locus ille non est animabus separatis impedimento, ne
suis intellectualibus operationibus verè vti possint. Vbi autē
sit limbus ex flotibus. 4. lib. in. 2. p. in quæst. de receptaculis
animarum dub. 1. intelliges. Hactenus de peccato originali,
quod solus Christus ex lege, & sanctissima eius Mater ex pri-
uilegio, non contraxerunt.

Magist. Sent. Dist. XXXIIII.

IN hac distinct. aggreditur Magister disputationem de pec-
cato actuali. Nā cùm peccatum prima sui diuisione in ori-
ginale, & actuale diuidatur, explicato originali, sequitur
necessariò actualis peccati expositio, & diffinit Magister in
hac dist. vnam q. s. Vtrùm peccatum sit à principio bono,
D.Aug. tanquàm à causa, &c. Cui respondet cum D. Aug. Peccati du-
plex est principium, quorum primum natura rationalis, an-
geli, scilicet, vel hominis est. Non enim peccaret, si rationalis
non esset. Et hæc natura est bona: quia est opus Dei bonum.
Alterum principium est mala voluntas.
Append. Hinc, colligit Magister peccatū trahere originē à bono bo
nitate naturali, & à malo malitia morali. s. à mala voluntate.

Magist. Sent. Dist. XXXV.

D.Aug. PLures in hac distinct. proponit Magister peccati definitiones. Quarum caput est illa D. Aug. contra Faust. Ma-
nichæum, scilicet. Dictum, factum, vel concupitum cō-
tra legem Dei. Altera definitio est; peccatum est corruptio,
vel priuatio boni. Anima enim priuatur gratia, & hominis
natura vulneratur. De quibus vulneribus supra egimus, & in-
fra etiam disputabimus.

Magist. Sent. Distinct. XXXVI.

SEntentia huius dist. (in qua Magister tractat, An vnum
peccatum sit alterius peccati pœna) tribus propositioni-
bus comprehenditur. Et prima est. Quædam sunt pec-
cata, & pœna alterius peccati, de quibus B. Paul. ad Rom. 1. A.d Rom. 1.
Propter quod tradidit illos Deus, &c. Secūdā. Quodcumque
peccatum est pœna, & tamen non alterius peccati. Est enim
pœna non inquantùm peccatum: sed quoniam, permitten-
te Deo, homo labitur in illa, & natura corrumpitur. Nam A.d Rom. 1.
eius bonum vulneratur. Quod B. Paul. ad Roma. 1. docuit.
Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, hoc
est, in peccata ignominiosa, quæ furātur intellectum sapientis
cuiusmodi sunt, peccata libidinis. Tertia est. Quamuis omne
peccatum sit pœna, eò q. naturam vulnerat: non tamen omne
peccatum est pœna peccati, sed solum illud, quod à peccato,
quod per pœnitentiam non deletur causatur: eò quòd suo
pondere in aliud trahit.

Magist. Sent. Dist. XXXVII.

QVærit in hac dist. Magister. An Deus sit peccati causa?
Et respondet, nullo modo, etiam pro materiali esse Magister
peccati causam. Et ratio illius est; quia materia pec- cautè legen-
cati non est res. Verùm nemo Magistrum in hac parte sequi- dus.
tur. Nam actus res quædam est.

Flores tractatus de peccato Actuali.

DE hoc tractatu præter D. Bona, Ricard. Scot. & alios
scholasticos doct. super præfictas distinct. 24. &c. co-
piosissimè disputant Alexand. Alen. in. 2. p. à quæst.
107. vsquè ad finem eiusdem partis per multas q. & S. Thom.
1. 2. à quæst. 71. vsquè ad. 89. Castro verbo peccatum contra
hæreses. Literam istarum distinctionū, aliquot positis quæ-
stionibus; declarabo: ordinem tamen Magistri non sequar
quia à methodo, quam hactenus obseruauimus, recessit.

Quæst. I. De essentialibus peccati actualis.

Artic. I. De nomine, & diuisionibus actualis pecc.

Alex. Alen. q. 107. S. Tho. q. 71. art. 6. S. Bona. Scot. Ricard. Durand. & alij dist. 35.

HIc artic. meritò præponitur: quia cùm peccati nomen multiplex sit, variæque eius diuisiones, non posset perfectè definitio peccati tradi, si hæc non præcognoscerentur.

Prima diffic. Est ne vnicum peccati actualis nomen?

Alex. Alen. vbi §. m. 1. & 2.

CONCLVSIO.

Alex. Alen. m. 1. vbi §.

NOn vno, sed variis nominibus in sacris litteris peccatum appellatur. Probatur per sequentes propositiones.

Prima Propositio.

Peccatum dicitur macula, vitium, crimen, culpa, scelus, nephas. Primùm appellatur macula, quatenus dicit deformitatem partis superioris, vel inferioris animæ, & ita ponit gratiæ defectum. Vitium, prout ponit defectum boni naturæ; quia peccatum significat etiam conuersionem ad apparens bonum, quod non est bonum. Crimen verò, & culpa respiciunt ad id, quod exterius est. Nam crimen est peccatum accusatione dignum. 81. dist. can. Apostolus. Culpa verò est peccatum pœnæ obligatorium. Scelus verò, & nephas aggrauationem super peccatum indicant. Nam scelus dicitur, quod specialiter in Dei iniuriam est, cùm maximè Deus offenditur. Nephas autem, quando maximè est personæ illicitum. Phas enim idē est, quod licitum.

Leuit. 20.

Secunda Propositio.

Appellatur etiam peccatum auersio, siue elongatio à Deo, & offensa, & iniquitas, & impietas. De auersione infrà latiùs. Dicitur offensa, quia peccans mortaliter constituit vltimum

timum finem in creatura spreto Deo, quod est maxima Dei offensa. Nominatur iniquitas à B. Ioan. dicente. Omnis, qui facit peccatum iniquitatem facit. Et peccatum est iniquitas: quia fit contra æquitatem, sine debitum, quo omnis creatura suo creatori obligatur. Impietas quoque nuncupatur: quia fit contra affectum amoris, & gratitudinis Deo: vt patri, debitum. Licet aliquando strictè pro infidelitate capiatur: vt D. Gregor. lib. 15. moral. c. 13. docet. Quo in sensu intelligitur illud psalm. Non resurgunt impij in iudicio. Quandoque verò pro omni peccato apud Ierem. vsurpatur.

1. Ioan. 3.

D. Greg. Psalm. 1.

Ierem. 3. 18. & 33.

Tertia Propositio.

Castro verbo præceptum contra hæreses, hæresi. 4.

Peccatum, vel significat culpam, ideſt, legis transgressionē, & actum rectæ rationi dissonum, de quo D. Paul. ait: Vbi non est lex, nec præuaricatio, scilicet, culpa, vel peccatum, hoc est offensa Dei. Sumitur etiam peccatum abusiue pro hostia pro peccato oblata: ita frequenter in veteri testamento vsurpatur. Et B. Paul. more Hebræorum appellauit Christum peccatum dicens de patre cœlesti. Eum, qui non nouerat peccatum (scilicet Christum, qui culpam non fecit) pro nobis peccatum fecit, ideſt, hostiam pro peccatis. Et alibi, de peccato damnauit peccatum in carne. Accipitur tertiò peccatum pro eo, quod est effectus, vel sequela, seu pœna peccati, vel quod trahit, aut allicit, vel inclinat ad peccatum. Consuetum namquè est, & in scriptura, & in communibus nostris colloquijs: vt effectus nominibus causarum, & è contra appellentur. Et hoc modo vocauit D. Paul. concupiscentiam carnis peccatū: propterea q̄ est effectus, & pœna peccati: vel quia trahit, & inclinat ad peccatum: non autem quòd eam crediderit verè esse peccatum, ideſt, diuini mandati transgressionem: vt copiosè docuit D. August. multis in locis, præcipuè in lib. de nupt. & concupiscentia contra Valerium. Et. 1. de ciuit. c. 24. & lib. 14. c. 10. Et, vt supra diximus, fuit hoc definitum in concil. Trident. sess. 5. can. 5.

2. Cor. 5.

Ad Rom. 8.

ad Rom. c. 7.

D. Aug.

Hinc, à prima tantùm acceptione peccati, scilicet, quatenus accipitur pro culpa, dicitur homo peccator: quia hæc propria peccati significatio est: non autem à secunda. Quia

Append.

Christus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus, licet à B. Paul. appelletur peccatum, ideſt, hoſtia, & oblatio pro peccatis: non tamen vocatur peccator: neque iuſtus à concupiſcentia carnis vocatur peccator, quamuis concupiſcentia peccatum nominetur. Quoniam ſecundo, & tertio modo peccatum impropriè ſumitur.

Alex. Alen. vbi ſupr. §.2. S. Thō. infrà in q. de diuiſionibus peccati.

Secunda diffic. Quæ, & quot ſunt peccati actualis diuiſiones?

1. diuiſio.

PRætermiſſa prima omnium diuiſione, qua peccatum in originale, & actuale diuiditur, de qua multa in diſt. 4. de pœn. ferè per totum tractatur, proponam varias diuiſiones actualis peccati, de quo nunc diſputatur.

Primò diuiditur actuale peccatum in veniale, & mortale. Hæc diuiſio habetur de pœn. diſt. 1. can. medicina. §. 3. & peccatum, quatenus ſic diuiditur, poteſt deſcribi: ita vt dicatur peccatum meritum pœnæ. Nam vtrumquè eſt meritum pœnæ. Mortale quidem æternæ. Veniale verò temporalis. Quam deſcriptionem vocat Alex. Magiſtralem.

2. diuiſio. Matth. 5.

Peccatorum tria ſunt genera. Vnum eſt factorum, vt non occides, non mœchaberis, &c. Alterum eſt dictorum Matth. 5. Qui dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio, &c. Tertium eſt concupiſcentiæ: vt eſt deſiderium, ſiue propoſitum peccandi, quamuis non ſequatur actus. De quo Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Similiter duobus vltimis præceptis decalogi prohibetur concupiſcentia, quãuis non ſequatur actus. Et ad Rom. 7. Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.

Ad Ro. 7.

Tam latè patet hæc diuiſio: vt ad hæc tria genera omnia peccata reducantur: etiam omiſſionis, quæ ſunt, non facere, non dicere, aut non concupiſcere, quæ lex diuina facienda, dicenda, & concupiſcenda eſſe præcipit. Et vno verbo fit diuiſio in peccata cogitationis, ſiue cordis, oris, & operis.

Append. D. Aug.

Hinc, D. Aug. volens integrè definire peccatum contra Faustum (vt artic. ſequenti explicabitur) poſuit in definitione omne genus peccati, quod in ſacra ſcriptura reperitur, dicens: Eſt dictum, &c.

Pecca-

Peccatum, vel eſt ex infirmitate, quod commiſit Petrus, quando dum mori timuit, vitam negauit. Vel eſt ex ignorantia, quod peccabat Saulus, quando eccleſiam Dei perſequebatur. Miſericordiam Dei conſequutus ſum: quia ignorans feci in incredulitate. Vel eſt ex certa malitia, ſiue ex induſtria, quod genus peccati fecit Iudas, quando Magiſtrum ſuum, Redemptorem noſtrum, vendidit. *3. diuiſio. 1. Timot. 1.*

Peccatum omne, vel eſt ex concupiſcentia carnis, vel oculorum, vel ex ſuperbia vitæ. Hæc diuiſio colligitur ex B. Ioan. dicente. Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. *4. diuiſio. 1. Ioan. 2.*

Peccatum, aliud ex timore male humiliante, & aliud ex amore malè accedente. Timor enim, & amor ſunt diſpoſitiones efficientis cauſæ, ſecundum quas producitur peccatum. *5. diuiſio.*

Peccatum, aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in ſe ipſum. Hæc de diuiſionibus, quæ latiùs infrà declarabuntur, aliis interim diuiſionibus omiſſis, ne multitudine diuiſionũ ingenium obruatur. *6. diuiſio.*

Artic. II. Quidnam eſt peccatum?

Alex. m. 1. S. Tho. q. 71. art. 6. alij d. 35.

MVltis, variiſque definitionibus natura, & eſſentia peccati à ſ. Patribus declaratur, quas refert, & perpendit noſter Alexand. copioſè, vt ſolet.

1. definitio. D. Aug. in lib. de vera relig.

Peccatum eſt conuerſio voluntatis indebita ad commutabile bonum. Hæc eſt D. Auguſt. Item in lib. de lib. arbit. Peccatum eſt, ſpreto incommutabili bono, adhærere commutabili bono. Tertiò definitur à D. Ambroſ. Peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum. Quartò à D. Auguſt. in lib. de vera relig. Peccatum eſt appetere, quod Chriſtus cõtempſit, vel fugere, quæ Chriſtus inſtituit. Quintò idem Auguſt. in lib. de lib. arbit. Peccatum eſt affectio mala voluntaria. Sextò ab eodem dicitur actus incidens ex defectu boni. Septimò à D. Anſelmo definitur. Carentia debitæ iuſtitiæ ex propria voluntate procedens. Qua vltima parte diſtinguitur ab originali, quod eſt

D. Ambroſ. lib. de paradiſo. D. Aug. D. Anſel. in lib. de cõcept. virginali.

carentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Aug.

carentia iustitiæ debitæ:sed aliunde,& non propria voluntate contractum. Octauò,peccatum est voluntas retinendi, aut exequendi,quod vetat iustitia,& est D.August. Nonò, Definitur peccatum. Est auersio à dilectione, & obsequio Dei, & conuersio ad dilectionem creaturarum. Hæc definitio colligitur ex sacra scriptura. Duo mala fecit populus meus:me dereliquerunt fontem aquæ viuæ:en tibi auersionem. Et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Ecce conuersionem. Et paulò antè in eodem capite. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis,quia elongauerunt se à me,vides auersionem. Et ambulauerunt post vanitatem,& vani facti sunt:en tibi conuersionem. Hinc igitur colligitur decima definitio,quæ est bona,& physica. Quippe quæ datur per partes essentiales componentes totum, quemadmodum ista homo est compositus ex corpore, & anima rationali. Partes enim componentes peccatum sunt auersio, & conuersio,de quibus in sequenti difficultate.Iis positis definitionibus, notanda sunt duo ad pleniorem huius articuli intelligentiam.

Ierem.2.

1.Nota.

Regula, qua mensurari debent actiones humanæ:vt bonæ esse dignoscantur, est duplex,scilicet, rectum rationis dictamen,& lex superioris. Vnde quotiescumquè operatio voluntatis non est vtriquè harum regularum consona,mala censetur,& ex consequenti peccatum.

2.Nota.

Actus,vt sit peccatum,debet esse humanus, & malus. Humanus,inquàm,idest voluntarius,elicitus,siue imperatus. Et ratio est,quia si non esset voluntarius,non esset liber,& si non esset liber,non imputaretur nobis. Illa enim quæ in potestate hominis non sunt,nullatenus ad culpam imputantur. Malus autem esse dignoscetur ex regula in proximo notabili posita.

3.Nota.

Quodcumquè actuale peccatum habet suum genus,& differentiam. Et genus est materiale,nempè,actus peccati,vtpote,volitio fúrandi,extensio manus ad alienum. Differentia autem est formale peccati,hoc est,illud, quod constituit actum in esse peccati. Nam,vt forma in vnoquoque ente est,quæ dat esse specificum rei, cuius est forma: ita forma, siue formale in peccato actuali est, quod ipsum peccatum constituit in esse

esse peccati. Et hæc differentia, siue forma, seu formale peccati est transgressio legis. Ait enim Apostolus. Vbi non est lex, nec præuaricatio. Ad Rom. 4.

CONCLVSIO.

Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Hæc definitio est D. Aug. contra Faustum Manichæum. Et refertur à Magistro dist.35. & est optima. Et ratio est, quia tam pro formali, quàm pro materiali connectitur cum suo definito: omne enim genus peccati comprehendit. Et vt omnia peccata ad hæc tria genera peccatorum reducuntur, vt habes in.2.diuisione.2.difficultatis.1.art. ita hac definitione omnia genera peccatorum definiuntur. Continet hæc definitio virtualiter reliquas peccati definitiones: sicut hæc diuisio reliqua omnia peccata suo ambitu continet. Et constat etiam genere, & differentia constitutiua, quæ est legis transgressio. Ideò enim dicitur contra legem Dei. Et particula hæc,contra legem Dei,amplectitur vtramquè legem diuinam,scilicet,positiuam,& naturalem. Vtraquè enim est diuina. Atquè etiam complectitur legem positiuam humanam. Et ratio est, propterea quòd, qui operatur contra legem positiuam humanam,operatur etiam contra legem diuinam, præcipientem legem humanarum obseruantiam. Ait enim Apost. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et paulò inferiùs. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt,ipsi sibi damnationem acquirunt. Lege attentè sequentes difficultates, & perfectam huius quæstionis intelligentiam tibi comparabis.

D. Aug. lib. 22.contra Faustũ c. 27.

D. Bernard. in act.de præcepto, & ordinatione.

Ad Rom. 13.

Prima diffic. Peccatum pro formali est ne pura priuatio, vel aliqua entitas positiua?

Dur.d.2 q. 2.

DVæ sunt opiniones contrariæ, aliis interim prætermissis. Vna affirmat peccatum secundum suam rationem formalem esse aliquid positiuum. Altera quid priuatiuum esse probare contendit. Difficilis est explicatu hæc difficultas,sed nota,quæ sequuntur,vt quò ad fieri poterit, facilis tibi reddatur.

Formal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Nota. Formale cuiuscumquè peccati est duplex, scilicet, conuersio per amorem illicitum circa aliquam creaturam & auersio ab ipso Deo idest, recessus ab eius amore, & obsequio. Hinc què peccatum definiri solet. Auersio ab incommutabili bono, scilicet, à Deo, & conuersio ad bonum mutabile. Quod quidem insinuauit Dominus Ierem. 3. dicens. Nunquid vidisti, quæ fecerit auersatrix Israel? abijt sibimet, &c. Ecce conuersionem. Et cap. 2. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.

Ierem.c.3.
Ierem.c.2.

2.Nota. Malum bifariam dicitur, scilicet, malum morale, & malum simpliciter. Malum morale pro formali est entitas positiua à parte rei. Est enim actus vitiosus, vt furtum, blasphemia, &c. Et ratio est: quia contrariè opponitur virtuti: vt autor est Aristot. in post prædicamentis, cap. de oppositis dicens, bonum, & malum esse contraria. Et contrarietas formalis, idest, propriè dicta, non est nisi inter entitates positiuas: & vt virtus est entitas positiua, similiter, & vitium. Aliter enim non essent contraria, quod est error in philosophia. Lege eundem Arist. cap. citato, &. 2. ethic. c. 7. Et tandem quia malum est conformitas, siue commensuratio, & similitudo actus interioris, vel exterioris ad rationem dictantem de illo actu propter malum finem sub specie boni. Quoniam nullus operatur ad malum aspiciens, idest, sub specie mali, sed sub specie boni vtilis, aut delectabilis, &c. Et hæc commensuratio actus ad malum finem est relatio positiua realis: quia, cessante omni operatione intellectus, insurgit similitudo inter extrema. Distinguatur n- similitudo hæc inter extrema, vel idemptificetur cum extremis, nihil refert. Exempli gratia, sumo istum actum vitiosum, nempè, volo retinere alienum: vt sine labore victui, & vestitui necessaria habeam. Actus iste est malus, non ob aliud: nisi quia est conformis huic dictamini intellectus; vtile est mihi retinere alienum, vt otiosè, & sine labore viuam.

Arist.

D.Diony.

3.Nota. Malum simpliciter est priuatio conformitatis eiusdē actus ad rectam rationem, dictantem illum actum esse malum. Est etiam priuatio conformitatis eiusdem actus ad regulam diuinam, scilicet, ad voluntatem Dei, & recessus ab eius amore, & obsequio. Quod, vt clariùs intelligatur, nota cum Aristo. 7. Ethic. syllogismum incontinentis habere quatuor propositiones, quarum duæ priores sunt vniuersales, & prima omissa, ex secunda infert conclusionem. Ita enim philosophatur. Omne adulterium est cauendum, omnis delectatio est amplectenda, & post habita propositione prima, omne adulterium, &c. subsumit minorem, & hæc est delectatio; ergo hæc est amplectenda. Nunc sic. Iste actus, siue delectatio hæc elicita à voluntate, quatenus est cōformis malo fini apprehenso per rationem, nempè, illi maiori, omnis delectatio est amplectenda, est malum morale, & quatenus idem actus est deformis alteri vniuersali, scilicet, omne malum est cauendum, est malum simpliciter, quoniam est priuatio conformitatis huius actus ad rectam rationem.

Aristot.

Hinc, multa colliguntur discrimina, quibus malum simpliciter, & malum morale inter sese distinguntur. Et primò malum simpliciter est secundum essentiam malum: quia est contra rationem, malum verò morale non est simpliciter, & secundum essentiam malum, sed secundum quid, idest, huic tantùm est malum. Quia est contra rectam rationem, & alteri est bonum; quia est secundum rationem. V. g. homicidium commissum à iudice; quia habet autoritatem occidendi, est bonum; alteri autem est malum; quia contra rectam rationem. Instar caloris, qui igni est bonus secundum essentiam: aquæ autem est malus. Secundò differunt, quia malum morale est entitas positiua, nam est (vt diximus) similitudo actus ad rationem errantem; malum autem simpliciter est solùm priuatio rectitudinis, & conformitatis ad vtramquè regulam. Vnde sequitur tertium discrimen, quòd positiuum, quod est in malo morali, est à Deo, vt infrà dicetur, siquidem habet causam efficientem, malum autem simpliciter, cùm sit para priuatio, & priuatio tantùm, habet solū causam deficientem, atquè non fit à Deo, vt latiùs infrà declarabitur. Quartò dissident, eò quòd malum simpliciter præsupponit morale. Non enim est peccatum, nisi sit actus alicui virtuti positiuæ contrarius. Quintò differunt, propterea quòd malum morale est immoderata conuersio ad alicuius

Appen.
1. discrimen.
2.
3.
4.
5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

creaturæ amorem; malum verò simpliciter est auersio à recta ratione, & à Deo. Conueniunt autem; quia vtrumquè malum vocatur à doctoribus inordinatio, deformitas, & malitia, & vtrũquè est de ratione peccati, vt ex quarto, & quinto discrimine constat.

CONCLVSIO I.

Peccatum, quatenus est malum morale, & conuersio ad aliquam creaturam, per inordinatum amorem, est entitas positiua. Et ratio est; quia opponitur virtuti, tam habitualiter, quàm actualiter contrariè. Idem enim est iudicium quò ad contrarietatem de habitu, & de actu, & contrarietas inter entia positiua est, vt in secundo notabili explanauimus. Et quia actus malus moraliter suscipit magis, & minus (vnus enim est altero iniustior) priuatio verò non intenditur, vel remittitur.

CONCLVSIO II.

Peccatum, quatenus est malum simpliciter, & auersio, id est, priuatio rectitudinis, & transgressio legis diuinæ, non est entitas positiua. Ratio est, quia priuatio non est ens, siue entitas positiua, & peccatum, vt est malum simpliciter, est priuatio. Deinde confirmatur, nam si peccatum, vt sumitur in conclusione, esset entitas positiua, esset à Deo, quia omnis entitas, & natura positiua est à Deo, quod, vt infrà dicetur, est blasphemum. Et affirmare aliquam entitatem positiuam non esse à Deo, esset incidere in hæresim Manichæorum. Hanc conclusionem multis in locis docuit D. August. in quibus nihil aliud dicit esse peccatum, quàm nihil, & boni priuationẽ: vt videre licet super illud Ioan. Sine ipso factum est nihil, ideſt, peccatum, quia est priuatio boni. Et lib. 83. quæst. vbi inquit. Malum autem nihil est, nisi priuatio boni. Et alibi, nulla natura mala est; sed boni amissio mali nomen accepit. Et contra Manichæos ait. Illud, quod dicimus malum, nihil aliud est, quàm corruptio boni. Lege etiam in Enchirid. Hæc conclusio est de sententia S. Thom. in. 1. p. quæst. 48. artic. 1. &. 1. 2. quæst. 18. & quæst. 109. artic. 2. ad. 2. &. 3. contra gent. cap. 7. & Scot. & Magistri hac dist. Et tandem omnes doctores ferè tenent peccatum de formali, & essentiali

Hæresis Manichæorum. Ioan. 1.
D. Aug. lib. 83. q. q. 6. & 21. lib. 11. de ciuit. Dei c. 9. & 29. lib. 2. contra Manichæos c. 11. 12. & 13.

tiali ratione esse carentiam rectitudinis debitæ in esse. Et hoc modo opiniones istæ conciliantur.

D V B. Cuius boni, peccatum est corruptio, siue priuatio?

S. Bona. dist. 35. Scot. vbi. §. Gabr. d. 35. q. vnica.

CIrca hoc dubium sunt quatuor modi dicendi, ex quibus tres priores tribus prioribus propositionibus positis refutabuntur. Et in vltima propositione quartus, qui verus est, declarabitur.

Prima Propositio.

Bonum, cuius peccatum est priuatio, siue corruptio, non est potentia, siue voluntas peccantis. Et ratio est, quia sequeretur post multa peccata voluntatem posse corrũpi, quòd est erroneum. Naturalia enim post peccatum manent integra.

Secunda Propositio.

Neque est bonum, quod priuatur gratia. Et ratio est, quia hinc manifestè colligeretur secundum, & tertium, & sequentia mortalia commissa ab existente in mortali, non esse peccata. Si quidem nihil corrumperent. Tum etiam quia cùm possit dari medium inter gratiam, & peccatum, vt si homo in puris naturalibus crearetur, non opponentur gratia, & peccatum priuatiuè. Quoniam inter priuatiuè opposita non datur medium. Atquè ita peccatum non erit priuatio, siue corruptio gratiæ.

Tertia Propositio.

Neq; est bonum, cuius peccatum est priuatio, habitus studiosus acquisitus. Et ratio est, quia habitus virtutis acquisitæ non corrumpitur per vnum actum contrarium, & ab vno actu, siue vna omissione mortali dicitur aliquis verè peccator.

Quarta propositio.

Peccatum est priuatio boni, scilicet, rectitudinis, non quæ *Scoti est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

præfuit ante peccatum, sed rectitudinis, quæ deberet inesse, non ipsi actui: sed voluntati tempore, quo peccat. Et ratio Scoti est, quia voluntas creata debet conformare se in volendo diuinis præceptis, siue diuinæ voluntati, & quando peccat, discordat ab hac regula, atque ita peccatum est priuatio huius conformitatis, & rectitudinis. Quæ quidem rectitudo non est entitas absoluta, sed est relatio conformitatis ipsius voluntatis cum ratione. V. g. tempore, quo quis vult adulterium committere, deberet potiùs velle non committere, iuxta rectum dictamen rationis, & diuinum præceptum, non tamen vult, & ideò hoc peccatum est priuatio rectitudinis, quam voluntas deberet eligere.

S.Tho.1.2. q.72. Scot. d.35. q. 2.

Secunda diffic. Vtrùm sit magis de ratione peccati conuersio ad creaturas per inordinatum amorem? an auersio, & recessus à Dei obsequio?

Animaduersio.

AD intelligentiam tituli huius difficultatis animaduertè cum Scoto, hominem à Deo auerti, esse ab eius amore, & obsequio recedere, quod fit bifariam. Formaliter, scilicet, & virtualiter, quia auersio, vel est formalis, vel virtualis. Formalis est, vel quando quis actu non diligit Deum, cùm teneatur actum dilectionis habere, vt qui non conteritur tempore, quo tenetur contritionem habere. Quia contritio actualis dilectio est, vel quando quis habet actuale odium Dei, vt damnati habent. Nam isti duo modi auersionis formalis opponuntur actuali dilectioni Dei, primus negatiuè, secundus contrariè. Virtualis autem auersio est, quandocumquè aliquis transgreditur quodcumquè mandatum à primo, ratione cuius recedit virtualiter à Dei amore. Et dicitur recessus iste, siue auersio virtualis: quia licet actualiter non dicat, nolo ire ad gloriam, vel nolo Dei amicitiam, factis tamen illud affirmat. Quia non obseruando præcepta, quæ sunt media ad finem, ex consequenti non vult finem. Et confirmatur à simili, quia sicut infirmus, qui non vult potionem amaram necessariam ad salutem, virtualiter non vult salutem, & qui negat conclusionem, ex consequenti non vult concedere principia, ex quibus colligitur; ita à simili, qui non seruat præcepta, quæ sunt media necessaria ad assequendum visionem obiecti beatifici, iuxta illud Matthæi 19. *Matth.19.* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, ex consequenti non vult finem, scilicet, beatitudinem. Et hæc auersio virtualis sequitur ex quocumquè peccato. Iam sensus tituli est. Cùm ad quodcumquè peccatum concurrat duplex malitia, auersio, scilicet, & conuersio, quæritur: quæ istarum sit deterior, & sit magis de ratione peccati? Duæ sunt opiniones. Vna Scot. qui affirmat, esse magis de ratione peccati auersionem, siue recessum formalem, aut virtualem, quàm conuersionem ad creaturam per eius inordinatum amorem. Cui adhæsit Gabriel distinct. 35 quæst. 1. Altera opinio omninò contraria est S. Thom. docentis, esse magis de ratione peccati conuersionem ad creaturam, per inordinatum amorem. *Gabriel.*

Vltima ratio constitutiua peccati est auersio. Et probatur: quia, demus, quàmuis fieri non possit; vt homo conuertatur ad creaturas, & non auertatur à Deo, tunc talis conuersio non esset peccatum, ergo vltima ratio constitutiua peccati est auersio. *1. Fundam.*

Peccatum, quatenus est conuersio, solùm est malum morale. Et ratio est; quoniam est contra aliquam virtutem moralem; quatenus autem auersio addit supra morale, esse malum simpliciter; quia est inobedientia, & priuatio rectitudinis. *2. Fund.*

Conuersio ad creaturam per inordinatum amorem respectu auersionis est materiale peccati. Et ratio ex supra dictis est; quia cùm omne peccatum sit contra aliquam virtutem moralem, præsupponetur priùs natura malum morale, quod est conuersio ad creaturam, &c. Et cùm præsupponatur conuersio auersioni, erit eius materiale. Illustro rem exemplo. v. g. sensibile in definitione hominis substantia corporea, animata, sensibilis, rationalis; respectu vltimæ differentiæ rationalis, est illius materiale, quia præsupponitur prioritate naturæ sensibile rationali. *3. Fund.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Auersio magis est de ratione peccati, quàm conuersio. Probatur primò: quia forma magis est de natura, & ratione, siue essentia rei, quàm materia. Quoniam dat esse rei, & est differentia constitutiua: vt rationalitas magis est de ratione hominis, quàm animalitas, quæ est communis homini, & bruto, & sapit rationem materiæ. Et auersio est formale peccati, conuersio autem materiale; vt ex fundamentis iactis constat. Deinde, sit ita, quòd conuersio sit formale peccati; vltima tamen forma est magis de ratione cuiuscumquè rei, vt in homine magis est de eius ratione intellectiuum: quia est vltima forma. Et auersio vltima forma, & ratio respectu conuersionis est; vt in fundamentis positis fuit declaratum. Vltimò; quia conuersio est solùm malum morale, idest, secundum quid, hoc est, huic homini particulari malum, nō autem indici: atuerò auersio est malum simpliciter: atquè ita erit magis de ratione peccati, quod est malum simpliciter. Quæ restant huius difficultatis in lib. controuersiarum inuenies. Interim nota ad argumenta contrariæ opinionis soluenda, nos in præsentia non agere de peccato, quatenus malum morale est, quo quidem modo consideratum, diuiditur in varias vitiorum species: sed quatenus malum simpliciter. Eatenus enim cùm sit pura priuatio rectitudinis, non habet species, in quas diuidatur.

Tertia difficult. Vtrùm peccatum, eo ipso quòd est contra rectam rationem naturalem, sit etiam Dei offensiuum, & ab ipso Deo auertat, & separet?

PEccatum; quatenus auersio est, duplicem habet malitiã. Est enim contra rectam rationem, & obedientiam diuinam. Hac vna re notata, quod titulus huius difficultatis quærit, est, An sufficiat; vt sit peccatum contra obedientiam diuinam, esse tãtum contra rectam rationem? An, præter hoc, requiratur; vt sit aliqua lege reuelata à Deo prohibitum?

Deus,

Deus, quatenus est finis noster, consideratur dupliciter. *Nota.* Primò, vt est finis naturalis nostrarum operationum, quatenus per illas intendimus cum Deo naturaliter, & non per fidem cognito, amicitiam cõtrahere. Quo quidem modo erat finis philosophorum moralium recte viuentium: vt B. Paul. ad Roma. 1. testatur. Ibi enim reprehendit morales philosophos, Qui cùm Deum cognouissent, &c. glorificauerũt; suas omnes operationes in eius gloriam, & honorem referentes: sed potiùs gloriam humanam venantes. Vel consideratur secundo Deus; vt est finis supernaturalis nostrarum operationum, quatenus per ipsas cum Deo clare viso, prout fides Catholica docet, amicitiam contrahere intendimus. Et hoc modo est finis Christianorum. *Ad Rom. 1.*

CONCLVSIO.

Peccatum, eo ipso q̃ est contra rectam rationem, & virtutem moralem, est etiam Deo offensiuum, & contra eius amicitiã, etiam omni reuelatione, & lege diuina positiua secluſa. Et ratio est; quia peccatum est contra rectam rationem, & quicquid est contra rectam rationem, est contra finem naturalem hominis, & impedit amicitiam Dei, qui est finis hominis. Et confirmatur: quia omnis peccans constituit vltimum finem in creatura, iuxta illud. Quorum Deus venter est. Et cùm nemo possit habere duos fines vltimos: offendet profectò omnis peccans Deum, tanquàm finem naturalem, præponens illi alium finem, nempè, vitium, quod ipse eligit. Quid? quòd philosophi solo naturali lumine illustrati, intellexerunt peccata esse Dei offensiua. Et patet exemplo apud Vergil. vbi legitur dixisse Achatẽ Didoni reginæ Carthaginis volenti classem Troianorum subuertere. Si genus humanum & mortalia temnitis arma. At spera Deos memores fandi, atquè nefandi. Hoc est, iusti, & iniusti, interprete Seruio. *Ad Philip. 3.* *Vergil. 1. AEney.*

Hinc, ratione naturali cognosci potest peccatum esse Dei offensiuum. Append. 1.

Hinc, omnis mortaliter peccans, plus creaturam, quàm Deũ diligit; quia in ipsa vltimũ finẽ constituit. Et quãuis verbo tenus dicat, se & nosce, & diligere Deũ; factis tamẽ negat. Append. 2. *Ad Titum cap. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta diffic. Est ne ita de ratione peccati esse contra legem Dei: vt cessante omni lege naturali, & diuina, & positiua humana, nullum sit peccatum?

VT Titulus clatius intelligatur animaduerte duplicem esse legem. Vna enim est imperatiua, quæ authoritatiuè per verbum imperatiui modi proponitur: vt non furtum facies, non mœchaberis, &c. Altera est indicatiua, quæ solùm malitiã, aut bonitatem alicuius rei indicat, & per verbum indicatiui modi proponitur; vt bonum est non furari. Iis ita positis, quod quæritur in hac difficultate, est. Si nulla esset lex imperatiua, sed sola indicatiua. An furtum esset malum, & peccatum?

Duæ sunt circa hãc difficultatẽ extremæ sententiæ. Vna est Gregor. Arim dist. 34. quæ comprehenditur duabus propositionibus. Prima, cessante lege imperatiua, adhùc esset peccatum; quia posset quis contra legem indicatiuam peccare. Secunda, quàmuis per impossibile non esset Deus in rerum natura; nihilominus esset peccatum agere contra legem indicatiuam. Altera opinio est magistri Victoriæ, asserentis; quòd si nulla esset lex imperatiua diuina, vel humana, etsi per impossibile non esset Deus, nullum esset peccatum, quàmuis homo operaretur contra rectam rationẽ, ideſt, contra legem indicatiuam. Ad difficultatem hanc, quæ non est de facto, sed de possibili, plenius intelligẽdam, animaduerte sequentia.

Greg. Arim. dist. 34.

Vict. relect. vlti. p. 2. dubio 3.

1. Animad. Vnus, & idem actus malus dicitur malum morale, peccatum, culpa, & offensa, diuersis tamẽ rationibus. Illustro rem hanc exemplo. Violatio ieiunij obligatorij dicitur malum morale, quatenus opponitur actui virtutis, scilicet, temperantiæ; appellatur, & peccatum, quatenus impedit consecutionem finis, ideſt, beatitudinis, ad quam homo destinatur, & præsertim quatenus est contra dictamen rationis: & est priuatio rectitudinis, vt suprà diximus. Vocatur, & culpa quatenus ex natura rei cuicunquè malo aliqua pœna respondet. Postremò nominatur offensa, quatenus irrogatur Deo iniuria,

iuria, negando ei obedientiam, cui de iustitia tenemur obedire. Hæc ex S. Thom. 1.2. quæst. 1. lege Caiet. ibidem.

2. Animad. Quædam sunt mala solùm, quia lege superioris, & non ex natura rei prohibẽtur; vt portare arma certa noctis hora, vel quid simile. Tale fuit etiam primum hominis peccatum. Si enim esus illius fructus non fuisset à Deo prohibitus, non fuisset malus. Quædam autem sunt prohibita, quia mala. Quæ quidem, cessante omni prohibitione, essent mala, eò q; ex natura rei dictamini rectæ rationis aduersantur; talia sunt, quæ in præceptis decalogi prohibentur.

3. Animad. Regula, qua bonitas nostrarum operationum mensuratur; vel est tẽporalis, & hæc est recta ratio nostri intellectus; vel est æterna, quo est voluntas diuina, cui subordinatur tẽporalis. Ideò enim aliquid est contra rectam rationem, quia est contra voluntatem Dei, quæ est regula æterna. Et defectus istarum regularum est vniuersa malitia nostrarum operationum.

4. Animad. Lex æterna potest bifariam considerari. Primò, vt est in Deo, antequam per reuelationem innotesceret. Quo quidem modo neminem obligat, quia omnes illam inuincibiliter ignorant. Vel secundò potest considerari, quatenus nobis innotescit; aut per rationem naturalem, vt sunt præcepta decalogi, iuxtæ illud. Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Aut per reuelationem, vt præcepta fidei. Priori modo obligant leges naturales, quàmuis Deum ipsum ignoremus. Non enim est de ratione legis naturalis cognitio legis latoris. Gentes enim ignorabant Deum; & tamen legibus naturalibus tenebantur. Notanter dicitur, legis naturalis: quia de legibus humanis positiuis aliter est asserendum, vt in floribus. 3. lib. in materia de legibus patebit.

Psal. 4.

S. Tho. 1.2. q. 19. art. 4.

CONCLVSIO 1.

Opera intrinsecè mala, ideſt, quæ sunt prohibita, quia mala, & in nullo euentu possunt fieri bona, ab exordio mũdi fuerũt à Deo prohibita, & nobis nõ solùm lege indicatiua, verũ etiam imperatiua innotuerunt. Constat ad Roma 2. Nã si gẽtes, quæ legem non habent, scilicet, scriptam, naturaliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea, quæ legis sunt, faciunt: profectò lex diuina imperatiua hominibus semper per lucē rationis innotuit. Oppositum huius conclusionis est contra B. Paulum.

CONCLVSIO II.

Si per impossibile non esset Deus, essent tamen creaturæ rationales: vt pleriquè gentium opinabantur, opera intrinsecè mala, & quamuis non essent peccata: essent nihilominus moraliter mala. Ratio primæ partis conclusionis ex primo fundamento est; quia peccatum est actus malus quatenus impedit assecutionem finis, &c, nullo Deo existente, nullus esset hominis finis. Atquè ita cùm non impediret finis consecutionem, nō esset peccatum. Ratio secundæ partis est; quia cùm huiusmodi opera opponerētur actibus virtutum, essent moraliter mala.

CONCLVSIO III.

Nulla lege imperatiua existēte, sed sola indicatiua, Deoq; etiam existente, opera intrinsecè mala essent peccata. Et ratio est; quia peccatum, vt peccatum, est actus impediens finis assecutionem, & nulla lege diuina imperatiua existēte: opera intrinsecè mala non essent in vltimum finem, scilicet, in Deum referibilia. Furtum enim adulterium, &c. non possent in Deum referri: quare lege tantùm indicatiua existente, essent peccata. Hæc, & secunda conclusio sunt ex sentētia Gregor. Arimin. contra Victoriam.

CONCLVSIO IIII.

Si nulla esset lex imperatiua, prohibens intrinsecè mala, quàmuis huiusmodi mala essent mala moraliter: nullum tamen eorum esset malum culpæ, tametsi posset esse malum offensæ in Deum, & in proximum. De malo autem culpæ ratio est; quia malum culpæ est, cui aliqua pœna à legis latore instituta respondet, etsi nulla esset lex imperatiua, nulla esset pœna à legis latore condita. Atquè ita nulla tunc esset culpa. De malo offensæ probatur; quia offensa non solùm est actus inobedientiæ, verùm etiam est iniuria contra amicitiam, quam aliquis erga proximum, & superiorem tenetur habere. Et si nulla lex imperatiua existeret de amore in Deū, & in proximum, esset nihilominus odium Dei iniuria in ipsum

ipsum Deum: sicut furtum esset iniuria in proximum. Quare esset odium Dei offensa, quatēnus injuria; non tamen esset inobedientia talis actus: quia tunc nulla lege prohiberetur. Et confirmatur; nam modò iniuria irrogata proximo est ei offensa, quàmuis contra ipsum non sit actus inobedientiæ: propterea quòd inobedientia solùm est contra Deum, vel superiorem, iuxta illud. Tibi soli peccaui. Hæc de intrinsecè malis, nunc de malis, quia prohibitis. *Psalm. 50.*

CONCLVSIO V.

Omni lege imperatiua secluſa, nullum malum: quia prohibitum, est peccatum, aut offensa, & hoc ex natura rei, nulla habita ratione ad operantis intentionem; vt est affectre arma noctis tempore. Et ratio est; quia si huiusmodi actus nulla lege prohiberentur, nulla essent peccata; ergo tota ratio malitię est prohibitio; qua quidem cessante, nullum erit peccatum. Et animaduerte, quòd huiusmodi actus non prohibentur, eò quòd mali, vel boni, vel indifferentes sint: sed quia ex huiusmodi actibus, aliàs non prohibitis, multi propter suam malitiam, sumunt peccandi occasionem: vt ex deportatione armarum noctu patet. Sicut pulchritudo Beth-sabeæ bona erat; fuit tamen Dauidi peccandi occasio, non data: sed accepta.

CONCLVSIO VI.

Loquendo de lege instituta à Deo, peccatum in sua ratione formali includit esse contra legem imperatiuam Dei, etsi esset solùm contra indicatiuam, non esset peccatum. Quia lex indicatiua solùm est consilium. Probatur ex B. Paul. Vbi non est lex, nec præuaricatio. Et confirmatur ex definitione D. August. peccatum est dictum, &c. contra legem Dei. *Ad Rom. 4.*

Alex. Alen. tota q. 114. & q. 115. m. 3. S. Tho. 1. 2. q. 71. art. 5. Duran. d. 35. q. 2. & in. 3. d. 3. q. 2.

Quæst. II. De essentialib. peccati omissionis.

Prima diffi. An omissio sit peccatum?

CVM in dies multa omissionis peccata committamus, ineptum esset quærere. An sit omissio? Idcò, an sit peccatum? est declarandum.

CON-

CONCLVSIO.

Alex. Alen. vbi. s. m. 1. Iacob. 4. D. Aug.

Est quidem peccatum. Dicit enim B. Iacob. c. 4. Scienti bonum, & non facienti peccatum est. Et cùm peccet ex non faciendo, peccabit omittendo, quod faciendum erat. Vnde D. Augustin. in Enchir. ait. Duabus ex causis peccamus, aut nondũ videndo, quid facere debeamus; aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus. Et ratione confirmatur; quia peccatum generali diuisione in peccatum commissionis, & omissionis diuiditur. Quare omissio peccatum erit; quem admodum brutum, in quod diuiditur animal, dicitur esse animal.

Diuisio peccati.

DVB. Diuiditur ne omissio in venialem, & mortalem?

CONCLVSIO.

POtest in mortalem, & venialem diuidi. Et ratio est; quia si consideretur omissio proprie respectu debiti est mortalis. Propterea quòd omittit quis facere id, quod sub pœna peccati mortalis facere tenebatur. Si verò communiter respectu expedientis, siue vtilis sumatur, tunc erit omissio venialis: quoniam non fit, quod fieri expediebat.

Alex. Alen. m. 1. & alij vbi. s.

Secunda diffic. Quid nam est omissionis peccatum?

CONCLVSIO.

OMissionis peccatum est non dictum, vel non factum, vel non concupitum, contra legem Dei. Hoc est, non facere, non dicere, vel non concupiscere, quod lex Dei faciendum, vel dicendum, vel concupiscendum esse præcipit. Hæc conclusio colligitur ex secunda diuisione secundæ difficultatis primi artic. & ex probatione conclusionis. 2 art. quæst. primæ proximè præcedetis. Hoc enim est potissimum discrimen inter commissionem, & omissionem, quòd omissio est prætermittere facienda; commissio autem est facere prætermittenda.

Tertia

Tertia diffic. Vtrùm possit esse peccatum omissionis absque aliquo actu positiuo exteriori, aut interiori, præuio, siue concomittante?

TRes sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima est Duran. vbi sup. & Marsil. & Adriani, & Almayni, qui affirmant frequentissimè contingere peccatum omissionis absque aliquo actu positiuo. Secunda est omninò contraria, quæ tenet, omissionis peccatum nunquàm euenire absque aliquo actu positiuo præuio, siue concomittante. Huius opinionis autor est Alex. Alen. quem sequitur Capreolus. Tertia opinio, & media, quæ tribuitur D. Thom. dist. 15. continetur duabus propositionibus. Prima, non est aliquis actus de ratione peccati omissionis. Secunda, moraliter loquendo, impossibile est peccatum omissionis contingere ex intentione operantis, sine actu positiuo præuio, vel concomittante omissionem ipsam. Prima opinio, quam sequitur, & latissimè tractat Gabriel, est cæteris communior.

Dur. d. 35. q 2. Marsil. in. 2. q. 21. art. 2. Adria. in. 4. q. 3. de euch. ad. 3. principale. Almayn in suis moral. tract. 3. c. 25. Alex. Alen. vbi. sup. m. 2. Capreo. d. 35. q. vnica ad argumenta. Gabr. d. 41. q. vnica. Dub. 3. Nota.

Dupliciter potest aliquis cadere in peccatum omissionis: vel ex proposito iniquo, sciens, & volens omittere opus ex præcepto faciendum: vt si quis omittat aliquam horam canonicam, volens illam omittere: vel secundò ex obliuione, quãdo nullis peculiaribus præpeditus occupationibus, vel quia laborat ignorantia culpabili, aliquis omittit actum, ad quem ex præcepto tenebatur, vt audire missam in die festo.

CONCLVSIO I.

Nullus actus positiuus præcedens, siue concomittans est de essentia, seu quidditate peccati omissionis. Et ratio est, quia circunstantiæ præcedentes, siue concomittantes actum aliquem, etiam si, sine illis talis actus esse nequeat, de eius essentia, & quidditate non sunt. Propterea quòd accidens, quamuis inseparabile, non est de quidditate substantiæ: & cùm huiusmodi actus positiuus accidat peccato omissionis, non erit de illius quidditate.

CONCLVSIO II.

Quotiescũq; aliquis actum ex precepto faciendũ omittit, & hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

& hoc ex proposito,sciens se ad talem actum teneri, impossibile est moraliter loquendo,talem omissionem non procedere ex aliquo actu positiuo. Et ratio est, quia ita omittens opus faciendum, vel habet actualem volitionem omittendi opus debitum,vel suspendit voluntatis actum, neutraliter se habendo. Si primum,iam omissio est ab actu positiuo voluntatis,si secundum,idest,si neutraliter se habet, & recordatur operis faciendi,similiter procedit ab actu positiuo.Propterea q impossibile est hominem suspendere ex industria voluntatis actum debitum, cuius recordatur: quin actualiter velit suspensionem ipsam, dicendo intra se: volo istam suspensionem. Et confirmatur, quia cùm suspensio non sit nolita, erit necessariò volita. Non enim est dare medium inter volitum, & non volitum.

CONCLVSIO III.

Quando opus ex præcepto faciendum omittitur ex ignorantia culpabili, siue ex obliuione, talis omissio nullo actu positiuo præuio,siue comitante, potest esse. Verbi gratia, si quis ex obliuione, aut ex ignorãtia culpabili completorium, aut alicuius sancti commemorationem prætermittat. Et ratio est,quia cùm obliuio non sit actus positiuus: sed pura negatio,omissio, quæ ex sola obliuione orietur, nullum actum positiuum: sed puram negationem præsupponet. Et confirmatur conclusio,quia quando aliquis alicuius sancti commemorationem,vel restitutionem contractus vsurarij, vel quid simile,quod culpabiliter ignorat, prætermittit, talis omisio nullum planè actũ positiuum mediatum,vel immediatũ presupponit:sed puram negationem.s. negligẽtiam interrogandi doctores.Hæc est S.Tho. vbi sup.contra aliquos Thomistas.

DVB. II. Qui in die festo ex obliuione tantùm non audit sacrum,peccabit ne?

RAtio dubitandi est,quia,durante obliuione, non potest obliuiosus vitare peccatum,& nemo in eò, quod vitare non potest,peccat.

CON-

CONCLVSIO.

Imputabitur illi peccatum. Et ratio est,quia si diligentiam adhibuisset, obliuionem relegasset. Si enim fuisset solicitus eorum quæ Dei sunt, recordaretur diei festi, & se ad interessendum sacris obligatum. Et ideò hæc sactorum omissio imputabitur sibi, propterea quòd fuit volita in sua causa negatiua,scilicet,in negligentia recordationis. Et licet aliquando, posita causa,non possit vitari peccatum: erit nihilominus tale peccatum liberum, & voluntarium, quia in potestate nostra fuit,vitare eius causam.Sicut,posita superbia, non potest vitari inuidiæ peccatum,& est nihilominus inuidia libera, & voluntaria:quoniam eius causa, nempe, superbia poterat vitari.

DVB. III. Quando omissio erit voluntaria dicẽda,& ad culpam imputanda? S.Thom.1.2. q.6.art.3.

CONCLVSIO.

VT omissio sit voluntaria, & ad culpam imputetur, tres conditiones sunt necessariæ, nempè, vt possit quis, & teneatur, & non faciat. Et ratio est, quia non satis est facultas, & libertas faciendi, & non facere, vt amissio sit voluntaria,& ad culpam imputetur. Quod confirmo positis exemplis,vt si duo gladijs se feriant, potenti illos componere magno cum discrimine,& non facienti,non erit hęc omissio voluntaria, quia non tenetur cum tanto periculo. Nequè erit ad culpam imputanda, esset tamen voluntaria iustitiæ ministro. Quoniam ei ex officio incumbit tales lites componere. Similiter videnti hominem è carcere fugientem, quem poterat detinere,& non detinuit,talis omissio non erit voluntaria, quia non tenebatur ex officio, sicut tenetur carceris custos. Perinde exienti ab ecclesia, & non claudenti ostium,cuius omissionis causa subsecutum est furtum,omissio non est voluntaria,quia non tenebatur.Esset tamen volũtaria respectu sacristiæ, cui ex officio competit ecclesiã claudere. Tandem ex oppositio sequeretur omnia peccata esse

volita

Universidad de Deusto
Biblioteca

volita à Deo,& Deũ vniuersis peccatis consentire:quia Deus potest impedire omnia peccata,& non impedit.

Append. Hinc, non omnis omissio libera erit voluntaria. Nam ex dictis satis constat,multas esse omissiones liberas,quæ tamen voluntariæ non sunt.

DVB. IIII. Potest ne esse aliquod peccatum commissionis absq; aliquo actu positiuo?

Dionysi. Carthusiani. Almayn in moralib. cap. 10.

ALmayn.cap. 10.refert esse peculiarem opinionem Dionysi. Carthusiani, affirmantis, posse dari aliquod peccatum commissionis absquè actu positiuo:vt si quis adhibeat omnem voluntatis conatum, ad eliciendum odium contra patrem,quem non potest odio habere, eò q; recordatur beneficiorũ,quæ à patre recepit, in tali casu, inquit, ille, est reus peccati commissionis, absq; aliquo actu. Quia conatus ille, qui est applicatio voluntatis secundum omnes vires suas ad eliciendum aliquem actum, quem non elicit,de sententia eiusdem non est actus.

CONCLVSIO.

Impossibile est,esse aliquod peccatum commissionis,quin sit actus positiuus. Ratio à definitione peccati commissionis est:quia est facere,quod quis tenetur cauere,& facere;siue factio actus positiuus est. Tum etiam, quia conatus voluntatis actus positiuus est,cùm sit, velle producere actum,amorem, scilicet, aut odium, & volitio producendi aliquid operatio voluntatis sit.

Quarta diffic. Actus ille,qui præcedit, vel concomitatur omissionem,est ne peccatum?

Dur. vbi.§. Capreol. dist. 35.

DVæ sunt opiniones, quæ videntur contrariæ: sed si diligenter perpendantur, non sunt. Prima est Durandi vbi sup. tenentis non esse peccatum. Secunda est Capreoli asserentis, esse peccatum. Cæterùm,quæ sequuntur considera.

Causa

Causa peccati est peccatum. Quia causa ex.1. Physic. est agens ex intentione: vt si quis consultat alicui flagitium hoc animo, vt illud committat, & tunc peccat,teste Apostol.qui loquens de his, qui consentiunt alienis flagitijs, & tamen ea non prohibent,cùm possint,ait. Digni sunt morte, nõ solùm qui ea faciunt,sed etiam qui consentiunt facientibus. Propter q; inexcusabilis es, ô homo,omnis, qui iudicas, scilicet, approbando,vel consulendo eorum fascinora. *1. considera-tio. Arist. ad Roma. 1.*

Occasio etiam peccati est peccatum. Est autem occasio agens præter intentionem. v. g. si quis rem aliquam licitam efficiat,quæ sibi,vel alteri sit ruinæ occasio, & vocatur scandalum pusillorum, vt si quis infirmitate, siue ægritudine laborans,tempore quadragesimæ carnibus publicè vesceretur, in hoc euentu,ignorantibus eius ægritudinem esset ille cibus occasio ruinæ.& ex consequenti peccatum,quàmuis aliàs esset licitus.Et probatur.1. Corint.8.Si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Et loquitur de illis Christianis, qui publicè edebant carnes idolis immolatas, ex quorum facto imbecilliores ecclesiæ sumebant occasionem venerandi idola, existimantes aliquid diuinitatis latere in idolis. Propterea quòd maiores ecclesiæ carnibus idolis immolatis vescebantur. Et ad Roma. 14. Noli cibo tuo fratrem tuum perdere, pro quo Christus mortuus est. Et erat proculdubio licitum comedere carnes idolis immolatas. Cæterùm quia imbecilliores ecclesiæ sumebant inde idolatrandi ansam, erat absque dubio illarum carnium esus mortale peccatum. *2. consider. 1. Cor. 8. ad Roma. 14. 3. conside.*

Contingit sæpissimè præ amore alicuius rei,aliàs licitæ,diuinum præceptum violare, & talis, teste D. August. fuit prima Adæ præuaricatio. Peccauit enim ne contristaret delicias suas,nempè,suam,quam plùs æquò diligebat. *D. Aug.*

Append. Hinc,etiam frequentissimè accidit, vt religiosi præ nimio litterarum amore,nolint contemplationi vacare, quando sibi à prælatis præcipitur.

Actus cõcomitans omissionem,vel est causa omissionis,vt si quis non alia de causa,nisi,vt vacet ludo,aut studio die dominico prætermittat sacris interesse; vel non est causa omis- *4. conside.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sionis, vt si quis priùs statuat apud se non audire missam, & posteà, vt otium fugiat, placet sibi studio indulgere.

CONCLVSIO I.

Quando actus, concomitans omissionis peccatum est causa, siue occasio peccandi, nempe, omittendi, quod quis facere tenetur, peccatum est. Constat conclusio ex considerationibus positis. Quicquid enim est causa, vel occasio peccãdi, est peccatum, ergo quotiescumquè aliqui, præ amore alicuius rei omittunt ex præcepto facienda, res illa erit causa, vel occasio præuaricandi legem, & ex consequenti erit peccatum.

Appen.2. Hinc, studium illius, qui amore litterarũ, vt vacet studio, conscius diei dominici omittit missam, erit mortale, & confitendum.

Appen.3. Hinc, si amore ludi, vel alicuius rei licitæ omittat præceptum de audienda missa, cùm tales actus sint occasiones omittendi præcepti obseruantiam, erunt peccata.

Appen.4. Hinc, quoquè inordinatus amor erga creaturas est peccatum, quoniam est occasio violandi præcepta diuina: vt constat exemplo primi parentis Adæ. Et cùm huiusmodi inordinatus amor sit peccatum, erit quidem confitendum. Quod est confessarijs, & pœnitentibus maximè notandum.

Nota confes sor.

CONCLVSIO II.

Quando actus concomitans omissionis peccatum non est causa, vel occasio peccandi, non est peccatum. Patet ex considerationibus positis. Tum etiam, quia illi, qui statuit non audire missam, cómodiùs, & vtiliùs est alicui rei licitæ operam dare, quàm otio vacare. Tandem, quia si interim dum omitttitur præceptum, nihil prorsus liceret facere, tunc omnis actio esset peccatum, scilicet, comedere, studere, egeno subuenire, &c. quod est omninò absurdum.

DVB. V. Sacerdos, qui posteà quàm statuit non persoluere diuinum officium, proijcit breuiarium in mare, peccat ne? similiter, qui emisso voto ingrediendi religionem, mutaret sententiam, & posteà duceret vxorem peccaret ne?

RAtio dubitãdi est, quia in his duobus casibus, isti actus, nempè, proiecto breuiarij, & cõtractio matrimonij nõ sunt omissionis officij diuini, neq; fractionis voti causa, cùm iam antea decreuerit sacerdos non soluere diuinum officiũ, & alter non seruare votum. Et actus concomitans tũc est peccatum (vt modò diximus) quando est peccandi causa, vel occasio. Respondeo. Vterq; peccat, non q̃ vterq; actus sit omissionis causa, sed quia vterque recludit sibi resipiscendi viam. Duodecim enim horæ sunt diei. Et qui proiecit breuiarium, est impotens ad soluendum officium diuinum. Et qui duxit vxorem, reddit se impotentem ad votum adimplẽdum, & insuper est reus voti. Votum enim religionis in se votum non nubendi includit. *Ioan.11. Lege flor. 4. q. de impedimento voti art. 3. diffic. 1.*

Hinc, qui se impotentem reddit ad actum obligatorium in futurum adimplendum, peccat. Quia absquè dubio Spiritui sancto viam recludit. Appen.1.

Hinc, qui teneretur ex præcepto dare eleemosynam, si ludo illam amitteret, peccaret. Quia constituit se in periculo impotentiæ adimplendi præceptum, & de alijs similibus simile est iudicium. Appen.2.

Quinta diffi. Vtrũ actus, qui est causa omissionis, sit peccatum numero distinctum ab omissione?

VEtustiores Theologi nihil de hac difficultate tradidere: inter recentiores autem quidam partem affirmantem, quidam verò negantem defendunt. Sunt autem duo, vt difficultas magis perspicua reddatur, priùs adnotanda.

Vt peccata numero distinguantur, non satis est actus pro *1. annot.* mate-

Universidad de Deusto
Biblioteca

materiali esse plures, si formale est vnum, neque è contra sufficit formale esse multiplex, si actus pro materiali est vnus: sed requiritur vtrumque copulatiuè. Voco autem materiale peccati actum ipsum in genere entis, siue naturæ: formale autem ipsam inobedientiam. Illustro adnotationem hãc exemplis. Sint, verbi causa, duo actus distincti, vnus interior, alter verò exterior, nihilominus erit vnum peccatum numero; quia inobedientia est vna. Est enim vna numero transgressio vnius tantùm præcepti, & non multiplex. Quare non sufficit actus esse plures, vt sint peccata numero distincta, si formale est vnum. Neque è contra, nam in sacrilegio cum moniali est duplex in obedientia pro formali, scilicet, transgressio duorum præceptorum, vtpote, non fornicandi, & non accedendi ad consecratam per solemne votũ. Possunt quoq; esse transgressiones plures, nam si est virgo, est quoquè stuprum, & si sacrilegus est coniugatus, est etiam adulterium. Præterea erit, & incestus, si fuerint consanguinei. Et tamen est vnum numero peccatum, quia vnus actus, quoniam naturale est vnum, & eundem actum plures habere circunstantias.

Append. 1. Dub. Hinc, soluitur quæstio illa, scilicet, quando aliquis per annum integrum habuit propositum occidenti aliquem, sit tãtùm vnum peccatum? vel sint tot numero peccata distincta, quot habuit volitiones interruptas? Et respondetur, peccatũ multiplicari ad multiplicationem volitionum interruptarũ propter adnotationem positam. Multiplicabatur enim peccatum materialiter simul, & formaliter: quoniam insurgebat noua inobedientia numero, à præcedenti distincta.

Adnota. 2. Actus, qui concomitatur omissionẽ, & est causa illius, vel est aliàs prohibitus, vt si quis propter fornicationem omittat missam, vel non est prohibitus, vt si quis propter studium licitum non audiat in die festo missam.

CONCLVSIO I.

Actus, qui est causa omissionis, & illam concomitatur, si est aliàs prohibitus, est peccatum, numerò ab omissionis peccato distinctum. Et ratio est, quia formale, & materiale est duplex, vt ex prima adnotatione constat.

CON-

CONCLVSIO II.

Si talis actus concomitans omissionem, non est aliàs prohibitus, & fuit omissionis causa, erit proculdubio vnum numero peccatum, vt si quis amore studij omittat missam. Et ratio ex annotatione prima est, quia tunc, licèt sint duo materialia distincta, scilicet, studere, & non audire missam, quorum vnum est positiuum, & alterum negatiuum, formale tamen est vnicum, vel vnica inobedientia, & vnius præcepti transgressio illius, scilicet, de audienda missa die festo.

Hinc, quando actus, qui est occasio, siue causa omissionis est contra idem præceptum, quo prohibetur omissio, & est simul cum ipso peccato, peccatum erit vnica transgressio, & non multiplex: vt ingressus ad domum concubinæ, & accessus ad ipsam est vnicum peccatum, quàmuis ingressus sit occasio. Eodem enim præcepto, quo prohibetur actus, prohibentur etiam occasiones ad actum prohibitum inducentes. Append. 2. Append. 3.

Hinc, satis erit tunc confiteri omissionem, quàmuis eius causam quis minimè confiteatur.

Sexta diffic. Vtrùm omissio, quæ non est in potestate omittentis tempore, quo fit: fuit tamen anteà, sit peccatum?

VErbi gratia, si quis die dominico hora. 11. omittat audire missam: quia inebriauit se. An talis omissio sit peccatum? Duæ sunt opiniones circa hãc difficultatem. Prima est Marsilij, affirmantis, omnem omissionem etiam à causa inculpabili procedentem, esse peccatum: quàmuis tẽpore, quo fit, non sit in nostra potestate. Vnde infert posse aliquem sine culpa sua incidere in ebrietatẽ, & dũ est ebrius, nõ audire missam, & peccare mortaliter, & perdere gratiam. Quæ quidem sententia est erronea, nam ex ea sequitur aliquem obligari ad impossibile: vt non audiens missam ex infirmitate, & qui inter dormiendũ absq; culpa sua polluitur. *Marsil. in. 2. q. 21. art. 2. propositione 2.* *Marsil. cautè legendus.*

Hæc enim procedunt à causâ inculpabili, & tempore omissionis sunt ineuitabilia. Altera opinio, & contraria, & vera est Alex. Alen. & S. Thom. Aut omissio emanat à causa inculpabili, vt si quis absque culpa sua incidat in ebrietatem, quoniã ignorabat vini potentiam, & suam imbecillitatem, vel secundò procedit à causa culpabili, vt frequenter vsuenit. Hæc diuisio est S. Tho. 2. 1. q. 79. art. 3. ad. 3 & q. 150. art. 4.

S. Tho. d. 35. art. 5.

CONCLVSIO.

Qui culpabiliter contrahit impedimentum, quò minus, tempore debito, præceptum possit adimplere, absque dubio peccat omittendo, si verò inculpabiliter, non peccat. Probatur vtrumque, quia cùm in casu huius dubij omissio sit peccatum, non quia est volita in se, sed in sua causa, erit profectò iudicanda secundum suam causam. Atque ita si causa fuerit culpabilis, omissio erit peccatum, sin minus nullum erit peccatum.

Obiect. solutio.

Hinc, inferes, ergo qui ex culpa sua incidit in infirmitatẽ, vel est carceri mancipatus, peccabit non audiendo missam? Respondeo. Neuter peccat missam omittendo, propterea q̃ impotentia non audiendi missam, non oritur immediatè ex culpa, sed ex pœna culpæ, scilicet, ex carcere, vel ex infirmitate, quorum vtrumquè est inuoluntarium.

Septima diffic. Peccatum omissionis imputabitur ne tempore. v.g. quo erat audienda missa? An tempore, quo data fuit causa omissionis?

V

Verbi gratia, si demus, omissionem procedere à causa culpabili, vt si quis primo mane die dominico fuerit inebriatus, & non audierit missam. Quæritur tunc, quo tempore imputabitur omissionis peccatum? &c. Duæ sunt de hac re opiniones. Quarum prima est Alexand. Alen. & Adriani, asserentium, mala ineuitabilia in se ipsis, voluntaria tamen in sua causa, imputari ad culpam non tempore, quo fiunt, sed tempore, quo datur causa. Secunda autem opinio est

Alex. Alen. m. 7. q. 114. Adria. in. 4. q. 3. de Euch.

est S. Thomæ in hoc art. 5. q. 71. 1. 2. & in 2. 2. in quæstionibus proximæ difficultatis, qui tenet huiusmodi peccata non solùm imputari, quando datur causa, verùm etiam quando patrantur, vt ebrius peccat, quando inebriatur, & quando præ nimia ebrietate hominem interficit, quamuis tale homicidium non sit voluntarium in se, sed in sua causa. In hac difficultate aliter loquendum est de illo, qui dedit causam peccato ineuitabili, si tamen pœnituit, antequàm effectus sequeretur, vt qui propinauit alicui venenum, & antequàm alius biberet, pœnituit, & aliter de eo, qui anteà non pœnituit.

S. Tho. vbi suprà.

Nota.

CONCLVSIO I.

Quando aliquis dedit causam peccato, si antequàm eueniat, illum pœniteat causæ, quam dedit patrandi malum futurum, sibi ad culpam non imputabitur. V.g. si ex libidinosa cogitatione in vigilia, vt sæpissimè contingit, in somniis oriatur nocturna pollutio, si antequàm somnum capiat, eum delectationis pœniteat, futura pollutio in somniis ei non imputabitur. Et ratio est, quia huiusmodi pollutio iam non est voluntaria nec in se, cùm sit in somniis: nec in sua causa, cùm iam sit nolita, & per pœnitentiam remissa.

Append. 1.

Hinc, qui clerico venenum propinaret, si antequàm biberet, vel moreretur, pœniteret, iam non esset quò ad Deum excommunicatus, licet, quò ad ecclesiam, quæ non iudicat de occultis, pro excommunicato habeatur.

Append. 2.

Hinc, omnes, qui præsertim cum mulieribus, ne dicam cum mulierculis interdiu sæpissimè tractant, ne pollutio in somniis contingens, illis imputaretur, aliis interim omissis causis, deberent singulis noctibus, cùm voluntire dormitum, actum contritionis elicere.

CONCLVSIO II.

Peccatum interiùs omissionis pro formali imputatur alicui tempore, quo dedit peccato causam, exteriùs autem tempore commissionis siue omissionis imputatur. Ratio primæ partis huius conclusionis est, quia cùm non habeat aliam rationem culpæ, nisi in sua causa, tũc erit planè pro formali imputanda. Nam tunc fuit transgressio interior, & inobedientia ex eo tantum: quia tunc constituitur quis in certissimo

Universidad de Deusto
Biblioteca

periculo omittendi ineuitabiliter rem, quam facere tenebatur, aut committendi rem, quam tenebatur fugere. Ratio secundæ partis est, quia actus exterior imputatur ad culpam, quando ex mala voluntate libera procedit. Et in casu huius difficultatis actus exterior, vel homicidium ab ebrio commissum ex mala voluntate libera nempè, à voluntate inebriandi se, procedit. Atquè ita tempore, quo fit, peccatum imputabitur. Quamuis (vt diximus) non sit pro formali distincta inobedientia ab ebrietate. Et hoc modo est doctrina S. Thom. intelligenda vbi sup. quæst. 79. nempe, quod tunc imputatur pro materiali tempore, quo fit, quantum ad actum exteriorem: quia quantum ad formale imputatur tempore, quo fuit data causa omissioni: propterea quòd tunc fuit omissio voluntaria, & non quando actu fit, vt Alex. & Adria. docent.

Alex. Alen. m.9. vbi suprà.

Octaua diffic. An semper homo quantumlibet perfectus omittat?

DVplex est debitum. Vnum ratione accepti beneficij. Alterum ratione præcepti.

CONCLVSIO I.

Nemo in hac vita ita perfectus est, quin ratione debiti accepti semper omittat. Et rario est, quia ratione accepti quantum quis potest, tantum debet. Et cùm nemo possit tantum facere, quantum debet, semper planè omittet. Homo enim non est perfectus in diligendo, dum est in via: quia non potest diligere omninò ex toto corde, & tota anima, & ex tota mente. Lege D. August. in lib. de perfectione paulo ante medium.

D. August.

CONCLVSIO II.

Ratione debiti ex præcepto vir perfectus non semper omittit. Et ratio est, quia cùm omisso propriè sumpta non respiciat debitum ex accepto, sed ex præcepto, poterit vnusquisque facere, quod debet ex præcepto, atque ita non omittet. Non enim omisso respicit circunstãtiam, sed genus actionis, quatenus in præcepto est.

Nona

Nona difficult. Omissionis grauitas penes quid erit attendenda?

POsitis quibusdam propositionibus, erit perspicuum, vnde grauitas omissionis sit colligenda. Alex. Alen. vbi supra. m. 6. Almayn. in suis moral. tract. 3. c. 26.

Prima Propositio.

Sumenda est ex comparatione affirmationis, cui opponitur. Nam cum omissio sit pura negatio, ex comparatione ad affirmationem, cui opponitur, erit eius malitia, & grauitas colligenda.

Hinc, quantò affirmatio, cui opponitur peccatum omissionis, est præstantior, omissio est deterior. Append. 1.

Hinc, grauiùs peccat omittens sumptionem Eucharistiæ, quando est sub præcepto, quàm omittens missam die dominico. Quia communio sacramentalis præstat auditioni missę. Append. 2.

Hinc, deterior omissio erit non corripere, &c. quàm non dare eleemosynam. Quia multò melior actus est corripere. Append. 3.

Secunda Propositio.

Quando omissio non est voluntaria in se, sed in sua causa, tunc eo omissio est peior, quò causa est deterior.

Hinc, qui omittit missam ratione ludi, grauiùs peccat, quam qui illam ratione studij omittit. Appen. 4.

Hinc, grauiùs peccat, qui omittit corripere fratrem, ne illum tristitia afficiat, quàm qui metu mortis correptionem omittit. Append. 5.

Tertia Propositio.

Grauiùs peccat omittens præceptum ex industria, & ex voluntate, quàm omittens ex obliuione, aut ex ignorantia culpabili. Et ratio est, quia habet plus voluntatis quod est volitum in se, quam quod in sua causa, & per consequens plus malitiæ. Hæc propositio est contra quosdam Thomistas recentiores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta Propositio.

Quantò maior est præcepti obligatiò, tantò deterior est eius omissio. Grauiùs enim peccat, qui non subuenit extremè indigenti, quàm qui non soluit viginti ducatos creditori, quia maior est prima obligatio.

Quinta Propositio.

Grauitas vno verbo omissionis attendenda est ex materia, & aliis circunstantiis, sicut grauitas commissionis de quibus infrà erit sermo.

DVB. Est ne grauior omissio cum actu, quàm sine actu?

QVidam dixerunt grauiorem esse in infinitum, quæ est cum actu.

Propositio.

Non est grauior. Et ratio est, quia cùm illa volitio, vel nolitio, quæ est causa omissionis non sit mala, nisi propter omissionem, non erit peior, quàm omissio. Nolle si quidem audire missam de se non est malum, vt patet: quando non tenemur illam audire, quare si est malum, erit malum ratione omissionis. Tandem cùm confessarij non inquirant solicitè de huiusmodi volitionibus, aut nolitionibus, non augebunt in infinitum omissionis malitiam.

Alex. Alen. q.116.& 117. & 146.& 157. S.Tho.1.2. q. 72.& 76.77. S.Bon.d.41. art.1.& d.

Quæst. 111. De varijs distinctionibus specificis, ac diuisionibus peccatorum?

HÆc quæst. Nonnullis articulis expositis, absoluetur.

Artic.

Artic. 1. Vtrùm peccata distinguantur specie penes specificam obiectorum distinctionem? An penes specificam distinctionem habituum, siue rectitudinum, quibus opponuntur?

42.dub.2. Ricard. Scot.& alij d. 35. & alibi. S.Tho.1.2.q. 71. art. 6. & q.72.art.1. S.Scot.& Gab. d.35.

EST tituli sensus. An distinguantur specie, penes conuersionem ad creaturas? An penes auersionem à recta ratione, & à Deo? Duæ sunt opiniones extremæ. Prima S. Thom. qui dicit, distingui penes conuersionem ad creaturas, quam amplectuntur omnes eius discipuli. Est enim maxime probabilis. Altera, & contraria opinio est Scoti d.35. notab. ex ista solutione patet, & c. asserētis, peccata distingui penes auersionem à recta ratione, & à Deo. Scoto adhæserunt Gabriel d.35. in fine q. & alij nominales.

CONCLVSIO.

Peccata specie distinguntur penes specificam distinctionem habituum, rectitudinumque, quibus opponuntur. Hæc conclusio est de sententia Scoti. Et prima ratio ex supradictis est, quia priuationes distinguntur specie ad distinctionem tantùm habituum, quibus opponuntur, autore Aristot. vt cœcitas, & surditas differunt specie, propterea quòd visus, & auditus, quibus opponuntur, specie distinguntur. Et peccatum priuatio rectitudinis, quæ debuit inesse actui, est, atq; ita distinguetur vnum ab altero, ad distinctionem rectitudinum, quibus opponuntur, & non aliter: vt furtum, & fornicatio differunt specie, quia furtum opponitur iustitiæ, & est illius priuatio, & fornicatio temperantiæ, &c. Secunda ratio, & efficacior est, quia eadem differentia constitutiua alicuius rei, est eiusdem distinctiua: vt rationale constituit hominem, & illum à bruto distinguit. Et cùm sola priuatio rectitudinis, recessusque à Deo, constituat aliquem actum inesse peccati, sola etiam distinguet tale peccatum ab aliis. Nam in peccato, vt ex supra dictis constat, est conuersio ad creaturam, & auersio à Deo, quæ nihil aliud est, quàm priuatio rectitudinis, & amicitiæ diuinæ. Tertia ratio. Demus quempiam conuerti

Aristot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerti ad creaturam per inordinatum amorem, si per impossibile non auerteretur à Deo, talis conuersio non esset peccatum: ergo sola auersio constituit peccatum in esse peccati, & ex consequenti sola distinguet vnum peccatum ab alio. Quarta ratio est, quia distinctio specifica rerum non prouenit ex parte materiæ, in qua conueniunt, sed ex parte formæ, in qua differunt. Homo enim, & brutum non differunt ex parte animalis, quod materiale in illis est, sed ratione formæ. Et in peccato materiale est conuersio ad creaturas, formale verò est auersio à Deo, quare distinguetur vnum peccatum ab alio penes formale, hoc est, penes auersionem. Quinta ratio, quia actus humani non sunt mali, nequè peccata, quatenus sunt entitates naturales, alioquin Deus esset causa peccati, & vbicunquè talis actus inueniretur, esset malus, & peccatum. Quare erunt mali, & peccatum, quatenus sunt defectus, & priuationes rectitudinis debitæ inesse, & ex consequenti distinguentur penes priuationem rectitudinum, &c. Qui plura de hac re videre voluerit, legat lib. controuersiarum.

Alex. Alen. q. 108. & q. 111 S.Tho.1.2. q. 72. art. 5. & q.88. S. Bon. d.42. art.2. Scot.ibidem. Duran. q.6. & alij eadē dist.in.42.& 21. & 35. & in 4.d.21. Vega lib. 14. sup. cōc. Tri. Nota.1.

Artic. II. De diuisione peccati in mortale, & veniale?

HIc articulus, in quo bellum nobis est cum hæreticis futurum, difficilis videtur explicatu: fiet tamen facilis, prę positis titulo articuli aliquibus difficultatibus.

Prima difficult. Quidnam est mortale, & veniale peccatum?

DE hac difficultate differunt Alex. Alen. q. vbi sup. m.1. Castro hæresi.11. & Vega cap.1.2.3. &.4. S. Thom. & alij vbi suprà.

Verùm cùm multæ sint peccati venialis, & mortalis acceptiones, commodum erit priùs statuere in qua significatione in præsentia à nobis mortale, & veniale accipiatur. Veniale peccatum trifariam dicitur. Primò ab euentu, quomodò quodcunquè peccatum quantumcunq; graue, si illius venia obtineatur, veniale appellatur. Et hac ratione dixit B. Ambros, mortalia omnia fieri per pœnitentiam venialia. Hinc D. Aug. & Chrysostom. iniquitatem remissibilem vocant venialem. Et Magister dixit, Adam credidisse suum peccatum esse veniale, cùm tamen esset mortale: quia credidit se veniam consecuturum, vt illi de facto accidit. Secundò dicitur veniale ex causa, quia, licet sit mortale, habet tamen aliquam causam suæ veniæ annexam: quomodo peccata quæcunque ex infirmitate, vel ignorantia commissa, dici possent venialia, idest, digna quadamtenus venia. Et ita peccata B. Paul. ante baptismum, tametsi grauissima, dici quæunt venialia. Misericordiam, inquit, consecutus sum, quia ignorans feci. Tertiò dicitur veniale ex propria natura, & est peccatum, quod suapte natura leue, exiguum, & minutum est, & rectæ rationi parum dissonum, nequè mortem inferens, sed omninò venia dignū, quod suprà in 3 genera à nobis fuit diuisum. Mortale peccatum totidem modis dicitur. Nam quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur, & reliquum. Primò mortale ab euentu dici potest, quod nunquàm habiturum est veniam. Secundò ex causa mortale est, quodcumquè peccatum ex malitia, & de industria commissum. Tertiò mortale ex propria ratione est, quodcunquè graue peccatum rectæ rationi vehementer dissonum, ac proinde de se venia indignum, & mortem animæ inferens, siue primam, quæ priuatio gratiæ est, siue secundam, quæ est æterna damnatio. Et ex iis venialis, & mortalis peccati acceptionibus, solæ, quæ tertium obtinent locum, sunt nobis in hoc articulo vsui. Priores enim duæ venialis, & mortalis acceptiones à nostro proposito sunt alienæ. Non enim nunc, quæ peccata habitura sint veniam, & quæ non, tractamus; sed quomodo ex propria natura distinguantur in hoc articulo inquirimus.

Vega.5.2. vbi.5. B. Amb. D. Chrysost. D. Aug.21. de ciuit. Dei c.vlt.& in lib.de vera & falsa pœnitent.c.18. S.Tho.q. 88. 1.2.art.2. 1.ad Tim. 1. 2.Nota.

CONCLVSIO I.

Mortale peccatum est, quod aufert gratiam, quæ est vita animæ. Et ratio prima ab etymologia est, quia mortale à morte culpæ, & à morte gehennæ nominatur. Et secunda ratio est, quia, sublata gratia, recedit statim Deus ab anima, in qua habitat,

Alex. Alen. m.1.q. 111. Vega & Castro vbi sup.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Aug. habitat, & inde continuò sequitur mors. Vnde D. Aug. ait. Vita corporis tui est anima tua, vita animæ tuæ est Deus tuus. Quo modo ergo moritur corpus, amissa anima, quæ vita est eius, sic moritur anima, amisso Deo, qui vita est eius. Hæc D. Augst. Et hæc est illa mors, quam Deus minatus est primo parenti, quando post prohibitum esum ligni scientiæ boni, & mali, dixit ei. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Non enim Adam eò die, quo comedit de ligno vetito, statim morte corporali mortuus est. Sed morte spirituali animæ statim mortuus fuit, quia statim iustitiam, gratiamque amisit, & per consequens Deum.

Gen. 2.

Append. 1. Sap. 16. Ierem. 31. Ezech. 8. Psal. 48. Apoc. 20. Append. 2. Sap. 15.

Hinc, solũ peccatũ mortale est illa malitia de qua Salomon ait. Homo enim per malitiam occidit animã suam. Et de qua Ierem. inquit. Vnusquisque in iniquitate sua morietur. Et dominus per Ezechielem. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Dicitur quoque mortale propter aliam mortẽ, quæ animam, & corpus deuorat. Et hæc est gehenna perpetua, de qua regius Propheta ait. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Et Ioan. in Apoc. ita scribit. Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.

Hinc, igitur mortale peccatum appellatur. Quia peccator, qui illud committit, nisi pœniteat, morte punietur æterna. Malorum enim amatores, inquit sapiens, digni sunt morte.

CONCLVSIO II.

Alex. Alen. q. 108. art. 1. 2. & 3. & alij vbi s. Prou. 24. Iacob. 3. 1. Ioan. 1.

Veniale peccatũ est, quod nõ aufert gratiam, quæ est vita animæ. Et ratio est, quoniam est cõpatibile cũ gratia, & charitate, quod scriptura sacra multis in locis docet. Septies in die cadit iustus, & resurgit, impij autem corruent in malum. Oportet ergo, vt sit aliquis casus peccati, qui iustitiam nõ tollat, & hic est veniale peccatũ. Et Iacob. 3. In multis offendimus omnes. Etsi dixerimus, quoniam peccatum nõ habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et isti apostoli intelligunt etiam seipsos, & erant confirmati in gratia, nec poterant mortaliter peccare, ergo per peccatũ, & offensam venia le peccatum intelliguntur: quare veniale peccatum non aufert gratiam, quæ est vita animæ, sicut mortale illam aufert.

Hinc, enim veniale peccatũ, qđ venia dignũ sit, appellatur.

Secunda

Secunda diffi. Quomodo peccatum veniale, an mortale sit, agnoscemus?

Vega. c. 12. vbi s.

COgnoscere, quæ sint venialia, & quæ mortalia peccata, non facilè est explicare, triplex tamen inuenitur via dignoscendi, quæ in hac difficultate petuntur. Vna est per sacram scripturam. Altera est per ecclesiæ doctrinam. Et tertia per proprium cuiusque lumen naturale, iuxta illud. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui domine.

Psal. 4.

Prima Propositio.

Quæ in sacris litteris abominabilia, execrãda, Deo exosa, digna morte, aut causam mortis, vel mortem inferre, vel excludere à regno cœlorum dicuntur, & ea, quibus vel æternas pœnas, vel saltem mortem corporalem cõminatur, vel quando ponitur comminatio væ, proculdubio crede, peccata mortalia esse. Confirmo hanc propositionem inductione aliquorum locorũ. Prou. 6. sex sunt, quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, &c. vsq; ad eum, qui seminat discordiam inter fratres. Omnia illa flagitia erunt mortalia. Et ad Roma. 1. Enumeratis multis peccatis, subditur. Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, quare peccata illa erunt mortalia. Similiter erunt mortalia, quæ recensentur ad Galat. 5. vbi dicitur. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, &c. Nam concludit. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Perinde erunt mortalia flagitia, quæ enumerat Ezechiel. c. 18. vbi dicitur. Quòd si genuerit filium latronem, &c. Quia in fine pœna mortis corporalis imponitur: nam legitur. Cũ vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit. Idẽ cẽsendũ est de peccato blasphemiæ Leui. 24. 24. Qui blasphemauerit nomẽ domini, morte moriatur. Nec secus iudicãdũ est de delictis, quibus apponitur væ: vt in multis locis noui, & veteris testamenti videre licet. Præsertim Isa. c. 5. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, &c.

Pr ouer. c. 6. ad Roma. c. 1. ad Gal. 5. Ezech. 18. Leuit. 24. Isa. c. 5.

Hinc, quotiescũq; in sacra scriptura absq; aliquo dictorum signo- Appen. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matth. 12. signorum peccata interdicuntur, sunt censenda venialia. Tale est verbum otiosum, de quo legitur Matthæ. 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Similiter concupiscentia carnis, aut rei alienæ per violentiam auferendæ, ante consensum voluntatis, erit venialis. Legitur enim Iacobi. 1. Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cum cõsumatum fuerit, generat mortem. Vnde colligunt omnes doctores concupiscentiam ante deliberatum consensum patrandi actum, vel delectandi se in cogitatione actus, solùm esse veniale peccatum, quia ante illum consensum, non generat mortem. Perinde etiam ad Ephes. 5. D. Paul. admonens christianos fugiendam esse fornicationem, &c. vt doceret, quæ ex illis peccatis essent mortalia, adiunxit. Hoc enim scitote, intelligentes, quòmnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei, quare cætera, quorum posteà non meminit, nec illis dictam comminationem, vel aliam ex prædictis opposuit, erunt tantùm venialia. Quòd si hac via non poteris, sit ne peccatum mortale, vel veniale discernere, sequentem considera.

Iacob. 1.

ad Ephe. 5.

Secunda Propositio.

Traditio ecclesiæ, & doctorum est secunda via, qua censendũ est, & iudicandũ de peccato, sit ne mortale, aut veniale?

Et ratio est, quia quotiescunquè in aliquo libro catholico. & ab ecclesia approbato, aliquid tanquàm mortale, vel tanquàm veniale damnatur, ita esse opinandum admonet scriptura diuina. Iob. 12. vbi dicitur. Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Vbi per iumenta, & volatilia cœli intelliguntur prælati, & sapientiores ecclesiæ, quos Deus in Christianorum detrimentum errare patietur nunquàm. Et si ijs duabus vijs non succesfit, tertiam ingredere, quæ ex lumine naturali est.

Iob. 12.

Tertia propositio.

Quæ ex directo, & grauiter charitati Dei, & proximi repugnant,

pugnant, ea mortalia censeantur, quæ verò rationi quidem dissonant, & à lege nobis tradita exorbitant; non tamen tantopere, vt grauiter charitatem, quam Deo, & proximis nostris, & nobis ipsis debemus, lædant, ea venialia existimentur. Nam sicut ex lumine naturali constat, vnam esse magnã iniuriam, vel ægritudinem; aliam verò paruam; ita etiam hãc esse grauem offensam, illam verò paruam, facilè intelligitur. Hanc viam omnes doctores lumine naturali admonitos, perpetuò amplexos, & hac eadem credid erim vsos fuisse, quotiescunquè nequè ex scripturis, nequè ex definitione ecclesiæ, satis certò scire poterant, qualia essent censenda, & quo in loco, & gradu essent reponenda, quæ certò videbant esse peccata nequè tamen vsquè adeò grauia, vt verisimile esset, ea impedire, vel dirimere diuinam amicitiam. S. Tho. 1.2.q. 88. art. 2. et Caiet. ibidẽ, & in sum. et Dura. q.2. vbi s.

Hinc, nata est distinctio peccati venialis supra posita.

Hinc, doctrina illa communis emanauit, qua docemur circa quæcunquè præcepta dupliciter posse contingere peccatum veniale, nempe, ex surreptione, vel ex paruitate materiæ. Append. 2. Append. 3.

Hinc, quoties iudicio omnium aliqua iniuria est grauis in Deum, vt infidelitatis peccatum, vel in proximum, vt si graue detrimentum contra bona spiritualia, vel corporalia, vel temporalia, inferatur, erit absquè dubio mortale peccatum; si autem non fuerit grauis iniuria, erit venialis, vt subitus infidelitatis motus, furtum leue, vel paruum, concupiscentia alienæ vxoris indeliberata, cuiusmodi sunt frequentissima peccata venialia in materia intemperantiæ, vt immoderatus excessus in cibo, & potu; non tamen vsquè ad ebrietatem; sed absque necessitate; sola tamẽ delectatione potandi vinum, vel aquã. Accidunt etiam hæc venialia in excessu somni, & confabulationis, pro quibus vitandis deprecatur ecclesia in hymno qua dragesimali, quando dicit. Vtamur ergo parciùs verbis, cibis, & potibus, &c. Quam obrem, Ricard. in fine tract. de differẽtia venialis à mortali constanter affirmat, peccatum mortale esse, quod non potest à quoquam commiti, sine grandi corruptione sui, aut contemptu Dei, aut graui læsione proximi, & reliqua omnia esse venialia. Append. 4. Ricard. de S. Vict.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.5. Hinc, qui voluerit rectè venialia à mortalibus separare charitatem ob oculos ponat. Hæc enim est huic proposito certissima, & aptissima regula, & tunc oblata quacumque operatione, aut omissione humana, diligenter aduertat, aduersetur ne illa directè charitati, an non? Si non aduersatur, sciat ibi nullum esse peccatum; si autem aduersatur, perpendat rursus, grauiter ne, an leuiter aduersetur? Si viderit inde charitatem graviter lædi, mortale peccatum, si leuiter veniale subesse agnoscat.

Tertia diffic. Peccatum veniale est ne peccatum simpliciter? an secundum quid?

S.Thom.1.2. q. 88. art. 1. & Caiet.ibidem.

OPINIO Caietan. fuit non esse peccatum simpliciter; sed secundum quid. Et eam fuisse S. Thom. aliqui colligunt ex eo, quòd dixit, diuisionem peccati in mortale, & veniale, esse analogi in analogata.

Duran.q. 2. vbi.§.

Vega lib. 14. citato c.13.

CONCLVSIO I.

1.Ioa.1. Peccata venialia propriè, & simpliciter, sunt peccata. Et probatur; quia in Scriptura sacra simpliciter, & absolutè nominantur peccata. 1. Ioann. 1. Si dixerimus; quia peccatum non habemus, &c. & loquitur de iustis, quorum peccata sunt tantùm venialia. Et sub nomine peccatorum à Christo comprehenduntur, cùm dicit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. aliàs claues sacerdotales non se extenderent ad eorum remissionem; nequè eorumdem confessio esset sacramentalis. Quorum contraria in floribus. 4. in tractatu de pœnitentia luculenter docuimus. Et confirmatur ratione; quia sunt actus mali simpliciter, quippè, qui voluntarij, & circa materiam indebitam, & à recta ratione deuiant, ac dissentiunt, & pœna, atquè reprehensione digni iure apud omnes censentur. Si tamen placet dicere esse imperfectè peccata, nihil moror. Nam sicut animalia, quæ per putrefactionem generãtur; vt mures, formicæ, & alia id genus animalia licet sint animalia imperfecta, sunt nihilominus simpliciter ani-

malia, quàmuis imperfecta; ita & venialia, quãuis quòd ad malitiam non sint ita consumata, sicut mortalia; simpliciter tamen erunt peccata, præsertim quando ex plena deliberatione committuntur; vt sunt venialia ex genere.

D.Bona. cautè legendus dist. 42. art. 2.q.2.ad vlt. Hinc, cautè legendus erit D. Bonauen. qui negat veniale esse Dei offensam, cùm sit vera, & simpliciter offensa, & peccatum; quia offensa est iniustitia irrogata Deo. Propterea quòd denegatur sibi obedientia debita, & veniale est actus inobedientiæ, quàmuis leuis, & est contra præceptum; vt statim dicemus.

Quarta diffic. Est ne veniale peccatum contra legem? an præter legem?.

S.Tho.vbi§. q. 88. art. 1. & 2. & in 2. d. 35. cum Magist.ibid. & Caiet.eod. art.

DEfinitum cùm sit peccatum veniale esse peccatum simpliciter, meritò quæritur. An sit contra legem: quia peccatum simpliciter cum D.Augustt. definitum est in prima quæst. huius tractatus, dictum, vel factum, &c. contra legem Dei. D. Thom. locis citatis, & eius sectatores tenent, peccatum veniale, non tam esse contra legem, quàm præter legem; ita sanè, vt sicut, qui tenetur ire ad alicuius circuli centrum, si paululum circa circonferentiam ipsius immoretur, nequè progredi dicitur, nequè retrocedere, aut contra iter rectum ire, sed præter; ita qui obligati sumus, per viam mandatorum ad regnum cœlorum contendere, si peccemus venialiter, neque retrocedere, nequè contra, vel secundum iter rectum progredi dicemus; sed præter, & ex consequenti, nequè contra: sed præter mandata, agere. Durand. tamen, & alij permulti hanc sententiam impugnant, affirmantes peccata venialia esse contra mandata. Et hæc opinio videtur modo in scholis communior.

Vega c.13. vbi suprà.

Duran. q. 2. vbi suprà.

CONCLVSIO.

Eccl.7. Veniale peccatum est contra legem. Probatur Eccles. 7. noli velle mentiri omne mẽdacium. Ecce legem prohibẽtẽ quodcũq; genus mendacij, etiam veniale, cuiusmodi est mẽdaciũ iocosum, aut officiosum. Deinde Matt 5. interdicitur omne genus iuramenti. Sic enim legitur. Audistis, quia dictũ

Matthæ.c. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est antiquis, non periurabis, &c. Ego autem dico vobis non iurare omninò. &c. Ego tamen si quis absquè rationabili causa iurauerit, dummodò non fit mendacium, peccabit solùm venialiter, & non ob aliud, nisi quia est reus huius præcepti; ego autem dico vobis non iurare omninò, &c. & Matth. 12. Matthæ. etiam. 12. Prohibetur omne verbum otiosum, quod solùm ex se est veniale, de quo reddendam esse rationem in die iudicij docuit ibidem Christ. dominus. Et ratione confirmatur; quia est peccatum, & peccatum pro formali est contra rectam rationem, eique aduersatur, & omnis ratio, cui quis dissentiens peccat, vim habet legis, vel certè est legis significatio. Animaduerte tamen ad reconciliandas istas opiniones, si placet, dupliciter posse aliquem agere contra legem. Primò agendo contra legem, & eius finem, qui quidem finis, teste B. Paulo est charitas. Et hoc modo agit contra legem, qui mortaliter peccat; quia per quodcumquè mortale peccatum vinculum charitatis in Deum, & proximum dissoluitur. Secundò agendo contra legis obedientiam; non tamen contra eius finem; quia non violatur charitas. Et agunt contra legem isto secundo modo, qui venialiter peccant. Quoniam agunt contra obedientiam Dei; non tamen contra eius charitatem. Nam vt inter homines stat non obedire amico, & offendere illum, non tamen dissolui amicitiam, quoniam offensa est leuis; ita etiam in diuinis, licèt culpa leui, nempè, veniali offendatur Deus, & contra eius legem agatur non tamen amicitia, & charitas dissoluitur.

Matth. 12.

Animaduersio. 1. ad Tim. 1.

Append. Hinc, colligitur interpretatio, & vera intelligentia auctoritatum Sacræ scripturæ, quæ à Thomistis in suum fauorem inducuntur. Sunt enim intelligendæ de illo, qui agit contra legem, & finem legis, vt est, qui mortaliter peccat. Iis difficultatibus expositis, quæ sunt velut præludia ad titulum huius artic. perfectiùs explicandum, superest, vt tituli explicationē aggrediamur.

Quinta

Quinta diffic. Est ne diuisio peccati in mortale, & veniale bona?

Doctores vbi suprà. Vega à c. 2. vsq; ad. 5. & à c. 12. vsque ad finem lib. 14. super con cil. Trid. & Castro locis in principio art. citatis.

CONCLVSIO.

NOn solùm optima est talis diuisio; verùm etiam fide tenenda. Et probatur primò autoritate Sacræ scripturæ. Multis enim in locis expressè distinctio hæc in peccatum mortale, & veniale proponitur. Et præter loca in præmissis difficultatibus huius articuli citata, vnum, atque, alterū proponam. Matth. 5. dixit Saluator noster Christus. Omnis, qui irascitur fratri suo, reus est iudicio, qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio, qui autem fatue, reus erit gehennæ ignis. In quibus verbis tria describūtur peccata, quorum duo priora leuia sunt, tertium verò est illis duobus multò grauiùs. Quæ quidem differentia aperte colligitur ex diuersitate pœnarum, quibus peccata illa punienda esse dicuntur. Nam pro mensura delicti, vt lex diuina ait, erit, & plagarum modus; cùm igitur ex tribus illis peccatis solum tertium, & vltimum dicatur gehenna ignis puniendum, id est, morte perpetua, & nullum duorum priorum ad talem pœnam: sed ad aliam multò leuiorem damnetur, conuincitur inde apertissimè solum tertium ex illis esse mortale; reliqua verò duo esse venialia. Hunc esse verum huius loci sensum docuerunt D. Chrysostomus homilia. 16. super Matthæ. hæc verba interpretans, & D. Gregor. lib. 21. moral. capit. 5. Est, & alius locus Matthæ. cap. 12. Quicunquè dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ex quibus verbis apertissimè constat esse aliqua peccata, quæ in hoc sæculo remitti possunt, alia quæ in futuro; at peccata mortalia nō remittuntur in futuro sæculo; quia illa ducunt hominem ad mortem æternam. Lignū enim quod ad Aquilonē ceciderit ibi manebit. Peccata ergo, quæ in alio sæculo dimittuntur, necessariò sunt venialia: propterea quòd hæc sola sunt, quæ igne purgatorij consumuntur. Fuit etiam hæc distinctio canonizata in concilio Trident. sess. 6. cap. 11. vbi docens fideles: quæ ad salutem sunt necessaria, hæc ait.

D. Chrysost. D. Greg. Matth. 12.

Eccl. 11.

Licet enim in hac mortali vita, quantumuis sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia peccata dicũ tur, quandoquè cadant, non propterea desinunt esse iusti, &c. Et in eadem sess. c. 15. ita definitur. Aduersus etiam hominũ quorũdam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium asserendum est, non modò infidelitate per quã & ipsa fides amittitur, sed etiam quodeũq; alio mortali peccato, quàmuis non amittatur fides; acceptam iustificationis gratiam amitti diuinæ legis doctri-
1. Timot. 1. nam defendendo, quæ à regno Dei non solùm infideles excludit, sed etiam fideles, quoq;, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæteroſquè omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur. Hactenus cõcilium. Quid? quòd nouimus ecclesiam ab ipsis propè modum illius primordijs constituisse aliqua remedia pro remissione venialium. Quæ quidem nunquàm credidit sufficere ad remissionem mortalium. Et inter illa vnum fuit aqua benedicta, quam scimus fuisse in ecclesia saltem à tempore Alexandri huius nominis primi, qui quintus à B. Petro pontificatum tenuit. Et in hunc vsum, & alios à sacerdotibus mandauit benedici. de consecrat. dist. 3. can. aquam sale. Sunt, & alia multa remedia; nam delentur per dominicam orationẽ, per eleemosynæ largitionem, & pectoris tunsionem, & per ieiunij castigationem. De pœnit. dist. 1. can. medicina. §. proximi. Item per Eucharistiæ dignam sumptionem. de pœnit. dist. 2. ante finem, & can. panẽ de altari. Tandẽ per episcopi, vel presbyteri benedictiones. dist. 28. can. presbyterum. Sanctorum patrum testimonia, quibus conclusio corroboratur, apud Castrum, & Vegam vbi suprà inuenies. Tandem ipso luminis naturalis instinctu, verissimam esse distinctionem mortalis, & venialis peccati, intelligitur. Nam sicut scimus quasdam esse leues proximorum offensas, & quæ ex se non sufficiunt ad impediendum, vel diminendum amorem, quem nobis mutuò debemus; alias verò esse graues offensas, propter quas non immeritò rescinduntur amicitiæ: ita scintilla

tilla rationis nobis indita theologatur, & à nobis eò conscendit, vt credat, & doceat, quædam esse grauia peccata, quibus Deus legislator ac rector vniuersi, sic grauiter offenditur; vt eos, qui illa patrant, excluſos habeat, & seuerè suo loco, & tẽpore corripiat; alia verò ita leuia, vt Deus propter illa inuisum habeat neminem.

Sexta difficult. Quonam pacto mortale, & veniale peccatum inter se differunt?

CVM constet diuidi peccatum in mortale, & veniale, explicemus oportet, quo pacto inter se differant. Sunt autem variæ opiniones, & multæ circa mòdum distinguendi hæc peccata ad inuicem. Prima opinio, quæ S. Thomæ tribuitur, tenet, hoc differre mortale peccatum à veniali, quòd mortale sit circa vel contra finem, vt est infidelitas ódiũ Dei, &c. quæ immediatè sunt contra ipsum Deum; venialia vero, quæ circa, vel contra ea, quæ sunt ad finem, ideſt contra media ad finem: vt quòd est contra obedientiam prælati, vel charitatem, vt furtum, &c. Secunda opinio est Scoti, affirmantis, distingui mortale peccatum à veniali, eò quòd mortale sit contra præceptum; veniale autem contra consilium. Tertia opinio est Gerso. & Alma. asserentium venialia & mortalia non differre ex natura rei, sed tantùm ex diuina misericordia, eò quòd placuit Maiestati diuinæ imputare ad pœnam æternam mortale; veniale autem ad temporalem. Vtrumquè tamen ex natura sua, cùm sit in Deũ, esse dignum pœna æterna. Quarta opinio tenet distingui hęc ex genere, & ex natura sua & non ex reatu. Quinta opinio: vt suprà diximus, est eiusdem S. Thom. nempe, quòd differunt veniale, & mortale ex eo, quòd mortale est contra legem, & diuinum præceptum.

S. Tho. 1. 2. q. 72. art. 5. & q. 88. art. 1. & 5. & Caiet. ibidem Vega c. 12. vbi §. Scoti d. 21. q. 1. Gabr. d. 22. q. 1. art. 3. dubio 1. Gerson in 3. p. suæ Theologiæ titulo de vita spiritua li lect. 1. S. Tho. 1. 2. q. 72. art. 2. & p. 88. art. 2. Vega vbi §. c. 13.

CONCLVSIO I.

Peccatum mortale, & veniale non differunt, quòd mortale sit contra finem, veniale autem contra media ad finem. Et ratio est, quia peccata, quæ sunt contra proximũ, vt furtũ, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

&c. non sunt immediatè contra finem; sed contra media. Et tamen sunt mortalia; propterea q excludunt à regno Dei, vt author est Apostol. ad Galat. 5. Deinde subitus infidelitatis motus est immediatè contra finem, scilicet, contra Deum; & tamen est veniale peccatum. Hæc est contra primam opinionem. *ad Gal. 5.*

CONCLVSIO II.

Nec distinguntur eò, quòd mortale sit cõtra præceptum: veniale verò contra consilium. Et ratio est, quia velle ducere vxorem, non est peccatum: & tamen est cõtra consilium de virginitate. Ait enim B. Paul. Si nupserit virgo, nõ peccabit. Perinde etiam furtum in materia leui est contra præceptum, non furtum facies; & est veniale tantùm. Hæc conclusio est contra secundam opinionem. *1. Cor. 7.*

CONCLVSIO III.

Neq; separantur ad inuicem eò, quòd ex sola diuina misericordia pœna æterna mortali, & veniali temporalis pœna respondeat. Et ratio est; quia, etsi daremus, Deum instituisse; vt nullum peccatum pœna aliqua puniretur: nihilominus tamen latissimum esset inter vtrumquè peccatum discrimen. Fides enim catholica testatur, damnatos frequentissimè mortaliter peccare, iuxta illud; Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper: & tamen illa peccata ad nullam pœnam imputantur. In quocunquè enim loco ceciderit lignum, ibi erit. Deinde, quia Deus promptior est ad miserendũ, quàm ad puniendum, & amicitia cum ipso Deo multò fortior est, quàm cum hominibus: & cùm inter homines sint aliquæ offensæ, quæ ex natura rei non diriment amicitiam, licet amico displiceant: vt sunt leues iniuriæ: multò magis erunt tales offensæ ex natura rei inter nos, & ipsum Deum, & non solùm ex misericordia Dei, &c. Hæc est contra tertiam opinionem. *Psal. 73. Eccl. 11. Vega. c. 14 & 15. & 16. vbi. 5.*

CONCLVSIO IIII.

Neq; differunt quantum ad conuersionem ad creaturas, scilicet, quantum ad speciem malitiæ moralis. Et ratio est; quia, vt suprà diximus, veniale, & mortale possunt esse eiusdem *Alex. Alen. q. 108. m. 2. D. Bona. d. 42. art. 2. & 3.*

dem speciei in genere moris, vt furtum mille ducatorum, & vnius oui, quæ sunt eiusdem speciei specialissimæ iniustitiæ.

CONCLVSIO V.

Peccatum mortale, & veniale solùm differunt quantum ad auersionem ab ipso Deo. Et ratio est; quoniam mortale auertit omninò à charitate, & amicitia Dei, & constituit peccantem filium gehennæ: veniale autem minimè, quàminus Deo displiceat, & per illud Deus offendatur. Quare totalis differentia, prout insinuat D. Paulus supra citatus, erit penes displicentiam vsquè ad auersationem, quam facit mortale, & penes displicentiam absquè auersione, quam facit veniale. Et confirmatur à simili: quia sicut infirmitatum corporalium vna dicitur mortalis; quia tollit principium vitæ, scilicet, humidum radicale; altera verò non; sed reddit corpus debile; ita inter infirmitates spirituales, quæ sunt peccata. Vna dicitur mortalis, quæ tollit charitatem, & gratiam, quæ est principium vitæ æternæ, iuxtà illud Ioann. 6. Qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons vitæ, &c. scilicet, charitas. Altera non; vt venialis, quæ solùm facit hominem tepidum circa diuina, & minus Deo gratum. Ex hoc articulo colligitur confutatio multarum hæresum. Prima est Ioann. Vuitcleph. affirmantis, peccatum veniale, & mortale solùm differre ex parte peccantis, qui si fuerit prædestinatus, dicebat ille, omne eius peccatum erit veniale, ideſt, veniæ consecutiuum; sin minus erit mortale. Quoniam præscit irreparabiliter erunt æterna morte puniendi. Quæ quidem distinctio est etiam blasphema. Legimus enim adulterium Dauidis, negationem Petri, & flagitiosa Magdalenæ peccata; & tamen hi omnes fuerunt prædestinati. Et Saul fuit reprobus, quo non fuit aliquando in Israel melior; filius vnius anni, &c. 1. Regum 13. Et tamen nemini dubium est; quin tempore, quo fuit in gratia, venialiter peccauerit. Cùm nemo sit, qui aliquando venialiter non peccet. Secunda hæresis est Philippi Melanæthon, asserentis, illa tantùm esse venialia peccata, quæ ex ignorantia crassa; non tamen affectata, committuntur. *Hæreses. Thom. Vualdensis lib. de sacrament. c. 154. & 155. 1. Reg. 13. Hæresis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.a Tim. 1. Quod est contra D.Paul.qui ad Timor.1.affirmat,se extra gratiam Christi fuisse, eò quòd ex ignorantia persequebatur ecclesiam Dei. Ait enim ignorans feci in infidelitate, &c. Et 1. ad Corint.14.damnat omnē ignorantiam culpabilem dicens,

1.ad Cor. 14. Ignorans ignorabitur,idest, reprobabitur: Tertia hæresis est

Hæresis. Caluini,qui docuit,omne peccatum esse mortale,& nullum veniale. Contra quem supra in hoc art. sunt multa diuinæ scripturæ testimonia citata. Et sit præter illa,quod,1.ad Co-

1.Cor.3. rinth.3. legitur vbi dicitur. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc(scilicet Christum)aurum, argentum, lapides pretiosos,ligna,fœnum,stipulam,&c.ipse autem saluus erit;sic tamen quasi per ignem.Et per hæc vltima verba intelligit apostolus peccata venialia,quæ quatenus peccata, sunt

Vega. igne purganda;quatenus autem venialia sunt,à regno Dei nō

Castro. excludunt;si quidem talia perpetrantes salui erunt. Lege Vegam c.3.vbi sup.& Castrum verbo peccatum hære.11.Quarta hæresis fuit Lutheri,qui nullum esse peccatum mortale præter incredulitatem docuit. In quem sunt multa loca sacræ scripturæ,quæ in hoc artic.adduximus;quibus, præter infidelitatem, multa esse mortalia peccata apertissimè demonstratur.In quem agit Castro,verbo fides hæresi secunda.

S. Tho. 1.2. q.72.art. ## Artic. III. Vtrùm peccata distinguantur specie ad specificam distinctionem causarum?

CVm causa peccati sit multiplex, nempè, ignorantia,infirmitas,& diabolus,quæritur in hoc artic. Vtrùm peccata ad distinctionem istarum causarum, &c. exempli gratia fornicatur quis ex ignorantia culpabili,ita quòd si sciret,non fornicaretur; alius autem fornicatur ex infirmitate, est quæstio. Vtrùm fornicationes istæ specie distinguantur, eò quòd causæ ad peccatum inducentes,sunt specie differentes. Et ad maiorem intelligentiam huius art. cuius cognitio est confessarijs,& pœnitentibus necessaria,quę sequuntur animaduerte.

1. Animad. Inter operationes naturales, & liberas hoc inter alia est discri-

discrimen; q̄ naturales ad differentiam specificā principiorū differunt specie. Calefactio enim differt specie à frigefactione;quia principia calidum,scilicet,& frigidum,vnde proficiscuntur,sunt specie distincta. Atuerò operationes liberæ nō differunt ad distinctionem principiorum actiuorum; quia furtum ex timore paupertatis ortum, & furtum ex auaritia sunt eiusdem speciei. Sunt enim actus iniustitiæ,licet, causæ efficientes,scilicet, amor pecuniarum, & timor paupertatis, sint diuersæ.

Hinc, operationes humanæ liberæ ex parte causæ finalis;vt sæpissimè hactenus cum Arist.docuimus,erunt distinguendæ.Et ratio est; quia q̄ vnus actus sit vnius, vel alterius virtutis, ex fine intento ab operante, vel ex fine ipsius operis oritur. Ieiunium enim propter adimpletionem præcepti ecclesiæ factum est actus obedientiæ, propter extinguēdam libidinem est continentiæ actus. Appen.1. *Arist.7. Ethic.*

Causa motiua à finali causa hoc distat, q̄ finalis est causa præcisa; atuerò motiua non est causa præcisa, sed solùm inducit hominem ad operandum. V. g. dat aliquis eleemosynam pauperi, vt illi placeat, non tamen tāquàm propter causam finalem;quia,licet, illi placere non intenderet, eleemosinam nihilominus largiretur. Hæc complacentia est causa motiua, quæ à quibusdam impulsiua nominatur. Esset autē finalis causa si cessante complacentia, eleemosyna cessasset. *2. Animad.*

Hinc, regula physica, & moralis, scilicet, cessante causa, cessat effectus,est vera in actionibus liberis,de causis tātùm finalibus, in agentibus autem naturalibus est vera de causis efficientibus. Append.2.

Causa finalis, & obiectum formale sunt idem quatenus vtrumq; est causa pręcisa,quæ mouet efficientem ad operandum.V.g. pecunia à parte rei est finis mercenarij, quatenus autem eadē pecunia cognita,& intenta mouet mercenarium ad operandum,est causa finalis. *3. Animad.*

CONCLVSIO.

Peccata non secundum causas efficientes,sed penes causas finales specie distinguntur. Et ratio est, quia operationes liberæ cuiusmodi sunt peccata,sumūt speciem malitiæ à fine;

vt ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ex prima animaduersione constat. Et confirmatur; quia si à causa efficienti malitiæ speciem sortirentur, omnia peccata essent eiusdem speciei; si quidem omnia ab vno principio efficienti, scilicet à voluntate libera, & à superbia proficiscuntur, iuxta illud. Initium omnis peccati superbia. *Eccl.10.*

Hinc, mulier, quæ fornicatur cum laico, hoc fine præcise; vt habeat ad sacerdotem accessum, committit sacrilegium, in confessione necessariò explicandum. Append.3.

Hinc, qui iurat falsum, vt alium in pretio alicuius mercis decipiat, non solùm peccatum periurij; verùm etiam peccatũ iniustitiæ committit. quod est in confessione, etiamsi non fuerit subsecuta deceptio, declarandum. Appen.4.

Hinc, iudex, qui criminosum titulo iustitiæ, & etiam vindictæ punit, peccatum iræ in confessione necessariò aperiendum patratus est. Append.5.

Hinc, si iudex criminosum puniat; vt inimicis criminosi blandiatur, vt ab ipsis beneficium ecclesiastici cum consequatur, sacrilegium committit, & de similibus simile esto iudicium. Append.6.

Notanda autem est sequens regula vniuersalis, nẽpè, quoties finis est peccatum, totum opus est etiam peccatum, iuxta illud. Si oculus tuus nequàm fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Vbi per oculum intelligitur finalis intentio operantis. Secus autem si fuerit causa impulsiua; & ideo prudens confessarius debet interrogare pœnitentem. An, cessante illa causa; patrasset peccatum. Et si responderit. Patrassem. Erit causa impulsiua tantùm; sin minus erit finalis causa. *Regula. Matth.6.*

Hinc, si milites sancti Ioannis emittunt continentiæ votũ propter diuitias obtinendas, tanquam propter finalem causam, potiùs sacrilegium committunt; quàm votum, quod est actus religionis, emittunt. Et idem est iudicium de reliquis cruciferis. Animaduerte autem in hoc artic. & in sequentibus huius q. non agi de peccato, quatenus est auersio à Deo. Nam eo modo iam in principio huius tract. egimus; sed quatenus est conuersio ad creaturam per inordinatum amorẽ, & prout est malum morale, & vitium, alicui virtuti morali oppositũ. Tum etiam nota, ꝙ vt cadẽ virtus: vt sæpe hactenus diximus Append.7.

potest

potest diuersis rationibus cõsiderata ad diuersas species referri, ita, & idem vitium diuersis rationibus, sũptum sub diuersis speciebus contineri, & hoc modo concluso, nihuius q. huic conclusioni non contradicit.

Artic. IIII. Vtrùm peccata differant specie, eo quòd sint contra diuersa præcepta?

VErbi gratia, furtum est contra legem naturalem, & diuinam, quæritur si superuenerit lex positiua prohibens furtum. An sit grauioris, & deterioris malitiæ, eò ꝙ, sit contra diuersa præcepta. Nota ad plenioirem explicationem huius art. quæ sequuntur. Præcepta, nisi de actibus virtutum moralium, vel theologicarum, non dantur. Et probatur; quia præcepta affirmatiua dantur de actibus positiuis virtutum, vt restitues alienum, est præceptum affirmans, de actu iustitiæ. Præceptis verò negantibus prohibentur vitia virtutibus contraria; vt non furtum facies, est præceptum negans de iniustitia cauenda. Vnus, & idem actus aliquando vna lege, siue præcepto, aliquando pluribus ad vnam, & eandem virtutem spectantibus præcipitur, aut prohibetur. Illustro rem exemplo. V. g. non furtum facies prohibetur lege naturali, & diuina & positiua, ad eandem virtutem iustitiæ spectantibus. Item nõ adulterabis duplici lege diuina prohibetur, quarum prior pertinet ad virtutem temperantiæ, vt non fornicaberis; posterior verò spectat ad iustitiam, scilicet non accedes ad alienam. Fit enim eius coniugi iniuria. Præcepta, quæ dantur de actu eiusdem virtutis; vel dantur de eodem actu numero, vel de diuersis actibus numero distinctis; eiusdem tamen speciei. Patet de eodem actu, vt ieiunium quadragesimale præcipitur ab ecclesia, & fratribus minoribus in suarè gula, vbi dicitur. Sed aliam, scilicet, quadragesimam, vsque ad resurrectionem domini ieiunent. De diuersis autem actibus; vt si contingat vno, & eodem die esse ieiunandum. Tum quia est vigilia alicuius sancti. Tum etiam, quia est ieiunium quatuor temporũ, sunt tunc duo præcepta de duobus ieiunijs

1. *Nota.*

2. *Nota.*

3. *Nota.*

numero

Universidad de Deusto
Biblioteca

3.Nota.

numero distinctis, accidit autem, vt eodem die occurrent. Inter leges superuenientes circa eandem materiam, quædam transferunt materiam prioris legis ad aliam virtutem, vt si quis voueat continentiam, lex voti superueniens transfert fornicationem ad materiam religionis. Fornicatio enim, quę ante votum erat contra virtutem temperantiæ, post votum est contra virtutem religionis, quæ est peculiaris virtus, inclinans ad colendum Deum, quatenus est supremus Dominus, cui debetur latriæ adoratio, voti redditio, &c. Quędam verò non transferunt materiam ad aliam virtutem. Exempli gratia, vt lex, siue præceptum decalogi de non furando, non transtulit materiam furti ad aliam virtutem, quàm ad illam, quæ erat in lege naturali, scilicet, materia, siue virtus iustitiæ. Distinguntur autem leges istæ adinuicem, quòd primæ mutant trãsgressionis speciem, & inducunt nouam obligationem; secundæ verò neutrum horum faciunt.

CONCLVSIO.

Quando lex superueniens transfert materiam legis præexistentis ad aliam virtutem, tunc species peccati mutatur; species, in quam, quantùm ad nouam malitiam mutatur; vt si iustitia, quæ est materia non furandi à prælato virtute obedientiæ præcipiatur, tunc furtum erit alterius speciei. Quia non solùm erit contra iustitiam; verùm etiam contra virtutem religionis. Quæ quidem virtus inclicat ab obediendum prælatis, eò quòd gerunt personam supremi Domini, nempè, Dei, & ex sequenti hæc circunstantia erit in confessione exprimenda. Et ratio ex notabilibus positis est; quia præcepta solùm dantur de actibus virtutum; & cùm in casu huius conclusionis actus nouæ virtutis pręcipiatur, & materia prioris legis in nouam virtutem transferatur, noua orietur obligatio; & ex consequenti, cùm peccatum ratione legis superuenientis sit contra aliam virtutem, erit peccatũ à præcedenti peccato specie distinctum.

Append.1. Hinc, si lex superueniens non transfert materiam legis præcedentis in aliam virtutem, neque species mutabitur, neque noua obligatio inducetur. Et ratio est: quia si non præcipitur noua virtus, non erit nouum præceptum.

Præcisa

Præcisa enim ratio mutationis speciei est, quãdo nouus actus alterius virtutis præcipitur. Append.2.

Hinc, homicidium, quod sub excommunicationis sententia prohibetur, & alterius speciei ab alijs commissis, secluſa excommunicatione. Et ratio est; quia homicidium ante excõmunicationẽ erat peccatum solius iniustitiæ: post excommunicationẽ verò est sacrilegium contra obedientiã ecclesiæ, & opponitur virtuti religionis, quę inclinat (vt modò diximus) ad colẽdũ Deũ, & eius ministros, aliquid præcipientes. Nam qui vos audit, me audit, &c. Et idem est iudicium de alijs sub excommunicationis sententia prohibitis, vel præceptis. *Luc. cap. 10.*

Hinc, fornicatio post votum est alterius speciei. Quia est sacrilegium.

Hinc, sententia theologorũ, qua dicitur, illas circunstãtias esse necessariò confitendas, quæ mutant peccati speciem, est intelligenda, quando mutant speciem vitij. Quod fit duobus concurrentibus. Quorum primum est, quod imponatur nouum præceptum. Secundum est, quòd talè præceptum transferat materiam prioris legis, ad aliam virtutem; ita quòd peccatum sit vitium alterius speciei: vt patet in exemplis modò positis. Nec satis est prohibitio eiusdem peccati, si peccatum in aliud genus vitij non transferatur. Append.3. Append.4.

Hinc homicidium, furtum, & cætera peccata contra secundam tabulam, non sunt grauiora post legẽ diuinam scripturam, quàm antea in lege naturali. Et ratio est; quia lex diuina non transtulit materiam præceptorum naturalium ad aliam virtutem; & ex consequenti non induxit nouam obligationẽ. Append.5.

Hinc, fœmina ad monachum accedẽs, non grauius peccat, quàm ad simplicem sacerdotem accedendo. Et ratio est; quia vtrobique committitur sacrilegium contra solemne votum continentiæ. Et vtrũmquè peccatum est eiusdem speciei; quoniam est contrà eandem virtutem religionis.

Hinc, si quis supra votum solẽne continentiæ addat simplex de eadem, vel in alia religione iterum solemniter continentiam voueat, & si de nouo se obligare intendat, non manebit absque dubio noua obligatione ligatus. Quoniam secũdum votum solùm est confirmatio prioris. Non enim secũdo Append.6. Append.7.

voto

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauar. Caiet. Cordoua. Soto. Append.8.

voto promittitur nouus actus virtutis, & ita nõ inducitur nõ ua obligatio. Et hoc sentire videtur Nauarro in additione ad cap. 6. suę summę. Et Caiet. 1.2.q. 186.art. 9. & Cordoua. q. 3. Hispano sermone. Contrariam tamen sententiam defendit Soto de iustitia. & iure, libr.8. q.2.art.5. in solut.ad 5. principale, & in 4.sent.distinct.18. q. 2.art.4. conclusione. 7.

Hinc, tandem colligitur, vnum actum peccati posse esse sub diuersis speciebus vitiorum, si pluribus præceptis ad diuersas virtutes spectantibus prohibeatur. Vt si aliquis coniugatus accedat admonialem, tunc ille actus erit intemperantię: quia fornicatio. Erit & iniustitię, quia adulterium. Erit, & sacrilegij peccatum, quia cum cõsecrata ad Dei cultũ, &c.

Alex. Alen. in 2.p.q. 96. m.2. art.3. & 4. & in 4.p.q.18. m. 4.art.2. §. 9. & art. 3. per totum. S. Tho.1.2.q. 18. art. 3. 10. & 11. & q. 72. art.9. aly d. 17. 4. lib. lege etiã. 23. q. 8.c. occidit & de pœn. d.5.can. consideret. 1. Animad. Alex. Alen. art.2.§. 9.

Artic. V. Vtrùm per quamcumq; circunstãtiam peccata specie differant?

DE hoc articulo multa in floribus. 4. lib.in q. de confessione art. 4. diffic. 5. 6. & 7. Sed, vt plenam, & perfectam de circunstantijs peccatorum cognitionem habere possis, animaduerte, quę sequuntur. Circũstantia respectu humani actus est, velut accidens respectu subiecti in naturalibus. Vnde dicitur circunstantia esse idem, quod extra substantiam actus. V. g. substantia eleemosynę est pecunię largitio, circunstantia superueniens huic largitioni est persona, nempè, vt detur egeno, & non diuiti, & sanctiori, si indigentia fuerit æqualis, & tempore, & loco, & fine debito. Hęc enim omnia sunt accidentia eleemosynæ, sicut quatuor qualitates sunt accidentia substantiæ, sed de eleemosynæ circunstantijs lege flores. 4. in tractatu de eleemosyna.

Hinc, circunstantia poterit describi. Accidens cõueniens actui libero, vt sit perfectus, studiosus, & laudabilis. Circunstantiæ sunt septem, quæ hoc versu continentur. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Has enumerant Alex. Alen. S. Thom. 1.2.q.7. art. 3. ex Aristot. 3. Ethic. cap. 1. ex Cicerone in sua rethorica. Quis, nempè, vt sit agens libe-

Append.2. 2.

Hinc, non vtens ratione, vt ebrius, furiosus, dormiens, febricitans, non dicetur studiose, vel vitiose agere. Quid, spectat ad obiectum materiale, nempè, vt res volita sit licita, & non prohibita.

Append.3. 3.

Hinc, eleemosyna ex alieno est mala. Quoniam obiectum scilicet, pecunia aliena respectu eleemosynæ est rationi disconueniens, & prohibita. Vbi pertinet ad circunstantiam loci vnde celebrare extra ecclesiam sine facultate superioris; propter defectum huius circunstantiæ, erit malum, vel quando locus ratione alicuius actionis interdicitur. Quibus auxilijs. Vnde si quis virtute alicuius superstitionis conetur habere sanitatem aut inuenire rem perditam per iudiciarium, aut scire rem occultam per incantatorem aut soluere maleficium coniugum per dæmonis ministerium, aut appetere dignitatem, aut officia ecclesiastica, vel prælationem per ambitionem, vel simoniam, est opus malum. Cur. Est circunstantia finis.

4.

Append.4. 5. 6.

Hinc, iudex ex vindicta latronem suspendens peccat; quoniam finis est malus. Quomodo, ideſt, diligenter, aut negligenter aliquid facere.

Append.5. 7.

Hinc, tepide & cum tædio persoluens officium diuinum, peccat. Quando, spectat ad tempus actioni accommodatum. vt ieiunium in.6.feria, & non in die dominico fieri debet.

3. Animad.

Actus moralis sumit virtutis, vel vitij speciem ab obiecto formali & materiali. Dicitur autem in præsentia obiectum materiale re ipsa à parte rei volita, vt pecunia aliena est obiectum furti, propria verò obiectum eleemosynæ. Cibus in mediocritate consistens obiectum temperantiæ. Et obiectũ formale est finis, gratia cuius aliquid fit, ideſt ratio præcisa, quæ mouet voluntatem ad operandum; vt appetitus congregandi diuitias est finis mouens vsurarium ad fœnus exercendum.

Hinc, si quis furetur, vt habeat, vnde meretrici stipendium soluat, actus iste ex parte obiecti materalis erit sub specie iniustitiæ: ex parte autem obiecti formalis sub specie intemperantiæ continebitur.

Circunstantiarum quædam sunt purę, & propriæ, quæ

quidem nunquàm mutant speciem, augent tamen, vel minuunt malitiam ipsorum actuum intra eandem speciem; vt furtum paruum, & magnum. Vtrumquè enim est sub specie eiusdem iniustitiæ. Et delectatio intensa,& remissa est sub eadem specie libidinis;sicut albedo intensa,& remissa sunt eiusdem speciei coloris.

Append.5. Hinc, circunstantiæ puræ, cùm non mutent speciem; sed sint semper circa eandem speciem, erunt veluti accidentia actus. Aliæ circunstantiæ sunt non puræ, eo quòd aliquando mutant speciem,aliquando verò non; sed intra eandem speciem augent,vel minuunt actus malitiam;vt circunstantia loci,aliquando intra eandem speciem auget actus malitiam.Nã iniuria, quæ fit alicui priuato coram iudice sedente pro tribunali,est grauior illa,quæ fit in loco priuato, & vtraquè est eiusdem speciei,quoniam est contra iustitiam. Si autem fiat in loco sacro;vt si quis in ecclesia aliquem percutiat,tunc mutatur species actus;quoniam est sacrilegium. Et tunc temporis non est circunstantia,sed potius substantia actus: propterea quòd est peccatum contra virtutem religionis. Quærenti autem, quando circunstantia mutet speciem? respondebis; Quandocunque habet rationem peculiaris obiecti. Percontanti rursus;quando habet rationem peculiaris obiecti?dices; Quando transfert actum ad aliam virtutis,aut vitij speciem; vt circunstantia loci sacri,aut personæ Deo per votum consecratæ, transfert actum ad speciem religionis;vt si quis fornicetur in loco sacro,aut cũ persona Deo consecrata. Ijs ita cõstitutis,lege modò diffic.florum.4.lib.in principio art.citatas.

S.Tho.1.2.q. 18.art. 5.10. & 11.

DVB. Tenebitur ne confessarius scire omnes species vitiorum, & virtutum: vt possit species omnium peccatorum distinguere?

REspondeo. Satis erit, si sciat omnia genera vitiorum, quàmuis ignoraret species.v.g.satis erit,sciat,quæ peccata sint cõtra naturã;vt est pollutio extra vas,quãuis nesciat

nesciat esse peccatum mollitiæ, quæ est species contenta sub peccatis cõtra naturam. Eritquè etiam satis, eum scire aliàs circunstantias communes,vt loci sacri,voti,incestus,&c.Alioquin,si teneretur scire omnes species specialissimas omnium vitiorum,deberet philosophiam moralem omninò scire.

Quæst.IIII. De comparatione peccatorum ad inuicem.

Alex. Alen. 3.p. q. 57. m. 3.

Hæc.q.explicatis nonnullis difficultatibus, absoluetur, in qua de peccato,vt est malum morale præcipuè disputatur.

S.Tho.1.2. q. 73.

Prima diffi. Vtrùm omnia vitia sint connexa?

S.Tho.vbi supr.art.1.

MVlti ex sanctis Patribus dixerũt vniuersa vitia esse inter se connexa,præsertim D.Greg.

D.Greg.31. moral.c.31.

CONCLVSIO I.

Impossibile est omnia peccata, & vitia esse actualiter, vel habitualiter,connexa. Et ratio est, quia impossibile est cõtraria esse cõnexa,& simul eidẽ subiecto habitualiter, vel actualiter in esse(mutuò enim se expellunt) sed pleraque vitia sunt contraria ad inuicem (extrema enim virtutũ moralium sunt vitia contraria,vt prodigalitas, & auaritia respectu liberalitatis)ergo hæc non poterunt simul inesse.&c. Quare impossibile est,&c.Hinc,non oportet, vt qui habet vnum peccatum, ex necessitate habeat omnia peccata.

Aristot.2.& 5. Ethi.c.7.

Append.

CONCLVSIO II.

Connexione actuali aliqua vitia sunt connexa.Et ratio est, quia quãdo aliquis transgreditur per vnum actũ diuersa præcepta diuersarum virtutum,peccata actualiter colligantur,& connectuntur. Patet in adultero, qui peccat contra castitatem,& contra iustitiam, & in religioso, qui fornicando peccat contra castitatem,& contra votum.

CONCLVSIO III.

Dispositiuè omnia peccata sunt connexa, idest, vna est dispositio, & radix, vnde omnia vitia generantur, nempè, superbia. Initium enim omnis peccati superbia. Et quando ex vno peccato trahitur alterum, vt ex ebrietate nascitur impudicitia,

Eccl.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitia, & ex superbia inuidia, & ex septem vitiis capitalibus innumerosa proles peccatorum generatur. Et in hoc sensu B. Greg. & alij patres asseruerunt peccata esse connexa. Vel possunt dici connexa quò ad remissionem: quia vnum peccatum mortale sine alio non remittitur. Impium enim est à Deo dimidiam sperare veniam.

Alex. Alen. q.111.m.4. & in.3.p. vbi supr. S.Thom.vbi supr.art.2. Duran. q. 2. dist.42. Castro verbo peccat. Hæresi.8. Hæresis. Deut.25. Ioan.19. Legecan.quē admodū & quatuor c.sequent. 32. q. 7.

Secunda diffic. Vtrùm peccata omnia sint paria?

SEnsus est. Vtrùm sint æqualis malitiæ offensæ, & demeriti? Hic bellum est nobis cum Stoicis, & Cicerone in lib. de paradoxis, & Iouiniano hæretico, qui dixerunt omnia peccata esse paria.

CONCLVSIO I.

Omnia peccata non sunt paria. Hæc conclusio est de fide. Et colligitur ex variis sacræ scripturæ locis, ex quibus vnum, atquè alterum tibi proponam. Legitur enim Deuteron.25. pro mensura peccati erit, & plagarum modus, quare cùm peccata non sint eiusdem mensuræ, non erunt planè æqualia. Et veritas ipsa Christus Iesus dixit Pilato. Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet, ergo si maius fuit peccatum Iudæorum, peccatum Pilati non fuit peccato Iudæorum æquale. Et ratione confirmatur, quia grauius est conuitium illatum imperatori, quàm duci, & duci, quàm militi ratione personarum. Hinc, confutata manet hæresis Iouiniani.

CONCLVSIO II.

Quatenus auersio opponitur gratiæ contradictoriè, & priuatiuè, hoc modo peccata sunt patia. Et ratio est, quia hoc modo auersio est non amicitia, quæ est pura negotio gratiæ. Quæ quidem non recipit magis, & minus. Minimum enim mortale ita reddit hominem non amicum Deo, sicut maximum.

S. Tho. vbi. 3.art.3.

Tertia diffic. Vtrùm grauitas peccatorum ex diuersitate obiectorum varietur?

AD intelligentiam huius articuli sunt aliqua præmittenda. Mensura perfectionis nostrarum operationum est lumen rationis. Vnde quantò humana actio fuerit minus commensurabilis rationi, ideſt, minus æqualis, tantò erit deterior. Quemadmodum ægritudo corporalis eò est deterior, quò quatuor humores fuerint in minori æqualitate. Dices. Quando aliquod peccatum erit magis contra rationem? Respondeo. Quo peccatum aliquod est contra altiorem, & perfectiorem finem & obiectum, eò est magis contra lumen rationis. Magis si quidem rationi aduersatur odium in Deū, quàm in aliquam creaturam. Patet à simili in ægritudinibus corporis: nam vt illa est deterior, quæ est contra principalius membrum, vt contra caput, cor, latus: propterea quòd facilius aufert vitam & arguit maiorem humorum inæqualitatem: ita illud peccatum est magis contra rationem, quod est contra præstantiorem finem, vel obiectum.

1. Nota.

Dub.

2. Nota.

CONCLVSIO I.

Grauitas peccatorum secundum varietatem obiectorum variatur. Et ratio est; quia illud peccatum est grauius, quod magis aduersatur rationi, vt constat ex primo notabili; magis autem aduersatur rationi, & est contra illam, quod est contra excellentius obiectum, vt blasphemia in Deum est deterior, quàm in regem; quoniam Deus excellentius obiectum est, quàm creatura. Quare ex diuersitate obiectorum grauitas peccatorum variabitur.

Hinc, inter peccata, quæ sunt contra Deum, primum sibi vendicant locum; quia est principium vitæ nostræ, & finis vltimus. Quæ verò contra proximum sunt; vt homicidium secundo succedunt loco; quia vita hominis est finis istarum rerum. Omnia enim ad vitam hominis ordinantur. Deinde sequitur fornicatio, qua homo in corpus suum peccat. Et tandem furtum, quod circa res alienas versatur.

Append.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO II.

Nonnunquàm peccatum minus graue ratione obiecti est grauius alio ratione nocumenti, sine alicuius circunstantiæ. v.g. furatur aliquis mille aureos ex particulari homine: alius verò ex loco sacro casullam valentem duodecim ducatos, ex parte nocumenti deteriùs primus, quàm secundus, peccat. Similiter deteriùs peccaret ratione nocumenti occidens regem quàm interficiens sacerdotem, vel blasphemus. Et probatur ex primo notabili; quia mensura humanarum actionum est recta ratio, & hæc dictat peccata ratione maximi nocumenti esse grauiora alijs; quàmuis illa alijs sint grauiora ex obiecto, aut ex genere, quod idem est.

Append. 2. Hinc, in grauitate peccatorum semper ponenda sunt cætera paria. Contra conclusionem istam arbitrantur aliqui Thomistæ blasphemiam à tota specie esse deteriorem; quia obiectum blasphemiæ præstat vitæ regis, & nullam esse circunstantiam, quantumcunque pessimam, quæ possit adæquare grauitatem obiecti.

Alex. Alen. 3. p. q. 57. m. 3. S. Tho. vbi su prà art. 4. Nota. 1.

Quarta difficul. Vtrùm grauitas peccatorum per comparationem ad virtutes quibus opponuntur, consideranda sit?

OPpositio inter virtutem, & vitium est duplex. Vna est directa, quando, scilicet, virtus, & vitium sunt circa idē subiectū, & mutuò ab illo se expellūt, quiā sunt inconmateria vtrique extremo cōmunis. Quienim reddit alienū domino, seruat iustitiam, & qui aufert illud ab inuito domino, committit iniustitiam; & de aliarum virtutum oppositionibus similiter est censendum. Altera oppositio est indirecta, quando, scilicet, virtus, & vitium non sunt circa idē subiectū; sunt tamen contraria ex parte effectus; quoniam imperant contrarios effectus. Quo quidem modo omnia vitia opponuntur indirectè charitati. Iniustitia enim inclinat ad auferendum alienum; charitas verò contrarium imperat.

Quando

Quando virtus, & vitium directè opponūtur, sumunt bonitatis, & malitiæ gradualē speciem ab ipsomet obiecto, circa quod opponūtur, ita q̄ quādo obiectū siue res, circa quā operari contigerit, fuerit excellētior, tātò virtus excellentior, & vitium deterius iudicabitur, V.g. præstantior est reuerentia, & honor Deo, quàm regi exhibitus, quia obiectū est dignius, & ex consequēti conuitium in Deum erit deterius, quàm in regem: Et ratio est; quia virtus est operatio secundum rectam rationem, & vitium contra rationem; ergò quò obiectum est excellentius, eò operatio recta circa ipsum est magis rationi consona, & melior; & opposita operatio magis rationi dissona, disconueniens, & deterior. *2. Nota.*

CONCLVSIO I.

Quando vitium directè alicui virtuti opponitur, eius grauitas per comparationem ad virtutem oppositam dignoscetur; ita vt saltem ex parte obiecti tantò vitium sit grauius, quantò virtus opposita fuerit præstantior. Hæc conclusio est Aristot. 8. Ethicor. dicentis, pessimum opponi optimo. Et cùm in moralibus optimum sit maxima virtus, pessimum erit maximum peccatum; vnde maxima virtus opponetur maximo vitio, & erit mensura cognoscendi oppositi vitij grauitatem. Oppositа enim iuxta se posita, magis eluescunt. Et ex secundo notabili constat veritas conclusionis. Et quia rectum est iudex sui, & obliqui, & virtus quid rectum, & peccatum obliquum est. *Arist.*

CONCLVSIO II.

Quando vitium nō opponitur directè virtuti, sed indirectè, tunc grauitas peccati, per comparationem ad virtutem indirectè oppositam, non est consideranda. Et ratio est; quia tunc omnia peccata essent æqualia. Siquidem omnia indirectè opponuntur charitati, & non ob aliud; nisi quia charitas omnium virtutum actus imperat.

CONCLVSIO III.

Peccata aliquādo sunt sibi inuicē secūdū quid grauiora, & minus grauia. Et ratio est, quia alia sunt alijs grauiora: propterea q̄ præstantiori virtuti opponuntur: sunt, & minus grauia ratione alicuius circunstantiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hinc, odium contra amicum, ex parte virtutis oppositæ scilicet, amicitiæ, est deterius odio aduersus inimicum, quia 1 lad opponitur amicitiæ, quæ est virtus specialis, hoc autem opponitur amicitiæ generali, aut iustitiæ generali tantùm. Ex parte autem alicuius circunstantiæ erit odium inimici deterius, vt si ex illo graue dispendium publicum sequeretur, veluti si propter inimici occisionem aliqua res publica periret. Et de similibus simile esto iudicium. Peccata enim quandoq; & aggrauantur circunstantiis, & alleuiantur: vt habetur. 40. dist. can. homo. & 50. dist. quia tua. & de pœnit. dist. 5. §. 1. in principio, & 15. q. 1. can. inebriauerunt.

Alex. Alen. q. 154. m. 6. 7. & 8. S. Tho. vbi 5. art. 5. 2. Cor. 7. D. Greg. lib. moral. c. 3. peccatorũ diuisio.

Quinta difficultas. Vtrùm peccata carnalia sint spiritualibus deteriora?

Diuisio peccatorum in carnalia, & spiritualia colligitur ex D. Paul. vbi inquit Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus. Lege D. Gregor. qui docet ex. 7. vitijs capitalibus duo tantùm esse carnalia: reliqua verò spiritualia. Sunt autem carnalia luxuria, & gula: quia istorum duorum delectatio est tantùm in carne: delectatio verò cæterorum est tantùm in voluntate. Et ideò dicuntur spiritualia, quanuis omnium peccatorum, tam carnalium, quàm spiritualium consensus sit in voluntate.

CONCLVSIO.

Quàmuis peccata carnalia sint, cæteris paribus, leuioris culpæ, quàm spiritualia: sunt tamen maioris infamiæ. Conclusio est D. Gregor. vbi suprà. Et probatur prima pars, nempè quòd sint leuioris culpæ. Primò ex parte subiecti: quia spiritualia deturbant spiritum, in quo subijciuntur, qui est præstantior corpore, in quo carnalia sunt subiecta. Secundò ex parte obiecti, idest, materiæ: quoniam spiritualia sunt immediatè contra dilectionem Dei, & proximi: carnalia verò contra corpus nostrum sunt. Dicente B. Paul. omne peccatum quodcunquè fecerit homo extra corpus suum est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Et tertiò, quia proficiscuntur ex maiori occasione, & motiuo peccandi.

1. Cor. 6.

Sug-

Suggestio enim carnis, cùm sit hostis domesticus animæ, acriùs opprimit spiritum, quàm cuiuscunquè inimici, mundi, scilicet, & diaboli suggestio. Notanter dicitur, cæteris paribus: quia ratione alicuius circunstantiæ multa peccata carnalia sunt quibusdam spiritualibus multò deteriora. Adulterium enim ratione iniustitiæ est furto deterius, & peccatum nefandum deterius est blasphemia. Quoniam est contra naturam. Ratio secundæ partis, nempè, quòd sint maioris infamiæ, est, quia sunt nobis cum brutis communia, & aciem intellectus extenuant. Animaduerte in hoc artic. opinionem S. Thom. Affirmat enim auersionem habere magis rationem culpæ, quàm conuersionem.

Sexta difficultas. Vtrum peccatorum grauitas ex parte causæ consideranda sit? Alex. Alen. & S. Thom. vbi suprà.

Peccati causa, vel est efficiens, vt voluntas mala, pro vt te statur per metaphoram veritas Matthæi 7. Non potest arbor mala bonos fructus facere: vel est finalis, vt motiua, siue obiectum, quod est idem. Matth. 7.

CONCLVSIO I.

Quantò causa efficiens fuerit maior, ac peior, tantò peccatum erit deteriùs, & grauiùs. Et ratio est; quia quantò voluntas fuerit deterior per maiorem affectum; & desiderium peccandi, quæ est causa efficiens peccati, tantò peccatum erit intensius, & vehementius. Et quantò intensius, tantò deteriùs. Peccatum enim ideò malum; quia voluntarium; quare quò plùs habebit voluntatis, eò erit grauius; vt febris cuius causa est cholera, eò erit maior, quò fuerit cholera abundantior.

CONCLVSIO II.

Quantò finis malitia fuerit maior, quantò peccatum erit grauius. Et ratio est, quia, vt sæpe diximus, peccatum sumit speciem à fine operantis, vel operi, & cùm res, cuius finis malus est, teste Arist. sit mala, quantò finis erit deterior, tantò erit peccatum grauius. Arist.

T 5 Hinc,

Appen.1. Hinc, furtum cuius finis operis est iniustitia, erit grauius quàm ambitio honoris, cuius finis est amor sui, & inanis gloria, quæ ad intemperantiam pertinent.

CONCLVSIO III.

11.q.1.§.1. & cap. seq. vsque c. mulier. Quando ignorantia est peccati causa, quantò fuerit maior tantò peccatum erit leuius. Et ratio est; quia cùm ignorantia minuat volũtarium; quoniam si sciret, non peccaret, minuet etiam malitiam peccati, & ex consequenti peccatum erit leuius. Ideò enim est peccatum; quia voluntarium; ergo quò minus erit voluntatis in peccato, minus erit malitiæ. Quæ enim ex ignorãtia committuntur, facilè dimittuntur. 25. dist. cap. vnum orarium. §. criminis.

Append.2. Hinc, circunstantia finis; quæ mutat speciem peccati, & quæ notabiliter eius malitiam minuit, erit in confessione exprimenda. De circustantia autem intentionis est grãdis difficultas: sed vno verbo, si intentio fuerit tanta, quæ possit verbis exprimi, vt si quis adeò concubinam diligat, vt paratus sit potiùs inferni pœnas subire; quàm illam relinquere, in tali casu erit intentio confitenda.

In florib. 4.q. de cõfess. art. 4. diffi. 4.

Alex. Alen. S.Tho. vbi s. art. 7. ad. 2.

Septima diffic. Vtrùm maiori cũ cõcupiscẽtia peccans, grauius peccet?

COncupiscentia duobus modis sumitur. Primo pro inclinatione potẽtiæ sensitiuæ in suũ obiectũ; vt pro inclinatione carnis ad libidinem. Secundo pro actuali appetitu voluntatis, & pro desiderio patrandi aliquod malum.

CONCLVSIO I.

Concupiscentia primo modo minuit peccati malitiam. Et ratio est; quia cadens ex grauiori tentatione, & inclinatione ad peccatum, minus peccat: propterea quòd habet maiorem peccandi occasionem. Est enim regula generalis cadentem per grauiorem tentationem, minus peccare. Quia grauis tentatio minuit libertatem, quæ est de ratione peccati.

Append.1. Hinc, senes libidinosi grauiùs peccant, quàm iuuenes; quia imbecilliores tentationes patiuntur.

Hinc,

Appen.2. Hinc, cholerici minus peccant, appetentes vindictã, quàm pituitosi, siue phlegmatici, propter eandem rationem. Maiorem enim tentationem patiuntur, & maior est in illis occasio efferuescentiæ sanguinis circa cor.

CONCLVSIO II.

Concupiscentia secundo modo sumpta auget peccati malitiam. Et ratio est; quia peccatum tantò grauius est, quantò cum maiori conatu voluntatis fuerit patratum. Propterea & est magis voluntarium.

Octaua diffic. Vtrùm grauitas peccatorum ex maiori nocumento augeatur?

Alex. Alen. S.Tho. vbi su prà art. 8.

DIfficultas hæc vtilis est, sed difficilis. Fiet autem facilis, si sequentia prænotaueris. Nocumentum, quod proximo per peccatum infertur tripliciter potest considerari. Nam primò, vel est simul intentum, & præuisum; vt si quis sciens, & volens, furetur rem alienam, tunc nocumentum est præuisum à fure. Intelligit enim damnum, quod domino infertur. Est etiam intentum, non quod finis furantis sit domino rei nocere; potius nanquè suum commodum, quam alienum damnum intendit. Dicitur tamen intentum; quia volitum. Habet enim, eò & sua interest nocẽdi intentionem. Vel est secundò præuisum, & non intentum: vt si quis ad flagitiũ aliquod perpettandum pergens, transeat per segetes alienas: vt citius ad locum destinatum perueniat. Conculcando tunc segetes prævidit damnũ, sed nõ intẽdit illud; vt patet. Vel 3. nocumentũ nec est præuisum, nec intẽtũ; vt si quis dãs operam rei illicitæ, monachus. v. g. ludẽs armis, nocederet collusori præter intẽtionẽ, aut peccans pnblice, si suo malo exẽplo alios ad malum induceret. In ijs euentibus infertur alteri nocumentũ, neq; præuisum, neq; intentum, hoc est, à peccatore volitũ. Hoc est inter nocumentum intentum, & non intentum discrimen, quòd intentum est volitum in se ipso, vt furtum, homicidium, &c. non intentum verò, præuisum tamen, non est volitum sed in se in suâ causa. Ex hoc enim quòd quis voluit com-

1. Nota.

2. Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

compendiosiùs, vel citiùs ad fornicandum ire, ex consequenti voluit alienas segetes conculcare.

3. Nota. Quando fit peccatorum ex parte nocumenti comparatio, debet fieri inter nocumenta bonorum eiusdem ordinis; non autem diuersi. V.g. si fiat comparatio inter bona fortunæ, debet fieri furti ad furtum, & non furti ad nocumentum corporale. Et probatur; quia ex opposito sequeretur truncationem digiti, pedis, aut leuem brachij percussionem, esse grauius peccatũ, quàm expoliare publicũ ærarium. Si quidem à tota specie bonum corporeum, in quo fit nocumentũ, est præstantior ordinis, quàm bonũ fortunæ. Similiter inducere aliquem ad peccandum venialiter esset grauius peccatum, quàm occidere mille homines. Nam spirituale detrimentum, quantumcumque minimũ, deteriùs est quocunq; corporeo nocumẽto quare cũ hęc omnia sint absurda, debet profectò comparatio peccatorum penes nocumenta inter mala eiusdem ordinis fieri. Notanter dixi, quando fit comparatio inter nocumenta; quia si peccatorum grauitas penes obiecta cõsideretur, vel penes virtutes, quibus opponuntur, benè potest comparatio penes mala diuersi ordinis fieri, vt si homicidium cum furto ex parte obiecti comparemus, erit grauius homicidium. Quoniam obiectũ, scilicet, vita corporea, est diuitijs præstantius.

CONCLVSIO I.

Quando nocumentum est præuisum, & intentũ, tũc tãtò peccatũ est grauius, quantò nocumentum, à peccante præuisum, fuerit maius. Et ratio est; quia vt sæpe diximus, peccatum sumit malitiam ab obiecto, i.à re volita, circa quam peccatur; prout est rationi disconueniens. Et cùm nocumentum illatum proximo sit obiectum peccati, & sit volitum, erit planè quantitas malitiæ ab ipso obiecto sumenda.

Append. 1. Hinc, inferens nocumentum in bonis animæ, grauiùs peccat, quã inferens in bonis corporis. Et inferẽs in bonis corporis, quã in bonis famæ. Et famæ, quã pecuniæ. Hæc enim quatuor genera bonorũ habẽt inter se ordinem; vt in floribus. 4. & huius secundi non semel annotauimus. Hæc autem sunt

Limitatio. vera, si hinc, inde sint cætera paria, & sint omnia intenta, & præuisa. Nam, qui damnum infert alicui spirituale, quò ad veniale

veniale dumtaxat, etiam si illud intendat, non ita grauiter, atquè ille, qui hominem occidit, peccat. Similiter qui in re leui famam alterius denigrat, non ita grauiter, sicut qui furatur, magnam pecuniæ quantitatem peccat. Et ratio (vt in tertio notabili diximus) est, quia quando fit comparatio nocumenti debet inter bona eiusdem ordinis fieri, vel vno verbo, debet fieri inter summum malum vnius ordinis, & summum malum alterius, vel inter æqualia.

CONCLVSIO II.

Nocumentum præuisum, non tamen intentum ex parte peccantis aggrauat peccatum. Patet exemplo conculcantis segetes, vt compendiosiùs ad locum fornicationis deueniat. Et ratio est, quia malum alienum fuit volitum, & intentum in sua causa, scilicet, in voluntate vehementi currendi ad peccatum, licet non in se. Et hoc est discrimen inter nocumentum intentum, vt in conclusione præcedenti, & non intentum, præuisum tamen, vt in presenti conclusione. Quòd illud est volitum in se, hoc autem in sua causa, scilicet, in voluntate peccandi velociter. Quam ob rem quãtò malum alienum fuerit grauius, quia fuit indirectè obiectum peccati, tantò peccatum ex hac parte erit deterius.

CONCLVSIO III.

Quando nocumentum, neque est intentum, neque præuisum, neq; ex natura rei sequitur ex tali peccato, quàmuis ex lege institutæ sequatur, in tali casu nocumentum, quantumcunquè magnum, non aggrauat peccatum. Et ratio est, quia nullo modo, neq; in sua causa fuit volitum. Siquidem tale nocumentum non sequitur ex natura rei ex tali peccato. Et cõfirmatur, quia peccatum, ideò est malum, & culpabile, quia volũtariũ, & nocumẽtũ in præsenti casu, cũ nõ sit præuisum, non erit voluntarium, & ex consequenti neque culpabile.

Append. 2. Hinc, peccatum Adæ quamuis fuerit maioris nocumenti causa, quàm quodcunque flagitium, postea commissum, non tamen fuit cęteris omnibus peccatis grauius. Propterea quòd Adam neq; intendit, neq; pręuidit mala eius posteris secutura, neq; secuta sunt ex malitia peccati Adæ, sed ex institutione diuina, vt suprà in materia de peccato originali diximus.

Immò

Immò fornicatio simplex est grauior Adæ peccato. Et ratio est,quia fornicatio est intrinsecè mala, esus autem ligni vetiti fuit malus,quia prohibitus,non autem prohibitus, quia ma-
D.Aug. lus. Vnde D. Aug. 4. super Gen. dicit, Adam credidisse suum peccatum esse veniale, quæ quidem ignorantia concomitata
Append.3. fuit eius peccatum.

Hinc,danti operam rei illicitæ nocumentum, præter eius intentionem, & præter naturam rei subsequutum, non erit imputandum ad culpam,bene tamen ad legalem pœnam.

CONCLVSIO IIII.

Quãdo nocumentum nec est volitũ,neq; præuisum,sequitur tamẽ ex natura peccati,tunc peccatum ratione nocumenti augetur.Et ratio est,quia tale nocumentum fuit volitum in
Append.4. sua causa naturali:quæ quidem causa est peccatum.

Hinc,qui publicè habet concubinam, vnde aliqui sumunt occasionem peccandi, grauius peccat, quàm qui occultè est concubinarius.Nam cùm id,quod exemplo fit, iure fieri putemus,ex peccatis publicis miseri multi peccandi sumunt occasionem.Diximus de nocumento,quod proximo infertur,nũc de illo,quod peccandi prouenit,agendum est.

CONCLVSIO V.

Quando nocumentum,in quod peccans incidit, neque est intentum,neque præuisum, neque sequitur ex natura peccati,tunc non aggrauat peccatum. Verbi gratia,si quis ad homicidium patrandum currens, impingens lapidi, pedem frãgat, talis fractio neque est volita in se,neque in sua causa.Quoniã cursus non est per se causa fractionis pedis, quemadmodum solet ebrietas esse furiæ causa.Et ratio est,quia cùm tale nocumẽtum nullo modo sit volitum,neque erit peccatum, neque peccati malitiam augebit.

CONCLVSIO VI.

Luc.12. Quando nocumentum est præuisum,non tamen intẽtum, ideſt,volitũ,aggrauat peccatum. Probatur Luc.12.Dixit enim Christus dominus. Seruus, qui cognouit voluntatem domini sui,& non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius,vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis,vapulabit paucis.

Hinc

Hinc, fidelis homicida grauius peccat,quàm infidelis homicida:quia fidelis homicida præuidit pœnas inferni sibi infligendas,quas infidelis non prænouerat. Append.5.

DVB. I. Vtrùm omnis, qui dat operam rei illicitæ,si inde homicidium, nec intentum, nec præuisum,sequatur,sit irregularis?

HOc dubium circa tertiam conclusionem hoc loco à doctoribus tractatur. Et est communis sententia Theologorum, & canonistarum in c. dilectus, & in c.continebatur, & in c.ex literis.2.de homicidio voluntario,quos sequitur Syluester, verbo homicidium.2.§.2. Fuit etiam hæc sententia D.Tho.in art.proximè citato, & Caiet.22.q.68.art.8.& Conradi,& aliorũ.Non defuerunt tamen ex Thomistis, qui oppositum defenderent,affirmantes nõ omnem, qui dat operam rei illicitæ,contrahere irregularitatem, quàmuis inde homicidium sequatur.Quoniã requiritur,inquiunt:vt tale homicidium sit volũtarium.Lege glossam inc.sicut dignũ, de homicidio.§.vltimo vbi breui compendio materiam irregularitatis absoluit.Lege etiam in floribus.4.lib.de sacramento ordinis art.4.de suscipientibus ordinis sacramentum, difficultate.2.vbi abundè huic dubio satisfecimus.

DVB. II. Vtrùm conclusio secunda huius difficultatis sit vera?

RAtio dubitandi est multiplex.Nãinde sequeretur mulierẽ ornãtè se;quæ præuidet se alijs futurã peccãdi occasionẽ,peccare mortaliter.Similiter, & canentẽ ad organa, & præuidentẽ mulieres illũ audientes eius amore capiendas fore.Perinde,& cõducẽtes domos meretricibus;& ædificãtes lupanaria,&alias huiusmodi res faciẽtes,peccare mortaliter. Huius dubij solutio est cõfessarijs,& pœnitẽtibus scitu dignissima, & pernecessaria. Sed prius sunt aliqua animadu.

Alex. Alen. 4. p.q.11.ar. 2. S.Tho.vbi su prà ad. 1.& q.20.art.5.

Effectus

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Adnimad. Effectus malus tribus modis ex aliqua actione potest oriri. Primò per se, hoc est, ex natura rei, & in bona consequentia v.g.ex ædificatione synagogæ Iudæorum sequitur per se ibi blasphemandum esse Christum,dominum, ex venditione fuci meretricibus potis facta sequitur per se, illam fuco abusuram. Secundò non sequitur per se, & ex natura rei ex aliqua actione bona; sed per accidens, & est præuisus ab operante: non tamen intentus: vt si mulier nupta ornet se,non animo prouocandi alios ad libidinem; sed vt viro suo placeat: bene tamen conscia est alios prouocandos esse ad sui amorem. Tertio oritur effectus malus ex aliqua actione bona per accidens præuisus quidem,& intentus ab operante: vt qui canit

2.Anim. organo,animo alliciendi sibi aliquam mulierem.

Actio, ex qua malus euentus habet ortum, aliquando est licita,hoc est nullo modo prohibita, simulquè est expediens, idest, vtilitati publicæ, vel priuatæ conueniens. Aliquando verò est licita,non tamen expediens:vt quod mulier non nupta ornet seipsam. Ijs animaduersis,perpende sequentes propositiones,quibus,veluti regulis,erit ad multos casus soluendos vtendum.

Prima Propositio.

Quando ex aliqua actione sequitur ex natura rei aliquis effectus malus quàmuis solummodo sit præuisus:non tamen intentus talis actio est peccatum. Et ratio est: quia talis effectus est tunc volitus,& intentus in sua causa.

Appen.1. Hinc, artifex ædificans officinam vsurarum, aut eam locans, & vendens fucum meritrici, & afferens epistolam ad amasium,&c.ex quibus actionibus peccatum mortale ex natura rei sequitur peccat mortaliter. Propter rationē dictam.

Append.2. Hinc,ancilla aperiens ianuam;vt ingrediatur amasius,aut illum dirigens ad domum meretricis,peccat mortaliter.Quo

1.Cor.8. niam sequitur ex tali actione malus euentus,&c.Et confirmatur.1.ad Cor.8.Si esca scandalizat fratrem meum, &c. Et loquitur de carnibus immolatis idolis,ex quarum esu imbecilles Christiani scandalizabantur,quibus aliàs vesci erat licitū.

Secunda

Secunda Propositio.

Quando ex aliqua actione licita,& expedienti,hoc est, nō prohibita,& vtili,sequitur malus euentus, non ex natura rei, sed ex alterius malitia, tunc si nocumentum non fuerit ab operante intentum,quàmuis fuerit præcognitum,talis actio non erit peccatum. Et ratio est; quia tunc talis euētus nec in se,nec in sua causa fuit volitus.

Hinc,ædificans lupanaria, vbi recipiantur meretrices, nō Append. 3. peccat, quàmuis ibi exercendam esse libidinem præuideat. Et ratio est;quia talis effectus est per accidens; effectus verò per se intentus, aut intendendus est purgare rempublicam meretricibus,ne illarum malum exemplum sit honestis fœminis peccandi occasio. Quòd si effectus intentus esset solùm, vt ibi libido exerceretur, proculdubio ædificare lupanaria esset peccatum.

Hinc,si mulier nupta sit conscia lapsus aliorum, non pec- Appen.4. cat,si se ipsam, vt placeat tantùm viro suo, ornat. Ratio est; quia dat operam rei licitæ, & expedienti,ne eius vir aliarum amore capiatur.

Hinc, cantans ad organa, & conscius prouocandam esse Append.5. mulierem,non peccat. Et ratio est; quia illud non intendit, & rei licitæ,& expedienti vacat.

Tertia Propositio.

Quando ex actione aliàs licita,nō tamen expedienti, per accidens sequitur malus euentus ex alterius tertij malitia, talis actio erit peccatum.v.g. licitum est mulieri linire faciem fuco,& hoc bono animo,ne turpis esse videatur; quia habet animum nubendi. Si tamen est benè conscia se ab aliquo adolescente, qui illam miserè amat, esse concupiscendam, ornādo faciem, mortaliter peccat. Probatur ex B. Paulo. Si 1.Cor.8. esca scandalizat, &c. Ex quo loco hæc tertia propositio apertissimè colligitur.Et confirmatur ratione; quia ordine charitatis tenetur homo scandalum præuisum in proximum vitare,& bonum spirituale alterius bono temporali, aut corporali proprio,præferre.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.6. Hinc, tenebitur talis mulier non apparere publicè ornata, sed occultare faciem, si probabiliter credit futurum esse hoc alicui infirmo scandalum. Et in tali casu excusabitur à præcepto audiendi missam.

Quarta Propositio.

Quando euentus malus est præuisus, & intentus, haud dubiè actio, ex qua talis euentus emanat, erit mala. Hæc propositio nulla indiget probatione.

Appen.7. Hinc, præbens furioso gladium, & intendēs malum euentum, peccat. De similibus simile esto iudicium.

DVB. III. Circa quintam conclusionem. An sit vera?

ET ratio dubitandi est; quia nocumentum corporale, cuius peccans est dominus; vt famæ, in aliquo casu, vel bonorum fortunæ, non aggrauat peccatum.

CONCLVSIO.

Si nocumentum sit spirituale, aut corporeum, aggrauatur ratione nocumenti peccatum. Et ratio est, quia cùm bonorū spiritualium homo non sit dominus, tenetur in his nocumentum futurum, si illud præuiderit, vitare.

Append. Hinc, si peccando cōstituatur aliquis in periculo maioris peccati, aut in periculo mortis corporalis, mutilationis membrorum, ex ijs nocumentis aggrauatur peccatum; vt si quis ingrediatur ad non suam cum periculo mortis. Et ratio est, quia ex ordine charitatis tenemur magis diligere vitam corpoream propriam, quàm proximi: peccaret autem mortaliter, qui proximum in periculo mortis corporeę constitueret, quare multò magis peccabit seipsum in tali periculo constituens. Et de nocumento bonorum, quorum non est homo dominus, est quinta conclusio supra posita intelligenda.

DVB. IIII. Vtrùm inducens mulierem ad fornicandum, grauiùs peccet, quàm, qui furtum, aut homicidium committit?

DVæ sunt extremæ opiniones circa hoc graue dubium. Prima est negans S. Thom. vbi sup. in sol. ad. 3. Secunda est Caiet. super art. citatum, qui conatur probare grauius multò esse peccatum, inducere ad libidinem mulierem inperatam, quàm sit peccatum homicidij. *S. Tho.*

CONCLVSIO.

Non est grauius. Et ratio prima est; quia lædens hominem corporaliter, intendit eius nocumentum: lædens autem spiritualiter non intendit nocumentum spirituale, sed delitijs tantùm modò frui. Secunda ratio est; quia spiritualiter alium lædens, non est causa efficiens læsionis: sed solùm inductiua, & indirecta. Non enim lædit alium efficienter, neque lædere intendit, quin potius; qui persuasionibus consensum præstat, se ipsum lædit, & sibi est imputandum; sicut illi, qui diaboli & carnis tentationibus consentit. peccatorum imputatur. Nullus enim: vt autor est D. Chrysostom. nisi à se ipso lædítur. *D. Chrysost.*

Nona diffic. Vtrùm peccatum sit grauius ratione personæ, in quam peccatur?

Alex. Alen. 3. p. q. 57. m. 3.

S. Tho. q. 73. 1.2. art. 9. & 11.

Vega. c. 23. lib. 11. in concil. Trid.

3. Reg. 19.

Michæa. c. 7.

V.g. si quis in prælatum, patrem, vel regem, &c. peccet.

CONCLVSIO.

Peccatum grauiùs esse dicitur ratione personæ, in quam peccatur. Probatur. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio. Vbi Israelitis peculiari malitiæ tribuitur, quòd seruos Dei fuerint persequuti. Et Michææ. 7. Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, &c. Vbi propheta, vt peccati grauitatem ostenderet, illas personas recensét. Lege. 12. q. 2. can. gloria, &. 22. q. 1. can. moueat. 27. q. 1. can. nuptiarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. V. Vtrùm circunstantia personæ, in quam peccatur, sit in confessione dicenda?

CONCLVSIO.

GRauitas peccati quæ ex conditione personæ, in quam peccatur oritur dummodò peccatum in aliam speciẽ transferat, vel peculiari præcepto prohibeatur, est mortale peccatum, & est confitenda. Et ratio est; quia nulla circunstantia est confitenda, nisi peculiari præcepto prohibeatur, vel mutet speciem peccati. Tũc enim est peccatum, alias non. Obedientia autem, & honor prælatis exhibendus, peculiari præcepto ꝓhibetur. Dixit enim Christus Iesus, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et Exodi 22. interdicitur maledicentia superiorum in faciem, vbi dicitur, Principi populi tui non maledices. Et act. 23. cùm B. Paulus maledixisset Ananiam principem sacerdotum, increpatus à circunstantibus, quòd principem maledixisset, purgauit seipsum dicens. Nesciebam fratres, quod princeps est sacerdotum. Scriptum est enim, principem populi tui non maledices. S. Thom. est de malo q. 2. art. 8. ad. 5. &. q. 7. & de veritate q. 23. art. 7. ad secundum.

Luc. 10. *Exod. 22.* *Act. 23.* *S. Thom.*

Hinc, circũstantia personę, cui ex ordine charitatis aliquid debetur, erit confitenda: vt si in bello, vbi solet extrema necessitas imminere, posthabito propinquiori, quis extraneo subueniat. Et ratio est; quia non sola charitas: verùm etiam charitatis ordo est sub præcepto; vt habes copiosè tractatum in floribus de eleemosyna in p.p. florum. 4. lib. sent. *Appen. 1.*

Hinc, percutiens personam consecratam, tenetur talem circunstantiam confiteri; quia mutat peccati speciem. Est enim sacrilegium. *Append. 2.*

Hinc, maledicens prælatum in facie, vel irrogans ei conuitium, tenetur hoc confiteri. Quia peculiari præcepto: vt constat ex probatione conclusionis, prohibetur. *Append. 3.*

Hinc, detrahẽs prælato in occulto, & verè, non tenetur circũstantiã personæ cõfiteri. Quia solùm prohibetur Act. 23. in faciem maledicere. Quoniam tunc esset grauis contẽptus; vt si quis prælato, aliquid præcipienti in faciem responderet. *Appen. 4.*

Nolo.

Nolo. Est enim grauis irreuerentia. Et idem est de principibus secularibus iudicium. Dicitur enim ad Roma. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et de similibus simile feres iudicium. *Ad Rom. 13.*

Hinc, si grauitas peccati ratione personæ, in quam peccatur, solùm aggrauet peccati malitiam venialiter, non erit necessariò exprimenda. Et ratio est; quia nec mutat speciem, nec peculiari præcepto prohibetur: vt v.g. ingratitudo in patrem, magistrum, benefactorem, &c. *Append. 5.*

Doct. in principio diffic. citati.

DVB. VI. Excellentia personæ peccantis aggrauat ne peccati malitiam?

CONCLVSIO.

AGgrauat planè peccati malitiam. Probatur primò ex parte scientiæ. Seruus enim sciens voluntatem domini sui, &c. Secundò ratione ingratitudinis. Qui enim plura bona temporalia, & spiritualia à Deo suscepit, maiorem illi obedientiam præstare tenetur. Sap. 6. potentes enim poten ter tormenta patientur. Tertiò ratione peculiaris præcepti, vt iudex, si agat contra iustitiam, vt si, durante officio, furtum vel homicidium committat. Dicitur enim ad Roma. 2. Inexcusabilis es, ô homo, omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas, &c. Quartò ratione scandali; vt si sacerdos, vel prælatus publicè flagitium aliquod committat. Et confirmatur hæc conclusio ex iure canonico, vbi multis in locis expressè habetur; vt videre licet. 24. q. 1. can. cõtra, &. 26. q. 5. can. contra idolorum. Etiam habetur extra de iure iurando cap. cùm quidam. Lege omninò glos. ibidem, vbi alij textus citantur. *Luc. 12.* *Sap. 6.* *Append. 1.*

Hinc, ex parte scientiæ grauiùs peccabat Iudæus, quàm Gentilis, & Christianus, quàm Iudæus, & Paganus in eodem genere peccati, 32. q. 4. can. in eo. &. 40. dist. can. homo Christianus. Lege gloss. ibidem, &. 6. q. 1. can. quæro. *Append. 2.*

Hinc, etiam grauius peccat prælatus; quã subditus ratione maioris scãdali. Et habetur. 11. q. 3 can. præcipuè. Vbi legitur, prælatos grauiùs peccare; qa subditos prauo exẽplo occidũt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DVB. VII. Sunt ne aliæ circunstantiæ, ex quibus grauitas peccati possit deprehendi?

CONCLVSIO I.

POtest ex qualitate pœnæ colligi peccati grauitas. Hæc habetur.24.quæst.1.cano.non afferamus, vbi legitur, scelerius esse commissum, quòd grauius est punitū, & inst. de pub.iu.§.item.l.Iul.de vi.publ.

CONCLVSIO II.

Intelligitur quoque peccati grauitas ex diuturnitate, & frequenti iteratione. Hæc est canonizata de pœna.d.5.§.1. vbi multa, quibus peccatum aggrauatur, proponuntur. Et.24. quæst.1.schisma. Delicta enim iterata plus puniuntur.l.3.in fi. C. de epis. audi. &.ff.de iure pa. L1.&.ff.de pœ.l.autem damna.§.quisquis,& C.de ser.fug.l.quicunque.

Quæst.V. De subiecto peccatorum.

DE hac q. disputant doctores scholastici quærendo. Vtrũ peccatum sit actus à voluntate solùm elicitus? An sit etiam actus imperatus? Lege Alex.Alẽ.q.68.S.Thom.1.2. tota.q.74.S.Bona.d.41.art.2.Scot.dist.41.Duran.d.39.q.1. Absoluetur quæstio hæc, explicatis nonnullis difficult.

Prima difficult. Vtrùm peccata in sola voluntate subijciantur?

Alex. Alen. & S. Thom. art.1.& 2. S.Bona. Scot. Durand. & alij vbi.§.

DVæ sunt opiniones extremæ. Vna negans S. Thom. Altera affirmans Scoti, quæ fuit antea D. Bona. Asserit enim peccatum pro formali, idest, pro ipsa inobedientia, subijci in sola voluntate; pro materiali verò in exteriori potentia. Discrimen autem inter has opiniones non est solùm de nomine. Nam Scotus sentit peccatum propriè solùm esse volitionem interiorem peccandi; vt exempli gratia, homicidium est volitio occidendi; executio autem huius volitionis, nempè, occisio ipsa de sententia Scoti nõ est propriè peccatum. Immò est effectus peccati, vel est peccatum pro materiali tantùm.

Append.1. Hinc, peccatum erit nomen analogum. Nam principaliter significat malitiam voluntatis; minus autem principaliter significat actum exteriorem, quatenus est effectus malitiam interiorem indicans; vt vox sanũ formaliter,& propriè significat animalis sanitatẽ, minus autem principaliter significat vrinam non q. vrina sit sanitatis subiectum; sed quia est index sanitatis in animali existentis. Atuerò; ex opinione D. Thom. colligitur, peccatum esse nomen vniuocum, & æquè primò significare actum malum interiorem, & exteriorem. Sunt autem, vt difficultas hæc clarior reddatur, aliqua considerանda.

Considet.1. Operationum vna transiens, altera immanẽs esse dicitur. Prioris subiectum est materia, circa quam agens operatur, vt calefactio ignis est actus, sine operatio transiens. Recipitur enim in aqua, quæ calefit. Nam actus actiuorum (vt Aristo. docet) sunt in patiente benè dispositio. Secundæ autem subiectum est ipsum principium actiuũ. Huius generis sunt intellectio,& volitio, quæ in ipsis potentijs operantibus, & producentibus illas, subiiciuntur. *Arist.*

Append.2. Hinc, idem est omninò operans, siue agens actione immanente, & subiectum eiusdem actionis. Patet per discrimen modò positum inter actionem transeuntem, & immanentẽ.

2. considera. S.Tho.est artic.1. vbi.§. Omne peccatum est operatio immanens. Et ratio est: quia omnis operatio voluntaria subijcitur in voluntate,& est immanens,& non transiens; vt patet in prima consideratione. Et omne peccatum operatio voluntaria est. Nam ideò peccatum; quia voluntarium: quare erit omne peccatum operatio immanens.

3. consid. Aliud est, peccatũ esse formaliter in aliqua potentia, aliud esse fundamentaliter. Nam esse formaliter est, quando de peccato, prout est in tali potentia, verificatur quidditas, & definitio peccati. Esse autem fundamentaliter est, quãdo ratio præcisa, propter quam, conuenit tali peccato quidditas, siue definitio peccati, est ratione illius potentiæ. Exempli

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratia,hæresis formaliter,ideſt,quidditatiuè eſt in intellectu. Eſt enim error intellectus contra legem Dei. Ratio autem & fundamentum hæresis eſt; propterea quòd intellectus ex imperio voluntatis præſtitit tali errori aſſenſum.

Append.5. Hinc,hæresis formaliter, ideſt, quidditatiuè ſubijcitur intellectui:fundamentaliter autem in voluntate. Hæc animaduerſio probatur à ſimili ex materia de libero arbitrio;nam,vt ibi iuxta probabilem opinionem,tenetur,libertatẽ eſſe fundamentaliter in intellectu, eò q; ratiocinatio eſt cauſa libertatis, & indeterminationis in volũtate: formaliter autem, & quidditatiuè eſſe in ipſa volũtate, propterea q; de quidditate,& eſſentia voluntatis eſt; vt ſit agens indeterminatum ad vtrũq; oppoſitorum,quod ſoli voluntati,cùm ſit agens liberum, conuenit; ſimiliter in peccatis vſu venire poteſt, vt ſit peccatum in vna potentia formaliter; in alia verò fundamẽtaliter:vt patet in peccato hæresis.

CONCLVSIO I.

Omne peccatum ſubiectiuè eſt in voluntate. Et ratio eſt; quia cùm omne peccatum ſit actus elicitus à voluntate (Aliter enim non eſſet peccatum: vt homicidium à dormiente, & à puero,& ab amente patratum) & omnis actus elicitus à voluntate ſit operatio immanens in voluntate:vt ex conſiderationibus poſitis conſtat, erit profectò peccatum in voluntate,tanquàm in ſubiecto.

CONCLVSIO II.

Eſtquè peccatum formaliter etiam in voluntate. Et ratio eſt,quia formale peccati eſt eius quidditas; & de peccato, quatenus eſt actus elicitus à voluntate,verificatur eius quidditas,nempè,eſſe cõtra legem Dei; atquè ita formaliter erit in voluntate.

CONCLVSIO III.

Eſt quoq; in voluntate fundamentaliter,Probatur; quia fundamentum alicuius rei eſt idem, quod ratio præciſa, ob quam,res illa eſt talis,vt riſibilitatis fundamentum eſt rationalitas.Quærenti enim cur homo ſit riſibilis? Reſpondetur; quia ſolus inter animalia,eſt rationis particeps.Et cùm præciſa ratio,ob quam aliquis actus eſt peccatum,ſit ſola voluntatis

tatis libertas(potuit enim non trãſgredi, & fuit tranſgreſſus erit perfectò omne peccatum ibidem fundamentaliter. Hactenus de peccato pro formali,nunc pro materiali ſit. *Eccl.31.*

CONCLVSIO IIII.

Nonnulla peccata non ſolùm in voluntate; verùm etiam in alijs potentijs ſubijciuntur. Patet exemplo hæresis, quæ materialiter,vt habetur in tertia conſideratione,eſt in intellectu.Et blaſphemia ſimiliter in lingua. Et libido in potentia generatiua ſubijcitur.

CONCLVSIO V.

Suntquè in illis formaliter. Et ratio eſt: quia cæteræ potentiæ à voluntate ſunt de facto ſubiecta virtutum, & vitiorum. Quoniam contraria ſunt circa idem. Aliter enim non opponerentur. Et vt fides, quæ ſubijcitur in intellectu, formaliter eſt virtus, ſimiliter, & error erit formaliter vitium; quia eſt fidei contrarius.

CONCLVSIO VI.

Non tamen ſunt in alijs potentijs fundamentaliter. Et ratio eſt; quia fundamentum peccati eſt ſola libertas, quæ cùm in ſola voluntate reperiatur, in ſola illa, & non in alijs potentijs erit peccati fundamentum. Et hoc planè voluit Scotus inſinuare,quando dixit, peccatum formaliter eſſe in voluntate; materialiter autem in alijs potentijs.Vbi per materiale noluit formale peccati excludere: ſed fundamentum peccati dumtaxat. Sed de ijs ex profeſſo, faueute Chriſto in lib.controuerſiarum. *Alex. Alen. q.68.m.4.*

Secunda difficult. Vtrùm in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum veniale?

PRima difficultate præcedenti dictum eſt in vniuerſum cæteras potentias poſſe eſſe ſubiecta peccatum, nunc de ſingulis potentijs explicandum.An poſſint eſſe peccati ſubiectum.Et ad tituli huius difficultatis, & dubiorum illius explicationem adnimaduerte,quæ ſequuntur. *D. Tho. art. 3. & 4. vbi S.Bona.d. 24.p.2. ar.3. Duran. q.5. & alij cadẽ diſt.*

Potentia cognoſcendi in homine de ſententia Ariſt. 2. de anima eſt,quæ apprehenditur; & cognoſcitur obiectum; vt videndi *1. Animad. Ariſt.*

videndi potentia cognoscit visibile. Quæ quidem virtus videndi est quædam qualitas in oculo existens. Nam oculus non est potentia visiua:sed est organum visus, in quo species obiecti visibilis recipiuntur;per quas species potentia videt.

2. Animad. Dictæ potentiæ visiuæ;vt idem Aristot. docet, respondet quædam potentia appetendi,ab ea distincta, qua, quod conueniens est appetimus,& quod disconueniens est,refugimus.

3. Animad. Potentia appetendi, siue appetitiua est duplex. Vna concupiscibilis. Irascibilis altera; vt in oculo ,prima est appetitus,idest, inclinatio quædam ad pulchrum visibile; secunda verò est inclinatio, qua refugimus excellens sensibile,vt nimiam lucem corrumpentem sensum. Similiter in sensu

4. Animad. gustus est potentia appetendi, qua inclinamur ad dulcia,& refugimus amara, &c. Dictus appetitus appellatur sensualitas,quæ in summa est inclinatio ad proprium obiectum cõueniens suæ potentiæ cognitiuæ,& ad fugiendum disconue-

Alex. Alen. tota q.68. & S.Tho. q. niens. Potentia cognoscendi, & appetendi in spiritualibus maximè inter se differunt; quia intellectus est virtus siue po-

81.1.2.art. tentia cognoscendi;voluntas autem virtus appetendi.In sen-

1. &. 2. & in.2.d.24.q. sitiuis verò distinguntur, sicut motus,& quies. Sensualitatis enim operatio est desiderare,aut fugere; potentiæ verò co-

2.art.1. gnoscendi operatio est apprehendere obiectum. Quemad-

5. Animad. modum operatio nutritiuæ, siue potentiæ nutriendi est habere cibum,& conuertere illum:& operatio appetitiuæ est fames,quæ est desiderium calidi, & sicci: & sitis, quæ est appetitus frigidi,& humidi. Quemadmodum etiam potentiæ

6. Anim. generandi operatio est generare, appetituæ potentiæ est in generatione concupita delectari. Potentia appetendi, quæ in homine vocatur sensualitas intellectui,& voluntati obtẽperat. Hanc veritatem in nobis docet passim experientia. Sæpe enim tẽperamus, aut excitamus alicuius rei appetitũ, rationes vniuersales adducendo. Compescimus nãq; iram,& libidinem,inconuenientia virtuti contraria ei proponendo. Obedit etiam sensualitas voluntati; quia quàmuis caro immoderatè delectabilia concupiscat; semper tamẽ quò ad exẽcutionem imperium volũtatis expectat. Nam si sensualitas sine voluntate suas operationes exercere posset, libido non esset

esset magis in homine, quàm in bruto culpabilis. Non so-7. Animad. lùm dicitur aliquid esse voluntarium,eò quòd sit actus elicitus,aut imperatus à voluntate:verùm etiam,quando voluntas potuit impedire delectationẽ, ne insurgeret,& omisit impedire. Dicitur enim tunc voluntarium in sua causa, scilicet, in negligentia remouendi occasionem.Potentia irascibilis,& 8. Anim. concupiscibilis sæpissimè imperio voluntatis resistunt. Experientia enim testatur,velle nos non semel iram compescere,& libidinosam delectationem opprimere; nec tamen posse. Propterea quòd istæ potentiæ, siue appetitus, non subijciuntur rationi;vt manus,pes,&c.quæ absque vlla resistentia iuxta voluntatis imperium mouentur, & quiescunt. Causa autem huius rei in promptu est; quia appetitus non præsupponit intellectus cognitionem;sed solam imaginandi potentiam,quæ in homine est.V.g.imaginamur plerunque aliquod delectabile rationi contrarium; vt libidinosi, qui sibi varios libidinis modos fingunt, & propter hanc vehementem imaginationem,fit:vt voluntas; etiam si intellectum à cogitatione auertat,non possit libidinosam delectationem opprimere; quia manet obiectum prẽsens in imaginatiua.Quod quidem docuit B.Paul.ad Galatas.5. Caro concupiscit,&c.vt non quę Ad.Gal.5. cunque vultis illa faciatis.Et ad Roma.non semel.

Hinc,intelliges,quàm necessarium sit imaginationem vi-Append. tiorum cohibere,& illam ad virtutes transferre; vt caro sine rebellione spiritui subijciatur. Nam imaginatio frequens libidinis fingendo varios delectationis modos, facit homines incontinentes:imaginatio verò assidua in his, quæ Dei sunt, fingendo varios euentus martyrij, & amoris, varioſque modos,quibus Christus passus fuit,quos euangelistæ non expressẽrunt,facit homines contemplationi deditos,paratissimoſq; ad obulandum tentationibus,& ad illas vincendas.Hæc diligenter considera;non tam vt alios doceas, quàm vt te ipsum exerceas. Nam his assuefactus vtilius multò alios docebis. Ijs ita constitutis, nota duas esse opiniones circa hanc difficultatem. Vna est Caiet.artic.3. asserentis in sensualitate esse Caiet. peccatum veniale, etiam secluso omni motu voluntatis;quia appetitus sensitiuus habet nonnihil libertatis. Quod; vt ipse opina-

opinatur, sufficit ad peccatum veniale, quod est peccatū imperfectum. Quæ opinio videtur colligi ex S.Thom. Altera est Scoti, affirmantis, peccata appetitus sensitiui; vt delectatio. aut ira, ante consensum rationis, esse peccata, non ob aliud: ni si quia voluntas non præuenit remotionem occasionis. Potest enim tollere imaginationem repræsentantem obiecta, & ex consequenti impedire; quòminus insurgat delectatio, aut ira, post suggestionem. Alexand. noster tenet in sensualitate esse peccatum veniale tantùm, & solùm subiectiuè, idque in pœnam primi peccati. S.Bona. posita distinctione, Respondet quæsito, dicens. Suo quodam modo esse in ea peccatum venial;, cui passim subscripsit Scot.

S.Tho. vbi. 3. in art. 2. ad 3. & art. 3. ad. 1. & 3. Scot. vbi sup. q. 3. ad. 1. Alex. Alen. m. 4. & S. Bona. q. 1. vbi suprà.

CONCLVSIO I.

Nullo modo est in appetitu sensitiuo peccatum: quin sit voluntarium. Et probatur; quia si appetitus sensitiuus: vt sentit Caiet. posset absque volūtatis suffragio venialiter peccare, posset, & mortaliter. Nam vtraque libertas, vel indeterminatio potentiæ vtrobiq; requiritur. Nec probabile esse videtur, posse Deum condere creaturam peccabilem per naturam venialiter; non tamen mortaliter. Quare cùm non possit sine suffragio voluntatis in appetitu sensitiuo esse mortale peccatum, neq; poterit sine tali suffragio esse veniale; & ex consequenti non erit in tali appetitu peccatum, quin sit voluntarium. Cum de essentia peccati tā venialis, quàm mortalis sit, quòd sit volūtarium, idest, quòd sit actus à voluntate elicitus, vel imperatus. Stultitia enim maxima est asserere, posse esse peccatum sine voluntate, vt S.Patres testantur. s. D. Chrysostom. homil. 52. operis imperfecti, & homil. 13. in epistō. ad Roma. Basil. in institutione illorum, qui vitam volunt ducere perfectam. Orig. homil. 27. in Num. B. August. lib. de duabus animabus cap. 10. & lib. de vera relig. c. 14. D. Anselm. in locum. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.

D. Chrysost. D. Basil. Orig. D. August. D. Anselm.

CONCLVSIO II.

Delectatio appetitus sensitiui in obiectum illicitum, quanuis non sit actus imperatus à voluntate, erit nihilominus veniale peccatum, & voluntarium. Et ratio est; quia huiusmodi delectatio fuit in potestate voluntatis, antequam insurgeret.

Poterat

Poterat enim extinguere suggestionem, & est circa obiectū illicitum; quare erit voluntarium in sua causa, scilicet, in negligentia remouendi suggestionem; atque ita erit peccatum veniale.

83. d. cān. error. & 2. q. 7. can. negligere & 17. q. 3. §. 1.

DVB. VII. Omnis illecebra carnis, & pruritus libidinis, ante voluntatis assensum, est ne veniale peccatum?

Altisiod.

COntrouersia est circa hoc dubium. Nam Altisiodorensis in. 2. sent. tract. 18. cap. 1. docet omnem carnis delectationem etiam illam, quæ prouenit, nobis inaduertentibus, & renitentibus, esse veniale peccatum; vt patet in confessoribus, qui plerumque inuiti carnis illecebram patiuntur, quandoque vsque ad effusionem seminis, & his, qui inter studendum materiam veneream inuiti aliquam patiuntur delectationem. In ijs enim, & similibus euentibus arbitratur Altisiodorensis esse peccatum. Et ratio illius est, quia cùm huiusmodi delectationes emanent ex originali peccato, quod quidem in sua causa, scilicet, in Adam est voluntarium, & imputabile ad pœnam; similiter erunt delectationes huiusmodi voluntariæ in sua causa, scilicet, in originali, & ex consequenti erunt peccatum. Hinc, cùm primum, visa muliere, aliquis etiā inuitus, cum motu membrorum delectaretur, de sententia Altisiod. peccaret venialiter. Communis autem opinio S. Thom. vbi sup. art. 3. &. 7. & Scoti. d. 42. & aliorum affirmat nullum motum sensualem esse peccatum, præter illum, quē voluntas potest impedire; quia aduertit intellectus suggestionem, antequam insurgat delectatio. Secus si non aduertit vel si cognouit, & non potuit illam imaginationem opprimere, vt in confessarijs patet.

Append. 1. S. Thom. Scoti.

CONCLVSIO I.

Non omnis carnis voluptas, nisi fuerit voluntaria, eo saltē modo quo in. 2. conclusione proxima fuit declaratū nobis ad culpā imputatur. Et ratio est; quia talis delectatio est omninò naturalis, & à potentia determinata ad vnum, quæ quò

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

15.q.1.can.illa cauenda, & cap. non est, & can.si concupiscentiam & can. vlt.

ad huiusmodi priores motus non subest voluntatis imperio; vt si quis, cùm primùm videt mulierem delectetur, vel quid simile. Quare nõ erit imputabilis ad culpam; propterea quòd nullatenus est voluntaria. vt ex.7.animaduersi.constat. Et confirmatur; quia si talis illecebræ essent peccata ex eo, quòd ortum habent ab originali voluntario in sua causa; vt Altisiodorensis opinatur, sequeretur omninò amentes, & furiosos concupiscentiam patientes, etiam venialiter peccare; quoniam etiam illis originale imputatur. Nihil enim damnationis, inquit D.Paul.ad Roma.8.est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant; sed secundum spiritum. Quare illecebra carnis non imputabitur illis ad culpam, qui per spiritum resistendo perseuerant.

Ad Rom.8.

Append.1. Hinc, ex sententia Altisiodor. nulla ignorantia etiam inuincibilis à peccato excusaret, Siquidem est volita in sua causa, scilicet, in peccato originali.

Append.3. Ex hac cõclusione habes, vnde multorum imbecillitatem possis à peccato excusare, qui cum primum audiunt aut legũt quid turpe, vel cùm quis eos manibus tangit, aut amicitię gratia amplectitur, illico polluuntur. Quorum illecebra cùm sit omninò naturalis, & inuoluntaria, non erit peccatum.

DVB. II. Quando in sensualitate est peccatum veniale, est ne peccatum omissionis, an commissionis?

Scot.dist.42.

COntrouersia est circa hoc dubium. Scot. vbi sup.q.3.ad 1. opinatur, esse tunc omissionis peccatum: propterea quòd voluntas omittit opprimere delectationem. Contraria opinio est Thomistarum.

CONCLVSIO.

Vtraque opinio est vera. Et ratio est; quia fundamentaliter est peccatum omissionis, eò quòd voluntas omisit imaginatiuam remouere; formaliter autem est commissionis peccatum; quoniam est actualis delectatio.

Ex

Ex dictis colligitur, solam suggestionem nunquàm esse peccatum; quia est omninò inuolontaria. Append.1.

Hinc, delectatio ante consensum solùm est venialis, non absolutè, vt opinatur Caiet. sed quia huiusmodi delectatio est voluntaria in sua causa, scilicet, in negligentia extinguendi suggestionem, auertendo imaginatiuam. Append.2.

Hinc, si voluntas non tenetur, aut non potest imaginationem actus illiciti auertere, non erit delectatio ad culpam imputanda. Patet exemplo confessarij audientis venerea, & illius, qui cùm primùm videt mulierem delectatur. Nõ enim tunc imputatur delectatio, cùm in potestate voluntatis non sit, nec suggestionem remouere teneatur. Append.3.

Tertia diffic. Potest ne esse in sensualitate mortale peccatum?

Alex. S.Th. art.4. Bona.q.2. Scot. Durand. & alij vbi.s.

SEnsualitas bifariam sumitur. Primò pro delectatione præueniente voluntatis consensum, & est peccatum veniale, quatenus potuit per voluntatis imperium impediri; non tamen fuit impedita. Secundò sumitur pro delectatione à voluntate imperata; quoquidem modo non est propriè sensualitas, sed est potius appetitus operatio.

CONCLVSIO I.

In sensualitate primo modo sumpta non est mortale peccatum. Et ratio est; quia peccatum mortale est deordinatio à fine vltimo, ideſt, auersio ab vltimo fine, per quam auersionem tollitur vita spiritualis animæ, nempe, gratia. Quæ quidem auersio à Deo est solius potentiæ rationalis, scilicet, voluntatis, cuius est conuersio.

CONCLVSIO II.

In sensualitate secundo modo accepta est peccatũ mortale formaliter; fũdamentaliter autem est in voluntate. Prima pars patet ex definitione peccati; quia cùm sit concupitum contra legem Dei, erit in ea formaliter peccatum mortale. Secundæ partis ratio est; propterea quòd cùm radix, & præcisa ratio peccati sit operatio voluntatis, fundamẽtaliter

omne

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. q.100.m.vlt. S.Tho.1.2. q. 74. art.6.& 8. Duran.d.24. q.6. S. Bona. art. 2.2.p. eiusdē d.34. & alij eadē d.& sū miſtæ verb. delectatio moroſa. Scot.d.42.q. r. Almain.tra ctat.3.c.24. in moral. Adria. in 4. q.6.de Euch. Martinus de Magiſtris in tract.de lux. q.3.& Caiet. in ſumma verb.delecta tio moroſa. Matth.5.

omne peccatum in voluntate erit,non tamen formaliter. Et hæc eſt ſententia D. Tho. ad. 1. act. 4. vbi ſup. cuius verba ſunt. Actus ſenſualitatis non habet, quòd ſit mortale,ex eo, q̄ eſt ſenſualitatis;ſed ex eo, quòd eſt rationis. Vides, quomodo non negat, quin poſſit eſſe mortale. Sed ſolùm docet rationem,& fundamentum,quare ſit mortale, non eſſe ſenſualitatem,ſed potentiam rationalem?

Quarta diffic. Conſenſus in delectatione moroſa, eſt ne mortale peccatum?

HAec difficultas; vt eſt difficillima, eſt vtiliſsima. Ad cuius clariorem intelligentiam proponam quædam præludia. Concupiſcentia actus illiciti eſt actuale deſiderium patrandi aliquod malum,& de hac concupiſcentia non intelligitur titulus difficultatis. Et ratio eſt; quia eiſdem præceptis, quibus prohibentur mala, prohibentur quoquè malorum deſideria: vt conſtat Matthæ. 5. Qui viderit mulierem ad mœchandum, &c. Prinde etiam dicendum eſt de concupiſcentia circa alia præcepta,iuxta illud. Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris. Et Marci. 7. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, &c. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem. Delectatio moroſa non eſt dicta concupiſcentia, id eſt,animus committendi peccatum,ſed eſt cogitatio moroſa in delectatione illius actus illiciti. Sæpiſſimè enim contingit moroſa delectatio cum animo contrario,ideſt,cū actuali intentione non cōmittendi talem actum, etiam ſi poſſet. V. g. occurrit actus fornicationis memoriæ, & tunc gaudet quis imaginādo, quo modo poſſet ad talem fœminam accedere, ſimulq; proponit q̄ etiam ſi poſſet,non accederet. Talis delectatio eſt moroſa, & ſine intentione committendi actum. Dicitur q; moroſa non à certa temporis mora (Nam in breuiſſimo etiam tempore poteſt delectatio haberi) ſed quia voluntas in ea delectatione immoratur, cùm teneretur potius ſtatim, vt cœpit cogitare, auertere intellectū, ne illius actus, ex.

1. Præludiū.
2. Præludiū.

ex cuius recordatione inſurgit talis delectatio, reminiſceretur. Illuſtro præludium hoc exēplo. Nam, vt frequentiſſimè vſu venire ſolet,febricitantem, quando ſiti fatigatur, imaginari frigidiſſimum fontem, in nemore conſtitutū, & fingendo ſe ex illo bibere,mirum in modum in ſola imaginatione delectari. Et nihilominus tātifacere ſuam ſalutem; vt etiam ſi haberet potum illum ad manum,abſtineret;ita à ſimili accidere poteſt aliquem delectari imaginando actus illicitos, & fingendo ſe illos exercere;vt occidendi inimicum, aut accedendi ad non ſuam; animo tamen non exercendi ſimiles actus,etiam ſi poſſet. En tibi moroſam delectationē, de qua eſt præſens difficultas. Sit ne mortale peccatum? An non? Omnis delectatio ſequitur aliquam operationem. Ariſt.eſt. Quaſi dicat.Omnis delectatio non eſt operatio; ſed paſſio, nēpe,gaudium de aliqua operatione:vel exteriori, vt ſi quis gaudeat de obtenta dignitate:vel interiori,vt quando aliquis gaudet de cognitione alicuius ſcientiæ,vel de eo,q̄ inuenerit rationes aduerſus aliquam propoſitionem; vel quando gaudet in cognitione actus turpis.

3. Præludiū. Ariſtot.10. Ethic.

Hinc,ex volitione rei gratæ ſequitur naturaliter gaudium, quod eſt delectatio cordis. Similiter ex nolitione alicuius euētus naturaliter ſequitur triſtitia;quia talis nolitio eſt actus voluntatis.

Appen.1.

Hinc,operatio interior, ſiue exterior, vnde oritur paſſio, eſt obiectum,ideſt,materia,circa quam voluntas gaudes, & delectatur. Peccatorum cognitio,vel ſpeculatiua eſt,vel practica. Prima eſt, quando naturas peccatorū, & definitiones, & proprietates contemplamur: vt quidditatem fornicationis nempè,q̄ ſit copula ſoluti cum ſoluta, & eius malitiam, nempè,q̄ vires animæ,& corporis eneruet, vel minuat, aut quid ſimile conſideramus. Et dicitur ſpeculatiua, eò q̄ ſpeculari idem eſt q̄ veritatem indagare, ſiue inueſtigare. Secunda practica vocatur à praxi voce Græca, quæ Latinè ſonat operationem.

Append.2.

4. Præludiū.

Append.3.

Hinc,delectatio eſt duplex; vt ait S. Thom. vel in cogitatione;vel in actu cogitato, ideſt,delectatio. vel eſt in cogitatione ſpeculatiua peccati,quam habet, qui ſtudēs materiam

S.Tho.art.8. vbi.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

temperãtiæ gaudet,se ĩtelligere eius quidditatẽ, causas,& effectus:vel est in cogitatione,siue cognitione practica,siue de actu cogitato:vt si quis fingat se accedere ad nõ suã,absq; animo tamẽ perpetrãdi talẽ actũ.Nõ solũ est peccatum mortale
5. Præludiũ. agere cõtra aliquod peculiare præceptũ prohibens, aut præcipiens aliquẽ actũ:verũ etiam est mortale, quãdo quis se cõstituit in certissimo periculo peccãdi mortaliter. Et ratio est;
Math.18. quia si in primo tenemur scandalũ vitare, idest; occasionem ruinæ verbo,aut facto,iuxta illud.Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis; &c. multò magis profectò tenebitur huiusmodi occasionẽ ruinæ in nobis ipsis vitare. Et qui constituit se in certissimo periculo peccandi mortaliter, nõ vitat in se ipso scãdalũ,siue ruinæ occasionẽ; atq; ita peccat mortaliter.
6.Præluđ. quãuis non sequatur opus in actu exercito.Agit enim contra charitatẽ.Hoc inter delectationẽ morosam libidinis, & cæterorũ peccatorũ interest,q̃ in materia libidinis,est eiusdẽ speciei cũ libidine;cæterorũ verò peccatorũ delectationes non sunt in specie peccatorũ,quorũ sunt delectationes;sed solùm sunt peccatorum occasiones. Probatur prima pars præludij; quia delectatio morosa in cogitatione libidinis sortitur prorsus eosdẽ effectus,quos ipsa cõcupiscentia,quæ est delectatio cum proposito patrandi actum. Nã experimento comprobatũ est in illis,qui admittunt huiusmodi delectationes morosas,pati eos membrorum motus, vsquè ad seminis resolutionem,ac si concupiscerent:quare erit propriè sub specie libidinis.Ratio verò secundæ partis est;quia si delectetur quis in sola cogitatione furti,aut homicidij absquè animo patrandi actum, talis delectatio non est in materia iniustitiæ; quia
7.Præluđ. nec habet nocendi animum, nec proximo nocumentum infert. Delectatio morosa aliquando habetur de cogitatione practica actus illiciti; aliquando autem de subtilissimo modo dumtaxat patrandi actum;vt si in materia furti quis imaginetur quo modo per fenestram ascendendo, vel loculos abscindendo, alienum rapere possit.

Append.4. Ex præludijs positis colligitur consensum in huiusmodi delectationibus morosis, non esse intentionem patrandi actum; quoniam tunc esset concupiscentia, sed esse negligentiam

gentiam voluntatis detinentis intellectum in illa cogitatione,& non conuertentis ad aliam cogitationem.

CONCLVSIO I.

Consensus in delectatione morosa de cogitatione practica libidinis,sine intentione patrandi actum, est mortale peccatum. Sententia est communis omnium scholasticorum, D. Aug. quam expressè antea docuit D. Augustinus quem distin. 24. supra Magister citat,vbi inquit. Hic, quippe, vna persona est, &c. Et confirmatur ratione ex. 6. præludio; quia delectationes morosæ in sola cogitatione practica libidinis sortiuntur eosdem effectus,quos ipsamet concupiscentia. Vtrobiquè enim dissoluitur animus in libidinem. Vtrobique etiam insurgit membrorum motus ad pollutionem vsquè,Vnde, vt concupiscentia est mortale,& libidinis species, erit, & consensus, Dub. &c. vt habet conclusio. Et cùm sint multæ species libidinis, quærenti sub qua specie talis delectatio morosa contineatur; Respondebis,esse illius speciei, cuius est obiectum, in cuius delectatione immoratur.

Hinc, si delectetur in cogitatione mulieris solutæ, conti- Append.5. nebitur sub specie fornicationis,si coniugatę erit speciei adulterij,& ita de alijs speciebus erit iudicandum.

CONCLVSIO II.

Consensus in delectatione morosa absquè animo patrãdi actum in cæteris peccatis erit mortale peccatum,quando ita consentiens intelligit,quòd in periculo concupiscentiæ cõstituitur,& non aliter.Et ratio est;quia qui consensum delectationi de cogitatione practica actus illiciti præstat, quãuis nõ habeat animum patrandi actum, se ipsum in certissimo periculo cõcupiscentiæ,& committendi actum constituit.Propterea q̃ per has morosas delectationes sensualitatis,& volũtatis inclinatio ad malum augetur. Quæ quidem inclinatio ad Roman.7.vocatur peccatum.Sed quod habitat in me peccatũ.Diciturquè peccatũ,eò q̃ sit originalis peccati effectus,& mortale inclinet. Certissimum namque est alios alijs esse ad malum proniores;quia ex pluribus actibus delectationis morosæ facilitas ad concupiscendum augetur.Quamobrem qui *Ad Rom.7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita delectantur, in periculo certissimo concupiscendi, & patrandi actum illicitum constituuntur. Quod satis experientia docet in illis, qui non abstinentes se à delectationibus morosis, facillimè in eadem peccata ruunt, & dilabuntur. Quod autem huiusmodi consensus non sit peccatum ex natura rei; sed tantùm ratione periculi peccandi, docuit solus magister *Vega.* Vega dum Salmanticæ prælectorem sacræ theologiæ ageret in suis commentarijs super dist. 42. 2. lib. sent. Et ratio illius est; quia cùm huiusmodi delectatio aliquo præcepto nõ prohibeatur, non erit mortale peccatum. Non enim præceptis diuinis prohibetur, nisi solus actus malus exterior, vel eius concupiscentia. Et consensus voluntatis in huiusmodi delectationibus morosis non est actus concupiscentiæ: quia non habetur intentio committendi opus, &c.

Append.6. Hinc, si iniuria affectus in cogitatione practica mortis, aut vindictæ contra inimicum delectetur, peccat mortaliter; eò quòd se in periculo certissimo concupiscendi actum constituit. Et idem est iudicium de illo, qui natura sua est pronus, & procliuis ad malum, vt ad furtum, & infamiam aliorum, propter eandem causam.

Appen.7. Hinc, si quis voluntariè admittat delectationem morosam circa cogitationem practicam alicuius vitij, vel circa subtilem modum committendi illud; dummodò intelligat se non esse pronum ad tale vitium, consensus in tali delectatione aliquando erit actus meritorius; vt in illo, qui componit comœdiam & cogitat, quomodo fur, leno, meretrix, &c. suam malitiam exercent: vt personas in comœdia fingat, si tunc in Deũ referat; aliquando erit veniale peccatum, si in nullum finem bonum referat, vel si modum excedat, vel si vanum finem sibi proponat. Velut si quem cogitare delectet tantùm; vt vitij naturam intelligat. Delectatio quidem vana est; sed mortale non est, quod non contingit vulgaribus, & plebeis hominibus.

Append.8. Hinc, cõcionator, quando de libidine dehortaturus est, eiusque deformitatem populo propositurus, sine peccato gaudet se rectè, & ordine concepisse, quæ de eo vitio declamatorio sermone proferat.

DVB. III. Quomodo cognoscetur talem delectationem morosam esse mortale peccatum?

AD id autem intelligendum plùs valet in vnoquoq; Spiritus sancti prudentia, quàm cuiusliber doctoris eruditio. Cæterùm, præter præludia proximè posita, nota, quæ sequũtur. Intellectus vel aduertit se cogitare illicita, vel nullo modo aduertit; vt contingit sæpissimè in illis, qui grauissima imaginatione ita detinentur; vt quid cogitent, omninò nesciant. Intellectus quando aduertit, vel plenè, vel perfectè, vel semiplenè, & imperfectè aduertit. Perfecta aduertentia est notitia iudicatiua, quando conscientia reclamat, appellat, increpatque intellectum, talia cogitantem. Imperfecta verò est tantùm, quando conscientia non reclamat. Obiectum delectationis morosæ est cogitatio practica de re illicita: concupiscentiæ verò obiectũ nõ est cogitatio: sed actus exterior, imaginatus. Et ratio vtriusque partis huius notabilis est; quia cùm obiectum sit illud, in quo voluntas delectatur, quando delectabitur quis in contemplatione, vt in cogitatione practica, talis cogitatio erit obiectũ delectationis: & quando concupiscet actũ exteriorem, & homicidium, fornicationem, &c. erit tunc talis actus præuisus obiectum concupiscentiæ.

1. Nota. *2. Nota.* *3. Nota.*

Delectatio morosa, vel concupiscentia sumit malitiam ex quinque circunstantijs. Primò ex parte obiecti. Secundò ex parte consensus. Tertiò ex parte causæ. Quartò ex parte aduertentiæ. Quintò ex parte negligentiæ voluntatis. Ijs præmissis, constituendæ sunt aliquot propositiones; quibus, tanquàm regulis, erit vtendum: vt, quando morosa delectatio sit mortale peccatum, intelligatur.

4. Nota.

Prima Propositio.

Delectationis morosæ, siue concupiscentiæ malitia speciem sumit ex malitia obiecti. Nam si delectatio fuerit de cognitione practica furti, erit in specie iniustitiæ peccatum. Quoniam constituit se in periculo committendi iniustitiam. Et idem est de alijs iudicium. Et probatur Oseæ. 9. cap. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt; qui autem

Oseæ.c.9.

morosè delectatus est, dilexit illam cogitationem; ergo erit il la delectatio eiusdem speciei, cuius est cogitatio, in qua dele-
Append.1. ctatur.

Hinc, quale est obiectum à parte rei, talis est cogitatio in intellectu. Et qualis est cogitatio, talis est delectatio.

Append.2. Hinc, si vidua delectetur morosè in cogitatione actus ma-
Caiet. dicit trimonialis præteriti, aut coniuges in absentia in cogitatione
non peccare copulæ coniugalis delectentur, tales delectationes erunt lici
mortaliter. tæ ex parte obiectorum; erunt tamen illicitæ: quoniam peri-
Lege quog. culosæ. Qui enim ita delectantur, constituunt se in periculo
Siluestrũ vbi pollutionis, quæ est peccatum contra naturam, nisi aliquid
s. suam continentiam expertus, oppositum intellexerit.

Hinc, delectatio de actu sub conditione, si talis esset eius
Append.3. vxor, aut si esset coniugatus, erit mortale peccatum. Et ratio est; quia licet conditio sit de opere licito ad extra, si esset: dele-
ctatur tamen sine conditione in cogitatione practica, & co-
gitatio ipsa est circa obiectum illicitum, scilicet, non suam. Et animaduerte, quòd cùm conditionalis nihil ponat in esse, talis cogitatio quatenus refertur ad opus ad extra, non est ma la; quia est conditionalis, & nihil ponit in esse; at verò quate-
nus cogitatio illa est materia delectationis præsentis, est ma-
Victoria. la, propterea quòd absque conditione delectatur. Vt fertur; oppositum opinatus est Victoria de eo, qui sperat se habiturũ puellã in vxorẽ, & delectatur in cogitatione futuri operis. Quod non videtur esse verũ; quia exponit se periculo, &c. vt supra diximus. Hactenus de prima circunstantia 4. notabilis.

Secunda Propositio.

Iacob.1. Quando voluntas actu delectationi, aut concupiscentiæ
D. Aug. ser. dissentit, tunc quantumcunquè caro delectetur, & libidinis
20. de verbis pruritas insurgat, tantùm abest; vt sit peccatum, vt etiam co-
domini. ronæ occasionem præstare credatur. Beatus, quippe, dicitur,
20. q. 1. §. 1. qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, ac-
& 23. q. 5. cipiet coronam vitæ. Quæ enim non placent, teste D. Au-
can. sicut e- gust. non nocent. Et ratio propositionis est: quia cùm huius-
nim. modi delectatio sit omninò inuoluntaria, peccati rationem non habet. Tum etiam, quia cùm præceptum non concu-
piscendi

piscendi non detur carni, cùm sit potẽtia rationis expers; sed spiritui, si voluntas dissentiat, non erit concupiscentia ad cul pam imputanda. Propriè enim cũcupiscentia culpabilis pro actu voluntatis, desiderantis rem illicitam, accipitur. Quando autem voluntas præstet consensum, statim dicemus. Sequitur iam tertiæ circunstantiæ explanatio.

Tertia Propositio.

Triplex esse potest delectationis morosæ occasio. Prima voluntaria, & licita: vt cùm aliquis ex lectione, vel auditione confessionis de materia venerea patitur delectationem libidinosam, si abest consensus voluntatis; ita quòd voluntas renitatur, & delectationi reclamet, nullum erit peccatum.

Constat ex modo dictis, & infrà statim dicendis. Secunda voluntaria, & illicita. v.g. cùm quis ex verbis & iocis illicitis patitur hanc delectationẽ superuenientem, tunc, deficiente voluntatis consensu, erit delectatio ex sua causa iudicanda. Veluti si ex verbis cum meretrice oriatur naturalis delectatio, erit mortale peccatũ, ratione certissimi periculi peccandi, in quo se ipsum constituit. Si autem: vt sæpe adolescentibus accidit, ex cõfabulatione de rebus venereis nascatur, tunc erit delectatio venialis. Tertia occasio potest esse omninò voluntaria, quàmuis sit illicita, & tunc temporis aliquando nullum erit peccatum, aliquando veniale tantùm. Erit nullum: vt si insurgat subita imaginatio libidinis, aut vindictæ, quæ est occasio delectationis, si statim voluntas renuat delectari, quàmuis caro delectetur, nullum est peccatum: vt ex secunda propositione constat. Veniale autem tantùm erit, si solùm intellectus apprehendat delectationem, non diiudicans, sit mala, nec ne? quòd statim infrà probabitur. Ratio autem totius huius regulæ est: quia cùm huiusmodi delectationes non sint voluntariæ in se ipsis, sed in suis causis, sortiẽtur ex suis causis malitiam. Sequitur iam quarta circunstantia declaranda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta Propositio.

Quandò insurgit subita, & naturalis delectatio, quam voluntas non potest præuenire; vt cõtingit in materia venerea ex subiecta mulieris visione, aut in materia iræ ex visione inimici, in tali euenta accidit præ nimia passione vsquè adeò excæcari, & veluti inebriari intellectum; vt etiam per multum temporis spatium, quid cogitet, non aduertat; vt solet vsuuenire libidini, & iræ assuetactis, tunc non erit morosa delectatio peccatum. Et ratio est; quia cùm non sit præcogitata, non erit voluntaria. Nihil enim volitum; quin præcognitum. Et cùm non sit voluntaria, non erit peccatum; vt ex supradictis constat.

Quinta Propositio.

Quando intellectus aduertit per notitiam iudicatiuam, si volũtas præstat assensum, peccat mortaliter: si autem aduertentia fuerit imperfecta, hoc est, apprehensiua tantùm delectationis, & non iudicatiua: vt contingit in his, qui somniantes turpia à somno excitantur, & delectatio illa continuatur, tuncq; apprehendunt; delectationem tamen propter temporis breuitatem, non iudicant, sit mala, an non? in hoc euentu delectatio est tantùm veniale peccatum. Et ratio vtriusq; partis propositionis est; quia qualis est aduertentia, & præcognitio intellectus, talis est voluntatis cõsensus. Nihil enim volitum, quin præcognitum. Et eo modo volitum, quo præcognitum.

Append. 4. Hinc, ex aduertentia perfecta in intellectu sequitur peccatum perfectum, scilicet, mortale, & ex aduertentia imperfecta peccatum, imperfectum nempè, veniale. Restat iam vltima circunstantia, scilicet, negligentia voluntatis.

Sexta Propositio.

Si voluntas apprehendens perfectè aduertentiam delectationis neutraliter se habeat; quia nequè consentit, neq; dissentit, tunc mortaliter peccat. Et vt clariùs ratio huius propositionis pateat, nota duplicem esse voluntatis consensum, actua-

actualem, scilicet, & interpretatiuum. Primus est, quando voluntas eligit delectationem dicens; placet modo ista delectatio. Secundus est, quando voluntas neutraliter se habet, id est, neq; consentit delectationi, neq; remouet eius causam, scilicet, cogitationem practicam, & tunc censetur virtualiter consentire. Et ratio est; quia tenetur resistere, & non resistit. Et confirmatur; nam vt paria sunt occidere hominem, & nõ defendere à morte, cùm possit quis, & debeat. Similiter patia iudicantur consentire delectationi, & non dissentire, cùm possit, & debeat. Tandem, quia in casu huius propositionis verè agitur contra præceptum non concupiscendi. Nam idè est dicere, nõ concupisces, ac si dicatur, carnis concupiscẽtiæ resiste. Lege dist. 49. can. hinc etenim ante finem.

83. distinct. can. error & 2. q. 7. ne-gligere & 17. q. 3. §. 1. 15. q. 1. non est & c. vlt. 86. dist. can. pasce & 6. q. 1. can. decimæ in fine.

Septima Propositio.

Quandò voluntas se in cogitatione turpi delectari aduertit, & negligit delectationem opprimere: non quia delectatio placet: sed quia est certa de victoria. Quoniam iam experta est, se posse illam opprimere. Et vt miles tepidè pugnat: quoniam contemnit hostes; ita voluntas tepidè resistit: quia delectationem non tanti facit; in tali euentu delectatio morosa erit solùm veniale peccatum. Et ratio est; quia cùm non præstet assensum formalem, vel interpretatiuum, non peccat mortaliter. Cæterum; quia tenebatur, iuxta Spiritus sancti consilium, diligenter domesticum hostem opprimere; ideò peccat venialiter. Ait enim Regius propheta. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos & non conuertar, donec deficiant. Signum autem dissensus in hac tepida pugna est: quoniam huiusmodi homines, si daretur illis optio, potius eligerent mortem, quàm mortaliter peccare. Et hac de causa quando tepidè pugnant, non videntur consentire, tamen propter tepiditatem venialiter peccant. Hæc etiam, amice lector, tibi primum, & secundò alijs memoriæ manda.

Psal. 17.

Quinta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quinta diffic. Vtrùm, si confessor expertus est inter audiendum confessionem materiæ venereæ sepassum fuisse pollutionem, peccet mortaliter non abstinendo à confessonibus audiendis?

IDem est de eo, qui studendo materiæ venereæ eodem modo polluitur. Et quæritur, Vtrum peccet mortaliter non abstinendo à studio?

Hæc difficultas fuit iam partim soluta: modò autem omninò absoluetur. Caiet. peculiarem quæstionem tractat de pollutione ex audientia confessionis proueniente.

CONCLVSIO I.

Confessarius, qui sibi conscius est, quòd solet huiusmodi delectationibus venereis assentiri, tenetur à confessionibus audiendis abstinere. Et ratio est; quia cùm ordine charitatis teneatur potius sibi, quàm alijs consulere; tenebitur profectò periculum peccati mortalis in se ipso omninò vitare. Quoniam qui amat periculum, peribit in illo. Tum etiam; quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, & audire confessiones cùm periculo consentiendi: vt dicitur in conclusione, malum culpæ est. Quod quidem non est faciendum, quantumcumquè bonum, quod est delinquentis correctio, ex eo speraretur.

Eccl. 3. *Ad Rom. 3.* *14. q. 5. per totum. 22. q. 2. can. is autem & can. ne quis. & can. faciat.*

CONCLVSIO II.

Confessarius, qui experimento comprobauit, se consueuisse huiusmodi delectationibus libidinosis, & pollutionibus non cõsentire, immò, vt in plurimorum se illas inuitum, & reclamantem passum fuisse, quàmuis nonnumquàm assensum præbuerit, à confessionibus audiendis abstinere minimè tenebitur. Et ratio est: quia nullo modo est volita in se; vt in conclusione habetur. Nam voluntas reclamat, & licet, sit volita in sua causa, scilicet, in auditione confessionis quando confessor suam fuerit expertus continentiam, nihil prorsus habet malitiæ: immò plurimorum meriti. Non enim

enim effectus in sua causa volitus habet aliam malitiam, à malitia suæ causæ. Et cùm auditio confessionis nihil habeat malitiæ, nequè eius naturalis effectus, scilicet, pollutio aliquid malitiæ habebit. Et confirmatur à simili; nam vt ille, qui conscius est ex cæna ad corporis salutem necessaria, & ex potatione vini ad stomachum necessaria, certissimè esse in somnijs, & in vigilia polluendum, & hoc absquè eius consensu, non tenetur à tali esu, & potu abstinere; ita nequè confessarius ab auditione confessionis, cùm sit ad salutem animarum valde necessaria. Tandem si pollutio in somnijs, ex auditione confessionis proueniens, non est peccatum, nequè erit in vigilia. Propterea quòd vtrobiquè est pollutio ineuitabilis in se, quàmuis in sua causa sit volũtaria. Nec tenetur iste, quamuis imbecillis, à confessionibus abstinere, cùm in casu conclusionis in nullo discrimine peccandi se constituat. Alioquin oporteret, vt rectè Caietan. docet, confessores esse angelos, aut in gratia confirmatos.

Sunt autem quinquè à confessore in hac materia considerandæ. Primum est tentatio in mente, nempè, periculum consensus, de quo in prima conclusione egimus. Secundum est, tentatio in carne, & citra consensus periculum est contemnenda; quoniam prouenit ex necessitate tractandi materiam venereã. Tertium est imaginatio, quòd offendit Deum, siue timor, & hic est repellendus per fiduciam in ipso Deo, qui præstò adest timentibus se. Quartum est, vt à superfluis interrogationibus abstineat. Quintum est, quòd sæpissimè pollutio illa non est seminis; sed alterius humoris resolutio. *Nota.*

Sexta diffic. An liceat de inuoluntaria, & inculpabili pollutione gaudere.

VErbi gratia de illa, quam quis in somnijs, vel in vigilia inter audiendas confessiones passus est. Angelus in summa verbo pollutio tria affirmat. Primum est licitum esse de præterita pollutione gaudere. Secundum, licitum esse eam

Alex. Alen. q. 106. m. 10. l. 4. & in 4. p. q. 11. m. 2. S. Tho. in 4. d. 9. art. 4. Angelus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sylueſt. eam deſiderare. Tertium,non licere illam procurare. Sylueſter eodem verbo quò ad primum Angelo ſubſcripſit. Animaduerte duo.Et primum eſt,peccatum ex genere, quàmuis excuſet propter aliquam cauſam; nunquàm tamen materia gaudij eſſe poteſt.Et ratio eſt;quia iam tunc eſſet voluntariũ, quàmuis ſit præteritum. Secundum eſt,aliud eſſe gaudere de effectu pollutionis,nempe,de ſanitate,&c.& aliud de pollutione.

CONCLVSIO I.

Integrum,licitumquè eſt de effectu aliquo licito,ex pollutione etiam culpabili ſubſecuto gaudere:vt de ſanitate.Et ratio eſt;quia Deus aliquando permittit mala,ex quibus maxima proficiſcuntur bona,de quibus licitum eſt gaudere. Ait enim B.Paul.1.ad Corint.11. Oportet hæreſes eſſe; vt, & qui probati ſunt, manifeſti fiant in nobis. Et ex lapidatione Stephani,pro perſecutoribus orantis,habemus Paulũ.Quare de omnibus proſperis euentibus,ex malis principijs ortis, licet, gaudere.

1. Cor.11.

CONCLVSIO II.

De pollutione inculpabili in vigilia,aut in ſomnijs proueniente,ex quacunque cauſa,ſiue ex confeſſionibus audiendis, ſiue aliunde orta gaudere minimè licet.Et ratio eſt;quia talis pollutio ex genere eſt mortale peccatũ: excuſatur tamen,qui ita polluitur à peccato, eò quòd ſit ineuitabilis. Quare non licet de ea gaudere: alioquin à peccato non excuſaretur.Propterea quod tunc quàmuis præterita,eſſet voluntaria.Ratam enim haberet tunc temporis pollutionem. Deinde, quia vt nõ licet gaudere,quando quis polluitur,neque licebit poſtea: propterea quòd vtrobiqueeſt idem gaudij obiectum.

DVB. IIII. *Licet ne deſiderare pollutionem ſubſequi ex audientia confeſſionum?*

Nota diligẽter. QVicquid licet deſiderare,licet etiam procurare eo modo,quo licitũ eſt deſiderare,non alio. Et ratio eſt: quia actus interior, nempe, deſiderium, & exterior, ſcilicet,procuratio habent idem obiectum, & ſunt circa eandem materiam: & quando materia deſiderari,quæ eſt res concupita,fuerit licita,actus interior,& exterior,erunt liciti. Siquidẽ habent idem obiectũ,à quo bonitatem,& malitiam recipiũt. Appen.1.

Hinc,ſi licitus eſt cibus; vt comedere carnes tempore debito,erit etiam licitum illas procurare. Append.2.

Hinc, ſi deſiderare literas eſt licitum, erit quoque licitum ſtudium literarum procurare; quoniam obiectum, nempè, ſcientia eſt licitum.Dices.Licitum eſt habere epiſcopatum;& tamen de ſententia D. Thom.non licet illum deſiderare, & procurare?Reſpondeo.Eo modo,quo licitum eſt habere epiſcopatum, licet etiam illum deſiderare, & procurare,nempe, quando homo fuerit illo dignus.Erit autem dignus, quando fuerit præditus virtutibus,quas D.Paul.ad Timo.ſcribens re- 1. ad Tim.3. cenſet. Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. Et quia nullus debet ſe irreprehenſibilem iudicare,nullus debet nec poteſt commodè deſiderare.Poterit tamen aliorum iudicio ſe committere,atquè illum habere. Ex parte illa notabili, Appen.3. nempè,& non alio,ſequitur primò, eo modo licuiſſe procurare mortem Chriſti, ſcilicet,per orationes,& propter bonũ finem,ſcilicet,propter generis humani redemptionem, quo licuit deſiderare:vt prophetæ illam deſiderarunt.

Hinc,licitum erit ſacerdoti in generali conſulere prætori; Appen.4. vt ſuum munus exerceat; non tamen, vt latro ſuſpendatur, procurare.

CONCLVSIO.

Deſiderare pollutionem ex audientia confeſſionum ſubſequi haud licet,Et ratio eſt;quia talis pollutio ſolùm habet excuſationem;quoniam eſt volita in ſua cauſa;quare quando eſſet in ſe volita, nullam poſſet excuſationem habere. Quod enim non licet procurare,non licet deſiderare. S.Tho.1.2.q. 74. ab art.5. vſq; ad. 10. S.Bon.d.24. in.2.p.d.art. 1.q.1. &. 2. Scot. d.42.q. 1.

Septima diffic. Vtrùm in portione ſuperiori poſsit eſſe peccatum?

REuoca priùs in memoriam quæ ſupra de portione inferiori,& ſuperiori diximus, non eſſe, ſcilicet, duplicem poten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

potentiam;sed vnicam tantùm,vnum,videlicet,intellectum,
D.Aug. qui quatenus diuersa contemplatur,ratio siue, portio superior, vel inferior, nominatur: vt D. August.12.de Trinit.docuit,qui fuit huius distinctionis autor. Modũ autem, quo distinguntur,explicat.S.Tho.in.1.p.lege etiam D.Bona.vbi sup.
S.Tho.1.p.q. 78.art.9.

CONCLVSIO I.

In portione superiori peccatum mortale esse potest. Ratio est;quia cũ credere articulis fidei sit actus portionis superioris,errare in eisdem articulis erit actus eiusdem virtutis, siue portionis. Contraria namque circa idem subiectum versantur,& sunt.Hinc,in eadem portione poterit similiter esse veniale peccatum:vt est subitus infidelitatis motus.
Append.

CONCLVSIO II.

In portione inferiori potest esse peccatũ. Et ratio est,quia ignorantia crassa legis naturalis est portionis inferioris,& est mortale peccatum; vt si quis ignoret fornicationem simplicem esse peccatum.Similiter,&in cogitatione rei illicitę,quãdo voluntas in ea morosè,vt dictum est,delectatur,est peccatũ.Et vno verbo cùm omnis ignorantia culpabilis, & omnis error positiuus sint operationes intellectus, & sint peccata, poterit esse peccatum in intellectu. Cuius operationes dicuntur esse voluntariæ,nõ quòd sint à voluntate elicitæ:sed quoniam imperatæ.Potest enim voluntas imperare intellectui aliquam cogitationem,auertendo ipsum ab vna cogitatione,& in aliam conuertendo.

Quæst. V I. De causis peccatorum.

DE hac q.quæ aliquot positis articulis,absoluetur, disputant doctores scholastici varijs in locis Alex. Alen. q. 94.B.Tho.1.p.q.48.&.49.& in.1.2.à q.75.vsque ad.81.& q.3.de malo.S.Bona.d.34.&.6.&.7. Scot. d. 37. Duran. dist.34. &.6.&.7.& alij dist.36.
Alex. Alen. vbi. 8. m. 3.

Art. I. Vtrũ peccatũ in vniuersum habeat causam?

TItulus intelligitur de auersione,& conuersione peccati. An habeat causam? idest de peccato pro materiali, vel pro formali,an habeat causam?
art.1. S.Tho.art.1. q.75.1.2.

CON-

CONCLVSIO I.

Peccatum pro materiali habet causam per se, hoc est, ex intentione.Et ratio est; quia voluntas intendit illum actum, scilicet,dictum, vel factum,&c. qui quidem actus est peccatum,& intendit illum sub ratione boni vt latro furatur sub ratione boni vtilis;quare habet causam perse.Nã causa per se est,quæ agit ex intentione, & per propriam formam. Tum etiam,quia peccatũ cœpit esse,& omne quod cœpit esse,habet causam.Nihil enim fit in terra sine causa.Iob.c.5.
Iob.c.5.

CONCLVSIO II.

Peccatũ pro formali nullã habet causã perse.Ratio est;quia nullus operatur ad malũ aspiciens,nisi sub ratione boni, & formale peccati,scilicet,auersio à Deo,& à recta ratione nullũ bonitatis vestigium habet. Et ita cùm nullus operetur illud ex intẽtione,ex consequenti non habebit causam per se.
15.q.1.cap. merito

CONCLVSIO III.

Peccatum pro formali habet causam deficientem, & per accidens,ex parte effectus, & ex parte causæ. Tres sunt huius conclusionis partes.Et primæ scilicet, quòd habeat causam deficientem,ratio est; quia voluntas, non sequẽs regulã rectæ rationis est causa deficiens, & negatiua respectu rectitudinis. Potest enim,& tenetur dare suæ opperationi rectitudinẽ cõformãdo se rationi rectæ,& nõ dat,ac proinde dicitur esse causa defectibilis,siue deficiens.Quia deficit non dando rectitudinem,quam dare tenebatur. Hinc, voluntas diuina cum nihil teneatur efficere:quia nulli legi subditur, non dicetur vnquàm deficere.In secũda parte conclusionis dicitur, & per accidens ex parte effectus.Et ratio est; quia non intẽdit peccatum pro formali:nullus enim operatur ad malũ aspiciens,vt ex secunda cõclusione constat.Quòd autem sit causa per accidens ex parte causæ; vt in tertia parte conclusionis continetur.Probatur,quia omnis causa peraccidens reducitur ad causam per se.Cuius maximæ sensus est, omnis causa agens præter intentionem,quæ dicitur causa peraccidens, præsupponit prius natura efficere aliquid ex intentione; quemadmodum ignis,vt per accidẽs causet, siue efficiat priuationem frigiditatis,præsupponitur, vt per se causet calorẽ.
Append.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et cùm voluntas priùs natura, & per se causet actũ materialẽ peccati; vt in prima conclusione habetur: profectò per accidens, ideſt, præter intentionẽ, erit causa peccati pro formali.

S.Tho.art. 2. vbi supra.

Prima diffi. Habet ne peccatum interiorem causam?

CONCLVSIO.

TRiplicem habet peccatum interiorem causam, nempè, voluntatem, & rationem, & potentiam sensitiuam. Et ratio est; quia voluntas propter suam libertatem, & defectum, appetit plerumq; aliquod illicitum sub ratione boni vtilis, aut delectabilis; atq; ita generat peccatum. Ratio etiam sæpissimè aut per ignorantiam, aut per errorem, deficit, dirigendo voluntatem ad aliquod illicitum, quod licitũ esse opinatur, atq; ita est causa peccati. Et tandem potentia sensitiua, quia inclinat voluntatem ad delectationes prohibitas, est quoq; causa peccati. Diuersimodè tamen peccatum ab his tribus causis producitur; nam à duabus prioribus potentijs immediatè, & deficienter emanat; quoniam peccatũ in illis immediatè cõsistit (Nõ enim est peccatũ sine voluntatis cõsensu) à potẽtia verò sensitiua mediatè, ideſt inductiuè.

Alex. Alen. vbi supra.m. 3.art.4. S.Tho.art.3. vbi supra.

Secunda diffi. Vtrũ peccatũ exteriorẽ causam habeat?

CONCLVSIO.

CAusæ exteriores peccati plerumquè sunt homo, dæmon, & obiectum aliquod sensibile. Probatur, primùm de homine. Num. 31. Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel, & præuaricari vos fecerunt in dominum. Deinde patet de dæmone Gen. 3. vbi legitur, respondisse Heuam Domino. Serpens decepit me. Tandem de obiecto experientia comprobatur; quoniam obiectum sensibile exterius excitat sensum, & sensus inclinat voluntatem, &c. Gen. 3. vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq, delectabile, & tulit de fructu illius. Et cùm omnes istę causæ voluntatem liberam ad malum compellere non valeant, licet, suasionibus per-

Num.31. Gen. 3. Gen.3.

persuadere possint (fidelis enim est Deus, qui nõ patitur nos tentari supra id, quòd possumus) non erit extra voluntatem causa peccati quærenda, quæ sit principalior.

Tertia diffic. Vnum peccatum potest ne esse causa alterius?

CONCLVSIO.

VNum peccatum, secundum quadruplex causarum genus, potest esse alterius peccati causa. Probatur enumeratione exemplorum singularũ causarum. Et primùm est causa efficiens per se, quatenus ex multis peccatis v. g. ex multis actibus libidinosis generatur incontinentiæ habitus, & dispositiones, quibus peccator ad similes actus disponitur, & inclinatur. Est quoq; causa efficiens per accidẽs; quatenus remouet prohibẽs peccatum, nempe, Dei gratiam, verecundiam, & timorem. Secũdò est causa materialis prout est occasio, & præparat materiam alterius peccati; vt auaritia est occasio iurgiorum, inimicitiarum, & disponit voluntatem ad lites. Tertiò est causa finalis, quatenus vnum peccatũ propter aliud committitur: vt quando quis furatur, vt possit meretrici stipendium soluere. Postremò est, & causa formalis; vt patet in exemplo proximè posito: quia forma est, quæ dat esse rei, & finis in mortalibus gerit vicem formæ. Nam quando quis committit furtum propter fornicationem, tũc furtum est; vt materia, & fornicatio velut forma.

S.Tho.art. 4. vbi supra & Durand. d. 36.q.1. S.Tho. 1.2. tato q.84. Alex. Alen. vbi 3.m.3. art.3.& 5.

Quarta diffi. Potest ne esse peccatum à causa bona?

BOnitas, vel est entitatiua, vel moralis. Prima est absoluta quidditas cuiuscunquè rei, de qua scribitur Gen. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Hoc est, perfecta quò ad essentias suas. Habet enim Lucifer, quicquid est de quidditate supremi angeli: & ita est valde bonus entitatiuè, siue bonitate entis. Secunda est actus à voluntate cum omni circunstantia rectæ rationi consona elicitus, vel est ipsamet potentia rationalis omnibus habitibus studiosis ornata, & prædita.

B.Tho.1.p. q.49.art.1. S.Bona. dist. 34.art. 1. q. 1.&.2. Duran. ead. d.q.3. Nota. Gen.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO I.

Peccatũ est à causa bona bonitate entitatiua. Et ratio est; quoniam peccatum est à libero arbitrio, cui nihil perfectionis essentialis deest.

CONCLVSIO II.

Non est autem à causa bona morali, immo à causa mala. Et ratio est; quia plerunquè à voluntate deprauata, & vitiorũ pondere oppressa; efficitur. Et quándo Christ. R.N. dixit. *Matth.c.7.* Non potest arbor bona &c. intellexit per arborem intentionem operantis, bonitate morali bonam, à qua nõ potest peccatum emanare. Hinc, peccatum dicetur esse à bona, & mala causa; à bona bonitate entitatiua, & naturali, & à mala malitia morali. *Append.*

S.Thom. & Scot. vbi.5.

DVB. *Vtrùm voluntas, non sequens regulam rationis, sit causa peccati?*

THomistæ respondent, voluntatem absque regula rationis, antequàm ad actum applicetur, non esse peccatũ; sed ipsam voluntatem sub tali priuatione, & tamen esse aliquod bonum, sicut homo non albus. Quæ quidem responsio vix intelligi potest, quoniam peccatum est voluntas priuata rectitudine. Ideò nota voluntatem, non sequentem rationis regulam, dupliciter posse considerari. Primò consideratur quatenus actualiter recedit à regula rationis, & hoc modo idem est, quod peccatum. Secundò, quatenus aptitudinaliter rationis regulam non sequitur: sed solùm est apta, vt talem regulam non sequatur: & hoc modo est apta, & defectibilis, & est aliquod bonum entitatiuum: quia, esse defectibilem est naturale, & conditum à Deo, & de ratione cuiuscumquè creaturæ. Non enim potest Deus efficere, quòd sit creatura, & non sit defectibilis; quia cùm sit ex nihilo, est defectibilis, & ex consequenti peccabilis; quo etiam modo dicitur esse causa peccati.

Artic.

Artic. II. *De causa peccati ex parte intellectus?*

CAusa peccati ex parte intellectus est ignorantia rerum tractandarum. Nam omne peccatum ex parte causæ interioris, vel emanat ex ignorantia ex parte intellectus; vel ex infirmitate ex parte appetitus sensitiui; vel ex malitia ex parte voluntatis. Et quoniam de ignorantia cum Magistro in prima huius secundi parte copiosè disseruimus, ad alias causas declarandas accingamur. *Alex. Alen. q.146.*

Artic. III. *De causa peccati ex parte appetitus sensitiui.*

d. 22.q.2. Alex. Alen. q.146. S.Tho.q.77. 1.2. & q.84.

PEccatum dicitur ex infirmitate nasci, quando ex appetitu sensitiuo proficiscitur, qui infirmatur propter originalis iustitiæ priuationem.

Prima diffic. Voluntas potest ne ab appetitu sensitiuo moueri?

Alex. Alen. p.4.q.8.m.7. art.2.§.1.in fine. S.Tho.art.1. q.77.1.2.

VOluntas; vel mouetur directè, vel indirectè, directè quidem, quando habet se tantùm passiuè; vt aqua se habet respectu caloris, quem recipit. Quo modo à solo Deo, qui est autor naturæ, potest moueri. Cuius rei ratio est; quia cùm sit potentia libera, & indeterminata ad vtrunque oppositorum, ad amorem, scilicet, & odium, non poterit ab extrinseco, nisi à solo naturæ autore determinari. Indirectè autem moueri est, quando mouetur intellectus, quo moto, voluntas ad aliquam operationem inclinatur.

CONCLVSIO I.

Voluntatem directè ab appetitu sensitiuo ad operandum moueri est impossibile. Dicitur enim Eccles.15. Ab initio constituit Deus hominẽ. Et infrà. Ante hominem vita & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Quare nullus poterit inclinationem concupiscibilis, & irascibilis ad vindictam accusare, cùm voluntas, quatenus agens liberum est, *Eccl.15.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 10. hos bestiales motus opprimere, & superare valeat. Fidelis namque est Deus, &c. qui facit cum tentatione prouentum.

CONCLVSIO II.

Voluntas inducitur ad peccandum indirectè ab appetitu sensitiuo, scilicet, à pronitate, quam habet sensualitas ad immoderatè appetendum obiectum, quo indiuiduum conseruatur, & ad inordinatam generationem causa conseruandæ speciei, & ad inordinatè rebus nociuis resistendum. Probatur. Daniel. 13. niel. 13. Concupiscentia subuertit cor; Acsi apertè dicat. Pronitas sensualitatis voluntatem ad delitias, libidinem, & iram allicit; vt his appetitus sensitiui passionibus consentiat. Et ad Ad Gal. 5. Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c. vt non quæ- Ad Rom. 7. cunque vultis, illa faciatis. Et ad Roma. 7. Video aliam legem &c. Et ratio est; quia cùm nulla potentia inferior moueat superiorem, nec efficiat aliquid immediatè, & directè in illa, præter intellectum, qui mouet immediatè voluntatem; mediatè tamen, & indirectè inducit voluntatem excæcando intellectum; vt quod malum est, bonum esse iudicet, & sub hac ratione à voluntate eligatur, & error. Qui enim volunt regem decipere, priùs, regis consiliarij, vt decipiantur, curant. Illis enim excæcatis, continuò rex allucinatur. Et in regno animæ voluntas est regina, eiq; à consilijs est intellectus; quo quidē decepto, voluntas ad malum pro bono eligēdum inducitur.

S. Tho. art. 2. vbi. 3. Scot. in. 3. d. 36.

Secunda diffic. Potestne ratio aliquando contra scientiam, quam habet, à passione superari?

SAnctus Thom. refert opinionem Socratis, qui asserebat nullum peccatum ex certa scientia, & cognitione peccatorum; sed ex ignorantia tantùm veritatis procedere. Quę quidem opinio experientię, & sacræ scripturæ repugnat. Nam si experimur, propriisque auribus multoties audimus concubinarium confitentem se esse in peccato; profectò eius peccatum non ex ignorantia, quæ sit scientiæ priuatio, emanabit. Tum etiam sacra scriptura multis in locis hoc ideo testatur. Nam Luc. 12. legitur. Seruus, qui cognouit voluntatem

Luc. 12.

domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Et Iacobi. 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Verùm pro pleniori intelligentia huius difficultatis considera, quæ sequuntur. Scientia est; vel vniuersalis; vel particularis, Et propter priuationem alicuius istarū potest aliquis peccare; vt potest aliquis habere scientiam huius vniuersalis, omnis vsura est mala, & ignorare in particulari tan istē contractus sit vsuarius. Et tunc temporis, ex ignorantia scientiæ in particulari voluntas ad peccandum contra scientiam vniuersalem inducitur. Potest euenire; vt aliquis scientiam habitualem alicuius veritatis in particulari habeat; cuius tamen veritatis scientia actuali careat, eò quòd illam actu non consideret. Verbi gratia, si huius veritatis, omnis triangulus habet tres angulos, &c. habeat scientiam habitualem; non tamen actualem: propterea quod illam actu non cō siderat. Vel quia non vult: vel propter aliquod impedimentum. Passio appetitus sensitiui libidinis, aut iræ ligat plerunq; intellectum: quominus, quod scit in vniuersali, cōsideret in particulari. V. g. scit aliquis habitualiter in vniuersali omnē fornicationem esse malam: accidit autem, vt præ nimia passione huius vniuersalis non recordetur, & in particulari fornicationem committat. Inconsideratio, vel non recordatio vniuersalis scientiæ tribus modis potest contingere. Primò per distractionem circa alterius potentiæ obiectum. Accidit enim incontinentibus oculos in fœmina aliqua figere: sicut Dauid in Beth sabeæ, & præ nimia oculorum attentione intellectū à contemplatione boni, cui antea vacabat, recedere. Secūdò per inclinationē sensualitatis contra huiusmodi sciētiam; nam scientia huius vniuersalis, omnis fornicatio est fugienda, inclinat ad fugiēdam fornicationem: sensualitas verò inclinat ad oppositū. Vnde accidit plerūq;: vt insurgēte libidinis tēpestate, præ nimia delectatione homo neq; cōsideret, neq; illius vniuersalis omnis fornicatio, &c. recordetur. Quo niā, teste Arist. delectatio libidinosa furatur intellectū hominis sapientis. Tertiò per transmutationē aliquā circa corpus obliuiscitur intellectus scientię vniuersalis, & in particulari cō trā illā operatur. v. g. homo existēs in ebrietate, p quā species phan-

Iacob. 4.

1. Considera-tio.

2. Considera.

3. consid.

4. consid.

2. Reg. c. 11.

Arist.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phantasticæ turbantur, scientiæ habitualis obliuiscitur; atq; etiam præ nimia ira, aut amentia, species ita turbantur, vt homo in amentiam incidat. His considerationibus positis, sit

CONCLVSIO.

Frequenter præ nimia sensualitatis passione homo contra scientiam vniuersalem habitualem, quam in intellectu actua liter habet, operatur; & hoc ex defectu considerationis in particulari. Hæc conclusio duas habet partes. Et prima probatur experientia, & autoritatibus, quibus refutauimus Socratis opinionem. Et confirmatur ad Roma. 7. Video aliam legem in membris, &c. captiuantem me in lege peccati. Quo in loco per legem membrorum intelligit Apostolus concupiscentiam; & cùm concupiscentia sensualitatis sit quædam passio, de sententia B. Pauli, inducet planè intellectum; vt cõtra scientiam operetur. Secunda pars conclusionis (& hoc ex defectu, &c.) probatur; quia voluntas nunquàm operatur, ni si sub ratione boni ab intellectu præostensi, & cùm velit peccatum, præostenderur sibi ab intellectu sub ratione boni apparentis, atquè ita ex consequenti errabit in particulari. Propterea quòd tunc non considerat vniuersalem, scilicet, omnem fornicationem esse malam. Et huius vniuersalis oblitus contemplatur istam delectationem esse bonum, & ita illam sub specie boni delectabilis appetit.

Ad Rom. 7.

Append.

Hinc, omne peccatum, quodam modo ex ignorantia procedere videtur, sumendo ignorantiam non propriè pro scientiæ priuatione; sed pro obliuione vniuersalis scientiç, vel pro inconsideratione intellectus, non perpendentis deterius malũ esse, bono honesto, quàm bono delectabili, aut vtili priuari.

Alex. Alen. q.146. S. Tho. vbi 3.art.3.

Tertia diffi. Vtrum peccata, quæ ex passione appetitus sensitiui oriuntur, ex infirmitate esse dicantur?

Nota.

LIcet voluntas nostra sit appetitu sensitiuo potẽtior; nam

Gen.4.

post illum opprimere; vt Gen. 4. legitur, Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Nihilominus tamen

men quædam peccata: vt mox explicabimus, dicuntur ex infirmitate, non quòd sint ex imbecillitate, & impotentia voluntatis ad resistẽdum (Non enim voluntas infirmatur) sed quia ipse appetitus sensitiuus dicitur infirmari, qui præ immoderata delectatione, & inclinatione ad proprium obiectum, non potest à ratione rectè gubernari, & cohiberi. Sũpta metaphora ab infirmitate corporis, quæ, vt docet Arist. est impedimentum quoddam, quominus corpus suas operationes exercere valeat. Oculus enim infirmus non potest, sicut sanus, colores clarè videre.

Arist. 10. de animal.

CONCLVSIO.

Peccata, quæ ex immoderata inclinatione potentiæ irascibilis, & concupiscibilis oriuntur, metaphoricè peccata ex infirmitate vocantur. Cicero animæ passiones ægritudines vocat. Et ratione confirmatur; quoniam infirmitas corporalis est impotentia exercendi operationes naturales ex inæqualitate, & improportione mensuræ debitæ humorum, ratione cuius improportionis, & inæqualitatis corpus per virtutem motricem, & gubernatricem, quæ est in corde, non regitur, & gubernatur. Et cùm præ nimia inclinatione sensualitatis ad proprium obiectum, appetitus sensitiuus voluntati, quæ est virtus animæ potentias secũdum rectam rationem; vt rectè operentur, gubernans, non subijciatur, hinc, fit; vt peccata sensualitatis metaphoricè ex infirmitate appellẽtur, hoc est, ex abundãtia prauæ inclinationis, ob quam non subijcitur rationi, instar corporis infirmi, quod propter abũdantiam, & inæqualitatem humorum non potest per virtutem cordis, in quo est principium vitæ, & vitalis operationis, gubernari.

Cicero lib. 4. Tuscul.

Hinc, peccata ex infirmitate propriè dicuntur, quæ ex inclinatione appetitus sensitiui proficiscuntur. Talia sunt solũ peccata, quæ spectant ad actus venereos, siue ad cibos; & cõtentiones, quæ pro eorum defensione oriuntur. Et ratio est; quia appetitus sensitiuus est nobis cum brutis communis, & cùm appetitus sensitiuus brutorum ab illa tria tantùm, scilicet, ad venerea, cibum, & rixas, quæ circa hæc oriuntur, inclinetur, hæc sola peccata ex infirmitate dicentur. Cætera

Append.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dub.

ex ignorantia, vel ex malitia oriuntur. Dices: vnde nam orta est in sensualitate hæc infirmitas, vt rationi non obediat? Respondeo. Ex defectu iustitiæ originalis; quoniam in statu innocentiæ sensualitas rationi domino despotico subdebatur, erat sana.

Alex. Alen. q.157.m.1. 2.& seq. S.Tho.art.4. vbi supra.

Quarta diffic. Est ne amor sui omnis peccati causa?

CONCLVSIO.

AMor sui inordinatus est causa finalis, mouens omnem hominem ad malum. Probatur. 2. ad Timoth. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, &c. Vbi B. Paul. definit amorem sui esse radicem, fontem, & originem peccatorum omnium. Et D. August. inquit. Amor sui vsquè ad contemptum Dei ædificat ciuitatem Babylonis. Et cùm omne peccatum ad dictam ciuitatem pertineat; erit profectò amor sui omnis peccati causa. Et ratione confirmatur; quia finis in intentione operātis est, qui mouet ipsum ad omnem operationem, & amor sui est peccatoris finis, atq; ita mouet ipsum ad omne peccatum.

2. ad Tim. 3. cap.

D. Aug. 14. de ciu. c. 28.

Append. 1. Hinc, blasphemus, & hæreticus ex amore sui: vt suum sequantur beneplacitum, peccant. Similiter occidens seipsum, præ nimio sui amore peccat; ne præsentes miserias, quas morte deteriores iudicat, patiatur.

Append. 2. Similiter, & Iudæi amore sui, & non Dei, ne eorum synagoga destrueretur, olim primitiuā ecclesiam persequebātur. Et hoc est, quod docuit B. Paul. ad Rom. 10. Aemulationem Dei habent: sed non secundum scientiam. Nam æmulatio, & zelus Dei, & non secundum scientiam amor sui est. Quē admodum multi regularium tanto sui instituti afficiuntur amore, vt cæterarum religionum exosa habeant incremēta. Norantur dicitur in principio, amor sui inordinatus; nam ordinatus amor sui bonus, & laude dignus est. Datus enim est homini ad vitam tuendam, & conseruandam. Hinc, namquè odium sui est peccatum, & ad diligendum se ipsos, corpusq;, & animam homines lege naturæ obligantur. De amore sui multa poetæ & philosophi scripsere.

Ad Roma. c. 10.

Quinta

Quinta diffic. Sunt ne concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitæ peccatorum causæ?

Alex. Alen. q.158. S.Tho. art.5. vbi supra.

CONCLVSIO.

SVnt quidem causæ omnis peccati, quod ex sensualitate proficiscitur. Probatur. 1. Ioan. c. 2. Omne, quod est in mundo, concupiscētia carnis est, & oculorum, & superbia vitæ. Et ratione confirmatur: quia radix omnium peccatorum est amor inordinatus sui, vt proxima difficultate explicauimus. Qui quidem amor nō versatur, nisi circa tria prædicta, scilicet, circa concupiscentiam carnis, &c. Quare peccata, quę ex sensualitate proficiscuntur, adhæc tria, tanquàm ad suas causas, erunt referenda. Nam sunt illa immediatæ, & proximæ, & interiores peccandi occasiones. Auaritia verò est mediata occasio; quoniam si auaro abuti diuitijs libuerit, ad manum omnia vitia habebit, iuxta illud. Pecuniæ obediunt omnia. Et illud Horatij. Genus, & formam regina pecunia domat.

1. Ioan. c. 2.

Eccl. c. 10.

Horat.

Sexta diffic. Peccatum, proueniens ex passione appetitus sensitiui, est ne minus graue, quàm quod ex sola malitia, nulla nos passione sensualitatis agitāte, oritur?

Alex. Alen. q.146. S. Tho. vbi supra art. 6.

VErbi gratia, si vnus fornicetur sensualitatis suggestione ad hoc alliciēte, alius, nulla suggestione præcedēte, sed quia ipse excitauit priùs se ipsum; vter grauiùs peccet?

CONCLVSIO.

Si passio liberum antecedat arbitrium, peccati malitiam minuit. Et ratio est; quia quantò principium operationis est minùs liberū, & minùs in potestate nostra situm, tantò peccatum est leuius; propterea q. minùs possumus illud vitare; & quando principium peccati est à passione, est à principio minùs libero, & est minùs voluntarium, & ex consequenti minoris malitiæ, & grauitatis.

Hinc, peccantes grauioti tentatione carnis incitāte minùs

peccant;quàmex leuiori tentatione peccantes; quoniam tũc peccatum est à principio minus libero, scilicet, à voluntate maiori passione agitata,& impulsa.

Append.2. Hinc,qui ex maiori ira exercet vindictam, minus peccat; vt si quis,accepta contumelia,statim delinquẽtem percutiat,

Append.3. minùs peccat;quia minùs habet libertatis.

Hinc,accedens ad pulchriorem minùs peccat, quàm qui ad minus pulchram accedit; quoniam insurgit grauior tentatio, quæ intellectum excæcat. Et de similibus simile esto iudicium.

CONCLVSIO II.

Quando initium peccati est à sola voluntate,nulla passione antecedente;sed tantùm subsequente, tunc passio subsequens non extenuat;sed potiùs auget peccati malitiam, vt si quis nulla carnis illecebra agitatus eliceret hunc actum;volo fornicari, & statim motus carnis sequeretur, & libidine exardesceret,talis passio carnis subsequens non minueret, sed augeret peccati malitiam,quæ, quò fuerit passio maior, eò erit grauior.Et ratio est;quia quantò principium operationis est magis liberum,tantò est magis voluntarium; quoniam magis fuit in potestate nostra illud vitare,& in casu huius cõclusionis principium peccati est omninò liberum; quoniam voluntasnon fuit aliqua passione carnis exagitata, neque compulsa,quæ libertatem extenuat,& cùm sit magis liberũ,tunc

Append.4. peccatum erit magis voluntarium,& quò magis voluntariũ vt ex supradictis constat,eò erit grauius, & maioris malitiæ

Hinc, qui intrat domum meretricis animo accedendi ad illam:nulla tamẽ præuia excitatus passione, grauius peccat, quã qui præuia passione,& delectatione, intrat. Propterea ꝙ

Append.5. liberiùs primus,quàm secundus peccat.

Ex dictis collige tres gradus peccatorum secundum maiorem,& minorem grauitatem, qui tribus sequentibus propositionibus explicantur.

Prima Propositio.

Peccatum ex ignorantia minus graue est peccato ex infirmitate; vel ex malitia. Et ratio est; quia cùm ignorantia sit priuatio

priuatio scientiæ, huiusmodi peccata non sunt voluntaria in se ipsis;sed in suis tantùm causis, & ex consequenti cùm minus habeant voluntatis,& libertatis,erunt minus mala.

Secunda Propositio. *Dist. 25.cap. vnũ orariũ §.criminis & 15.q.1. §. 1.& c.seq.ad c.mulier.*

Peccata ex infirmitate sunt præcedentibus grauiora.Et ratio est;quia huius generis peccata sunt in se ipsis voluntaria.

Tertia propositio. *S.Tho.1.2.q. 78.art.4.*

Peccata ex malitia,nempe, quando aliquis nulla excitatur passione peccati,sunt præcedentibus deteriora. Et ratio est; quoniam sunt magis in se ipsis voluntaria. Et quia iuxta regulam generalem,eò peccatum est grauius,quò magis voluntarium; quoniam magis liberum. Et eò magis liberum, quo causæ ad peccandum inducentes fuerint pauciores,& minus efficaces. Relege, quæ supra de grauitate peccatorum; & de ignorantia scripsimus.Ex articulo citato colligitur apertissimè de sententia D. Thom. conuersionem non esse magis de ratione peccati.

Septima diffic. Excusat ne omninò passio voluntatem à peccato? *S.Tho.vbi s. art.7.*

DIctum est passione à peccati malitiam extenuari, nunc quæritur.An excuset,&c.

CONCLVSIO I.

Quando passio hominem rationis vsu priuat, omninò à peccato, dummodò causa passionis fuerit naturalis, excusat. v.g.qui præ naturali ægritudine incideret in phrenesim,excusaretur ab adulterio & homicidio tempore phrenesis patrato ratione passionis,nempe,phrenesis.Et ratio est;quia huiusmodi operationes non sunt liberæ,neque volitæ in se ipsis, cum homo tunc non vtatur ratione.Neque in sua causa;propterea ꝙ,vt supposuimus,talis ægritudo corporalis fuit naturalis.

CONCLVSIO II.

Quando passio omninò rationis vsum extinguit, si eius causa

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa fuit aliquo modo volita, peccans à culpa omninò non excusabitur, vt si quis præ ira, aut amore, quem à principio potuit vitare, insaniret, & in insania constitutus, fornicaretur, aut hominem occideret. Et ratio est; quia huiusmodi actus sūt liberi non in se ipsis: sed in sua causa, quam poterat, & tenebatur vitare. Confirmatur exemplo ebriorum, quorum peccata eis propter eandem rationem imputantur.

CONCLVSIO III.

Quando passio appetitus sensitiui non fuerit vsque adeò excellens; vt rationis lumen extinguat, tunc actus ex tali passione procedētes à culpa nō omninò; bene tamen ex parte excusabunt: vt si quis peccati conscius; præ nimia tamen sensualitatis passione, venerea, vel vindictam appetat. Et ratio est; quia, vt proxima difficultate explicauimus, passio non tollit omninò libertatem, licet illam extenuet, & huiusmodi operationes sunt in se ipsis volitæ. Dices. Quomodo voluntas huiusmodi passiones opprimere poterit? Respondeo. Auertendo intellectum à cogitationibus illicitis, & conuertendo illum: vt honesta contempletur. Sublatis enim cogitationibus turpibus, auferetur obiectum turpe, quod erat præsens in esse intentionali, nempè, in cogitationibus ipsis, & sublato obiecto, continuò passionis tempestas quiescit. Voluntas si quidem non fertur in incognitum. Nam sicut in præsentia obiecti ad sedandam carnis concupiscentiam oportet omninò auertere oculos corporeos, ne fœminæ pulchritudinem videant; ita etiam ad opprimendam carnis passionem in absentia obiecti, erit prorsus necessarium oculos mentis, ne turpia contemplentur, auertere. Hæc; vt facias, & non solùm; vt doceas, perpende.

DVB. Cuius speciei erunt huiusmodi peccata?

CONCLVSIO.

Limitatio. Erunt eiusdem speciei, cuius est eorum causa. Et ratio est qui non habent aliam malitiam, neque aliam transgressionem à malitia, & transgressione suæ causæ. Intellige nisi huiusmodi peccata fuerint aliquo modo præuisa. Nam si ebrius esset iam expers, se in ebrietate constitutum solitum fuisse

fuisse hominem occidere, tunc homicidium non esset circumstantia; sed verum peccatum iniustitiæ. Quia indirecte esset ipse ipso volitum; quoniam præuidit causam homicidij, & noluit illam prohibere.

Octaua diffic. Vtrùm qui ex corporali infirmitate, quam propria culpa contraxit, non potest præcepta ecclesiastica adimplere, sit transgressionis illorum præceptorum reus?

VErbi gratia, non ieiunans quadragesimam; quia inter ludendum tibiam fregit. De hac difficultate breuissime disseruimus in floribus quarti lib. in tractatu de ieiunio in fine q.6. Dub.6. nunc autem sit.

CONCLVSIO I.

De regulis iuris c. necessitas. Non est præcepti reus, qui ratione infirmitatis nō seruat illud, si talis infirmitas fuerit inuoluntaria. Et ratio est; quia cū huiusmodi transgressio non fuerit volita in se, nec in sua causa, nullatenus erit peccatum.

CONCLVSIO II.

Quando infirmitas fuerit voluntaria, & mala inde secuta fuerint præuisa, tunc ad culpam, tanquàm volita in se ipsis, imputabuntur. Probatur exemplo ebrij, qui conscius per vehementem suspicionem homicidij patrandi in ebrietate, voluit inebriari. Tunc enim non solùm sibi placet ebrietas; verùm etiam actu vult ebrietatis effectum, nempe, homicidiū. Append.

Hinc, qui præ nimia abstinentia, maximè contra prælati obedientiam, incidit in infirmitatem; ita vt non possit quadragesimam ieiunare, si hoc præuidit, proculdubio placet sibi ieiunij transgressio: quamobrem erit violati ieiunij reus. Quoniam zelo Dei; sed non secundùm scientiam, se macerauit. Obsequium enim rationabile esse debet. *Ad Roma. c. 10.&.12.*

CONCLVSIO III.

Quando infirmitas voluntaria fuerit, & mala inde futura non fuerint præuisa; quia fortè non venerunt in mentem, id

genus

genus mala, ad culpam non in se ipsis; sed in sua causa imputabuntur; quamobrem non erunt peccata ab infirmitate distincta. Probatur; quia peccatum tantum habet malitiæ, quãtum voluntatis, & cùm in casu huius conclusionis malum futurum non habeat aliam peculiarem volitionem, à volitione suæ causæ, nequè habebit aliam transgressionem, siue malitiam à sua causa distinctam. Vnicum enim peccatum erit causa infirmitatis, & malum futurum: vt si quis pernoctauerit deambulando, & propter infirmitatem postea non potuerit audire missam, tunc vnicum erit peccatum pernoctatio, & non audire missam, & ex consequenti satis erit pernoctationem illam confiteri: propterea quòd non est puniendus quantum meruit missæ prætermissio; sed quantum pernoctatio. Sunt autem intelligendæ secunda, & tertia conclusio, dummodò ante aduentum temporis, quo ecclesiasticum præceptum obligat, reum non pœnituerit, dedisse causam peccato. Nam si antea pœnituit, tunc cùm causa peccati virtute pœnitentiæ fuerit iam deleta, & remissa, peccata inde secuta non imputabuntur. Et ratio est; quia non sunt iam voluntaria in sua causa, quamuis olim fuerint; nequè in potestate infirmi, siue committentis illa fugere, & impedire. Hæc animaduerte: vt huiusmodi hominibus peccata sequentia non imputẽtur.

Limitatio.

Alex. Alen. & S. Thom. art. 8. vbi. 3.

Nona difficult. Peccatum, quod à carnis passione proficiscitur, erit ne mortale?

CONCLVSIO I.

SI voluntas nullum passioni antecedenti præstat assensum, nullum inde peccatum mortale sequetur. Et ratio est; quia cùm passio illa non sit voluntaria, non auertit à Deo, ideſt, non est amoris Dei priuatio, & per consequens nõ est mortale peccatum. Non enim occidit animam. Nequè enim præcipitur nobis, ne concupiscentiam habeamus: sed ne illi consentiamus.

CON-

CONCLVSIO II.

Quando voluntas passioni antecedenti formalẽ, aut interpretatiuũ assensum præstat, talis assensus à passione impulsiuè effectus erit mortalis; vt si voluntas delectationi venereæ assensum præstet. Et ratio est; quia cũ homo tunc à Deo per legis transgressionem, incompossibilem cum charitate, auertatur, absq; dubio peccabit mortaliter. Et animaduerte duplicẽ esse voluntatis, assensum. Vnus enim est formalis, siue directus, qui sunt idẽ; vt quando voluntas elicit actum positiuum circa peccatũ dicens; volo hunc actum. Alter interpretatiuus, quando, scilicet, nõ prohibet peccati causam; non tamen elicit volitionis actum: vt quando intellectu turpia, & vetita cogitante, voluntas in delectatione illius cogitationis immoratur, nec auertit intellectum, cùm possit, & neutraliter se habet. Tenetur enim cùm primùm insurgit talis delectatio, illam opprimere. Nam aliter in certissimo lapsus periculo constituetur. Præterea etiam in hoc articulo S. Tho. confitetur formale peccati esse auersionem. Hactenus de peccato ex parte appetitus sensitiui.

Alex. Alen. q. 146. S. Tho. 1. 2. q. 78.

Artic. IIII. De causa peccati, quæ est malitia.

HIc artic. absoluetur, positis aliquot difficultatibus, ad quarũ pleniorem intelligentiam dubium vnum, & vnã difficultatem præmittere operæ pretium erit.

Dub. Peccatũ ex malitia sumitur ne pluribus modis?

REspondeo. Tribus modis accipitur. Nã primò aliquis dicitur peccare ex malitia, quãdo solus habitus malus, est causa peccati, de quo statim difficultate tertia erit sermo. Secundò vocatur peccatum ex malitia quodcunquè peccatum; præsertim, quando vnum peccatum est alterius peccati effectus, dicitur procedere ex malitia, ideſt, ex peccato malo: vt detractio, quæ frequenter oritur ex inuidia, dicitur hoc modo peccatum ex malitia. Est enim detractio inuidiæ filia. Tertiò appellatur peccatum ex malitia, de quo est præsens disputatio.

Prima

Prima diffic. Quid igitur est peccatum ex malitia?

Scot.d.43.q. 2.& in 1.d. 1.q.4. nota ad argumẽta pro opinione §. aliter. Gabriel. Ocham. Almain. D. Aug. lib. 2.confess.c. 4. S.Tho.art. 1. vbi supra. Scot. loco proximè citato.

TRes sunt de hac difficultate opiniones. Et prima tribuitur Scoto affirmanti, peccare ex malitia voluntatem, nihil aliud esse, quàm velle malum sub ratione mali. Lege eundem Scot. in hoc secundo dist. 6. q. 1. notabili ad argumẽta pro opinione in fol. ad. 4. eiusdem opinionis est Gabriel eadem dist. 6. q. 1. art. 3. Dub. 2. & Ocham q. 13. Dub. 3. Asserunt enim voluntatem posse velle malum sub ratione mali, & posse nolle bonum sub ratione boni. Hanc dicit Almain in moral. esse aliorum plurimorum sententiam. Cui opinioni videtur suffragari D. August. Nam loquens de furto, quod ipse adolescens commiserat, ita ait. Non quærebam frui pomo, sed furto ipso. Amaui defectum meum, nõ illud, in quo deficiebam. Quibus verbis insinuare videtur D. Aug. se culpam sub ratione culpæ amasse. Scotus tamen in q. 3. citata dist. 43. nõ loquitur definiendo, vbi, recitatis duabus opinionibus, apertissimè videtur tertiam sequentem opinionem defendere. Secunda opinio est affirmantium, peccatum ex malitia esse, quod à vitioso habitu proficiscitur; quæ est falsa; vt statim in tertia difficultate sequenti declarabitur. Tertia opinio est S. Thom. art. 1. & Scoti vbi sup. & S. Bona. & aliorum asserentium, peccatum ex malitia esse, quandocũq; voluntas, nulla præuia passione stimulante, induxit animum ad peccandum.

CONCLVSIO.

Voluntatem peccare ex malitia non est velle malum sub ratione mali. Ratio est; propterea q. hoc est impossibile. Quod ita demonstro. Bonum est obiectum voluntatis; ergo voluntas non potest ferri in malum sub ratione mali. Consequentia patet, quia impossibile est aliquam potẽtiam ferri vel operari, nisi circa proprium obiectum. Non enim auditus potest percipere colores, aut visus sonũ: neq; intellectus operatur nisi assentiendo veris, & falsis dissentiendo. Et obiectum voluntatis de sententia omnium philisophorum est bonum; vt etiam Dionysius docet. Quare vt habet conclusio voluntatem peccare ex malitia non est, &c. Et ad autoritatẽ D. August.

D. Diony.

D. August. respondeo; verum esse aliquos frui malitia ipsa, vel potiùs se ipsis; sed hoc sub ratione boni delectabilis, iuxta illud. Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. *D. Aug. Proue. c. 2.*

Hinc, si quis posset odio habere Deum, illud esset sub ratione boni apparentis, & conditionalis, ita dicendo; si esset possibile, vellem non esse Deum, & forsitan damnati eundem actum habent. Append. 1.

Hinc, peccatũ ex malitia erit de sententia Scoti vbi sup. dist. 41. q. 2. illud, quod non ex ignorantia, neque ex infirmitate, ideſt, à passione antecedenti: sed ex voluntatis libertate proficiscitur: ita quòd voluntas; vt docet communis opinio, nulla passione agitante, inducat se ad malum. Append. 2.

Secunda diffi. Potest ne quis peccare ex malitia? *Alex. Alen. & alij vbi. 3.*

CONCLVSIO.

PEccare potest homo ex sola malitia, & de facto peccat, quando non ex ignorantia, siue ex passione antecedẽti: sed tantùm ex libertate, scienterq; malum sub ratione boni eligit. Probatur primo Iob. 34. vbi de huius furfuris flagitiosis hominibus loquens ait. Quasi de industria recesserũt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt. Et ratione confirmatur: omne peccatum ex aliquo magno principio corrupto proficiscitur, nempè, aut ex ignorante intellectu, aut ex sensualitate stimulante, aut ex voluntate deordinata; peccans autẽ ex malitia nõ peccat ex ignorãtia, cùm actualiter sit boni conscius; neq; ex passione; quia vt in cõclusione postulatur, nulla eum passio agitauit; ergo à sufficienti diuisione peccabit ex deordinatione voluntatis, quæ bonum ab intellectu præostensum repudiat, & malum sub specie boni veri, aut apparentis, aut delectabilis, aut vtilis eligit. *Scoti, & alium vbi sup. est. Iob. 34.*

Tertia diffic. Vtrùm quicunque peccat ex habitu vitioso, peccet ex malitia? *S. Tho. vbi supra. art. 2.*

SEnsus tituli est. An peccatum, quod à solo habitu, & nullo modo à passione, siue ignorantia proficiscitur, quàmuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota.

postea sequatur delectatio, sit peccatum ex malitia appellandum? Peccare ex sôlo habitu contingit, quando, nulla ignorantia præcedenti, nulla etiam carnis passione agitante, eligit homo peccare ob hoc solùm: quia est vitijs assuefactus. Quòd quidem accidit illis, qui præ nimia peccandi cõsuetudine, nullam ferè ex peccato capiunt delectationem: vt libidinosus ex carne, & ebrius ex vino. Peccant tamen ambo; quia sunt peccatis assuefacti.

CONCLVSIO.

Quicunquè peccat ex solo habitu vitioso, etiam ex malitia peccat. Et ratio est: quia peccare ex malitia est, quando initium peccati non est ignorantia, vel passio appetitus sensitiui; sed tantùm libera voluntas, eligens malum: sed qui peccat ex solo habitu est huiusmodi: ergo omnis peccans ex solo habitu, peccat ex malitia.

S.Tho.art.3. vbi supra.

Quarta diffic. Vtrùm, qui peccat ex certa malitia, semper ex habitu vitioso peccet?

IN hac difficultate, quænam sint principia: quare voluntas ad peccandum inclinetur, quærimus. Verùm animaduerte priùs, quæ subsequuntur. Voluntas naturaliter ad bonum ab intellectu præostensum inclinatur. Et ratio est; quia proprium eius obiectum est bonum, ad quod, sicut lapis ad centrum, inclinatus. Hinc, omne vitium est contra naturam hominis; quoniam est contra rationem: quæ quidem ratio est specifica hominis differentia. Hinc, quando eligit voluntas malum, oportet, vt talis electio ab aliquo principio extrinseco corrumpente voluntatem, proueniat. Voluntas potest eligere malum tripliciter. Vel ratione ignorantiæ intellectus, non intelligentis illud esse malum. Vel ratione infirmitatis: quoniam aliqua passione appetitus sensitiui concutitur. Vel tertiò ex se ipsa: quia est corrupta, & inordinata. Duo priora membra satis, superquè ex supradictis patent: restat, vt quomodo corrumpatur animad-

1.Animad.

Append.1.

Append.2.

2.animad.

maduertamus. Voluntas corrumpitur, idest, pronior ad malum, quàm ad bonum redditur, triplicem ob causam. Vel ratione habitus vitiosi, inclinantis illam ad promptè, faciliter flagitioseque operandum. Vel ratione ægritudinis corporalis: hoc est, ratione inclinationis ad illa peccata, quæ sunt contra naturam. Quæ ab Aristot. ægritudines corporales: quoniam proficiscuntur à natura corrupta, nominantur: vt est inclinatio ad comedẽdum terram, vel carnes humanas, siue ad quodcunquè genus libidinis, quod non est inter marem, & fœminam. Vel tertiò propter remotionem impedientium malum, siue peccatum: quæ sunt frequentissimè desiderium vitæ æternæ, & timor gehennæ. Remotis enim his prohibentibus peccatum, statim homo peccat. Nam sicut remota trabe prohibente lapidem descendere, illicò lapis descendit: ita eodem prorsus modo, remota per desperationem spe vitæ æternæ, & amoto gehennæ timore, homo peccat. Et ratio primi, & secundi membri est; quia voluntas inclinatur ad illas operationes, quæ sunt similes suppositio, & per habitum vitiosum, aut per ægritudinem corpoream, vitia sunt similia, & conuenientia suppositio malè habituato. Et cùm habitus inclinet ad similes actus, ratione habitus vitiosi, aut ægritudinis voluntas ad vitia inclinabitur.

3.animad.

Arist.7. Et hic.c.5.

S.Tho.1.2.q. 31.art.7.

CONCLVSIO.

Omne peccatum ex malitia, vel ab habitu vitioso, vel à naturali ægritudine, vel à remotione prohibentium peccata, proficiscitur. Et ratio est; quia peccatum ex malitia emanat à voluntate corrupta, & inordinata, idest, inclinata ad malum: vt ex prima, & secunda animaduersione constat: quoniam voluntas ex natura sua inclinatur ad bonum. Quare si aliquando eligit malum, ideò eligit: quia est corrupta, & inordinata, & cùm corrumpatur vna ex tribus causis: vt patet in tertia animaduersione, propter vnam ex illis sponte eligit malum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S.Tho.2.2.q. 186.art.9.ad primum Caiet. in summa &. Sylueſt. & alij ſummiſtæ verbo cõtẽptus. Scot. in. 4.d.3.q. 4. art.2.

Quinta diffic. Quidnam eſt peccare ex contemptu?

ABſoluetur hæc difficultas, poſitis aliquot propoſitionibus, quibus facilè, quando contemptus ſit mortalis, dignoſcetur.

Prima Propoſitio.

Contemptus legis tribus modis ſumitur. Primò negatiuè, aut contradictoriè, & eſt idem tunc, quod negligentia, & defectus, hoc eſt, non adhibere curam, & diligentiam adimplẽdi legem; nulla tamen iniuria, ſiue odio legis latoris interueniente. Quo quidem modo frequentiſſimè peccatur ex contemptu. Ideo enim ab omnibus peccatur; quia nolunt diligentiam adimplendi præcepta ſuperiorum adhibere. Secundò accipitur contemptus pro irriſione legis, abſquè vlla legis latoris iniuria; vt optimè docet Scotus. Nempe, quando quis iudicat aliquam legem inutilem; vt ſi prælatus præciperet; nequis per hortum à cœna deambularet, & inde nihil mali ſequeretur, tunc irridens hoc præceptum diceretur illud cõtemnere. Sit ne hoc peccatum: an non? Statim dicetur. Tertiò ſumitur propriiſſimè, & poſitiuè, quãdo aliquis hoc ſolo animo tranſgreditur legis præceptum; quia odio habet legiſlatorem, & ob hoc tantùm; vt legis latori non obediat: vt ſi peccans dicat intra ſe; ego non eram hoc facturus; placet tamen facere; propterea quòd prælatus, ſiue princeps illud prohibet.

Secunda Propoſitio.

Vt contemptu propriè dicto peccetur, duo requiruntur ſimul. Et primum eſt legis tranſgreſſio, quæ eſt actus ipſe peccandi. Secundum eſt cauſa peccandi, ſcilicet, contemptus legis latoris; vt ſi peccans intra ſe dicat: volo modò frangere ſilentium, quod non faceret, niſi prælatus prohiberet. Et ideò vult frangere ſilentium; quia prælatus prohibet. Similiter dicere verbum otioſum ex contemptu eſt dicere illud; vt faciat contra legem Dei, quæ verbum otium inhibet. S. Thom. verò dicit peccare ex contẽptu eſſe, quando voluntas renuit ſubijci

S.Tho.Caiet. vbi.3.

ſubijci ordinationi legis, vel regulæ; & ex hoc, tanquàm ex cauſa finali, procedit ad faciendum contra legem, vel regulã.

Tertia Propoſitio.

Peccare ex contemptu primo modo ſumpto non eſt ſpeciale peccatum. Et ratio eſt; quia huiuſmodi contemptus, vel ab infirmitate, vel ab ignorantia, vel ex malitia, ſiue ex negligentia adimplendi mandata diuina, quæ eſt communis omnium peccatorum cauſa, non autem ex irriſione legis, aut ex odio legis latoris proficiſcitur.

Quarta propoſitio.

Si contemptus pro irriſione legis, indicando illam inutilẽ, & infructiferam, accipiatur, & talis contemptus contra præcepta, vel conſilia diuina fuerit, erit grauiſſimum infamiæ peccatum. v.g. ſi quis conſilium diuinum de erogandis omnibus bonis pauperibus, & de ingrediendo religionem, iuxta illud: Si vis perfectus eſſe, &c. irrideret, & inutile iudicaret, eſſet blaſphemus in Deum, iudicans illum errare in conſulendo, & inſipientem eſſe; ſi autem eſſet conſilium, aut præceptum humanum, nullum eſſet peccatum iudicare illud inutile, dummodo non ſit conſilium, aut præceptum vniuerſalis ſynodi, quæ propter aſſiſtentiã Spiritus ſancti, nequit errare. Verùm enimuerò conſilia, & præcepta cæterorum ſuperiorum, aut ſynodi particularis, vel prouincialis, ſi nullius fuerint frugis, iudicare eſſe inutilia, nullũ erit peccatum. Et ratio, vt egregiè docet Scotus, eſt: quia nullus tenetur habere falſam opinionem ſui ſuperioris; quam quidem haberet, ſi iudicaret prælatum eſſe ſapientem, cùm ſit inſipiens, præcipiens inutilia.

Matth.19.

Scot.

Quinta Propoſitio.

Contemptus tertio modo acceptus eſt peccati mortalis cauſa, etiam in minimis præceptis, quorum tranſgreſſio citra contemptum, nullum eſſet peccatum: vel ſaltem eſſet tantùm veniale; vt ſi quis hoc ſolo animo dicat verbum otioſum, aut citra obligationem, non elargiatur eleemoſynam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non ob aliud; nisi quia Christ. R. N. eleemosynam consuluit, & verba otiosa prohibuit. Et ratio est; quia huiusmodi contemptus ex acerrimo in legem, & legis latorem odio proficiscitur. Immò est acerrimum odium. Quapropter soli pessimi, & vitijs assuefacti ita delinquunt; vt Prouerb. 18. insinuatur, vbi dicitur. Impius cùm in profundũ venerit peccatorũ, contemnit. Cuius loci non est sensus, q̃ peccare ex consuetudine sit peccare ex contemptu. Quantumcunque enim quis sit vitijs assuefactus, si non hoc solo animo peccat: vt superioribus non obtemperet, nullatenus erit peccatum ex contemptu. Sed quia per nimiam vitiorum consuetudinem dispo-

Prou. 18.

Limit. 1.

nuntur peccatores ad odium legis latoris: ita quòd non alio peccent animo, quàm vt superioribus non obediant. Limitat tamen Caiet. hanc doctrinam bifariam. Primò, quando aliquis est in vna re inobediens ex indignatione ne prælato, rem gratam faciat; nihilominus tamen quantùm est ex se, est in alijs obedire paratus: vt si prælatus præciperet subdito vt in cella maneat, & recedat, non ob aliud, nisi vt prælatorem gratam non faciat, & hoc ex indignatione, quia non vult illi placere, sed displicere, iste contemptus non est mortalis. Et ratio est; quoniam tunc animus, & finis peccantis non est inobedientia; sed indignatio. Secundò limitatur, quando aliquis paratus obedire prælato in grauioribus, in minimis illum contemnit. Nam tunc per contemptum non mortaliter; sed venialiter tantùm peccat. Et ratio est; quia non absolutè; sed secundum quid, contemnit prælatum.

Limit. 2.

Alex. Alen. q. 94. & in 4. p. q. 24. m. 3.

S. Tht. 1. 2. q. 79. alij. dist. 37.

Castro cõtra hæreses ver. creaturæ, & ver. malum, & v. peccat.

Quæst. VII. De causis extrinsecis peccatorum.

DE causis intrinsecis peccatorum, scilicet, de ignorantia, infirmitate, & malitia hactenus; restat igitur, vt de extrinsecis illorum causis verba faciamus, quæ sumuntur ex parte Dei, diaboli, & alterius peccati. Nam do homine, quatenus est peccati causa, iam supra diximus, cùm de peccato originali ageremus.

non

Artic. I. An Deus sit causa peccati?

Alex. Alen. q. 94. m. 3. art. 2. & toto art. 6. S. Tho. art. 1. vbi supra. S. Bona. Scot. Duran. Vega. Castro. Soto. Cano vbi. 5. Hæresis. Castro. 1. Nota. 2. Nota. 3. Nota.

CIrca hũc artic. fuit error Manichæorum, quem postea ab inferis excitarunt Lutherus, & eius sequaces, qui, vt solent, inter se dissentiebant. Nam licet omnes affirmarent omne malum culpæ esse à Deo, non solùm permissiuè; verùm etiam effectiuè. Dicebant enim Lutherus, & eius asseclæ, negationem Petri, & Iudæ perditionem esse à Deo effectiuè, sicut Pauli conuersionem. Erat tamen inter illos dissentio: propterea q̃ Manichæus duos deos esse dicebat, vnũ summè bonum, à quo bona cũcta procedebãt. Et alterũ summè malũ, à quo mala cũcta emanabãt. Sunt autem aliqua, quæ vtilissima sunt, priùs necessariò præmittenda. Tria sunt in peccato animaduertenda. Primũ est actus peccati, quatenus est entitas positiua à parte rei. Secundum est malitia moralis, à qua malum morale appellatur. Tertium est auersio à Deo, & legis trãsgressio, quod idẽ est, quo modo dicitur sumi peccatum pro formali. Malũ morale cõstat ex duobus, nempe, ex relatione positiua ad rationem errantem, & ex priuatione rectitudinis virtutis oppositæ. V. g. hic actus, volo furari, est consentaneus rationi erranti, ideſt, iudicio practico erranti, scilicet, mihi bonum est furari, & est rectitudinis oppositæ virtutis priuatus, nẽpe, ipsius iustitiæ, quæ inest actui contrario, huic, scilicet, nolo furari. Et ratio est; quia vnum contrarium alterius contrarij priuationem continet: vt albedo continet nigredinis priuationem. Et cùm hic actus, volo furari, sit contrarius illi actui iustitiæ, scilicet, nolo furari, continebit priuationem iustitiæ illius, nempe, relationis, quæ est conformitas ad rectam rationem. Quemadmodum actus humanus habet à voluntate: vt sit moralis, ideſt, liber; ita ab eadem voluntate habet, vt sit bonus, vel malus efficienter. Vnde si voluntas est bona, actus necessario erit bonus, & è contra. Quod expressè docuit Christus Iesus, quando dixit. Non potest arbor bona malos fructus facere, nequè arbor mala bonos fructus facere. Et ratione confirmatur; quia omne agens assimilat sibi passum, siue effectum.

Matth. c. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.1. 4.Nota. Hinc,impossibile esse videtur, voluntatem malam producere bonum effectum;& è conuerso.Causa est duplex, vel naturalis, vel moralis. Prima dicitur dupliciter, vel quia est determinata ad vnum,vt ignis ad calefaciendum, vel etiam si sit indifferens ad vtrumquè oppositorum, vt voluntas, dicitur nihilominus naturalis,quatenus per propriam, & naturalem virtutem operatur. Vnde confuersus generalis Dei cum causis secundi ,& ille, quo mecum ad hos flores colligendos concurrit,dicitur naturalis,quoniam Deus per volũtatem,quæ sibi naturaliter inest,operatur. Causa autem moralis dicetur etiam eadem volũtas creata,aut increata, solùm quatenus per consilium,vel imperium, vel prohibitionem, vel non prohibitionem aliquorum ad bonos,siue malos mores spectantium ,operatur. Et vno verbo, quicunquè ex intentione præcipit,consulit,prohibet,permittit,cum prohibere aliquem vitij,vel virtutis actum teneatur, illum liberè eligit,causa moralis dicitur. Hæc diuisio est Arist. qui dicit causas diuidi in agentia naturalia,& libera,siue à proposito, aut à concilio,quæ morales causæ vocãtur; quoniam ad mores pertinent.

Aristot.2. physico.

Appendix. Hinc,Deus dicitur causa moralis,quatenus nobis aliquam actionem præcipit, vel consulit perfectionem, quæ omnia ad rectos mores spectant. Cùm quilibet effectus sit in suam causam reducendus,vt naturalis effectus, in naturalem causam, & moralis in moralem, & peccatum pro formali sit moralis defectus:quoniam ad prauos mores spectat, eius causa propriè quatenus peccatum est,erit tantùm moralis.

5. Nota. Aristot.2. Physi. 6.Nota.

7.Nota. Deus nequè est, nequè esse potest moralis peccatorum causa.Et ratio est; quia nequè præcipit, nequè consulit peccatũ. Immò prihibet illud; vt diuina scriptura sæpissimè testatur. Operationes,quæ intrinsecæ sunt, à principio vitali dependent,idest,ab aliqua potentia rationali siue sensitiua. Impossibile enim est sine tali potentia produci. Probatur,in visione,exempli gratia,est entitas, quæ est ipsa visio, & est ipsa actio,quatenus per illam oculus tendit in obiectum extra,& cognoscit illud. Considerando igitur visionem in genere entis,& in genere operationis vitalis, impossibile est operationem

rationem vitalem esse à Deo;ita vt potentia nihil operetur. Nam implicat contradictionem ; quoniampropterea dicitur operatio vitalis;quia operatio animalis viuentis est.

Quare si animal non operatur, non erit vitalis operatio. Peccatum vitalis operatio est Et ratio à definitione peccati est: quia est dictum, vel factum, &c. Quæ quidem actiones, & operationes potentiarum sunt. Causa peccati, vel est directa, quæ per consilium, aut præceptum induxit aliquem ad malum; vel est indirecta,quæ non prohibere cùm possit,& prohibere teneatur. Deus nulla lege ad prohibendum peccatum tenetur.Et ratio est; quia ille lege aliqua tenetur,qui habet superiorem potentem aliquo præcepto illum obligare:at Deus cùm nullum habeat superiorem, nequè ipse sibimet superior sit, nulla lege tenebitur. Causa alia efficiens:alia verò deficiens esse dicitur. Prima est, quæ actiuè ad aliquam actionem concurrit; vt est ignis respectu caloris. Secunda est, quæ cùm efficere,vel operari teneatur, non tamen operatur; vt nauta, qui non rectè gubernat nauim, causa deficiens in gubernatione nominatur.

8. Nota. 9.Nota. 10.Nota. 11.Nota.

CONCLVSIO I.

Nullatenus absolutè concedendum est, Deum esse directè, aut indirectè peccati causam. Hæc conclusio est de fide contra Manichæos, & Lutherum, & eius sequaces. Et probatur primò auctoritate vna,aut altera ex multis, quibus veritas hæc poterat demonstrari quæ in Sacra scriptura continentur.Sapient.11. Nihil odisti eorum, quæ fecisti,& cùm Deus odio habeat peccatores, & peccata. Sapient.14.Odio enim sunt Deo impius, & impietas eius; non poterit vllo modo esse causa peccati proformali,nequè illud velle. Nam Deum velle aliquid,est illud efficere, & è contra. Omnia enim quæcunq; voluit,fecit.Ecclesiasti. 15. Non dicas, Deus me implanauit, idest, decepit. Non enim necessarij sunt ei homines impij. Et quia nemini mandauit Deus impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi;videlicet ex intentione. Est etiam diffinita in cõcil.Trid. sess.6.can.6. vbi ita legitur. Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere,

Sap.11. Sap.14. Psal.113. Eccl.15. Conc.Trid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

facere,sed mala opera,ita vt bona:Deum operari nō permissiuè solùm;sed etiam propriè,& per se adeo, vt sit proprium eius opus nō minus perditio Iudæ,quàm vocatio Pauli, anathema sit. Hanc veritatem catholicam professi sunt D.Aug. lib.73.quæstionum q.3.vbi inquit. Deo autore, nemo sit deterior.Et B.Fulgentius,qui ita ait.Deus non est autor eius,cuius est vltor;& si Deus esset causa peccati pro formali,absquè dubio esset iniustus puniens peccatum,cuius ipse fuit principalis causa. Et ratione confirmatur;quia implicat contradictionem Deum velle peccatum pro formali. Nam peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, idest,contra Dei voluntatē. Voluntas enim signi ipsius Dei lex Dei est,& tunc peccatum esset simul volitum,& non volitum, quod manifestā indicat contradictionem. Quòd autem indirectè peccati causa esse non possit prohibendo,scilicet,mala, cùm possit. Patet; quoniam tunc peccata non prohibenti imputantur, quādo potest, & tenetur illa prohibere; vt submersio nauis nautæ imputatur,eò quod illā prohibere tenebatur. Et cùm Deus nulla lege obligetur; vt constat ex notabili decimo,non imputabūtur illi peccata:quāuis possit prohibere.Lege omninò Vegam vbi suprà.

D.Aug.

D. Fulgent.

CONCLVSIO II.

Deus, loquendo de malitia morali peccati, quatenus est conuersio ad creaturas,& quatenus est formale positiuū peccati est eius,non moralis; sed naturalis causa. Intellige conclusionem de entitate positiua actus; quod satis exempla hic posita declarant.Prima pars,nempe, q̄ nō sit moralis causa, patet ex notabilibus positis. Non enim consulit, aut præcipit huiusmodi malitiam moralē, immò illam omninò prohibet. Et confirmatur exemplis ex Vega vbi sup.desumptis. Neq; enim fabro homicidium patrātum gladio ab ipso bona intentione facto imputatur. Deinde sicut intelligentiæ motrici orbium cœlestiū nō imputantur facinora;quæ,nisi cœli mouerētur,nullatenus ab hominibus cōmitterentur,ita neq; Deo sunt adscribenda. Benè conscia est intelligentia flagitiorum, quæ per motum cœlorū ab ipsa factum, efficiuntur. Nā si ipsa nō moueret cœlum, neq; manus ad homicidium posset

posset moueri;quare volēs cœlorū motū,vult etiā istorū inferiorū motum:nec tamen ideò dicetur esse peccati causa. Quoniam neque præcipit,neq;cōsulit illud.Eodē igitur modo,cū de causis peccatorum agimus,est de ipso Deo theologandū.

Prima diffic.Quomodo fieri potest: vt Deus sit causa peccati pro materiali, & nullo modo ei peccatum imputetur?

VArij doctores varios modos inuestigarunt,quibus Deū Opt.Max.à peccato defenderent,quāuis sit malæ actionis causa.Primus modus est Durandi,asserētis Deū non concurrere immediatè ad actiones malas peccatorum;sed mediatè,& hanc ob causam nō imputari Deo peccatū.Et nota esse concursum immediatū, quādo agens per se ipsum operatur effectum,quomodo pater concurrit ad prolis generationem; mediatum autem esse,quando agens est causa causæ, vt auus respectu nepotis.Vnde dicit Durandus,Deū non concurrere, siue causare ad actiones peccatorū immediatè; sed mediatè, eò quòd creauit olim liberum hominis arbitrium,& nunc cō seruat,à quo immediatè peccatū procedit. Cuius verba sunt. Deus non est causa actionum liberi arbitrij,&c.& paulò inferiùs colligit rationem dicens.Si ergo Deus causat immediatè, &c. Hic modus ab omnibus theologis reijcitur. Et meritò quidem,quia innititur fundamento cuidam, plusquam falso. Nempe,Deum nō causare actionem peccati immediatè, &c. quod planè est erroneū.Neque enim ob hoc solū dicitur Deū cōcurrere cū causis secūdis ad illārū operationes, q̄ à principio rerū species causauerit,& nunc earū indiuidua cōseruet verū etiā,quia simul cū causis secūdis ad earū operationes cō currat.Quod multis in locis diuina scriptura testatur.Ioan.1. Omnia per ipsum facta sunt;quod quidē esset falsum,si Deus mediatè tantùm res ipsas causaret. Nam causa mediata non per se; sed per aliam agit. Et rursus Ioan.5. Pater meus vsquè modo operatur, & ego operor. Qui locus intelligendus est de indiuiduorū,& non specierū creatione. Quia post primā creationem mūdi nō creauit Deus aliquam nouam speciem.

Durā.vbi.§.

Durā. cautè legendus.

Ioan.1.

Ioan.5.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen. c. 2. Et ideo dicitur Gen. 2. Et die septimo requieuit Deus ab ope-
Caiet. vbi. §. re, quod patrauerat. Secundus modus est Caietani, qui, vt
S. Tho. & est ex eius littera colligitur, tenet Deū esse peccati causam, qua-
cautè legēd. tenus est malum morale, includens priuationem virtutis op-
Gregor positæ: non tamen quatenus est malum simpliciter, hic mo-
dus ab omnibus reijcitur. Et ratio est: quia illa priuatio re-
ctitudinis virtutis oppositæ est formale peccati & de senten-
tia Caietani à Deo causatur. Et ideò hæc opinio parum ab
opinione hæreticorum, tribuentium Deo causalitatem pec-
catorum, distare videtur. Deinde cùm illa rectitudinis pri-
uatio sit contraria honesto, nullo modo fiet à Deo; quoniam
Deus non est inhonestatis causa. Tertius modus est Gre-
gorij Ariminensis in. 2. distin. 34. art. 3. asserentis, peccatum
non habere causam. Qui modus dicendi est falsus: nam ex
eo sequitur, vel quòd homo non sit causa peccati, vel quòd
Deus erit causa peccati per accidens, sicut, & homo. Deinde
subditi Deus facit actum malum: sed non malè, nequè contra
rectam rationis regulam, vt quando quis adulterium com-
mittit, Deus licite puerum producit; homo verò illicitè.
Hoc etiam dictum est absurdum; quoniam absurdissimum,
& valdè absonum est, concedere Deum esse mali culpæ cau-
sam, & autorem. Tandem addit, Deus non est in causa; vt
homo exerceat talem actum, confert tantùm illi liberum ar-
bitrium, sine quo operari non potest. Sed ex hoc, quòd dat
liberum arbitrium, per quod homo peccat, non dicitur causa
peccati. Hoc vltimum dictum non indiget refutatione, cùm
Gabr. iam sit refutatum, cum opinione Durandi, in quam defle-
Ocham. ctit. Quartus modus est Gabrielis, & Ochamij enim tenent,
quòd Deus in rigore, & in locutionis proprietate est causa
peccati: quam quidem locutionem duplici sensu explicant.
Et primus est, quòd Deus est causa actus mali, qui sensus ve-
rus est, vt prædicti doctores opinantur. Secundus sensus est,
quòd Deus peccat: & sensus iste est falsus, vt in prima con-
Quintus mo clusione sequenti declarabitur. Quintum modum affert
dus. Magister falsissimum quorundam dicentium, actum pec-
Mag. d. 37. cati non esse à Deo: sed ab homine, vel à diabolo. Hunc
modum, tanquàm erroneum, deserunt omnes theologi.

Sextus

Sextus modus dicendi est S. Thom. D. Bona. Scoti, & Ricar. *D. Bona.*
qui opinātur, Deum esse causam peccati solùm pro materia- *Scot.*
li. Non tamen ei imputari; propterea quòd non est causa for- *Ricard. eadē*
malis peccati. Formale enim peccati non est entitas positiua; *dist.*
sed est tantùm priuatio rectitudinis, quæ à libero arbitrio, tā-
quàm à causa non agente; sed deficiente causatur. Deus autē
causa deficiens respectu cuiuscunquè effectus non est: sed effi
ciens causa. Vltimus modus est Scoti, Vega, & Cani, qui om- *Soto.*
nes vno ore confitentur, Deum esse causam cuiuscunquē en- *Vega.*
titatis positiuæ, quæ est in ipsa actione peccati; non tamen si- *Cano. vbi. §.*
bi peccatum imputari, neque absolutè peccati causam esse
nuncupandum. Et ratio illorum est; quia, quàmuis sit causa
naturalis illius actionis peccati, non tamen est causa moralis.
Lege notabilia in principio huius articuli posita.

CONCLVSIO I.

Deum non posse peccare euidentissimis autoritatibus, & rationibus potest demonstrari. Nam D. Paul. tanquàm euidē- *Roma. 9.*
tem veritatem, hanc conclusionem confitetur, quando dicit.
Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Et Psalm. 5. Quoniam *Psal. 5.*
non Deus volens iniquitatem tu es. Confirmatur rationibus;
quia cùm Deus sit omnipotens, non poterit deficere, & ex cō
sequenti neque peccare. Posse enim peccare, & posse deficere
pro eodem à D. August. accipiuntur. Deinde Deus est summa
bonitas, qua maior, & melior excogitari non potest, & si pos- *D. Aug. lib.*
set peccare (quod est impossibile) alia maior bonitas posset ex *2. de symb.*
cogitari, nempè, illa, quæ peccare non posset. Hac conclusio- *cap. 1.*
ne confutatur quartus modus.

CONCLVSIO II.

Quintus modus dicendi est erroneus. Hæc conclusio pro
bata manet in conclusionibus huius articuli. Et confirmatur;
quia si aliqua actio, vt dicit modus ille, non sit à Deo, apertissi
mè colligitur, Deum non esse primum ens, neque primum
actum per essentiam. Siquidem esset aliquod ens, & aliqua *Ioan. 1.*
actio, quæ non esset ab ipso Deo. Cùm omnia per ipsum fa-
cta sint.

CONCLVSIO III.

Peccatum, quatenus est entitas quædam, immediate à Deo
efficitur.

efficitur. Hæc conclusio est communis, iuxta sextũ, & vltimũ modum. Et præter autoritates, & rationes, quæ in confutatione illius modi fuerunt adductæ, confirmatur. Nam Deus concurrit; vt causa prima ad omnes operationes secundarum causarum, siue liberæ, siue naturales sint; quare concurrit immediatè, vt ex prædictis patet. Aliter enim si mediatè tantùm cõcurreret, nõ esset prima causa, neque haberet perfectissimum causandi modum, qui soli primæ causæ tribuitur. Hæc eadem conclusio est D. Augustini 3. de Trinitate, vbi dicitur, Deũ per suam voluntatem esse causam omnium motionum liberi arbitrij. Et cùm peccatum pro materiali sit operatio liberi arbitrij, sequitur velle illam entitatem, & ex consequenti eandem efficere.

D. Aug. 3. de Trinit.

Append. 1. Hinc, colligitur Deum esse causam motionis linguæ blasphemantis, & occisionis, & extensionis manus alienum furantis. Et ratio est; quia sicut concurrit Deus cum bruto, & leone ad hominem deuorandum; ita etiam cum homine ad peccati actionem efficiendam. Quærenti autem, quid sit iste Dei concursus? Respondebis, esse volitionem secundam ipsius Dei, qua vult omnes causas, tam liberas, quàm naturales suas operationes exercere. Et quia peccatum est operatio hominis, vult Deus illam operationem, & ita talis operationis dicitur esse causa. Percontanti verò, si Deus vult peccatum, Cur igitur illud sub gehennæ condemnatione prohibet? Satisfacies, si dicas, duplicem esse Dei voluntatem. Vna es signi, quæ est ipsum præceptum, aut consilium diuinum. Quia præceptum est signum voluntatis diuinæ. Altera verò est voluntas beneplaciti efficax, vnde sequitur Deum multa velle voluntate beneplaciti, quæ voluntate signi prohibet. Huius generis sunt omnes operationes peccatorum pro materiali, quas Deus voluntate efficaci vult. Peccatum autem pro formali dicitur velle permittiuè: propterea quòd potest illam privationem rectitudinis prohibere, & non prohibet.

Dub.

Dub.

CONCLVSIO IIII.

Si de peccato loquamur, quatenus est defectus rectitudinis virtutis oppositæ, Deus nullo modo potest esse illius priuationis

tionis causa. Hæc est contra Caietanum. Et præter rationes inter disputandum contra illũ propositas, confirmatur: quia peccatum, quatenus est priuatio rectitudinis; aut prout est auersio à Deo, cùm non sit entitas positiua, nõ habet causam efficientem; sed deficientem dũtaxat, eò quòd liberũ arbitrium non sequitur rectam rationem. Deus autem nullo modo est causa deficiens: quoniam ex parte sua paratus est dare actui debitam rectitudinem.

Hinc, liberum arbitrium solùm erit deficiens causa, quò fit, vt sibi tantùm defectus imputetur. Alij modi dicendi iam sunt proprijs in locis confutati. Dub. Quomodo fieri potest: vt sit aliquis actus à Deo, & defectus rectitudinis, qui naturaliter ipsum actum consequitur, Deo non ascribatur? Verbi gratia in malis, quæ habent intrinsecam malitiam: vt in odio Dei, & mendacio, & alijs id genus malis. Respondeo ex notabilibus in principio positis, & sit conclusio. Append. 2.

CONCLVSIO.

Nullo pacto est talis defectus Deo tribuendus. Et ratio est: quoniam perfectio actus necessariò debet esse ex causis perfectis: defectus verò satis est, vt ab altera tantùm causa deficiente sit. Illustro rem vno, atq; altero exemplo: vt ad motum deambulantis, & habentis alteram tybiam breuiorem, concurrunt anima, tanquàm causa principalis, & etiã tybia: attamen claudicatio non est ab anima, quæ parata est rectè mouere corpus: sed prouenit ex defectu alterius tybiæ: quoniam perbreuis est. Tum etiam, vt defectus scripturæ non emanat ab inertia optimè scribentis: sed ex papyri, aut calami defectu: ita etiam est in proposito theologãdum. Quãuis enim actus, peccanti sit à Deo, & à libero arbitrio: defectus tamen Deo, qui paratus erat præstare omnem perfectionem actui, non est imputandus: sed solùm libero arbitrio, quod rectam rationem non sequitur. *Vega vbi. 5.*

Hinc, maxima illa, nempe, quandocũq; aliqua sunt inseparabilia, quicquid ex causa vnius, necessariò est causa alterius, est vera, quando; vel vtrumquè est quid positiuũ; vel vtrũquè dicit perfectionem. Secùs verò, quando alterũ est priuatiuũ: & impositionẽ significat. Exempli gratia in hoc discursu: Append. 3.

omnis

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnis lapis est insensibilis, homo est lapis: ergo homo est insensibilis. Consequentia est bona, & conclusio colligitur ex vtraq; præmissa in Darij: falsitas tamẽ, & defectus veritatis in conclusione solùm ex minori propositione emanat: ita à simili in proposito dicendum est. Nam quamuis priuatio rectitudinis sit odio Dei annexa; non tamen ab ipso Deo causante actum prouenit; sed à libero arbitrio deficiente, idest, non sequente rectam rationem.

Alex. Alen. 1.p.q. 29. m. 4. S.Tho. q.79. art.3.1.2. Vega lib. 13. super concil. Trid.cap. 12. Castro ver. malum. Hæresi.1. Nota.

Secunda diffic. Est ne Deus causa excæcationis, indurationis, & aggrauationis?

DE hac difficultate multa supra scripsimus; verùm brevi erunt aliqua perstringenda. Et nota trifariam indurationem accipi. Primò pro subtractione auxilij specialis. Secundò pro impunitate peccatorum. Tertio pro occasione inuidiæ, quam mali ex beneficijs, quæ Deus sanctis suis confert, sumunt.

CONCLVSIO I.

Si induratio, siue obstinatio pro impœnitentia, & proposito perseuerandi in peccato sumatur, nullo modo est à Deo. Et ratio ex præcedenti difficultate est; quoniam huiusmodi impœnitentia est peccatum, & peccatum à Deo non est.

CONCLVSIO II.

Si hæc tria, scilicet, induratio, & excæcatio, & aggrauatio pro subtractione specialis auxilij necessarij ad credendum, pœnitendum, & audiendum, quæ recta sunt, accipiantur, à Deo esse dicuntur. Hæc conclusio multis sacræ scripturæ testimonijs probatur. Quibus præmittenda sunt quæ sequuntur. Nempe, sicut triplex est effectus specialis gratiæ: ita triplex est diuina desertio, nempe, aggrauatio, excæcatio, & induratio. Nam quidam eorum exigentibus meritis à Deo deseruntur, quominus possint, stante desertione, credere; & hæc excæcatio vocatur. Quoniam lumini fidei opponitur, quo mens; vt euangelicæ veritati præstet assensum, illustratur. Alia desertio aggrauatio nominatur, & est subtractio auxilij diuini:

diuini: quominùs quis monitis, & increpationibus saluberrimis velit auditum præbere. Induratio verò est respectu voluntatis, & est subtractio auxilij diuini; quominùs flagitiorũ pœnitere valeat. Iam probatur conclusio de induratione; & excæcatione perfidiæ Iudæorum, Ioan. 12. vbi legitur. Cùm tanta signa Christus fecisset coram eis, non credebant in eũ: vt sermo Isaiæ impleretur, quem dixit. Domine quis credit auditui nostro, & excæcauit oculos eorum, &c. vsq; & sanem eos. Et de aggrauatione scriptũ est; ores eius aggrauia, quasi dicat. Tanta est huius populi malitia; vt mereantur à Deo destitui, ne auxilium necessarium ad amplectendam correptionem accipiant. Hoc enim est proprium obstinatorum egerrimè ferre increpationes. Contra verò est prædestinatorum proprium, libenter increpationes ferre.

Ioan.12. Isai.53. Isai.6. Leg. de hac re Cyrill. in Catechesi. 6.

Dub. Circa primam conclusionem huius difficultatis, in qua dicitur indurationem positiuam, scilicet, pro impœnitẽtia, & proposito, &c. sumptam non esse à Deo. Nam ratio dubitandi est; quia cùm induratio positiua sit peccatum, & pœna peccati; pœna autem peccati sit etiam à Deo, erit etiam & peccatum pro formali à Deo. Hoc dubium soluit Caietanus super illa verba secundi regũ. 12. Ecce ego suscitabo, &c. Et super illa verba Dauidis. Dimitte illum. Dominus enim præcepit ei; vt malediceret, &c. Dicit enim Deum esse causam peccati, non quatenus culpa est; sed quatenus illa culpa est pœna alterius peccati. Quæ quidem opinio est periculosa. Et ratio est; quia ex ea sequitur absolutè Deum esse peccati causam: quod ita apertissimè colligo. Deus est causa peccati, quatenus peccatum est pœna, & peccatũ quatenus pœna est vera culpa, erit igitur verissimè Deus causa culpæ. Quamobrem sequens solutio erit longè præstantior, & commodior, nempè, q; eodem modo, quo Deus est causa culpæ, est quoq; causa pœnæ, quando culpa est pœna, scilicet, permissiuè, subtrahendo, nempe, auxilium. Nam subtrahit auxilium in pœnam peccatorum præcedentium, & ita est causa permissiua culpæ, & pœnæ, quæ sunt vnum, & idem, respectiuè tamen differunt. Nam est culpa, quatenus est auersio, & est pœna, quatenus homo à Deo in vindictam præcedentium

D. Aug. lib. 1. ad Simpl. & epist. 105. & lib.de essentiadiuini & serm. de Pharaonis indura. & lib. 5. contra Iulian.c.3. Euthy. in c. Ioan.15. Damasc. lib. 4.c.20. Orig.lib.3. Caiet.2. Regum.12. 2. Regum c. 16. can. legẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exodi.9. dentium delictorum deseritur. Et tunc intentio Dei deseren
tis præcipua non est punire peccatum præcedens per aliud
peccatum subsequens; sed solùm intendit ex malis elicere
Ad Rom.c.9. bonum, subtrahendo auxilium. Quod D. Paul. ad Roman.
apertissimè docuit, quando dixit. In hoc ipsum excitaui te; vt
ostendam in te virtutem meam, &c. Et paulò inferius. Vo-
lens Deus ostendere iram, &c. sustinuit in multa patientia
vasa iræ, idest, peccatores, qui propter iram, & vindictã Dei
Appen. deseruntur.

Hinc, quando Deus indurauit Pharaonem non fuit eius intentio; vt Pharao peccaret; sed vt exercẽdo in illo vindictã per multa miracula, potẽtiam suã ostẽderet, ac manifestaret.

Tertia diffic. Denegat Deus aliquando omnia auxilia necessaria ad cauendum peccatum?

DE hac difficultate sup. in materia, de gratia, & libero arbitrio multa diximus. Et sunt circa illam duæ opiniones, quæ videntur extremæ: sed non sunt; si vt decet, intelligantur. Prima tenet, Deum plerumq; negare auxilium speciale quibusdam ad vitandum peccatum, quod quidem si præbuisset, non peccassent. Hæc fuit opinio S.
S.Thom. Thom. artic. 1. q. citatæ, quem sequuntur Adria. in. 4. q. 3. de
Adrian. pœnit. & Roffensis contra Lutherum art. 36. Oppositam opi-
Roffensis. nionem defendunt recentiores theologi, Vega vbi suprà, &
Vega. Soto de nat. & grat. lib. 1. cap. 18. &. 19. qui opinantur Deum
Soto. nemini negare auxilium simpliciter necessarium ad pœni-
Nota. tentiam. Auxilium excitans: aut est sufficiens ad conuer-
sionem: vt remorsus conscientiæ inspirationes diuinæ in-
ternæ, & alia huiusmodi: aut est superabundans, vt mira-
cula.

CONCLVSIO I.

Prouerb. c. 1. Auxilium sufficiens excitans ad iustificationem nulli
Matth.23. denegatur. Constat multis Sacræ scripturæ testimonijs. Pro
uerbiorum cap. 1. Vocaui, & renuistis, &c. Et Matthæ. 23.
Quotiens volui congregare, &c. Et ratione confirmatur: quia
Deus

Deus in necessarijs nunquàm deficit. Legitur enim in Apoca
lypsi. Ego sto ad ostium, &c. Et cùm auxilium excitans, ac suf *Apoc.c.3.*
ficiens sit necessarium, nunquam profectò denegabitur.

CONCLVSIO II.

Auxilium concomitans, idest, gratia adiuuans, quæ est auxilium efficax, omninò necessaria ad conuersionem, plerunq; denegatur. Patet multis sacræ scripturæ exemplis. Cain enim Sauli, Antiocho, Iudæ, & alijs, quorum impœnitentiam sacra scriptura refert, fuit tale auxilium denegatum. Atque etiam superabundans: vt est miraculum multis denegatur. Et confir matur ratione; quia gratia adiuuans est omninò infrustrabilis: quare si Deus eam reprobis, quos scriptura sacra commemorat, impartitus fuisset, absquè dubio pœnituissent. Et de hoc auxilio loquuntur B. Tho. Adrian. & Roffensis: de priori verò Soto, & Vega.

Quarta diffi. Ordinatur ne semper excæcatio à Deo in bonum illius, qui excæcatur? *Alex. Alen. 1.p.q. 38. m. 3.art.2.*

HIc non est disputatio de induratione positiua, scilicet, *S.Thom.art.* de proposito perseuerandi in peccato: sed de induratio- *4.vbi.* 5. ne, & excæcatione negatiua ex parte Dei. Peccatum ex *1.Nota.* natura rei ad damnationem peccantis ordinatur. Patet ad Rõ. *2.Nota.* 8. Stipendium peccati mors. Ex diuina tamen misericordia *Rom.c.8.* plerumquè ad salutem peccantis: vt cautius in posterum vi- *3. Nota.* uat, ordinatur. Ita enim Dauid post adulterium, & Petrus post negationem humiliati sunt; vt diligentius deinceps peccata cauerent. Aliter loquendum est de induratione reproborum, qualis fuit Pharaonis induratio; & aliter de induratione prædestinatorum.

CONCLVSIO I.

De pœn.d.3. c.sunt plures §. autoritas.

Induratio, siue excæcatio reproborum ad eorundem damnationem ordinatur. Patet exemplis positis Iudæ, Saulis Antiochi, &c.

CONCLVSIO II.

Obduratio, siue excæcatio prædestinatorũ semper ad eorũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

salutem; vt cautiùs postquàm resipuerint, viuant, ordinatur.

Ad Rom. 9. Patet ad Rom.8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti prę destinati. Et sub signo vniuersali, omnia, considerandа, & attendenda sunt quoque peccata, quæ etiam in bonum prædestinatorum; vt dictum est, cadunt.

Art. II. An diabolus sit causa peccati?

In.1.parte huius secũdi d.8.q.3. difficul.12. & infrà, & q.4. ibidẽ, & in hac.2.p.dist. 24. & 25. q. vnica.art.1. diffi.7.& 8.

DE hoc articulo disseruimus locis in margine citatis. Lege ibidem doctores, & hic. S. Thom.1.2.quæst.80.& Castrum verbo peccatum, hæresi.3. Dupliciter aliquid dicitur effici, siue causari. Primò directè, & est illud positiuè efficere, quo modo sola voluntas, aut Deus causat suas operationes voluntatis ipsius directè. Indirectè autem efficere, est causam efficientem persuasionibus mouere, & hoc modo dicuntur operationes voluntatis à consulente, siue persuadente effici, & causari.

CONCLVSIO I.

Voluntas à seipsa sola directè ad peccandum mouetur. Et ratio est; quia sola peccato assensum præstat, & peccati effectum efficit.

CONCLVSIO II.

Indirectè plerunquè à diabolo ad peccandum mouetur. Et ratio est; quia sæpè in corpore assumpto apparet, & hominem sub specie boni ad malum inducit, & illi peccati obiectum proponit. Confirmatur conclusio exemplo Heuæ, quæ diaboli suasione, & visione obiecti delectabilis fuit ad sumendum cibum vetitum, inducta. Quæ non satis fuissent, nisi illa volens, actum peccati elicuisset. Quo autem modo inuisibiliter possit hominem ad peccandum mouere? Et vtrum natura corporalis eius imperio subijciatur? Et an possit hominem ad peccandum compellere? Et vtrum omnia peccata sint ex suggestione diaboli? suprà in hoc libro locis in margine citatis hęc explicata fuerunt.

Hæresis. Hinc, confutatur hæresis, lege Castrum vbi suprà. Dicebãt enim peccatum non esse, nisi à dæmone.

Artic. III. Vtrùm vnum peccatum sit causa, & principium alterius peccati?

IN hoc tractatu de peccatis hic articulus fuit à nobis explanatus. Vide doctores ibidem citatos, & S. Tho.1.2.q.84.

Quæst. VIII. De effectibus peccatorum.

Alex. Alen. in. 1.p.q.19. in. 2.p.q.95. &.96. S.Tho.1.2.q. 85. & in.1. p. q. 48. art. 4. & q. 2.de malo art. 11. & 12. doct. d. 34. & 5. D. Bona.art. 1. 1.Nota. 2.Nota.

DE hac quæstione nonnulla sup. in hoc tractatu attigimus; nunc extremam illis manum imponamus.

Artic. I. Vtrùm peccatum corrumpat bonum naturæ?

BOnum naturæ est triplex. Primum dicitur potentia aliqua operatiua. Secundum vocatur inclinatio, & aptitudo ad virtutes. Tertium est iustitia originalis, quæ olim bonum naturæ dicebatur. Quoniam si Adam non peccasset, de lege in singulis indiuiduis esset concreanda. Inclinatio naturalis est eadem potentia passiua ad recipiẽdum, non quamcunquè formam, sed sibi conuenientem, per quam subiectũ perficitur. Et dicitur aptitudo, siue propria passio subiecti, quæ non distinguitur à subiecto, cùm ex forma substantiali eius subiecti pullulet. Quæ quidem inclinatio naturalis ineſt cuicunque rationali creaturę ad quodcunque genus virtutis, etiam supernaturalis, recipiendum, vt in tractatu de gratia suprà diximus.

Prima Propositio.

Bonum naturæ primo modo per peccatum non extenuatur. Hæc est communis sententia Theologorum: quoniam, teste B. Dionysio etiam in dæmonibus naturalia manserunt integra. Iisdem enim naturalibus potentiis fruuntur quoque homines, tam iusti, quàm peccatores.

B. Dionysi. 4. de diui. nõ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secunda Propositio.

Secundum bonum, nempè, inclinatio, & c. per peccatum diminuitur. Constat Lucæ. 10. In parabola hominis descendentis ab Hierusalem in Iericó, quem latrones donis supernaturalibus expoliauerunt, &c. Et ratione confirmatur; quia vnum contrarium extenuat aliud, & homo per peccatum inclinatur ad malum; Genesi. 8. Sensus, & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum, &c. Quare per peccatum inclinatio ad virtutes extenuatur.

Lucæ. 10.

Gen. 8.

Tertia Propositio.

Tertium bonum, nempè, originalis iustitia, omninò fuit per peccatum deletum. Hæc propositio fusissimè fuit probata suprà vbi de iustit. originali, & peccato originali actum est.

Dub. Deletur ne inclinatio ad bonum omninò per peccatū?

S. Tho. art. 2. & alij vbi s.

Prima Propositio.

Inclinatio ad bonum ex parte potentiæ, cuj idemptificatur, neque diminuitur, neque deletur. Constat ex prima propositione proximæ difficultatis: quia est naturalis, & naturalia mā serunt integra.

Secunda Propositio.

Talis inclinatio ex parte vsus, & exercitij, per peccatum minuitur atq; etiam per habitum potest totaliter impediri, quo minùs ad actum reducatur. Confirmat hanc propositionem S. Tho. exemplo: Nam, vt aeris nebulosi, cuius inclinatio plerunque impeditur, quo minùs possit ad actum reduci, idest, lumen suscipere; perindè potentia aquilæ ad volandum pondere sibi in pede alligato extenuatur; quo minùs possit facilè volare; ita à simili potentia, siue inclinatio rationalis creaturæ, licet non in se possit minui, aut deleri; benè tamē propter peccatum eius exercitium potest extenuari. Nam plerunque magis nos virtutem, quàm, vitiorum tædet. Corpus enim, q corrumpitur, aggrauat animam.

S. Thom.

Sap. c. 9.

Prima

Alen. Alex. q. 96. m. 2. art. 1. &. 2. S. Tho. art. 3. vbi sup. Doctores. d. 38.

Prima diffic. Sunt ne quatuor tantùm peccatorum vulnera?

IAm supra in hoc tractatu de ijs etiam verba fecimus, & reuoca in memoriam per subtractionem iustitiæ originalis vires sensitiuas mansisse contumaces aduersus rationē, & rationem minus Deo subiectam.

Propositio.

Quadruplex est peccati vulnus. Et ratio est; quia intellectus, quò ad prudentiam, voluntas quò ad iustitiam, irascibilis quò ad fortitudinem, concupiscibilis quò ad temperantiam manserunt vulnerata. Quæ quidem vulnera, ita sunt intelligenda: propterea quòd, huiusmodi potentiæ maxima cum difficultate suas exercent operationes. Difficillimè enim intellectus veritates practicas intelligit, & voluntas maximo cum tædio iustitiam exercet; similiterquè de alijs potentijs theologandum est.

Alex. Alen. m. 3. p. 4. art. S. Tho. art. 4. & alij vbi supra.

Secunda diffic. Priuatio modi speciei, & ordinis est ne effectus peccati?

IN quocunq; ente perfecto est modus, ideſt, certa mensura perfectionis naturalis. Dicitur enim. 8. Metaph. species rerum sunt, sicut numeri, scilicet, quò ad perfectionem essentiarum. Quia vnum quodquè ens, habet formam, vnde sumit speciem. Habet quoquè, & ordinem, hoc est, determinatum ad aliquem finem, quod idem est: cum eo, quod dicitur, omnia in numero, pondere, & mensura disposita fuisse.

Nota. Arist. S. Bona. d. 8. art. 2. q. 1. Sap. 11.

Prima Propositio.

Per peccatum modus speciei, & ordo rationalis creaturæ, quantùm ad substantiam minimè tollitur. Ratio est: quia post peccatum naturalia manserunt integra; minuuntur tamen; quò ad inclinationem, quantùm ad exercitium: vt modo diximus.

Secunda Propositio.

Quò ad gratiam per peccatum ordo, modus, & species tol juntur. Quia peccatum destruit gratiam, qua destructa, tollitur gratiæ modus, species, & ordo.

Tertia Propositio.

Quò ad actus virtutum omne peccatũ modum, speciem, & ordinem virtutis oppositæ destruit. Probatur exemplo. Nam furtum, verbi gratia, impedit actum iustitiæ, qua destructa, eius modus, species, & ordo, ita destruitur, vt nihil eius maneat. Hæc de effectibus peccati quò ad animam.

Alex. Alen. q.105.m.2.
S.Tho.art.5. vbi supra
Doct.d.30.
Gen.3.
Gen.3.
Rom.c.5.
Hæresis.

Artic.II. De effectibus peccati quantùm ad corpus.

Prima diffic. Vtrùm mors, & aliæ corporeæ calamitates sint peccati effectus?

CONCLVSIO.

SVnt quidem. Hæc est de fide. Et habetur multis in locis sacræ scripturæ expresse: vt Gene. 3. In sudore vultus tui, &c. Et pulvis es, &c. Et ad Roma. 5. Per vnum hominẽ intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors. Fuit etiam definita in variis concilijs Mileuitano, Arausicano, Tridentino, & Affricano c.36 contra Pelagium affirmantẽ, q̃ quãvis homo nõ peccasset, mortuus fuisset. In quẽ inuehitur D. Augustinus multis in locis; vt decimo tertio de ciuitate Dei c.15. & alibi persæpe. Lege Castrum verb. Adam. hæresi. 4.

D. Aug. de ciuit. Dei.
Castr.
S.Tho.art.6. vbi supra,
Nota.

Secunda diffic. Mors est ne modo homini naturalis?

NAtura, vel est particularis, vel est vniuersalis. Hæc diuisio probatur à diffinitione naturæ: nam virtus actiua, & conseruatiua cuiuscunq; rei, dicitur natura; sed in vnoquoque indiuiduo est virtus conseruatiua sui ipsius: vt est in homine, & in animali calor naturalis, & in corporibus cælestibus est virtus conseruatrix vniuersi: vt sunt planetæ, &c. Ergo illa, quæ est in indiuiduo, particularis natura, & ista,

ista, quæ est in corporibus cœlestibus, vniuersalis natura erit censenda.

Prima Propositio.

Si homo secundum animam consideretur, mors est cõtra eius naturam. Et ratio est; quia cùm forma sit principium essendi, non erit corruptionis principium.

Secunda Propositio.

Si hominem secundum materiam, & in comparatione ad vniuersalem naturam, scilicet, ad elemẽta, cœlum, & Deum, quæ sunt causæ vniuersales conseruantes vniuersum, contẽplemur: tũc mors est homini naturalis. Et ratio est; quoniam Deus intendit vniuersi conseruationẽ, & non potest vniuersum, nisi per generationem, & corruptionem conseruare. Quamobrem ex hac parte, & ex parte materiæ alias formas appetentis erit corruptio homini naturalis.

Ex prima propositione sequitur, Deum vocari naturam: propterea quòd omnem naturam particularem conseruat. Append.

Art. III. Peccatum efficit ne maculam in anima?

DVæ sunt cõtrariæ sentẽtiæ. Prima S. Tho. qui affirmat maculã solũ significare priuationem gratiæ, & nitoris, quatenus à peccato efficitur. Secunda, & contraria est Scoti, qui tenet, hæc tria, scilicet, maculam, reatum, & offensam nihil aliud esse, quàm relationem rationis, scilicet, obligationem passiuam peccatoris ad gehennam. Quæ quidem obligatio iuxta varios respectus sortitur hæc tria nomina. Nam dicitur macula; quoniam est disconueniens animæ manere obligatam ad gehennam. Vocatur offensa; propterea q̃ Deum offendi, est Deum irasci, & Deum irasci, est velle peccatorem punire; ideſt, velle illum ad gehennam obligare. Appellatur etiam reatus propriè, ideſt, obligatio ad gehennam. Verùm, quia de hoc articulo in libro controuersiarum latiùs disputabitur, sitmodò.

S.Tho.q. 86. 1.2.art.2.
Scot. in 4. d. 14.q. 1. nat. existo. 24.q. 1.c. omnibus & 32.q. 4.c. recurrat in fin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCLVSIO.

Eccl.47. Ephe.c.5. Macula est præcipuus peccati mortalis effectus. Probatur primò. Eccles. 47. vbi de Salomone legitur. Dedisti maculam gloriæ tuæ. Et ad Ephesios. 5. Vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Maculam, idest, culpam. Rugam, idest, peccati vestigium, quod est obligatio ad pœnam temporalem. Et confirmatur ratione à definitione maculæ. Nam macula est priuatio nitoris rationis, & gratiæ; & cùm ex peccato anima maneat deuia à recta ratione, & absque gratia: erit profectò maculata macula, à peccato præcedenti causata, siue effecta.

Dub. Quamdiu manet macula in anima?

CONCLVSIO.

Iosue.22. Transeunte actu, manet in anima donec virtute pœnitentiæ deleatur. Hæc conclusio colligitur Iosue. 22. Vbi increpans Deus, & exprobans Iudæis impœnitentiam, in qua, tran facto peccato, perseuerabãt, ita ait. An parum vobis est, quòd peccatis in Beelphegor, & vsque in præsentem diem macula huius scœleris in vobis permanet. Et ratione confirmatur: quia cùm macula sit auersio, idest, inimicia Dei, & transeunte actu peccati, maneat peccator inimicus, manebit in eo macula, quæ non delebitur, donec per actum contrarium, dicendo se nolle hoc fecisse, ad rationem, & ad Deum conuertatur.

S.Tho.q.87. 3.1.2. *Artic. IIII. Vtrùm reatus ad pœnam sit effectus peccati?*

SENSVS tituli est. Vtrùm aliquem manere dignum pœnæ sit peccati effectus?

CONCLVSIO I.

Reatus, idest, quòd peccans sit pœna dignus, est peccati effectus. Et ratio est; quia omnis peccans destruit ordinem rationis, & Dei legis humanæ, quibus subijcitur, & parere tenetur:

tenetur: atquè ita erit pœna dignus. Consequentia probatur; quoniam, quicunquè agit contra aliquem ordinem, iustè à principe illius ordinis punitur; & cùm peccans agat contra lumen rationis, & contrà Deum, & contrà hominem. Iustè quidem ab his tribus principibus punietur: A ratione per remorsum conscientiæ. A Deo per gehennæ tormentum. Et ab homine per temporalem pœnam. Colligitur autem reatum esse peccati effectum ex Deuteronom. 21. Vbi reus sanguinis propter effusionem sanguinis proximi dignus pœna vocatur. Et ex D. Paulo. 1. ad Corinth. 11. Qui manducat, &c. reus erit corporis, &c. Vbi dignus pœna cẽsetur propter sacrilegium, in sumptione indigna corporis, & sanguinis Christi cõmissum. *Deut.21.* *1. ad Cor.11.*

CONCLVSIO II.

Reatus non est directè: sed solùm dispositiuè peccati effectus. Et ratio est; quia pœna est bonum, & à Deo. Dicitur tamẽ dispositiuè effectus: quia peccatum hominem ad pœnam disponit. *15.q.1.c.illa.*

Prima diffic. Est ne peccatum ipsum pro formali non solùm culpa: verùm etiam pœna?

CIRCA Hanc difficultatem sunt duæ extremæ sententiæ. Et prima est Magist. in hoc. 2. lib. dist. 36. & Scoti distin. 37. quæst. vnica. Huic opinioni multi scholastici subscripserunt. Constatquè sequenti dicto. Peccatum, quatenus est priuatio rectitudinis virtutis oppositæ: vel comparatur ad voluntatem vno modò, tanquam ad causam ipsiusmet priuationis deficientem; quoniam voluntas deficit elicere rectitudinem virtutis contrariæ, quam elicere tenebatur. Nam cùm quis suggestione incontinentiæ concutitur, tenetur actum contrarium producere. Vel comparatur secundò peccatum ad voluntatem, tanquàm ad causam materialem, & subiectum, in quo hæc rectitudinis priuatio subijcitur. Primo modo priuatio hæc culpæ rationem *Mag.d. 36. Scotus.d. 37.*

rationem induit. Secundo autem modo pœnæ naturam sapit:
S.Tho.1.2.q. 87.art.2. Secunda,& contraria sententia est S. Thom. opinantis, peccatum esse pœnam peccantis, non quatenus est priuatio rectitudinis subiectiuè in voluntate, vt Scot. sentit; sed quatenus peccatum ipsum pro materiali producit quosdam effectus pœnales in anima peccatoris.

CONCLVSIO I.

Si peccatum, quatenus est rectitudinis priuatio ad voluntatem, tanquàm ad subiectum, comparetur: quia voluntas per peccatum manet rectitudine virtutis oppositæ priuata, tunc peccatum propriè pœna dicitur. Et probatur à definitione pœnæ, quæ est priuatio alicuius boni. V.g. ieiunium est pœna; quia est boni delectabilis priuatio. Et elecmosyna est quoque pœna; quoniam est priuatio boni vtilis. Atquè ita priuatio boni honesti, qua voluntas peccans priuatur, est proprijssimè pœna. Tum etiam; quia pœna est inuoluntaria, ideſt, contra naturæ inclinationē: & priuatio rectitudinis est, contrà inclinationem voluntatis; quia voluntatis inclinatio ad bonum honestum est magis de natura hominis, quàm inclinatio ad bonum vtile, aut delectabile. Propterea quod est magis secundum naturam hominis, ideſt, secundum rationem; quæ est differentia constituens hominem.

Append. Hinc, duplex esse dicitur in homine inclinatio, siue affectio ad bonum. Vna, quæ dicitur affectio conimodi, quæ est respectu boni vtilis, & delectabilis. Altera, quæ dicitur affectio iustitiæ, quæ est respectu boni honesti. Et in sensu huius conclusionis est vera opinio Magistri, & Scoti.

CONCLVSIO II.

Peccatum dicitur etiam pœna, eò quòd sit ipsius pœnæ causa. Innumeræ enim sunt pœnæ, & afflictiones, quas peccatores patiuntur. Auari enim, & lenones quantis vitæ periculis, quantisquè anfractibus comparant, illi diuitias, & isti delitias. Vnde Sapientiæ. 5. Legitur. Lassati sumus in via
15.q.1.c.illa. Sap.5. iniquitatis. Et D. Augustin. inquit. Iusisti, Domine, & ita
D.Aug.lib. confess. est: vt vnicuique pœna sit, suum peccatum. Et confirmatur; nam

nam sicut dicitur aliquando Deus patientia nostra, & spes nostra, &c. quæ propositiones sunt veræ in sensu causali, & non identico. Similiter & ista, peccatum est pœna, in sensu causali, est vera. Et hæc est sententia S. Thom.

Secunda difficul. An peccatum sequens sit præcedentis peccati pœna?

S.Tho.art.2. vbi.3. Scot.dist.36. & 37. MOdò diximus peccatum in se ipso pœnam esse; quoniam est priuatio boni. Nunc explicandum est. An peccatum, &c. Est autem communis sententia doctorum in hoc secundo dist.36.& 37.& S.Thom.art.2.vbi sup. Solùm tamen in modo dicendi distinguntur. Nam S. Tho. existimat sequens peccatum esse pœnam præcedentis, ex hoc tantùm, quòd Deus subtrahit auxilium necessarium ad vitandum sequentia peccata. Et ratio est; quia cùm sit infensus peccatoribus, ideò deserit illos. Scot. verò alium ponit modum dicens. Defectus secundus est pœna primi peccati, pro quanto priuat se homo bono sibi maximè conuenienti. Quorum verborum sensus est, quòd peccatum sit pœna: eò quòd sit priuatio boni conuenientis, scilicet, rectitudinis. In summa respondeo. Quãdo pœna est malum afflictiuum, siue affligens, & positiuum; vt tristitia, ignis, &c. efficienter à Deo causatur. Quando autem est malum priuatiuum, solùm dicitur esse à Deo permissiuè: vt suprà diximus. Atque ita peccatum hoc modo sequês
Ad Rom.1. est à Deo permissiuè: vt docet B. Paul. ad Roma. 1. dicens. Propter quod tradidit, &c. Et tunc peccatum est pœna prioris peccati. Et ita B. Paul. affirmat in pœnam præcedentium peccatorum Deum tradidisse gentes in desideria cordis eorum. Quod quidem nihil aliud est, quam subtrahere auxilium speciale; quo minus spiritus possit appetitum sensitiuum ad omne malum procliuem superare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alex. Alen. in.2.p.q.108. III. & in.4. q.15.m.4. S.Tho.art.4. &. 5. vbi.3. Durã. d. 42. q.7. Matth.25. Marc. 3. de pœn.d.3.c. sunt plures. §. autoritas. de pœn. d. 1. c.si sacerdos. §.potest etiã. Alex. Alen. in.4.p. q. 15. m.3.§.1. adult. &. §. 5. Dist. 25.cap. qui in alind. Scotus in. 4. d.21.q.1.

Artic. V. Respondet ne omni peccato pœna æterna?

CONCLVSIO I.

OMNI peccato mortali ex natura ipsius peccati pœna æterna respondet. Hæc conclusio est de fide. & habetur Matthæ. 25. Ibunt in supplicium æternum. Et Marc.3.Qui blasphemat in Spiritum sanctum,non habebit remissionem in æternum.Et ratione confirmatur, quia principium reparandi amicitiam Dei,& ordinem creaturæ ad Deũ, scilicet obedientiam, & subiectionem amissam per peccatũ, est charitas,& cùm hęc per mortale peccatum destruatur,manebit tale peccatum indelebile, & ex consequenti ex natura rei,peccator erit semper æternæ obnoxius pœnæ.

CONCLVSIO II.

Veniali peccato ex natura sua pœna temporalis respondet. Hæc conclusio colligitur ex illo locò euangelij, vbi dicitur: peccatum in Spiritũ sanctum non dimitti in hoc sæculo,neque in alio. Ergo aliqua peccata dimittuntur in alio sæculo, qualia sunt venialia:quæ quidem certum est in purgatorio dimitti.Et ratione cõfirmatur: quia veniale ex natura sua est reparabile; propterea quòd non corrumpit charitatem, quæ est principium reparandi bonum per veniale amissum, scilicet,perfectam Dei subiectionem. Atque ita ex natura rei non respondet ei pœna æterna;sed temporalis.Et quando dicimus peccatum veniale esse reparabile ex natura rei; non intelligas,quòd ex viribus naturæ possit remitti:sed quia non repugnat veniali peccato charitas,quæ est principium reparandi bonum amissum. Dimittantur ne autem in inferno? Opinio est affirmans Scoti in.4.dist. 21.quam acerrimè Thomistę impugnant.Sed de ijs latiùs in libro controuersiarum.

Prima

Alex. Alen. vbi supra. S.Tho.1. 2.q. 87.art. 3. & 4.&.5.

Prima difficultas. Respondet ne mortali peccato infinita pœna secundum quantitatem: ita quòd maior intensiuè excogitari non possit?

IAm de pœna extensiuè in principio articuli egimus; nunc de eadem intensiuè differamus,oportet.

CONCLVSIO I.

Peccato,quatenus est auersio à Deo,ita respondet infinita pœna secundum quantitatem;vt maior excogitari non possit.Et ratio est; quia respondet illi pœna damni,quæ est boni infiniti,scilicet,Dei amissio.Et confirmatur; quia cùm clara Dei visio sit summum bonum, priuatio visionis Dei erit summum malum: nam pessimum (vt Arist. docet) optimo opponitur. Arist.

CONCLVSIO II.

Peccato,quatenus est conuersio ad creaturam, respondet pœna sensus finita secundum quantitatem. Et ratio est;quia cùm conuersio ad creaturam sit finita malitia obiectiuè (quoniam obiectum est finitum)erit,& pœna finita. Et confirmatur.Deuter. 25. pro mensura peccati erit, & plagarum modus.Et ad Rom.tunc reddet vnicuiq; secundũ opus suũ. Deut.25. Rom.2.

Secunda difficul. Dimisso mortali peccato virtute pœnitentiæ,manet ne homo alicui pœnæ temporali obnoxius.

De hac difficultate disputant doctores in.4.dist.25.

CONCLVSIO.

Manet, dimissa culpa, peccator pœnæ temporali purgatorij obnoxius, nisi tanta fuerit contritio: vt tam æterna, quàm temporalis pœna absorbeatur. Talis fuit B. Magdalenæ contritio.Hæc conclusio est de fide,contra Lutherum. Et potest multis diuinæ scripturæ testimonijs astrui. Nam. 2. Reg.12.transacto peccato Dauid,cũ Bethsabeę,filius in pœnã

peccati

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccati natus ex illa mortuus est. Et Numeri.12. remisso pec
Num.12. & 14. cato murmurationis Mariæ sororis Moysi, fuit extra castra relegata. Et numeri.14. Moyses, & Aaron, remisso peccato
2.Machab. c.12. diffidentiæ, fuerũt exilio terræ promissionis mulctati. Et in libris Machabæorum legitur. Sancta, & salubris est cogitatio, &c. Vnde colligitur in purgatorio animas suffragijs liberari à pœna temporali, quam pro mortalibus, iam dimissis, pati tenebantur. Nam peccata mortalia in via commissa, neque in purgatorio, neque in inferno dimittuntur.

Tertia diffic. Punitur ne aliquis pro alia culpa?

DE hac difficultate suprà in hoc tractatu egimus. Lege ibi doctores citatos, & S. Thom. art. 8. vbi sup. & ad maiorem explicationem nota sequẽtes propositiones.

Prima Propositio.

Si pœna; prout est satisfactoria pro iniuria illata sumatur, hoc est, quatenus per eam pœnis purgatorij reddimus æquivalens, vnus pro altero potest puniri. Et ratio est; quia virtutæ pœnarum Christi, & sanctorum, quæ nobis per indulgentias applicantur, pœna purgatorij redimitur.

Secunda Propositio.

2.q.7.can. plerũq. 6.q. 1.c.quæro ergo.§.hos etiã 24.q.1.c.nõ turbatur. & d.3.c.illud verò. §. ecce & d.42.§. 1. Append. Exod.20.

Si pœna; quatenus est medicinalis, sumatur, frequentissimè filij pro delictis parentum: vt parentes bene agere, & à criminibus cauere discant, puniuntur. Exod. 20. Ego Deus zelotes visitans iniquitates patrum, &c.

Hinc leges humanæ puniunt filios hæreticorum. Subditi etiam principium tyrannorum propter eorundẽ principium malitiam, bello plerumq; deuastantur. Et Deus propter numeratum populum à Dauid peste septuaginta millia virorũ innoscentium occidit. Et ratio istorum omnium vnica est: quia filij, subditi pertinent ad bona temporalia parentum, & principum: & ideò parentes in filijs, & principes in subditis, tãquam in rebus proprijs, puniuntur.

Tertia

Tertia Propositio.

Si pœna, quatenus infigitur reo; vt pro delictis patiatur, idest, vt dignam pro delictis vindictam sustineat, sumatur, tunc soli delinquentes puniuntur. Probatur exemplo damnatorum in inferno, & viatorũ, qui pro suis sceleribus multa in hac vita mala sustinent.

Quarta Propositio.

Nullus in malis spiritualibus pro alieno crimine plectitur Et ratio est; quia nullus gratia, fide, charitate, gloria, aut diuino auxilio pro alienis peccatis priuatur. Et ita intelligendus est locus ille Ezechielis. 18. Filius non portabit iniquita- *Ezech. 18.* tem patris &c.

Quinta Propositio.

Aliquando in bonis spiritualibus externis puniuntur aliqui propter aliena peccata. Confirmatur exemplis. Priuatur enim populus, & castigatur pro delicto malorum, prædicationis beneficio. 1. Reg. 3. Nam propter negligentiam Heli sa- *1. Reg. 3.* cerdotis in proprijs filijs puniendis dicitur. In illis diebus nõ erat visio in Israel, & erat sermo Dei pretiosus, & rarus. Et Amos. 8. Mittam famem, non panis, & sitim, non aquæ: sed *Amos. 8.c.* audiendi verbum domini, & hoc propter malitiam principum. Item punitur quis spiritualiter pro alio, vt in excommunicatione 17.q.4. cap. miror. Et in priuatione diuinorum *Dist. 17.q.4.* officiorum familia, propter dominum castigatur. 11.q.3.c.si *c.mira.* quis episcopus, & seq.

Quæst. IX. De peccato veniali.

Alex. Alen. in. 2.p.q. 108.& q. 111. S.Tho.1.2.q.

DE Peccato veniali aliqua scripsimus suprà in quæst. de diuisionibus peccatorum. Lege doctores ibidem citatos, & quæ sequuntur ad perfectam, & plenam de peccato veniali cognitionem.

Artic. I. Sint ne peccatum mortale, & veniale eiusdem malitiæ?

VARIÆ Sunt de hoc artic. opiniones, de quibus suprà.

CONCLVSIO.

Mortale à veniali hoc potissimùm differt, quòd veniale non tollit gratiam; mortale autem omninò destruit illam. Et ratio est; quia mortale est irreparabile; quoniam nō habet aliquod principium intrinsecum reparationis: & ideò dicitur naturaliter irremissibile. Quoniam destruit principium vitæ, quæ est gratia. Instar infirmitatis corporeæ, quæ dicitur naturaliter irreparabilis, eò quòd aufert principium vitæ naturaliter, nempè, sanguinem, aut alium humorem ad vitam necessarium. Veniale autem peccatum est compossibile cum gratia, & charitate, quæ est huius reparationis principium.

S.Tho. art.2. vbi sup.

Prima difficult. Differunt ne veniale, & mortale genere?

SEnsus tituli est. An sint diuersa genera subalterna, ita q; quodlibet ipsorum de pluribus specie differentibus in eo, quod quid est, prædicetur.

CONCLVSIO.

Mortale ex genere, & veniale ex genere differunt genere, id est, sunt genera subalterna. Et ratio est; quia vnum, atque alterum diuiditur in suas species, & de illis in eo, quod quid est, prædicatur. Exempli gratia. Mortale diuiditur in adulterium, & homicidium, &c. Veniale verò ex genere diuiditur in verbum otiosum, & in mendacium iocosum, aut officiosum. Et per verbum otiosum, non solùm verbum ore tenus prolatum: verùm etiam operationes inutiles cuiuscunque sensus; vt sunt inutiles visiones, vel auditiones, &c.

Hinc,

Append.1. Hinc, mortale ex genere, & veniale ex imperfectione actus, aut ratione paruitatis materiæ, non differunt specie. Et ratio est; quia sunt circa idem obiectum, & solùm distinguntur, sicut perfectum, & imperfectum eiusdem speciei. Exempli gratia, motus subitus infidelitatis, & actus perfectus infidelitatis eiusdem rationis, & speciei esse dicuntur. Propterea quòd sunt circa eundem finem, scilicet, obiectum.

Alex. Alen. in.4.p.q. 15. m.4. S. Tho.art.3. vbi sup.& alij Doct. suprà citati. 1.Nota. 2.Nota.

Secunda difficul. Est ne veniale peccatum dispositio ad mortale?

DIspositio, vel est directa, vt, quæ est eiusdem rationis cum forma introducenda, vt calor, vt vnum in aqua est dispositio directa ad calorem, vt quatuor: vel est indirecta, quæ dispositio est alterius rationis à forma introducenda, vt, qui remouet prohibens lapidis descensum, disponit indirectè ad lapidis descensum. Peccatum mortale; vel est ex genere, vt furtum: vel est ex agente, ideſt, ex parte causæ efficientis, vt verbum otiosum animo captandi puellam prolatum. Et est mortale ex parte causę efficientis. Perinde veniale ex genere est verbum otiosum: veniale verò ex agente est delectatio libidinosa ante deliberationem.

CONCLVSIO I.

Veniale ex genere est indirecta dispositio, & peraccidens ad mortale ex agente. Illustro rem exemplo: vt si quis adeò sit assuefactus iosis, vt ne ab illis abstineat, aliquando hæresim proferat, & qui est ita verbis otiosis assuefactus, vt in illis vltimum finem constituat: quod quidem prouenit ex habitu dicendi verba otiosa. Finis enim habitus est eius operatio. Et hinc fit; vt habituati in operationibus habituum vltimum finem constituant. Constituere autem vltimum finem in veniali est, quando quis intra se diceret, malo hoc mendatium iocosum proferre, quàm Deum videre, quod est summa peruersitas: iuxta sententiam D. August. Nam est frui vrendis. Nequè hoc rarò contingit: sunt enim nonnulli, qui adeò sunt terrenis rebus affecti; D.Aug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt libenter gloriæ æternę cederent hac lege, vt immortales effecti, terrenis bonis perpetuò fruerentur.

CONCLVSIO II.

Veniale ex genere indirectè ad mortale ex genere disponit. Exempli gratia, verbum otiosum disponit ad perniciosum. *Eccl.19.* Eccles.19.qui spernit minima, paulatim decidet. Propterea quòd mortale est inordinatio perfecta, circa Dei legem; veniale verò est imperfecta inordinatio, quæ paulatim ad perfectã inordinationem disponit.

CONCLVSIO III.

Veniale ex agente dispositione directa ad mortale ex genere disponit. Et ratio est: quia delectatio morosa ante deliberationem est veniale ex agente, idest, propter imperfectionem actus, & disponit ad consensum, sicut febris remissa ad intensam.

Alex. Alen. & S. Thom. art.9. & alij vbi.5.

Tertia diffic. Veniale idem numero potest ne fieri mortale?

CONCLVSIO I.

Impossibile est absolutè loquendo, idem numero veniale, mortale fieri. Ratio est; quia cùm veniale non auertat à Deo: mortale autem auertat: & impossibile sit, quòd idem à Deo auertat, & non auertat impossibile profectò erit: vt idem numero veniale, mortale fiat.

CONCLVSIO II.

Veniale ex genere potest fieri mortale, si in eo vltimus finis constituatur. Et ratio est; quia constituere vltimum finem in aliquo actu, est colere illum, tanquàm Deum: vt si quis dicat, nolo aliã Beatitudinem, nisi iocosè mentiri. Quòd est summa peruersitas, vt ex D.August. difficultate præcedenti docuimus.

DVB. Multa venialia possunt ne vni mortali æquiualere?

CONCLVSIO.

Non possunt, etiam si extensiuè sint infinita. Et ratio est: quia multa venialia sunt ad pœnam temporalem ordinata, quæ

quæ cùm non possint esse actu infinita, non poterunt vni pœnæ infinitæ æquiualere.

Append. *S.Tho.art.5. vbi.5.*

Hinc, si circunstantia mutat speciem, potest fieri ex veniali mortale: vt, si quis dicat, verbum otiosum ad puellam deseipiendam. Si verò non mutat speciem, non facit ex veniali mortale; sed tantùm auget peccati malitiam: vt si quis magno effectu aut affectu iocosè mentiatur.

Quarta diffic. An peccatum mortale possit idem numero effici veniale? *S.Thom.art. vlti. vbi. 5.*

Prima Propositio.

Peccatum mortale ex genere per additionem alicuius, circunstantiæ, non efficitur veniale: immò magis augetur: vt si fornicationi mendacia iocosa permiscentur.

Secunda Propositio.

Mortale ex genere potest effici veniale propter actus imperfectionem. Illustro propositionem exemplis. Verbi gratia. Furtum est mortale ex genere, & ratione paruitatis materiæ efficitur veniale. Perinde delectatio libidinosa est mortalis ex genere, & propter defectum deliberationis, & consensus efficitur venialis.

Alex. Alen. q.108. S.Tho.q. 89. & alij vbi. 5.

Artic.II. Vtrùm peccatum veniale efficiat in anima macula m?

Prima Propositio.

Macula pro priuatione gratiæ sumatur, non efficit maculam in anima. Et ratio est; quia peccatum veniale: vt ex dictis constat, est compossibilis cum gratia, & charitate.

Secunda Propositio.

Si macula pro priuatione rectitudinis virtutis apponatur, & con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& conformitatis ad rectam rationem accipiatur, efficit venia le tunc maculam in anima. Et ratio est, quia voluntas manet rectitudine priuata, donec per virtutem pœnitentiæ, aut alicuius æquiualentis reparetur.

Prima difficult. Intelliguntur ne peccata venialia per illa tria, lignum, fœnum, & stipulam, quæ ab Apostolo recensentur?

1. ad Cor. 3.

CONCLVSIO.

Alex. Alen. in.4.p.q.15. toto. m.3. quem omninò lege. S.Tho.art.2. & alij vbi suprà.

INtelliguntur planè. Et ratio est; quia ibi B. Paul. insinuare videtur, quòd propter peccata leuia, quæ per lignum, &c. intelliguntur, non patietur quis pœnam æternam. Si quidem vel saluabitur per tribulationes aliquas in hac vita: vel per ignem purgatorij à pœna peccatis venialibus debita purgabitur.

Secunda diffic. Potuit ne homo in statu innocentiæ perseuerans venialiter peccare?

S.Thom. Scot.d.21. Gabriel. Almain.

DVæ sunt oppositæ sententiæ circa hanc difficultatem. Vna negans S. Thom. Altera affirmans Scoti, quem sequuntur Gabriel eadem distinctione, & Almainus in moralibus tractatu.3.cap.21. Et quoniam de hac quæstione erit copiosè in lib. controuersiarum disputandum, nudam veritatem duabus conclusionibus positis declaremus. Et relege suprà in quæstione de diuisionibus peccatorum ea, quę de variis acceptionibus peccati venialis scripsimus.

CONCLVSIO I.

In statu innocentiæ non potuit primum peccatum esse veniale ex imperfectione actus in potentia sensitiua. Et ratio est, quia cùm potentia sensitiua subderetur rationali dominio despotico, non poterat moueri contra rationalem, neq; deordinari nisi per ipsiusmet rationalis imperium; & ex consequenti, impossibile erat peccatum à potentia sensitiua incipere. Et confirmatur Gen.2. dicit enim scriptura, Erat enim

Gen.2.

vterq;

vterque nudus Adam, & vxor eius, & non erubescebant. Vbi glossa D. August. ait: quia nullum bestialem motum sentiebant.

CONCLVSIO II.

Scoti, & B. Thom.

In statu innocentiæ potuit homo ex imperfectione actus etiam secundum portionem superiorem venialiter peccare. Et ratio est; quoniam potuit habere tunc leuem motum infidelitatis absque consensu, & deliberatione.

CONCLVSIO III.

Potuit in statu innocentiæ primum peccatum esse veniale ex genere, & ex consensu portionis superioris. Exempli gratia. Potuit habere hunc actum; volo proferre verbũ otiosum gratia iliudendi proximum. Hanc conclusionem demonstro argumentis Scot. Primò in statu naturæ lapsæ est compossibile peccatum veniale cum summa gratia gratum faciente; vt in viro iustissimo: ergo, & in statu innocentiæ erat compossibile idem peccatum cum iustitia originali. Propterea q̃ perfectius cõiungit nos Deo gratia, quàm olim iustitia originalis coniungebat; quia gratia, & iustitia originalis comparantur, sicut excedens, & excessum. Quoniam iustitia originalis erat præstantior gratia, eò q̃ potentias inferiores sensitiuas rationi subijciebat. Gratia verò respectu Dei erat præstantior iustitia originali: quoniam magis vnit nos Deo, & reddit hominem gratum, & acceptum Deo ad vitam æternam, quod sola originalis iustitia non efficiebat. Secundò probatur, Heua retinuit iustitiam originalem post commissum peccatum mortale, antequam Adam peccaret; vt supra dist.29. declarauimus: ergo ex naturâ rei fuisset eadem iustitia cum peccato veniali cõpossibilis. Tertiò Adam erat liber libertate contradictionis: potuit ergo eius primum peccatum esse veniale: consequentia patet à diffinitione libertatis. Quartò sicut Deus interdixit homini sub reatu mortalis culpæ ne pomo vetito vesceretur; potuit etiam sub reatu tantùm peccati venialis interdicere; potuit igitur eius primum peccatum esse veniale. Quintò non potest fieri transitus ad mortale nisi medio veniali, priùs igitur natura, quam Adam mortaliter peccaret, commisit veniale, in quo poterat

Almaini est.

Scoti est.

quiescere; & ex consequenti poterat venialiter tantùm peccare. Probatur antecedés: quia in omni peccato mortali hic transgressionis ordo seruatur, nempè, suggestio, delectatio, & consensus, in sola autem delectatione est tantùm veniale. Hinc, sic argumentor. Adam instantaneè in esu ligni vetiti, absquè animo vescendi potuit delectari: fuisset ergo illa delectatio veniale tantùm peccatum. Et confirmatur primò, quia sicut omne præceptum potest venialiter violari, solùm propter imperfectionem actus, vt fidei, & charitatis, &c. ita etiam peccatum Adæ impositum potuit venialiter violari. Secundò confirmatur ex D. Augustin. apud Magistrum distinct. 21. dicente; quòd antequam Adam mortaliter peccaret, præcessit in eo elatio quædam comprimenda. Quare prius natura potuit venialiter, quàm mortaliter peccare. Atquè fortassis prius tempore, & potuit non subsequi mortale, & ex consequenti poterat etiam manere in illo statu innocentiæ post peccatum veniale commissum. Vltimò, primum peccatum Adæ fuit portionis inferioris; quia peccauit, ne contristaret delitias suas, Heuam scilicet; ergo potuit portio inferior peccare prius natura, quàm superior, & per consequens nõ erat necessarium priùs deordinari superiorem portionem: siquidem peccauit ex inordinato amore creaturarum priùs, quòd est portionis inferioris, quàm ex contemptu, quod est superioris portionis peccatum.

D. August.

Artic. III. Vtrùm veniale peccatum sit cum solo originali compossibile.

VERBI Gratia: si adultus non baptizatus, qui ad vsum rationis peruenit cum solo originali, de hoc quæritur. An possit committere veniale peccatum, antequàm peccet mortaliter? Hic articulus est difficilis, & scitu dignus. Huius articuli occasione difficultas tractatur, difficilis quidem intellectu, nempè. An cùm primùm quis

Difficult.

quis ratione vtitur, se in Deum conuertere teneatur? modò sit baptizatus, & ab originali per baptismum purgatus, modò non sit baptizatus? Ex cuius difficultatis solutione patebit artic. responsio. Sunt autem duæ opiniones vna affirmans S. Thom. qui tenet; in priori instanti vsus rationis teneri hominem de se ipso deliberare absquè vllis inducijs, ideſt, absquè vlla mora sub reatu mortalis peccati, ideſt, teneri conuerti in Deum per fidem, & dilectionem, amando ipsum super omnia, quod nihil aliud est, quàm proponere seruare eius mandata. Quæ quidem opinio confirmatur ex illo Zachariæ primo. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Et est hæc opinio à multis celebrata. Et quærenti; An teneatur homo confiteri transgressionem huius præcepti? respondet Caietanus vbi suprà. S. Thom. teneri quidem, in communi dicendo; se alia peccata fortè commisisse, quorum non est conscius. Altera opinio, & contraria est Paludani in 4. distinct. 15. & Durandi in 4. distinct. 16. quæst. 2. & distinct. 21. quæst. 2. Lege etiam celebrem repetitionem Victoriæ de hac re.

S. Thom. vbi suprà.

Zachar. c. 1.

Palud.

Duran.

Victor. rep. vlt.

CONCLVSIO.

Non tenentur omnes sub reatu peccati mortalis in primo instanti vsus rationis de se ipsis deliberare: vt in conclusione S. Thom. habetur. Probatur conclusio primò. Ignorantia inuincibilis excusat à peccato; sed omnes quotquot attingunt rationis vsum, ignorant inuincibiliter huiusmodi conclusionis præceptum; ergo excusantur à peccato, etiam si in illo temporis puncto non conuertantur. Minor, quæ certissima est, probatur: quia ante illud instans nullus paruulus habet prædicatorem, à quo hoc præceptum discere valeat. Obijcies. Hoc præceptum est per lumen naturæ omnibus notum, & ex consequenti ignorantia inuincibilis non cadet circa hoc præceptum. Respondeo, Inmò multos adultos, & viros doctissimos hoc præceptum ignorare, & ire inficias: vt sunt theologi, qui hanc sententiam tuentur. Secundò probatur. Non legitur in vniuersa scriptura aliquod præceptum huiusmodi conuersionis; ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo non erit peccatum, tunc temporis non conuerti: quia
Ad Rom. 4. vbi non est lex, neque præuaricatio. Nam præceptum illud
Zachar. c. 1. adductum Zachariæ primo, non loquitur de parvulorum conuersione, vt patet ex textu literæ; quoniam propheta ibi conatur reuocare adultos ab idololatria, quos in persona Dei inuitat, dicens. Conuertimini ad me, &c. Tertiò, fit ita, vt tale præceptum inueniatur: nullus tamen est, qui sciat, quando hoc primum instans peruenit: ergo omnes ab huiusmodi præcepti obseruantia excusabuntur. Consequentia patet à simili; nam sicut ille, qui esset conscius ieiunij quadragesimalis, si inuincibiliter tempus quadragesimale ignoret, non esset reus violati ieiunij: ita & in casu posito. Quartò existens in mortali, cuius nondum pœnituit, non tenetur statim conuerti ad Deum, nisi vel in art. mortis, vel quando aliquod sacramentum est recipiendum, siue administrandum, &c. ergo similiter, qui est in solo originali, non tenetur statim in primo instanti ad Deum conuerti: cùm sit præceptum affirmatiuum: nisi quando est baptismi sacramentum recepturus. Vltimò, interim, dum homo deliberat, potest dicere verbum otiosum; quare non tenebitur statim in primo instanti ad Deum cõuerti; & ex consequenti veniale peccatum erit cum originali compossibile. Atquè ita solutus manet ex dictis art. propositus.

Append. Hinc, ex dictis in hac quæstione confutatur hæresis Caluini, qui docuit nullam esse differentiam inter peccatũ mortale, & veniale: quia affirmabat, nullum esse peccatum veniale: sed omne peccatum esse mortale. Lege Castrum ver. peccatum hæresi. 11. Hactenus de peccatis in genere ad laudem illius, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius propter remissionẽ præcedentium delictorum, cui sit semper honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Magister Sent. Dist. XXXVIII.

IN Hac distinctione tres proponit Magister quæstiones. Et prima est, in qua quærit. Vtrùm voluntas habeat rectitudinem à fine tantùm? Secunda est, in qua inquirit. Vtrùm

Vtrùm finis iste sit vnus, an plures? Tertia verò, in qua percõratur. Vtrùm voluntas, & intentio sint idem? Soluitque omnes has tres quæstiones. Eritque littera Magistri aperta, si diligenter, & attentè quæstiones sequentes legantur.

Quæstio. 1. Vtrùm bonitas actus voluntatis sit ex fine?

HOc loco finis nomine, etiam obiectum intelligitur quia quò ad voluntatem facta comparatione, finis, & obiectum non differunt.

CONCLVSIO I.

Omne opus, seu actus imperatus, vel elicitus à voluntate sumit bonitatem à fine. Et ratio est, quia sicut actus mali sortiuntur malitiam à malo fine, ità è contrario actus bonus voluntatis sumit bonitatem à fine. Hæc ratio est D. August. de vita & moribus Ecclesiæ, & Manichæorum, quam accepit ex Osea. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. Quod significauit Christus dominus Matth. 6. quando dixit. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Nam in sacra scriptura oculus pro fine, & intentione sumitur. Tuncque si recta fuerit intentio, omnis operatio eius causa facta, erit recta: si verò praua, mala erit actio inde emanans. Cuius enim rei finis bonus est, res ipsa quoq; bona est.

Alex. Alen. 3. p. q. 60. m. 1. S. Tho. 1. 2. q. 1. art. 3. & q. 18. art. 2. 3. & 4. reliqui hac dist. S. Bona. q. 1. Duran. q. 1. Ricard. &c. lege indices florũ. 4. lib. & huius. 2. verbo actus moraliter bonus & verbo virtus. D. Aug. Oseæ. c. 9.

Prima diffic. Vtrùm bonitas solius finis sit satis, vt actus voluntatis bonus esse dicatur?

CONCLVSIO.

NOn sufficit solius finis bonitas: sed requiritur concursus reliquarum circunstantiarum, quæ; vt actus moraliter bonus sit, desiderantur. Et probatur ratione: quia; vt actus sit bonus moraliter, bonus finis, atq; modus, debitis circunstantijs ornatus, requiritur. Lege indicem secundæ partis huius secundi, verb. circunstantia. Et est definita hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc conclusio multis in locis decretinam 23.q.8.cap. occidit cap.legi.& cap.sequent.dicitur,in factis,& faciendis, circunstantias esse quærendas.Lege etiam 2.q.4.cap.quis ignorat, & cap. seq. & 29.q.1.cap.1.& de pœnit.dist.2.cap.vt cognouerunt.§.opponitur in fine.Vnde Dionysius Areopagita c.4. de diuinis nominibus bonum dicit esse,quod constat ex integra causa. Quemadmodum ad pulchritudinem corporalem requiruntur membra omnia pulchra dispositione organizata, vt ad bonitatem actus:vt aliquid sit bonum ex intentione,requiruntur omnia pernecessaria.

Dion. Are.

Alex. Alen. 2.p.q.96.m. 3.art.1.§.3. S.Bon.d.40. art.1.q.3. 1.Iacob.2.

Secunda diffi. Sola intētio bona, siue finis sufficitne ad meritū sine opere exteriori, si adsit operandi facultas?

CONCLVSIO.

NON sufficit. Et ratio est; quia præcepta diuina non solùm sunt de intendendo, vel volendo bonum: sed de faciendo, si adsit facultas.1.Iacobi.2.Fides,sine operibus mortua est: quare si fides non sufficit ad meritum sine operibus,neque intentio.Quoniam non est maioris efficaciæ ad merendum intentio,quàm fides:sufficiet tamen,si non supperat facultas.

Alex. Alen. vbi sup.m.2. art.1. S.Thom.1.2.q. 3.art.3.& q. 1.art.7.reliqui, dis. hac S.Bona. art. 1.q.3. Matth.6. Iacob.1.

Quæst. II. Vtrùm bonæ voluntatis sit vnus tantùm finis, vel possint esse plures?

Hinc secunda quæst.magistri declaratur.

CONCLVSIO.

Potest quis quodam modo,manente, suæ intentionis simplicitate,æternum,temporalemque finem sibi statuere,dummodò non æquè principaliter vtrumquè intendat: sed vnum ad alterum temporalem, si ad æternum referat. Prima pars probatur; quia nemo potest duobus dominis seruire. Lege Augustin. super hunc locum. Et Iacob. 1. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. Vbi glossa. duplex est animo,

animo, qui vult gaudere cū sæculo, & vult gaudere cū Deo. Constituens, scilicet, gaudium sæculi,tanquàm finem æquè principalem. Secunda pars est manifesta; quia, sicut duobus dominis subordinatis potest aliquis inseruire; ita etiam potest duos fines subordinatos sibi proponere.Et ratio est; quia vbi vnum propter aliud,vtrobique vnum tantùm est. Atquè ita cùm voluntas velit finem, & illud,quod est ad finem propter finem vnum, tunc vult vnum propter alterum;& ita est vnum velle vtrobique: vt sacerdos, qui confert se ad ecclesiam:vt lucretur distributiones ad hunc finem,vt meliùs Deo possit inseruire.

Alex. Alen. vbi §. m. 1. art.1. S. Thom. & alij vbi.§. 1.Cor.10.

Prima diffic. Vtrùm omnes actiones in Deum finem referre teneamur?

CONCLVSIO I.

GEneraliter omnes actus virium rationalium, viriumq; rationis imperio subiectarum ad Deum finem pro loco, & tempore referre tenemur. Iuxta illud apostoli. Omnia in gloriam Dei facite. Et Matthæ.5. Sic luceat lux vestra, &c. vt glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Notanter dicitur in conclusione pro loco & tempore: quia præceptum de actionibus referendis in Deum est affirmatiuum,& obligat semper,sed non ad semper,verùm pro loco, & tempore, hoc est, cum actu de opere,& de fine principali operis, scilicet de Deo cogitatur, & de obligatione,quam rationalis creatura Deo debet.Totum enim se debet Deo, & secundum ipsam substantiam,& virtutem,& actionem.

Matth.c.5.

Hinc, quia Deus charitas est,& D.Paul.ad Timoth.1.Finē præcepti charitatem esse dixit: quia charitas increata, quæ est ipse Deus, est finis, in quo quiescit bona voluntas. Ipse enim est alpha & omega, principium, & finis.Charitas verò creata, quæ dicitur viæ, est finis, quo quiescit in Deo; vt nunc. Nam sicut locatum non quiescit in loco nisi mediante pondere; ita anima in Deo,qui est quasi locus eius,non quiescit, nisi mediante dilectione.Quoniam ad illum finem tendit

Append.1. *1.Ioan.4. 1.ad Timot. cap.1. Apoc. 1. & vlti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Append.2. dit Dei voluntas, ad quem Dei præceptum ordinatur.
S.Thom.1.2. Hinc, omnium bonarum voluntatum est vnus finis vlti-
q.2.art.7. mus, nempè, Deus. Et ratio est: quia bonæ voluntates sunt à
S.Bona.q.4. charitate, & Dei amicitia conglutinatæ, & amicitia est idem
art.1. velle, & idem nolle. Et quia tales voluntates tendunt in bo-
Duran.q.4. num incommutabile, quod est tantùm vnum, in quo ratio
vbi supra. omnis boni reperitur.
Append.3. Hinc, malarũ voluntatum non est vnus finis vltimus. Quia
D.Bona. vbi non vniuntur, colligantutq; vnitate amoris: sicut bonæ volũ-
supr. tates. Trahit enim sua quẽq; voluptas, nec voto vnitur vno.
Nã luxuriæ dediti iocũditatem, & lætitiam appetũt, & licet,
conueniant in vnũ actũ; vnusquisq; tamẽ quærit suum finem
propriũ; vt patet in adultero, & meretrice. Nam ille dele-
ctationem; ipsa verò numum quærit. Auarus sufficientiam
expetit, & superbus excellentiam. Quæ omnia, cùm non con-
tingat circa eandem rem creatam reperiri; sed circa diuer-
sas, hinc est, quod voluntates malæ formaliter differentes nõ
vnum; sed diuersos sibi fines constituunt.
Alex. Alen. 3.p.q.60.m.1.art.2.& in 2.p.q.168.m.4.art.3.

Secunda difficul. Actiones spirituales possunt ne ad temporalem referri?

VErbi gratia, vtrum liceat alicui prædicare hoc fine; vt sustentetur, esto, quòd non habeat aliunde victum?

CONCLVSIO.

Nullo modo actiones, siue opera spiritualia ad finem tem-
poraleu referri debent: sed ad finem æternum. Probatur
Matth.10. Matth.10.vbi prædicatoribus dicitur. Quod gratis accepistis,
gratis date. Quare qui prædicat propter temporalia, non gra-
tis dat: immò habet prædicationem venalem. Vnde qui præ-
dicat propter sustentationem est huius præcepti reus. Et
D. Aug. in talis prædicatio erit simoniaca, cùm spiritualia pro tempo-
sermone Do- ralibus dentur. Et confirmatur autoritate D. August. dicentis.
mini in mõ- Non ideo debemus euangelizare; vt manducemus; sed ideò
te lib.2.c.24. manducare: vt euangelizemus. Et ratione stabilitur: nam
Arist.2.phy- cùm finis sit præstantior ijs, quæ sunt ad finem, & spiritualia
sic. sint multò præstantiora temporalibus, non debet, nec potest

finis

finis spiritualium in temporalibus constitui.
Hinc, sustentatio corporalis non est finis prædicationi de- Appen.
bitus; sed res prædicatori debita. Res, inquam, non quam
debet ex prædicatione acquirere: sed quam ex prædicatione
meretur. Vnde 1. Corint.9. inquit B. Paul. Qui erat, debet 1.Cor.9.
arare in spe. Vbi gloss. prædicator, qui aperit corda ad fi-
dem, debet arare in spe stipendiorum temporalium, non
propter hanc spem. Non enim hæc debet esse sua intentio,
& finis in suo ministerio. Hinc. Luc.10. Dignus est operarius Luc.10.
mercede sua.

Tertia diffic. Potest ne finis, siue intentio in creatura constitui?

Alex. Alen. vbi supr. m.2.art.2.

INtelligitur titulus ita, q̃ sit finis sub fine æterno. Sunt ta-
men ad maiorem explicationem, quæ sequuntur, consi-
deranda. Aliquid quæritur, quia bonum: aliquid verò, 1.Consid.
quia necessarium. Quod quæritur: quia bonum, quæritur, vt
finis voluntatis; quod autẽ quæritur, quia necessarium quæ-
ritur, vt adminiculum ad perueniendum ad finẽ voluntatis.
Non quicquid quæritur, inquiritur, vt finis. Aliquid enim 2.Consid.
quæritur, vt adminiculum, seu instrumentum actionis quo-
modo quæritur cultellus ad incisionem, & baculus ad iter
agendum: quomodo sunt temporalia quærenda. Aliquid
verò quæritur, vt finis: vt incisionis finis est sculptura, vel
fabrica. In quem modum regnum Dei, & eius iustitia debet
esse voluntatis finis.

CONCLVSIO.

In rebus creatis potest intentio, siue finis constitui: non
tamen, vt in bonis: sed vt in necessarijs, & adminiculis finis
voluntatis, dummodò non sit finis vltimus. Hæc conclu-
sio colligitur ex D. August. in sermone Domini in monte. D.August.
Primùm quærite regnũ Dei, &c. vbi ait. Cùm dixit primum, Matth.6.
significauit: quia hoc posterius quærendum est, non tem-
pore, sed dignitate: illud, scilicet, regnum, & iustitia, tanquàm
bonum nostrũ, hoc, scilicet, temporale, tanquam nostrũ: ne-
cessarium quidẽ propter illud bonũ. Et confirmatur exẽplo;
nam qui laborat in vinea eo fine: vt acquirat sustẽtationem,

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam vult ad hoc; vt Deo inseruiat, & propter hoc ad regnũ Dei perueniat, duos sibi fines, & intentiones ordinatas, & laudabiles constituit. Nam intentio sustentationis, quæ est finis laboris, licet, sit temporalis: tamen quia vlterius refertur ad Dei regnum, & gloriam, est laudabilis.

Append. Hinc perspicuum est posse hominem temporalem constituere intentionem, & finem: ita vt non sit finis vltimus. Nam tunc esset peccatum; vt ex proximè dictis constat.

Alen. Alex. 2.p.q. 96. m. 3. art. 1. §. 1.

Quæst. III. Vtrùm voluntas, & intẽtio sint idem?

S. Bona. in expositione litteræ Mag. Gabriel hac dist.q. vnica 1. animad. Gab. vbi §. Luc.2. 1. ad Thess. 4. D. Aug. Luc. 12. Matth.26. 2.animad.

HÆc est tertia quæstio quam proponit Magister. Et quæritur. Vtrùm inter voluntatem, & intentionẽ sit distinctio realis? an rationis tantùm? Ad cuius maiorem explicationem sunt quædam animaduertenda. Voluntatis nomen sumitur primò pro potentia appetendi, & rationali, id est, pro anima rationali, nota appetere, vel refutare obiectum, sibi per rationem ostensum: de qua potest intelligi illud Luc.2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, idest, voluntatis benè habituatæ. Secundò accipitur pro actu voluntatis, qui est velle, aut nolle. Et ita sumitur. 1.ad Thessal. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, idest, hoc vult Deus; siue hoc est velle Dei, scilicet, sanctificatio vestra. Et nihil ram est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas, idest, ipsius voluntatis actus. Et Luc.12. Seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, &c. Tertiò significatur nomine voluntatis obiectum volitum: iuxta illud Matth.26. Non mea voluntas, sed tua fiat. Naturalis potentia voluntatis in se considerata semper bona est, & insigne rationalis creaturæ ornamentum. Est enim à Deo creata. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona. Verùm si in exercitio operationis spectetur, quandoquè bona, quandoquè mala reperitur. Mala, inquam, non inquantum est actus, quem, Deo autore, semper fieri, & bonum esse suprà dilucidauimus: sed quatenus deficit in sua operatione. Deficit autem, si vel malum est voluntas obiectum, siue medium, quod finis alicuius gratia agendum

agendum sese præbet, vel si finis malus est, ad quem media destinantur. Exemplo rem declaro: vt si quis furripiat aliena; vt egestati pauperum opituletur, finis tũc bonus est, sed medium est vitiosum: quia legi Dei repugnans: & ideò voluntas mala censetur. Deinde qui ex propria substantia impartitur eleemosynam; sed causa vanæ gloriæ, aliàue intentione non rectâ, tunc licet obiectum bonum sit: finis tamen malus voluntatem vitiat. Intentio multis modis vsurpatur. Nam vel sumitur pro ipsa potentia intendente, & tunc intentio dicitur oculus, vel significat intentio habitum, secundum quem intendit, & tunc vocatur lumen; vel accipitur tertiò pro ipso actu intendendi, & tunc intentio recta, vel obliqua nominatur; vel quartò nomine intentionis designatur ipsum intentum, vt quando magister dicit in littera, intentionem esse finem ipsum, accipitur intentio pro intento. Principalius tamen intentionis nomen ipsi actui impositum est.

3. Animad. D. Bona. q. vlt. vbi §. in sol. ad arg.

CONCLVSIO I.

Voluntas primo modo sumpta, & eius intentio: vt habetur in prima animaduersione, realiter distinguntur. Et ratio est: quia causa, & effectus realiter distinguntur, & voluntas causa est intentionis.

CONCLVSIO II.

Si voluntas, & intentio pro obiectis, & finis communiter pro omni volito accipiatur, inter voluntatẽ, & intentionem, & finem, nulla est distinctio. Et ratio est; quia non est primùm realis distinctio, cum eadem res volita sit voluntas obiectum voluntatis, finisque; & intentio: propterea q. idem est obiectum volitionis, & intentionis, & ipsum est finis, cõmuniter acceptus. Neque est distinctio rationis: quia talis distinctio non est rerum sed rationum conceptuum, vel signorum tantùm.

CONCLVSIO III.

Si voluntas, & intentio pro potentia, vel actu vniformiter sumatur, finis ab vtroq; realiter: non tamen vniuersaliter distinguetur. Ratio est: quia finis, qui est obiectum volitũ, aut gratia cuius, &c. realiter à potentia, & ab eius actu differt. Quoniam frequenter finis est extrinsecus, & à potentia, & actu,

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu, dictans. Nam potentia, quæ dilectione in Deum, vel in aliud dilectum citra Deum tendit, realiter à dilecto simul, & à dilectione differt. Notanter dicitur vniuersaliter: quia cùm voluntas sit potentia potens se amore super se, & super amorem suum reflectere, tunc potentia, vel actus esset sui ipsius obiectum, & finis: vt dum se, & actum suum propter se vellet.

CONCLVSIO IIII.

Si voluntas, & intentio pro actu, & finis communiter accipiatur, voluntas, & intentio non distinguntur: quin potiùs ad inuicem conuertuntur. Et ratio est: quia ita accipiendo, omnis voluntas est intentio, & omnis intentio est voluntas. Intentio enim est volitio finis: nam intendere est in finem tendere, & communiter loquendo omne volitum est finis, & omnis volitio est intentio, cùm omnis volitio sit voliti volitio. Et sumitur hic volitio generaliter pro omni actu voluntatis, scilicet, pro velle, & nolle: atquè ita è contrario omnis intentio erit volitio.

CONCLVSIO V.

Si intentio propriè, & voluntas pro actu sumatur, aliquãdo voluntas, & intentio distingũtur, & aliquando nõ distinguntur. Prima pars conclusionis patet de voluntate medij voliti, non propter se: quæ quidem voluntas in quantùm est medij, non est intentio, cùm intentio sit tantùm voluntas finis. Secunda pars patet de voluntate finis propinqui, vel vltimi: quæ quidem est intentio.

CONCLVSIO VI.

Voluntatis & intentionis nomina re, & ratione distinguntur. Ratio est: quia cùm vnum nomen non sit aliud, & litteris, & syllabis differant, re distinguentur: & cùm non sint synonyma, & eis diuersi conceptus respondeant: vt patet ex dictis, ratione etiam distabunt.

S.Tho.1.2.q. 12.art.1. Scot. q. vnica.

Prima diffi. Vtrùm intẽtio sit actus solius voluntatis?

INtentio duobus modis sumitur. Primo pro tendentia in finem, siue pro re, quæ in finem tendit, siue finẽ cognoscat, siue non. Quo quidem modo natura dicitur intendere, ideſt, in finem tendere. Secundò pro tendentia in finem, cùm finis, & mediorum, quę ad finem ducunt cognitione: quo modo solius naturæ rationalis esse dicitur intentio, in quo sensu disputant Theologi, & morales philosophi, de intentione.

D. Bona. art. 2.q.2. Duran. q. 2. Gabriel vbi 3. & alij hac dist.

CONCLVSIO.

Intentio propriè voluntatis actus est, connotando tamen, & præsupponendo intellectus actum. Et ratio est: quia nihil est volitum: quin præcognitum; & inter omnes actus voluntatis, nullus est, in quo magis ordinis, & intelligentiæ ordo appareat, quàm in voluntatis intentione. Intentio siquidem præsupponit finis cognitionem, tanquàm terminum, & scopum eorum, quæ in illum ordinantur, & ordinare opus rationis est. Et confirmatur à D. Bona. vbi sup. exemplo liberi arbitrij, cuius actus est voluntatis præsupposita intellectus cognitione. Tum etiam, quia, vt ad rectum motum progressiuũ concurrit simul operatio visus ostendentis viam, & operatio pedis incedentis; ita in actu intendendi simul rationis, & voluntatis actus: vnius, vt aspicientis: alterius verò, vt tendentis clauduntur. Et quia isti actus coniuncti sunt: ideò vno vocabulo composito importantur.

S.Tho.1. 2.q. 8.art.3. Duran. q.7. Gabriel, & alij vbi 3. Greg. Arimi nensis.

Secunda diffic. Est ne intentio vnus actus tantùm?

DIfficulter intelligitur, quomodo volũtas actu in media & in finem feratur. An quando vult medium eadẽ appetione medium, & finẽ velit? Gregorius Arimin. in primo dist. 1. art. 2. tenet necessariam esse geminam volitionem, vnam, quæ versetur circa finem, & aliam, quæ circa media.

CONCLVSIO I.

Volitio medij non est semper formaliter finis volitio. Probatur exemplis: nam qui pergit Romam ad loca sancta visitanda, non semper de fine cogitat: nequè infirmus sẽper sanitatem cogitat, quando vult potionem sumere.

CONCLVSIO II.

Medij volitio virtualiter finis volitionẽ cõprehẽdit. Ratio est: quia cum medium, vt medium est, non habeat aliam bonitatem, quàm eam, quæ habet à fine, nõ poterit voluntatem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi sub ratione finis mouere. Tum etiam quando ægrotus desiderat sumere potionem, etiam quando de salute nihil cogitat, tale desiderium à præcedenti voluntate, qua voluit sanari, imperatur.

CONCLVSIO III.

Aliquando accidit eodem actu formaliter velle nos medium, & finem, nempe, quando recordamur finis, & habemus hunc actũ, scilicet, volo medium propter finem. Et ratio est, quia potentia eadẽ actione in obiectum, & in rationẽ formalem obiecti fertur. Nam, vt visus eadem visione in coloratum, & lucidum fertur: propterea q; lucidum est ratio videndi colores; ita voluntas eadem volitione potest in medium, & in finem ferri: quia finis ratio volendi medium est. Et eodem actu, atq; amore diligimus proximũ propter Deũ: quia ratio formalis dilectionis proximi Deus est. Quare, si finis est ratio, ob quam medium amatur, eodem actu finẽ, & mediũ amabimus. Diuersis autem rationibus potest quis medium propter finem velle, quas brevitati studens prætermitto.

Magister Sent. Dist. XXXIX.

SEntentia huius distinctionis tribus conclusionibus potest comprehẽdi, & sit prima. Voluntas quatenus est bona, est natura: sed quatenus inordinata est, peccatum, & malum.

CONCLVSIO I.

Actus inordinatus solius voluntatis dicitur esse malus, & peccatum: quamuis in actibus aliarum potentiarum abusus etiam contingat.

CONCLVSIO II.

Iuxta probabilem opinionem, superior rationis sinu illa, ideſt, synderesis, quæ semper malum odit, & in bonis delectatur, alia est à motu mentis, quo mens superiori lege relicta, se peccatis subijcit, in eis oblectata. Quæ in prima, & secunda conclusione continentur ex supradictis in tractatu de peccatis perspicua sunt: quæ autem de synderesi in tertia conclusione habentur, & quæ de conscientia etiam tractantur à doctoribus in hac distinctione, consulto à nobis modò reiiciuntur

ciuntur in libellum florum omnium virtutum, ac vitiorum in particulari.

Magist. Sent. Distinct. XL.

PErinde sententia huius quadragesimæ distinctionis tribus conclusionibus sequentibus continetur.

CONCLVSIO I.

Licet omnes actus, in quantùm natura, sint boni; quidam tamen simpliciter non boni, sed mali sunt appellandi.

CONCLVSIO II.

Nullus actus, qui non causam bonam, & finem bonum habuerit, bonus esse poterit.

CONCLVSIO III.

Perspicuum est esse peccata, quę nulla bona intentione sũt facienda.

Quæst. vnica. Datur ne aliquis actus indifferens secundum naturam?

COnsidera, quæ sequuntur ad huius quæstionis clarioré solutionem. Duplex est hominis actus. Quidam ex sola imaginatione procedens: vt mouere pedem, fricare barbam, & alij id genus actus, qui non dicuntur humani; quia à voluntate non sunt imperati. Alij verò ex deliberatione emanant, qui propriè actus humani appellantur. De actu humano possumus bifariam loqui; vel secundum rationem suæ speciei in communi; vel secundum actum in esse singulari, & individuo. Bonitas, quę actui humano conuenire potest quadruplex est. Vna entitatiua. Altera naturalis. Tertia moralis. Et quarta plusquàm moralis, nempè, meritoria. Prima vniuersaliter omni actui competit, de qua intelligitur omne ens esse bonum. Vidit enim Deus, &c. Et ideò hæc bonitas nullam malitiam oppositam habet. Secunda actui conuenit ex eo, quòd habet omnia, quæ sibi ex natura sua quadrant, cuius malitia opposita inhæret actui, si in eo sit aliquid, quod sibi ex natura sua non competat, nempè, modus, vel finis disconueniens. 1. Consid. 2. Consid. 3. Consid. Gen. 1.

Hinc, de hac malitia, vel bonitate, probabile esse videtur Append.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnem actum singularem bonum, vel malum esse. Et ratio est; quia, si habet omnia, quæ ex natura sua sibi conueniunt, bonus; si autem non habet malus est censendus. Tertia, nempè, moralis bonitas dupliciter sumitur. Primò strictè, quatenus actus dicitur bonus moraliter; quia à virtutis habitu efficitur. Et è contra dicetur malus: quia ex habitu vitioso emanat. Secundò ex eo, quòd actus habet ea, quæ, sibi secundum dictamen rectæ rationis conueniunt. Et bonitas moralis hæc vel est ex genere, vel ex circunstantia; vt patet ex dictis; quando quærebamus. Vtrùm malus Angelus necessariò velit male? Et vtrùm omne opus, quod fit bona intentione, sit bonum?

Scot. d. 7. q. 1.

Quarta bonitas de sententia Scoti competit actui, benè circunstantijs ornato, ex relatione eius ad finem debitum per habitum charitatis. Tribus autem modis contingit actum per charitatem referri. Primo actualiter; vt cùm quis cogitans de Deo, aliquid propter Deum vult. Secundo virtualiter, vt cùm quis ex Dei cognitione, & dilectione in cognitionem, & volitionem alicuius operis deuenit: non tamen tempore, quo opus exequitur, actualiter de Deo cogitat. Tertio habitualiter tantùm, nempè, si omnis actus sit in finem vltimum referibilis, productus ab habente charitatem, dicatur in Deum referri. Sed de hac triplici relatione in floribus quarti libri egimus. Totidem modis potest actus non referri. Nam quot modis dicitur vnum oppositorum; dicitur, & reliquum. Primo priuatiuè: quia cùm sit natus referri, neque actualiter, neque virtualiter refertur. Secundo negatiuè per negationem relationis actualis, & virtualis relationis. Atque etiam: quia non potest in Deum referri, vt est peccatum veniale. Tertio dicitur non referri contrariè: quia destruit principium referendi, scilicet charitatem, & tale est mortale peccatum. Duæ sunt opiniones circa quæstionem hanc, & probabiles. Quarum prima affirmans est D. Bona. quæst. 3. Scot. distinct. 7. quæst. 1. & distinct. 41. & quolib. 18. artic. 1. & Gabrielis, & Almayni in moralibus cap. 19. Negans opinio, & contraria est B. Thom.

4. Consid.

5. Consid.

D. Bona. q. 3. art. 1. d. 41.

Scot. d. 41. q. vnica.

Almayn.

D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 5. & 9.

Durã. d. 40. q. 1. Ricar. & alij hac d.

CONCLVSIO I.

Si de bonitate entitatiua, & naturali loquamur: nullus actus

actus est indifferens ad bonitatem, & malitiam, præsertim, si sermo de actu secundum rationem singularem habeatur. Et ratio est; quia omnis actus bonitate entitatiua est bonus, & nullus est, qui bonitate naturali non sit, vel bonus, vel malus; vt ex tertia consideratione constat.

CONCLVSIO II.

Loquendo de actu humano; vt singularis est, potest talis actus ad bonitatem, & malitiam moralem strictè sumptam esse indifferens. Probatur aliquot rationibus. Primò sic. Conferre se in agrum hoc solo fine; vt ad illum purgat, non est opus malum, nec bonum. Non malum: quia nulla lege prohibetur. Neq; bonũ: quia debito fine caret. Quare datur actus indifferens in individuo, qui non est opus malum, nec bonũ. Secũdò velle ire ad agros delectationis, sine recreationis causa, non est opus malum, vt patet: neq; bonũ. Nam cuius operatio est bona, delectatio est quoq; bona, & cuius delectatio est mala, & operatio mala. Quare cuius operatio est indifferens, delectatio quoq; indifferens erit. Tertiò actus ex quibus generatur virtus, & antecedunt virtutem, non sunt boni, nec mali: ergo sunt indifferentes. Non esse malos ex se constat: nullo enim fine malo præfixo efficiuntur. Non esse bonos probatur: quia ad bonitatem operis, teste Arist. necesse est, vt tale opus ex certa scientia promptè, & delectabiliter procedat. Et cùm hoc, id genus actus non habeant, non sunt boni censendi. Quartò ducere lineas in papyro, nullo proposito fine, non est opus malum; quia nullus quantumuis scrupulosus, de hoc opere se accusat. Neque est opus bonum: quia non habet debitũ finẽ: ergo erit indifferens. Hactenus de hac quæstione. Reliqua in libro controuersiarum inuenies.

Arist. 2. Ethic. c. 4.

S. Tho. 1. 2. q. 21. art. 5. Bona. Duran. q. 2. & alij vbi s. Greg. Arimin.

Prima diffic. Vtrùm sit aliquis actus indifferens respectu meriti, & demeriti?

Supposito, Vtrùm sit aliquis actus bonus moraliter, qui non sit, vel meritorius, vel demeritorius? Tres adfert D. Bona. opiniones circa hanc difficultatem. Et prima tenet, nullũ actũ humanũ deliberatè à voluntate procedentem, esse in-

indifferentem; quia nihil homo ex deliberatione facit, quod Deus ad præmium, vel ad demeritum non imputet. Hæc videtur fuisse Gregorij Arimin. Secũda opinio defendit actionem, quæ non est propria homini; vt comedere, bibere, &c. quæ etiam brutis cõuenit, posse esse indifferentem: propriam verò actionem, vt v.g. loqui, &c. esse vel bonã, vel malam, & nullo pacto indifferentem. Vtraque istarum opinionũ nimis viam ad regnum cœlorum arctat: quia tunc cogitatio de veritate, non propter Deum, esset peccatum. Similiter qui naturali pietate, vel ciuili vrbanitate salutarẽt in via occurrentem, peccarent, quod asserere est nimis durum. Tertia opinio, quam idem Bona. approbat, tenet omnem actionem, non ordinatam in finem vltimum, scilicet, Deum, esse malam, & demeritoriam. His opinionibus addit Medina quartam opinionem, quam primo loco ponit, & Scoto, atque Duran. ascribit, quæ ad hoc, vt opus sit meritorium vitæ æternæ non satis esse affirmat: vt sit opus bonũ, & proficiscatur ab homine existente in gratia, & Dei amicitia: verùm etiam requiri, quòd referatur actualiter in finem supernaturalem nostræ religionis. Quod neq; Sco. neque Duran. somniarunt: vt ex eorum littera patet. Nam ibi docent, satis esse relationem virtualem in Deum. Quinta opinio, fuit Magist. Victoriæ, & Soti lib. 3. de natura, & gratia, cap. 4. in 2. conclusione. Opinantur enim ij grauissimi magistri, omne opus bonum existentis in gratia esse vitæ æternæ meritorium. Ijs adiungitur sexta opinio affirmantium, dari aliquem actum bonum, supernaturalem in homine existente in gratia, qui non sit vitæ æternæ meritorius: vt est primus actus fidei in homine iusto.

Medina. 1.2. q. 18. art. 9.

Victoria.

Soto.

CONCLVSIO.

Datur aliquis actus indifferens, tam in habente gratiam, quàm in non habente. Ratio est; quia non omnis actus peccatoris peccatum est: nam peccator patentes honorando, indigenti benefaciendo, verum credendo, non peccat, licet hæc agendo non mereatur. Oppositum est error Lutheri. Lego Cast. verb. opera hæresi. 1. & verb. peccatum, hæresi. 4. Similiter existens in gratia, & propter naturalem honestatem, & com-

Hæresis.

compassionem, & veritatis cognitionem, hæc faciens, non meretur, eò q; per gratiam hæc in Deum non refert, nec demeretur: propterea q; Deus non obligat nos, vt omnẽ actum in ipsum referamus, quæ sua est infinita misericordia, licet posset. Præcepta enim, quæ ad certos actus, certo modo præstandos obligant, non obligant pro semper; sed pro certo tempore, loco, vel causa, quibus existentibus, si non referret, peccaret.

Append. 1.

Hinc, respondetur fundamentis, quibus prima opinio fulcitur. Quale illud est. Omnia in gloriam Dei facite. Omnia, quæcunq; facitis, siue in verbo, siue in opere, in nomine domini nostri Iesu Christi facite. Quoniam verbũ apostoli non est præceptum; sed cõcilium; vt sunt multæ aliæ monitiones eiusdem Apostoli, & Salomonis in prouerbijs, & in cæteris sapientiæ libris contẽtæ. Vel vt alij interpretãtur, intelliguntur hæc fundamẽta negatiuè, id est, nihil contra gloriam Dei facite, & hoc modo est præceptũ. Aliæ sunt aliorũ expositiones. Et illud fundamentũ. Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, &c. Ibi enim non dicitur verbũ otiosum, quod in finem nõ ordinatur; sed quod caret omni vtilitate; dum tamen aliquã habere deberet. Atq; ita intelligendũ est illud D. Gregorij. Verbũ otiosum est, quod ratione iustæ necessitatis, & intẽtione piæ vtilitatis caret. Et inter tale verbum otiosum, & meritorium reperitur medium: vt quando aliquis loquitur, quod non est omni modo vtilitate priuatũ; nec tamen est in Deum, tanquàm in finem vltimum, ordinatum. Frequenter enim verba, quæ inutilia videntur, vtilia efficiuntur, si ad recreationem aliquam spiritus, & ad exclusionem accidiæ ordinentur. Ita enim refertur dixisse D. Bernar. Otiosum, inquit, fuit factum; sed non otiosè factum. Fecerat enim illud ad lætificandum hominem, quem mœrore affectum viderat.

1. ad Cor. 10. ad Col. 3.

Matth. 12.

D. Greg.

D. Bernar.

Hinc, actus imperatus bonus moraliter potest esse indifferens ad meritum, & demeritum. Nam comedere pro loco, & tempore, & pro naturæ sustentatione, est actus moraliter bonus, & manẽs idẽ potest esse meritorius; vt si, durante cõmestione, actus ille in Deũ ipsum per charitatẽ inexistentẽ referatur,

Append. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratur. Et non erit meritorius manens idem in esse moris, & naturæ, si in Deum non referatur. Non tamen talis actus moraliter bonus erit demeritorius: quia cum actu peccati mortalis incompossibile est, eundem actum esse moraliter bonũ. Nam si esset demeritorius deficeret aliqua circunstantia, quã ratio dictat inesse, vel adesse aliqua, quam ratio non inesse debere dictat. Arq; ita semper actus esset deformis contrariæ rationi rectæ, & ex consequenti moraliter malus. Actus tamen indifferens potest meritorius, & demeritorius, vel è contra fieri: vt si quis intraret ecclesiam propter finem indifferentem, nempe, recreationis gratia, vel alicuius finis moraliter boni: non tamen ratione hoc dictante: sed ex mera voluntatis libertate, tunc talis actus esset indifferens. Et si postea continuetur actus ille, mutata intentione, nempè, propter Deum, erit meritorius talis ingressus: demeritorius verò, si propter vanam gloriam ecclesiam ingrediatur.

De verbo otioso nota multa, & scitu digna apud doctores locis in principio citatis.

S. Bona. & alij vbi sup.

Secunda diffic. Vtrùm solus actus, qui non refertur in finem vltimum, sit indifferens ad meritum, & demeritum? an etiam aliquis relatus ad hunc finem indifferens esse possit?

CONCLVSIO.

NVllus actus habens charitatem in finem vltimum virtualiter, aut actualiter relatus, indifferens esse potest. Et ratio est: quia omnis talis actus, cùm sit meritorius, non poterit esse indifferens: quoniam successiuè non esset meritorius. Nullus enim magis in finem ordinatur. Et cùm dependeat à charitate, & actu eius meritorio, & fit veluti eius effectus: ideò erit talis actus meritorius, & non indifferens: vt in conclusione habetur.

Append. 1. D. Bona.

Hinc, religiosi, qui in principio ex charitate religionis põdus portare vouerunt, quicquid faciunt ad suæ religionis obseruan-

seruantiam pertinens, ex sua prima intentione est ad salutem meritorium, nisi fortè (quod Deus auertat) contraria intentio superuenerit. In alijs verò, quæ ad religionem non pertinent, aliter est censendum: quia illa intentio ad alia virtualiter non extendebatur.

Hinc, quicquid religiosus ex obedientia sui prælati faciet, Append. 1. etiam si labor corporalis, ad vitæ sustentionem pertinens fuerit, si in gratia existat, licet tunc non ordinet in Deum actualiter, erit meritorium: quia ex prima intentione, qua se propter Deum obedientiæ subiecit, meritorium efficitur. Vnde maximæ securitatis salutis æternæ est, religionem intrare. Nomine autem religiosi intelliguntur in præsentia non solum, qui regulam ab ecclesia approbatam profitentur: verum etiã intelligũtur omnes, qui alicui prælato secundũ ecclesiæ ordinem se subdiderunt. Et eadem ratione intelligũtur, quicũque statum aliquem à Christo, aut ab ecclesia approbatũ propter Deũ suscipiunt: vt qui matrimonium contrahunt. Vnde vxor viro suo obediens propter Deum meretur. quod intelligitur etiam suo modo de religione christiana.

Magist. Sent. Dist. XLI.

SEntentia huius distinctionis, in qua Magister disputat. An omne opus, quod non est ex fide, sit peccatum? & an etiã omne peccatum sit voluntarium? sequentibus conclusionibus breuissimè comprehenditur.

CONCLVSIO I.

Etiam si aliqui omnem actum non ex fide, & charitate emanantem peccatum esse affirment: alij tamen quosdam actus infidelium bonos fore: non autem meritorios probabilius multò docent.

CONCLVSIO II.

Nullum est peccatum, quod non sit suo modo voluntariũ. Hinc, cũ voluntas mala mortale peccatum sit, constat talem voluntatem esse mortale peccatũ, ideſt, actum voluntatis esse malum. Absoluetur dist. duabus quæstionibus positis, quibus explicabuntur magistri conclusiones.

Quæst.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæst. I. Vtrùm sint omnia opera infidelium peccata?

SEnsus tituli est. Vtrũ infideles in omnibus suis operibus peccant: contra Lutherũ, asserẽtẽ omnia peccata infidelium esse mortalia, nõ opus est nũc disputare. Nã hoc asserere non est hereticum, nec de illo hactenus ecclesia (quod sciam) definit. Damnauit quidẽ concilium Trid. sententiam dicentem, omnia opera, quæ ante iustificationem fiũt, esse vera peccata; sed non ideò damnauit sententiam affirmantem, omnia opera infidelium esse vera peccata. Est enim adhuc inter scholasticos theologos controuersum. Duas enim refert Magister opiniones, quarum vna tenet partem affirmantem; altera verò negantem. Nam tenet infideles in omnibus suis operibus non peccare. Habet prima opinio fortissima argumenta, quibus probabilis maximè esse videtur, quam tenet Greg. Arimin. in. 2. dist. 28. q. 1. & Capreolus in. 2. eadem dist. & q. & Roffensis art. 36. contra Lutherum, quam dicit esse etiam sanctorum Patrum, & Cast. verbo gratia, hæresi. 1. videtur illis subscribere. Qui omnes docent, nullum hominem, siue fidelem, siue infidelem posse opus bonum morale sine gratia Dei speciali efficere. Adducunt autem in suam sententiam D. Augustin. asserentem: quicquid ab homine fit, non ea intentione, quam fides præscribit, etiam si officio bonum videatur, ipso non recto fine peccatum esse. Noueris, inquit, nõ officijs; sed finibus à vitijs discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est; finis verò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid, vbi peccare nõ videtur, si nõ propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Ex quibus verbis, & alijs, quæ ibidem adducit, doctores primæ opinionis astruere conantur, infideles in omni opere suo delinquere, tametsi, quod agunt, officium bonum esse videatur: quale est pascere esurientem, nudum vestire, honorem parentibus exhibere, thori fidem seruare, huiusq; similia. Sunt tamen diligenter perpendenda, quæ alibi D. August. docuit, ita scribens. Infidelium, & Deum non veraciter colentium, quædam esse facta, quæ secundum iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus: verùm etiam meritò, iustèque laudamus. Quæ si quidem illorum opera iustè laudantur: vt D. August. affirmat, peccati reprehensione carebunt. Et ipsemet August. non sibi aduersatur, dum prælibato cap. 3. aliquoties significare videtur, in vniuersum omnia vitiosè fieri, quæ sine fide aguntur: quoniam talem semper subijcit explicationem: vt manifestum fiat, nihil aliud se insinuare voluisse, quàm peccata esse, quæ ab infidelibus infideliter aguntur; hoc est, vt ipse quoque interpretatur, stultè, noxiaquè voluntate aguntur. Vnde & ibidem subditur: quia omnis infideliter viuens, vel agens, vehementer peccat.

Alex. Alen. 2.p.q.102.m. 3.in sol. dist. 4. S.Tho.2.2.q. 10.art.4. S. Bon. hac dist. & dist. 26 Durun. q. 1. Greg. Arim. Capreolus. Roffen. Castro. Sot. de nat. & gra.c. 10. D. Aug. lib. 4.cont. Iul.c. 3. Vega de iustific.q.14. Lib. 4. cõtra Iulia.

Reuocà in memoriam, quod sæpe hactenus diximus, bonum morale esse, quod est rectæ rationi consonum, nempe, quod habet obiectum bonũ, & finem rectum, & omnes alias circunstantias, quæ ad operis honestatem desiderantur: meritorium verò bonum esse, quod præter dicta, est tanti valoris, vt vitæ æternæ dignum, propter suam excellentiam; & quia est charitate informatum.

Nota.

Hinc, bonum morale est medium inter peccatum, & meritorium: quia morale, cùm in nullo deficiat, peccatum esse non potest, & cùm excellentia illa, & qualitate supernaturali, & ad meritum necessaria careat, nõ potest esse meritorium.

Append. Soto de nat. & grat.c.21.

CONCLVSIO III.

Infidelis, siue alius quicunquè pro isto statu, de quo est extra gratiam, non potest benè moraliter, vel semper, vel vt in plurimum sine speciali Dei auxilio operari. Hæc conclusio in tractatu de necessitate gratiæ suprà fuit demonstrata, cuius opposita sine errore affirmari non potest. Et ratio est: quia si homo extra gratiam sine speciali Dei auxilio, vel semper, vel diu posset benè moraliter operari, posset quoque sine viribus omne peccatum vitare, & diuina præcepta adimplere; quod est falsum, & erroneum. Deinde quia diu, vel semper benè moraliter operatus esset hominis sapi, atque valentis secundum rationem, & homo per peccatum lapsus, & est in statu negligentiæ, & infirmitatis, atque ita non poterit diu, & semper operari benè moraliter. Quod docuit D. Greg. super Euoli.

D Greg.

quando

quãdo dixit. Peccatũ, quod per pœnitentiam nõ deletur, &c.

CONCLVSIO II.

Homo extra gratiam existens, siue fidelis, siue infidelis sit, potest aliquod bonum moraliter operari, tarò tamen, & maxima cum difficultate sine speciale Dei auxilio. Hæc conclusio fuit etiam suprà probata. Et denuò confirmatur: quia aliàs hominis natura non esset per peccatum vulnerata; sed potius extincta. Propterea quòd nullum conatum, quamuis languidum, & imperfectum habere posset ad bonum.

CONCLVSIO III.

Nullum opus, per quod homo ad gratiam iustificantem, siue mediatè, siue immediatè consequendam, tenditur, & disponitur, potest sine speciali Dei auxilio suis viribus efficere. Hęc conclusio colligitur expressè ex variis locis sacræ scripturæ. *Ioan.6.* Vt Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et venire significat omnẽ viam & progressum, quem facimus ad vitam consequendam. Idem expressè declaratur. *2.Pet.2.* 2. Pet. 2. vbi dicitur. Omnia nobis donata esse diuina virtute, *Rom.11.* quæ ad vitam, & pietatem pertinent. Et ad Rom. 11. Quis *1.Cor.4.* priùs dedit ei, &c. Et 1. ad Corinth. 4. Quid habes, quod non *Oseæ.13.* accepisti. Et Oseæ. 13. Perditio tua ex te. Et confirmatur ratione: nam, si homo tale opus efficere posset, sequeretur initium salutis esse ex nobis, & ex consequenti gratiam non esse gratiam, quod est erroneum.

Diffic. Qui vendunt infidelibus ea, quibus ad ritum infidelitatis vtuntur, peccant ne mortaliter?

HAEc difficultas solet à doctoribus artic. citato S. Thom. tractari.

CONCLVSIO I.

Vendentes infidelibus, quæ solùm ad infidelitatem vtilia sunt, mortaliter peccant. Et ratio est; quia talià ex natura sua habent ordinem ad malum, atquè ita illa vendentes malo infidelium cooperantur.

CON-

CONCLVSIO II.

Vendentes ea, quorum vsus ad bonum, & ad malum est communis ea intentione, vt infideles, quæ ad suum opportuna sunt vsum, habeant, mortaliter peccant. Et ratio est; quia dantes instrumenta ad peccandum, peccatis peccantium cooperantur.

CONCLVSIO III.

Tendente verò talia ad bonum, & malum communia, nescientes infideles illis vsuras ad suæ religionis cultũ, haud peccant. Et ratio est; quia ignorantia inuincibili excusantur. Nam talis ignorantia est de re, quam fidelis scire nõ tenetur.

DVB. Quid? Si vendens sciat infideles illis rebus communibus ad ritus suæ infidelitatis esse vsuras, peccabit ne mortaliter.

Summa Rosella verb. Iudæi partem affirmantem tenet. *Summa Rosell.*

CONCLVSIO.

Mortaliter haud peccat. Et ratio est; quia malus vsus nec directè, neque indirectè respectu valentis res indifferentes est voluntarius. Non directè; quia non sequitur talis vsus ex voluntate vendentis, cùm vendat ex parte sua fine timore mali futuri. Nec indirectè; quia non tenetur vendens talem vsum vitare, quamuis possit non vendendo. Aliter enim oporteret semper vendentes circa illud, quod est ex rebus venditis futurum, solicitos esse, quod est nimis durum. Præsertim cùm vendantur res indifferentes, quæ ex natura sua ad malum vsum non ordinantur. Atq; ita pessimus vsus atq; inordinatio mala non venditori; sed emptori ascribitur. *Caiet.est.*

Quæst. II. Vtrùm omne peccatum sit voluntarium?

DE hac quæstione, qua secũda conclusio Magistri explicarut, iam suprà in materia de peccato originali, & actuali, & veniali, disserimus. Vtrùm vt vno verbo quærenti de illa satisfacias, nota sequentes propositiones.

Prima

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima Propositio.

Peccatum originale, vt loco citato explicauimus, quādam voluntarij rationem habet. Et ratio est: quia, Adam peccante, omnes in illo peccauimus: dum, vt D. Augustin. ait, omnes eramus ille homo, & voluntas eius aliquo modo nostra fuit; quia in eo extitimus, tunquam in radice, cui ab initio suæ creationis implantata fuit gratia, & vniuersum omnium addita natura, ad totius humani generis dispositionem pertinctat.

D. Aug. lib. 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 32.

Secunda Propositio.

Nullum est omninò peccatum actuale, tam mortale, quā veniale, quod non sit voluntarium. Hæc est D. August. qui loco citato asserit, sine voluntate nullum propriæ vitæ posse esse peccatum. Quod verò magist. ex D. August. asserit, nusquam nisi in voluntate peccatum esse, nō significat intra solius voluntatis limites, tanquam cancellos, peccatum omne coerceri: sed omnem peccati radicem, & primariam causam esse voluntatem: à qua quidem ad alias animæ vires, & externas operationes potest peccatum deriuari.

D. Aug.

Magist. Sent. Dist. XLII.

IN hac distinctione Magist. ponit aliquot quæstiones. Prima est, Vtrùm voluntas mala, & actus malus sit vnum, vel duo peccata? Secunda, Vtrùm maneat peccatum in homine, transeunte actu interiori, & exteriori? Deinde ponit varias peccati diuisiones, quæ supra in tractatu de peccatis fuerunt à nobis expositæ.

Alen. Alex. p. 2. q. 96. m. 5. art. 3. S. Tho. 1. 2. q. 20. art. 1. 3. Bona. & Ricar. & Durā. hac dist. q. 1.

Quæst. I. Vtrùm actus interior, & exterior sint duo peccata?

INtelligo quæstionē hanc de interno consensu, & exteriori operis executione, quatenus hæc duo cōiuncta sunt, & ex priori posterius emanat. Nam, si voluntatis consensum

sum seorsum contempleris, iam dubium non est, quin peccatum in sola voluntate consistens distinctum sit ab actu externo, quod postea opere perpetratur, cùm sit alius, atque alius in rem malam consensus.

Sunt autem duæ extremæ sententiæ. Prima Greg. Arimin. & Gabriel, affirmantium, esse duo peccata. Secunda, & contraria est Magistri hac dist. & D. Bona. & Duran. & S. Thom. art. 1. vbi supra.

Greg. Arim. q. vlt. 2. Gabriel q. vnica hac d.

CONCLVSIO.

Non sunt duo peccata, sed vnum. Et ratio est: quia vbi est vnum propter aliud, ibi est tantùm vnum, vt Arist. docet: & actus exterior, vt ex supra dictis constat, propter actum interiorem bonus, vel malus censetur. Tū etiam: quia actus interior, & exterior illi coniunctus, eodem præcepto prohibentur: vt in his præceptis, non occides, non adulterabis. Nequè enim actus exterior prohibetur, nisi quia voluntarius. Tandem quia nullus vnquàm, qui occidit aliquem, confessus est, se, voluisse occidere hominem: sed tantùm occidisse.

Arist. 2. Topic. c. 2.

Append. 1.

Hinc, in vtroquè vna eademquè erit malitia, etiam numero, vnaquè formalis ratio peccati, cùm vnus actus, non nisi per alium malus sit. Quemadmodum eadem numero est sanitas, qua animal sanum esse cognoscitur, & qua vrina sana appellatur.

Append. 2.

Hinc, quando coniuncti actus interior, & exterior considerantur, vno tantùm præcepto prohibentur: vt nō occides, non mœchaberis, vbi nunquàm non consensus interior voluntaris in ipsum opus includitur: eò quòd, vt diximus, exterior operatio nullam habet peccati rationem, nisi quatenus à voluntate deliberata egreditur. Quando verò actus isti adinuicem separantur, diuersis præceptis prohibentur. Et ne crederemus concupiscentiam rei illicitæ non aliter esse peccatum, quàm si opere externo: quod concupiscimus, exequamur, absolutè dictum est, non concupisces. Quem quidem errorem Matth. 5. Christus condemnauit dicens. Qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Difficult. Actus exterior auget ne interioris actus malitiam?

Sco. quodlib. 18.
S. Tho. art. 4. vbi. 3.
Duran. q. 1. &. 2.
Greg. Arim.
Gabr.
Scoti est.

SOLVS Scotus tenet affirmantem partem S. Thom. Gregor. Arimin. quæst. vltim. Duran. Gabriel. q. vnica, & alij negant. Et cùm vtraque opinio sit admodum probabilis, decreui vtrãq; vna, atq; altera ratione confirmatam tibi ob oculos proponere: tu verò elige, quam malueris: quamcunquè enim aggrediaris viam, tutissimus ibis.

CONCLVSIO I.

D. Aug. 13. de Trinit. c. 5.

Actus exterior malitiam actus interioris auget. Et probatur primò autoritate D. August. dicentis. Miser efficitur homo mala voluntate: sed misereor potestate, qua malum desiderium adimplet. Et ratione confirmatur: quia occidere clericum peius est, quàm velle occidere. Quoniam qui occidit est excommunicatus, & efficitur irregularis: qui verò solum vult occidere, neq; excommunicationem, nequè irregularitatem incurrit. Tum etiam quia hominem occidens, infert irreparabile damnum: volens autem efficaciter occidere, & non occidens, nec damnum, nec iniuriam proximo infert. Quare minus peccat volens occidere, quàm occidens, & ex consequenti actus exterior interioris actus malitiam augebit.

CONCLVSIO II.

S. Thom. & aliorum est.
D. Chrysost.
B. Aug.
Matth. 7.
S. Bernar.
B. Greg.
Ricard. de S. Victo.

Actus exterior interioris actus malitiam minimè auget. Autores huius opinionis in eius confirmationem adducunt D. Chrysostom. homil. 26. in Matthæ. vbi scribit. Sola voluntas remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera verò exteriora sunt signa huius voluntatis. Citant etiam B. August. lib. 1. de lib. arbitrio cap. 3. Et in epist. 49. q. 4. in locum Matth. 7. in quacunquè mensura mensi fueritis, &c. Et S. Bernard. epistol. 77. & B. Gregor. homilia. 5. super Euangelia. Et Ricard. de S. Victore lib. 2. de sacrament. 4. part. cap. 6. qui omnes docent voluntatem pro facto reputari, quando non datur facultas, vel necessitas excludit factum. Et ratione confirmatur: quia vbi non est noua libertas,

tas, nouum meritum, vel demeritum non reperitur, & in actu exteriori non est noua libertas: propterea quòd actus exterior necessariò ex voluntate efficaci sequitur: ita vt membra exteriora voluntati ad nutum obediant, & resistere non valeant. Sed de ijs latius in lib. controuersiarum.

Alex. Alen. p. 4. q. 17. m. 2. §. 1.
Duran. hac dist. q. 3.
Scot. in. 4. d. 14. q. 1.
S. Tho. 1. 2. q. 86. art. 1.
Nota. 1.
Flores. 4. q. 1. de pœnitẽtia art. 3. diffi. 3. 2. Nota.

Quæst. II. Vtrùm, transeunte peccato, remaneat reatus?

REatus de sententia Scoti est obligatio ad pœnam, nihilquè reale ponit in peccatore: sed est relatio rationis duntaxat, quatenus est obiectum intellectus diuini, vel diuinæ voluntatis illum ad pœnam correspondentem ordinantis. Vocatur etiam macula: quia animæ disconueniens est. Appellatur quoquè offensa, quatenus diuinam voluntatem punire respicit. Transit autem actus: quia non semper quis fornicatur, aut furatur. Transit peccatum duobus modis, vel per solam actus cessationem, vel per eius remissionem.

CONCLVSIO I.

Transeunte peccato per solam actus cessationem, remanet reatus. Et ratio à simili est; quia, vt se habet actus virtutis ad præmium: ita & actus peccati ad pœnam: quare sicut, transeunte actu virtutis, præmium gloriæ remanet: ita, transeunte peccati actu, remanebit pœnæ reatus. Quæ quidem pœna, si peccatum fuerit mortale erit æterna, si veniale temporalis.

CONCLVSIO II.

Transeunte peccato per remissionem, si remissio fuerit totalis, nullus omninò reatus remanebit: si verò nõ fuerit totalis remissio, aliquis remanebit reatus. Primæ partis ratio est, quia peccatũ omninò remitti, nihil aliud est, quàm ipsum ad nullam pœnam imputari. Et, vt ex supradictis constat, & ex ijs, quæ in floribus. 4. de contritione traduntur, tanta potest esse contritio: vt omninò omnis pœna deleatur: vt exẽplo latronis sancti constat, cuius anima statim egressa è corpore fuit cũ Chro in paradiso. Secunda partis cõclusionis ratio est:

quia quando non est totalis remissio, remittitur peccatum quòad debitum pœnæ æternæ, fitquè in temporalem pœnam commutatio. Dicitur tamen simpliciter remissum quò ad culpam, licet non totaliter quò ad pœnam: quia omnis pœna temporalis ad æternam comparata, pœna secundum quid est.

Alex. Alen. q. 150. & p. 4. q. 12. art. 1. §. 1. ad argum. S. Tho. 2. 2. q. 14. D. Bona. Ricard. Duran. Scot. & alij hac dist.

Magister Sent. Dist. XLIII.

MAgister in hac distinct. in speciali de peccato in Spiritum sanctum verba facit, cuius sententia sequentibus conclusionibus comprehenditur. Prima conclusio, peccatum in Spiritum sanctum est omni peccato grauius, quod neque in præsenti sæculo, neque in futuro remittitur. Secunda conclusio, peccatum in Spiritum sanctum variè dicitur irremissibile esse. Tertia conclusio, peccato ex malitia obstinationis, desperationis, impœnitentiæ, & fraternæ oppugnationis gratiæ non solùm in Spiritum sanctum: verùm etiam in Patrem, & Filium peccatur.

Quæstio vnica. De peccato in Spiritum sanctum.

De consecr. d. 4. c. hi vero.

PRæter doctores in margine citatos, lege etiam ius canonicum, in quo multa de hac quæst. sparsim tractãtur, vbi docetur variis modis aliquem peccare in Spiritum sanctum.

Primò, qui ex proposito bonum deserit, & malum vsquè ad mortem facit. De pœnitent. distinct. 1. §. Deus quis similis, & dist. 3. cap. inter hæc.

Secundò, peccatur in Spiritum sanctum, cùm quis obstinatur, & dicit, omnia mala impunita, & bona non remunerãda. De pœnit. distinct. 3. c. adhuc in fin.

Tertiò, qui pœnitus desperat: vt Cain, qui dixit maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. De pœnit. distin. 1. ca. voluissent. & ex quis.

Matth. 12.

Quartò, cùm quis veritatem cognitã impugnat: vt illi, qui Christum

Christum in Beelzebub eiicere dæmonia dixerunt. 1. q. 1. ca. eos, qui.

Quintò, quicunq; quomodocunq; mortaliter peccat: nam ex hoc Spiritum sanctum à se fugat. De pœn. d. 3. c. inter hæc.

Sextò, qui scienter in quocunq; mortali peccato perseverat. De pœnit. dist. 3. ante finem.

Septimò, quicunque in peccato existẽs, habet propositum, aunquàm pœnitendi. De pœnit. dist. 4. c. potest fieri.

Hanc, q. inuenies explicatam in floribus. 4. q. 1. de pœnit. art. 3. & lege Vegam ibi citatum. De speciebus verò peccati in Spiritum sanctum in libello florum virtutum, & vitiorum, in particulari erit sermo.

Magist. Sent. Dist. XLIIII.

HAc die. vj. Nouembris anni M. D. LXXXV. (gloria sit Patri, & Filio, & Spiritui sancto) aggredimur hanc vltimam Magistri distinctionem cuius sententia tribus conclusionibus potest explicari, quarum prima est. Potestas benè, vel malè operandi à Deo est. Secunda, licet potestati benè administranti parendum sit; viriliter tamen eius abusui est resistendum. Tertia, quando inferior potestas contra superiorem præcipit, est contemnenda, & superior audienda.

Quæst. I. Vtrùm potentia peccandi sit à Deo?

Alex. Alen. 1. p. q. 2. m. 2. S. Tho. 1. p. q. 79. S. Bona. q. 5. & Duran. q. 1. & Scot. q. 1. Gabriel q. vnica, & alij hac dist.

CIrca hanc quæstionem quidam adhibendã esse distinctionem existimãt, nisi ad substantiam operationis, qua peccatum admittitur peccandi potestas referatur, ideſt, vno verbo. Si peccatum pro materiali sumatur, tunc à Deo eam esse fatentur, eò quòd substantia actus peccati à Deo sit: si autem ad obliquitatis defectum referatur, cuius comparatione propriè dicitur peccandi potestas, vel meliùs peccandi infirmitas, tunc negant illam à Deo esse. Verùm tamen Magister, nulla huius distinctionis facta mentione, absolutè potestatem peccandi à Deo esse tradit, non per subministrationem positiuæ virtutis: sed per negationem perfectionis, quæ sic in bono confirmaret hominem: vt nullis peccandi occasionibus succumbere posset.

CONCLVSIO.

Peccandi potestas est à Deo rationali creaturæ concessa. Et ritto est: quia si à Deo non esset, laude, & honore digna nō censeretur. Laudatur enim & commendatur vir iustus. Eccles. 31. Qui potuit transgredi, & non, &c. Tum etiam quia voluntas inest nobis à Deo, & eadem est, qua, & rectè viuitur, & peccatur. Idem apertissimè docet D. Hieronym. in epistola ad Demetriadem virginem. Qui enim varios, & distinctos rerum ordines ad mundi ornatum instituit, hominē lege creationis talem esse voluit, qui peccare, & non peccare posset. Nec quia peccare malum est: ideò peccandi potestas mala est. Nequè ista peccandi infirmitas hominem malum reddit: propterea quòd nihil eorum, quæ ei iuxta naturæ suæ conditionem pro tempore præsentis vitæ inesse debent, adimit.

Ecclus. 31.
D. Aug.
D. Hiero.

Appen. 1.

Hinc, quia defectus quidam est, non sequitur illam non esse à Deo. Nam Deus est etiam nobis multorum aliorum defectuum autor, dum virtutem aufert, aut nō subministrat, quæ defectum excludere posset. Quo quidem modo est nobis mortis autor, dum id aufert, vnde mortem euadere possemus. Similiter ad imperfectionem pertinet, quòd lapides nec viuunt, nec sentiunt: hanc tamen à Deo esse dubitat nemo. Hæc tamen sunt quadam etiam ratione perfecta: quoniam id habent, quod ex conditionis institutione habere debent. Et suo loco constituta non parum ad mundi ornatum conferunt, dum in rebus conditis, tam variis, atquè distinctis ordines cernuntur, & gradus etiam, per quos ad Deum conditorem omnium conscendimus.

Appen. 2.
D. Anselm.
D. Aug.
Scot. vbi. 5.

Hinc, D. Anselmi autoritas: quia dicit posse peccare non esse libertatē, neq; libertatis partem, & D. August. & aliorum dictorum, posse peccare non dicere potentiam, neq; esse posse: sed deficere, est intelligenda de abusu voluntatis, & potentiæ. Qui quidem abusus est peccatum pro formali, & non est à Deo. Dicit enim Scot. vbi sup. libertatē esse perfectionem simpliciter, & cōuenire Deo, & secundū hoc non conuenire illi posse peccare. Verùm quia in nobis est cum limitatione, ratione huius conuenit libertati posse peccare.

Quæst.

Quæst. II. Vtrùm omnis superiorum potestas sit à Deo?

Alex. Alen. sup. m. 3.
S. Tho. 1. p. q. 96. art. 3. & 4. & 2. 2. q. 10. art. 10.
D. Bona. art. 2. & 3.
Duran. q. 2. 3. 4. & 5.
Ricar. & alij hæc dist. 11. q. 3. c. qui resistit.
Ad Rom. 13. 11. q. 2. c. nemo contemnat.

CONCLVSIO.

OMNIS superiorum potestas, tam sæcularium, quàm ecclesiasticorum à Deo est. Hanc conclusionem clarissimè pagina sacra edocet. Nam B. Paul. nihil manifestiùs tradit. Omnis, inquit, potestas, non nisi à Deo est, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et B. Petrus apostolorum princeps ita ait. Subiecti estote omni humanę creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, &c. & posteà; serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis: sed etiam difcolis. Prouerb. 8. Per me reges regnant, &c.

1. Pet. 2.
Prou. c. 8.
Doct. vbi s.

Hinc, omnis potestas, non, nisi à Deo, vel iubente, vel finente, est: vt habetur. 23. q. 1. cap. quid culpatur in bello.

